Opera omnia medica / Ed., with life of author, by J. Wigan.

Contributors

Freind, John, 1675-1728.
Wigan, John, 1696-1739.

Publication/Creation

Londini : J. Wright for W. Innys, etc., 1733.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/u7rzcced

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

A XXXI Fre
23,524/D





GEORGE R.

GEORGE the Second, by the Grace of God, King of *Great Britain*, *France*, and *Ireland*, *Defender of the Faith*, &c. To all to whom theſe preſents ſhall come, Greeting. Whereas *William Innys*, *Richard Manby*, and *John Wright* of our City of *London*, Bookſellers, have humbly repreſented unto Us, that they have at great Charge and Expence printed a new and correct Edition of a Book intitled, *Johannis Freind*, M. D. *Sereniſſimæ Reginæ* Carolinæ *Archiatri*, *Opera Omnia Medica*, and that the ſole Right and Title of the Copy of the ſaid Book is veſted in them the ſaid *William Innys*, *Richard Manby*, and *John Wright*, and have therefore humbly beſought Us to grant them Our Royal Privilege and Licenſe for the ſole printing and publiſhing thereof, for the Term of Fourteen Years; We being willing to give all due Encouragement to ſo uſeful a Work, are graciouſly pleaſed to condeſcend to their Requeſt, and do therefore, by theſe Preſents, ſo far as may be agreeable to Law, grant unto them the ſaid *William Innys*, *Richard Manby* and *John Wright*, their Executors, Adminiſtrators, and Aſſigns, Our Licenſe for the ſole printing and publiſhing the ſaid Book for the Term of Fourteen Years, to be computed from the Date hereof; ſtrictly forbidding all Our Subjects within Our Kingdoms and Dominions to reprint or abridge the ſame, either in the like or any other Volume or Volumes whatſoever, or to import, buy, vend, utter, or diſtribute any Copies thereof reprinted beyond the Seas, during the aforeſaid Term of Fourteen Years, without the Conſent or Approbation of the ſaid *William Innys*, *Richard Manby*, and *John Wright*, their Heirs, Executors, and Aſſigns, under their Hands and Seals firſt had and obtained, as they will anſwer the contrary at their Perils; Whereof the Commiſſioners and other Officers of Our Cuſtoms, and the Maſter, Wardens, and Company of Stationers are to take Notice, that Obedience be rendered to Our Pleaſure herein declared. Given at Our Court at St. *James*'s the Twenty Ninth Day of *December* 1732, in the Sixth Year of Our Reign.


By His Majeſty's Command,


HOLLES NEWCASTLE.

Variantes quædam Lectiones ex MSS. *Barocciano* excerptæ.

PAG. 168, l. 12. φωναὶ ϑ βεβγχώδεις.
172, l. 2. ἀϑημίεσοι.
173, l. 12. ἔχω.
174, l. 14. ϑ διακινδυνώσεις πεπασμός.
176, l. 18. Ερώτων ϑ παιδὶ σιμύλῳ.
177, l. 2. πυλλαί.
l. 2. οἱ ἄνδρες.
179. l. 7. ἐδεμίλιω.
182. l. 16. ἀρίησι.
186. l. 20. πυλλοί.
189. l. 13. ἡμοῤῥάγει πολλάκις.
196. l. 9. τιὼ κεφαλιώ.
203. l. 20. ἦλθε πυλλά.
204. l. 16. Καλάσασις Λοιμώδης, deeſt.
205. l. 15. τοιαῦτα.
l. 16. πυλλοί.
l. 22. πάλοθεν ἐπιμαίνεσθε.
207. l. 17. ἰδρῶτες πυλλοί.
l. 26 φθόεγγα. Ita & *Aldus*: fortaſſe rectius.
208. l. 6. πυλλοί.
l. 17. πολὺ δέ.
l. 20. διατιῶ.
212. l. 8. ἀγάστι.
213. l. 1. κωμαλόδες.
l. 2. πυλλὰ.
214. l. 7. σμικρά.
215. l. 14. ἠρίεσαν.

Pag. 163, 9. pro 1726, lege 1716.





M. Dhal pinx. G. Vertue Sculpsit 1730.

IOHANNES FREIND M.D.

Sereniſsimæ Reginæ CAROLINÆ Archiatrus

Cui ſuas Artes ſua dona lætus
Et Lyram, et Venæ Salientis Ictum
Scire conceſſit, celerem et Medendi
Delius Usum.

28140

JOHANNIS FREIND, *M. D.*


SERENISSIMÆ REGINÆ

CAROLINÆ

ARCHIATRI,

OPERA OMNIA

MEDICA.



LONDINI:
Typis JOHANNIS WRIGHT.

Impensis GUL. INNYS, RIC. MANBY Regiæ Societatis Typographorum, & L. GILLIVER in Vico voc. Fleetstreet, MDCCXXXIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



CAROLINÆ

REGINÆ.



UA illa, Regina Sereniſſima, in Literarum Artiumque ſtudioſos inſignis Benevolentia, quâ omnes, quicunque ad ſingulas diſciplinas aliquid adjumenti attulerint, lubens amplecteris, colloquio dignaris, hortatu erigis, præmiis ornas, cum univerſos ad Te eruditos trahit; tum aliquo etiam timore ſuſpenſos tenet, quo ſcilicet ore Judicii tui Aciem ſuſtinere valeant: quandoquidem ſatis intelligant, tantum in promovendis Scientiis ſtudium atque ardorem nemini ineſſe poſſe, niſi cui hos ipſos Muſarum fontes haud leviter deguſtaſſe, ſed affluentiùs hauſiſſe contigerit.

Hujuſmodi autem curâ liberatur, qui id honoris ſibi hodie indultum gaudet, hunc ut Librum Majeſtati Tuæ in manus tradat; quippe qui ſecum affert nihil

ſuum, nihil novum, nihil quod Eruditorum examen non ſuſtinuit; & exinde Tuâ etiam approbatione jam pridem eſt munitum. Horum enim, quæ ſequuntur, Diſquiſitionum Author ad hominum notitiam & exiſtimationem ſcribendo viam aperuit; ut quàm bene Artis ſuæ fundamenta poſuiſſet, non ex Vulgi opinione ſed Doctorum judiciis conſtaret; deinde in eadem exercendâ diu multumque verſatus, tandem aliquando & Intelligendi & Experiendi facultate maturior iterum ſe ad ſcribendum contulit. Hinc nominis ſui celebritate indies inclaruit; hac famâ impulſa eſt Aula; cumque Liberi Regii, cariſſima illa & utriuſque Majeſtatis Veſtræ Reique-publicæ Pignora, in morbum aliquem graviorem inciderent, Illius opem poſcere, Illum conſulere non dedignata es.

Poſtquam vero Illius diligentiam, peritiam, ſucceſſum Ipſa eſſes experta, poſtquam Ipſa, inquam (quæ tam curioſa es Ingeniorum Æſtimatrix, quæ pro acumine Tuo quid in quoque ſit ſtatim vides, & aliorum licet ſententias libenter audias, Tuæ tamen, uti par eſt, confidis) cum Illo colloqui, & ſermones aliquandiu conferre aſſueviſſes; datâ occaſione Fiduciam in Illo Tuam publicè edixiſti, eumque ad Aulam vocatum honorifico Archiatri Tui titulo decoraſti. Hinc Illi liberior frequentiorque ad ſacram Tuam Præſentiam aditus patuit; hinc illa in alloquendo audiendoque Comitas, illud Ingenii lumen, illa recte ſentiendi Vis, quibus omnes, qui Te adeunt, incredibili in Te ſtudio incendis, illum etiam, inter cæteros, ita totum attrahere, devinctumque tenere cœperunt, ut quicquid in ſe Facultatis, quicquid Virium, quicquid Vitæ reliquum haberet, id omne Tibi, Clementiſſima Domina, Tuiſque devovendum putaret.

Hic itaque Majeſtatis Tuæ compellandæ locus triſte

Viri

Viri defuncti desiderium mihi apud Te loquenti renovat; & suggerit, inane quidem, suggerit tamen Votum, hanc ut ipse operum suorum Dedicationem absolvere potuisset. Quanto enim meliùs veros animi sui sensus dicendo aperuisset! Quàm memorem se acceptorum ab optimis maximisque Principibus beneficiorum fuisset testatus! Gratæque mentis affectiones motusque quàm piè quàm copiosè explicasset!

Quoniam vero jam (nimium heu maturè!) Illius silet Lingua, liceat, favente Tuâ Majestate, ut fraternas vices frater subeat; alter quidem, sed prope alter idem, cui sensa sua penitiora liberè communicare & concredere solebat; nunquam tamen liberiùs, quàm ubi incideret aliquid, de quo utrique pariter lætandum esse censeret: nunquam pleniùs, nunquam animo aut vultu magis aperto alacrique, quam ubi Regiæ suæ Dominæ insignem erga se Benignitatem, Favorem, Munificentiam commemoraret.

Sæpe quidem Diem illum meminisse mecumque recolere juvabat, cùm primùm ad Te, frequentissimo Nobilium cœtu stipatam, jussus est accedere. Quo die non magis voluptate affectus est, quàm novâ quadam & inopinâ rerum specie perculsus; ubi se in Luce Palatii tot oculis notari, tam singulari tuâ Comitate Gratiaque agnosci atque secerni videret.

Utcunque verò ex hoc Principio animosior fuerit, cum tamen ante Augustissimam Regis Majestatem adductus constitit, fatebatur se, suborto statim timore quodam & verecundiâ, vehementiùs commoveri; dum consciret sibi in Vitâ alicubi a se erratum esse (quod humanum est) unde aliquid forte scrupuli hærere, aliquid minùs benignæ de se opinionis insidere posset. Sed ecce omnia longè aliter! Aperta Frons, Vultus placidus, Adlocutio gratiæ plenissima. Nihil reprehensum est, nihil

expo-

expoſtulatum, nihil monitum. Nullum dubiæ in illum Voluntatis, nullum Suſpicionis veſtigium apparuit. O egregium Animi vere magni atque excelſi argumentum! O dignus Majeſtate Regiâ mentis Status atque Habitus! O Felix etiam & Ille, qui, qualis eſſet optimi Principis de Ipſius Virtute, Probitate, Fide Opinio, inſigne hoc & perpetuum Teſtimonium conſecutus eſt. Et hoc ſanè quam vim haberet continuo percepiſſe ſe aiebat, ſcilicet tantum fuiſſe Regii Judicii Momentum atque Authoritatem, ut cæterorum omnium non modo contumelias, ſed etiam ſuſurros ſilentio prorſùs oppreſſerit. Ipſe vero alium, eumque exoptatiſſimum hinc fructum ſperavit, quod facile intelligeret quanto gratior acceptiorque apud Te futurus eſſet, cum videres virum a Te delectum Regis etiam ſuffragio approbatum, cui ſoli Mortalium Teque Tuaque omnia conſilia & acta approbari neceſſe duceres.

Dum hujuſmodi inter fratres amiciſſimos haberentur Sermones, in promptu erat obſervare, quam ſincera Vitæ ſolatia pepererit, quam jucundum effecerit diuturnæ conſuetudinis vinculum mutuus ille inter Majeſtates Veſtras Animorum conſenſus, eademque illa, ſive a Natura conſtituta, ſive a morum facilitate derivata, Voluntatum inclinatio; qualis alibi vix conſpicitur; qualis, non dicam in ſummo Celſitudinis gradu poſitis rara eſt & prope inaudita, ſed etiam privatis, in Re domeſticâ feliciſſimis, invidenda.

Inter cæteras vero, quas in Vos Divina Providentia abunde cumulavit, felicitates, nulla certe eſt, aut avidiori aure vobis haurienda, aut nobis omnibus altiori voce prædicanda, quam Illuſtris & numeroſa Regiæ Veſtræ Domus Progenies. Hinc Publicæ lætitiæ materies univerſi Populi veſtri & gratulationi-

bus

bus ora implet, & corda jucundiſſimo ſenſu pervadit; mox etiam & ad alias Gentes perventura. Tot enim tantæ indolis Principes non Britannia ſola, ſed extera itidem Regna quaſi ſignum aliquod de Rebus ſuis bene ſperandi ſublatum ſuſpiciunt; dum Major adeo ſplendidæ ſobolis Pars in oculis & celebritate omnium jam diu verſatur, reliqua autem præeuntibus alacris inſtat, & ad eundem Famæ apicem properat contendere.

Ex hac laude magnam ſibi partem jure vendicat felix Naſcendi Conditio, majorem tamen Prudentiſſimæ Parentis, quæ a primâ Infantiâ ſingulis invigilaverunt, Curæ. Et quid ſane minùs præclarum perfectumque ab iis ſperari debuit, quos Tuis, Scientiſſima Regina, ſermonibus aſſuetos, ſub Tuis Ipſius oculis aſſiduè collocatos inſtitui contigit? Quibus Tu aliquid, etiam tenellæ ætati congruum, paullatim inſtillare, & animis ſenſim quaſi dilatatis maximarum rerum notitias pleniùs ſolebas infundere; donec omnes, quoad anni ferrent, ad rectam intelligendi & vivendi rationem, ad piiſſimum Virtutis & Relligionis cultum, ad ſtudium denique eorum omnium, quæ Pulchra, quæ Magna, quæ Principibus digna ſunt, perduxiſſe videreris.

Inter Juniorem vero Regii generis Prolem, Gentium in ora jam brevi venturam, liceat mihi, Majeſtatis Tuæ veniâ freto, de Celſiſſimo Duce, quem propiùs vidi novique, paulò fuſiùs loqui; nec videar de meâ ſorte nimiùm glorirari, quod intra meos Parietes talem tantumque Hoſpitem toties receperim. Quando enim, ſub ipſis Regni veſtri initiis, & Regis Majeſtati & Tuæ ita viſum eſt, ut illam Literarum Officinam Beatiſſimæ Elizabethæ Auſpiciis Weſtmonaſterii fundatam (in quâ ego per multos jam an-

nos Moderator elaboravi) ad peculiarem veſtram Indulgentiam & Patrocinium pertinere putaveritis; id etiam pro ſingulari veſtrâ Gratiâ conceſſiſtis, ut egregiæ ſpei Dux, Veſtræ noſtræque Deliciæ, ſolennes apud Nos celebritates, & ingenuas in Re Literariâ exercitationes ſuâ Præſentiâ honeſtaret. Quæ quidem & novum noſtræ Juventuti Ardorem inſpiravit, & per univerſum illuſtrium Auditorum Cœtum, qui recreandi animi cauſâ convenerant, novum benevolentiæ Lætitiæque lumen diffudit. Erat enim Illi mira in Vultu Gratia; in toto Corporis habitu geſtuque Decor & Dignitas; in oculis iſtiuſmodi Vigor, qui Animum ultra annos attentum indicaret, & Spiritum magni Parentis, nihil frigidè nihil languidè agentis, æmulum. Quàm varia in Eo Ingenii facultas emicuit! ad apprehendendum quàm celeris! in interrogando quam apta & opportuna! in obſervando quam acutà! Erat porro in congreſſu atque affatu haud inſcitè comis; in totâ ſe gerendi ratione, Facilitate & Benevolentiâ conſpicuus.

Neque hæc ita eſſe mihi ſoli (quem ad omnia attentiorem eſſe oportuit) videbantur; ſed cœteri etiam omnes, qui ex omni Liberalium Ordine frequentiſſimi aderant, idem ſe ſentire non ſinè gaudio & Admiratione ſatis apertè ſignificârunt.

Ignoſcas, oro, Domina Clementiſſima, ſi meam vel Voluptatem indulgendo, vel prædicando felicitatem, huic Argumento diutiùs quàm par eſt immoratus ſim. Quod erat, hoc in loco, mei propoſiti atque officii munus recolo repetoque; eaſque, quas mecum affero, deſideratiſſimi Fratris relliquias ad Majeſtatis Tuæ pedes depono. Certò enim ſcio earum Authori nihil magis cordi fuiſſe, nihil illum ardentioribus votis optaſſe, quàm ut Tuorum in ſe meritorum, ſuique viciſſim

ciſſim grati in Te animi monumentum aliquod extaret. Ut ubicunque illius nomen legeretur, ibidem innoteſceret quantum Famæ, Dignitatis, Facultatum Tuo Favori Munificentiæque deberet. Gratiſſimum Illi fuiſſet eandem Majeſtatis Tuæ imaginem, quam ipſe animo concepiſſet, per Univerſum orbem ſcriptis propagâſſe; non quod exinde putaret Tui Nominis Famæ, quam abunde loquentur Annales Britannici, aliquid Incrementi acceſſurum; ſed potiùs, quòd tam Illuſtris Reginæ Gratiam & Exiſtimationem perpetuo ſibi honori futuram ſponderet. Adeoque etiam & Illi, quibus Chariſſimus fuit, ſuo vel deſiderio, vel amicitiæ, vel fortè ambitioni veniam ſperare audent, ſi Illius Opera ſub Tuis Auſpiciis denuò prodire, ſi Ejuſdem nomen Tuo de Ipſius meritis judicio ſeculis omnibus iri traditum, & quaſi conſecratum cupiant.

Atque huic quidem Fiduciæ locum fecit Ea Lux Liberalitatis & Indulgentiæ Tuæ, quæ erga Illum tanta effulſit, ut ne cum Illius quidem Vitâ exiſtingui poſſet. Neque enim, cum de Illius morte nuncium accepiſſes, Tibi ipſa temperâſti, ſed Lacrymam (quam pretioſam!) Illius Memoriæ dignata es litare. Imo eò uſque proceſſit Regia Tua Benevolentia, ut eam non in illo clauſam eſſe patereris, ſed quaſi hæreditariam ad Illius propinquos manare, & affatim defluere juberes.

Dum itaque communes meorum gratias Majeſtati Tuæ humillimè offero, liceat mihi ſingularia in me collata Beneficia, quæ palam acceperim, non minùs palam profiteri. Mihi enim ad Aulam Regiam aditus (ſatis jam diu intercluſus) Tuâ ſolius Gratiâ aliquando patefactus; Tua colloquentis Vox & Oratio, tantâ humanitate & candore perfuſa; plurima illa Benevolentiæ indicia,

indica, quæ intimos mihi ſenſus toties pertentarunt; Auguſtiſſimi denique Regis ampla atque iterata in me Munificentia; Hæccine, inquam, omnia grato animo elabi unquam poterunt? Imò verò ut eam Regnandi felicitatem & Gloriam, quam Vobis hucuſque omnes gratulantur, perpetuam præſtet bonorum omnium Author & Largitor; ut ad ſeros Nepotes Veſtros Britannica perpetim ſceptra deducat; ut illuſtriſſimæ Veſtræ familiæ Genus Regium ſpem de ſe jampridem conceptam ſinguli expleant, non ad hujus tantùm ſeculi, ſed omnis porro Ævi, non ad hujuſce ſolùm Gentis, ſed ad univerſi generis Humani ornamentum & præſidium, non niſi cum extremo Spiritu precari deſinet,

Majeſtati Tuæ

Omni Studio, Fide, Officio

Devinctiſſimus Cliens, Subdituſque,

Dat. Weſtmonaſterii
Id. Nov. 1732.

ROB. FREIND.

Ad Virum Doctiſſimum

JOHANNEM FREIND, *M. D.*

FREINDE, *quem* Phœbus *Genio altiori*
Splendide ornavit, docuitque corpus
Morbidum letho eripere, & fugacem
Siſtere vitam;

FREINDE, *Te Proli metuenſve Sponſo*
Anxie implorat Genitrix & Uxor;
Certa, Tu quoquo venias, Salutem
Ire ſequacem.

Namque Tu noſti, Dea quot recluſa
Pyxide emiſit, ſuperare morbos;
Dura nec filum, niſi Te remoto,
Atropos occat.

Non tamen ſervas placuit per Artes
Surgere, & turpi obſequio aucupari
Lucra famamve; ingenuo ſed actus
Impete ſurſum

Tendis, inſueto ſuper aſtra quærens
Tramite aſcenſum: probat omnis auſum
Turba Divorum, præienſque Phœbus
Firmat euntem.

Ductor hinc audis Medicæ cohortis;
Hinc Tibi in morbos domitu malignos
Traditur grande imperium --- I, potenti
Munere felix!

Perge per terras Opifer vocari;
Perge mortales ſtabilire vires,
Præpotens Cuſtos! tamen hac laborum
Mole retentus

Ne piger ceſſet Calamus, memento.
Evocat quoquo ſeries negoti,
Scribe : quod Mauro *faciat ruborem,*
Scribe. Medentum

Hoc rogant, palmam Tibi porrigentes,
Ordines cunĉti ; Duce Te, priorum
Aĉta rimari, medicoſque doĉti ex-
quirere fontes.

Te Duce, antiquas Arabum *tabellas,*
Pulvere excuſſo, rapiunt ; quid aptum
Uſui Rhazes, Meſueſve *ſcripſit,*
Volvere aventes.

Tu doces, primo repetens ab ortu,
Quem Pater Cous, *Medicique ab illo*
Tramitem Graii *tenuere : Tu per*
Barbara vecĉtus

Sæcla, quantillis gradibus, quibuſque Au-
ĉtoribus, creſcens fluitanſve retro,
Artis undabat ſtatus, ordinemque &
Tempora ſignas.

O rudi natum dare ſcriptitantum
Cætui leges ! Tua perlegendo
Scripta, vel diſcant ſtudia æmulari, aut
Parcere chartæ.

O potens forti eloquio movere
Curiam ! fidus patriæ, utiliſque
Conſili ſuaſor, nec hiante contra
Ore potentum

Territus ! quam Te variis refinxit
Dotibus Cæli favor ! excolendis
Artibus donans Genium, & ferendis
Legibus aptum !

Quare age, oranti Medice ac Senator
Subveni late populo ; vocarit
Civicum ſeu Jus, Britonumque *Cauſa,*
Strenuus adſis

Arbiter ; ſeu Te morientium ægræ
Suſcitent voces, Fer opem, precantes ;
Sis bonus ! morbi quate vim, proculque
Ire jubeto.

Sic Tibi fama ſuper ire cunctos
Det potens Artis Deus, inſolentes
Sub jugo Errones premere, & Medentum
Spernere vulgus.

A. Alſop, B. D.

AMICISSIMO VIRO

JOHANNI FREIND, M. D.

IN

Hippocratem Commentarios de Febribus edenti.

TU Vitam Hippocrati, *Vir Phœbo chare, recentem*
Largiris, Famam reddit & Ille Tibi.
Felix Ille Febres depingere, Tuque fugare,
Nempe dedit totam ſe Tibi Diva Salus.
† *Cantharidum ſtimulos* Cous *ſi noſſet Alumnus,*
Et quo Muſca nitens vellicat Ore Cutim,
Si noſſet quæ nunc primum Tua Pagina pandit,
Clauſerat Hiſtorias haud toties, Edit.

Johannes Wynter, Medicus Bathonienſis.

Ad Virum Clariſſimum

JOHANNEM FREIND

Sereniſſimæ Reginæ CAROLINÆ Archiatrum.

QUO te merentem læta Britannia
Honore tollat, quas Tibi gratias
Ob Principes *ſalvos rependet,*
Ingenio Vir & Arte præſtans?

† Vide Comment. 9.

Debere

Debere gaudet Rex *Tibi Liberos,*
Credit ſalutem non alii ſuam
Regina: *jam claris in Aula*
Muneribus Tituliſque fulges,
Decus Britannum *grande Machaonum,*
Altricis Almæ nec tamen immemor,
O Freinde, *quem ſacrare plectro*
Meque decet Comiteſque centum.
Nam pulchra moles, quæ nitet Italo
Decore felix, non Veterem magis
Clararit Ædem, *quam Latinæ*
Spiritus haud tenuis Camænæ,
Quæ, primum Eliſæ *ſub Lare proſpero*
Nutrita, doctam mox colit otia
Ad Iſidem, *cantuſque dignos*
Cæſareo modulatur ævo.
O! Muſa cordi ſi mihi vividum
Afflaret ignem, quæ * Hanneſii *fides*
Tam ſuaviter pulſavit olim,
Naſſovii *decorans triumphos:*
Vel quæ, † Gloverni *præproperam necem*
Dum luctuoſis Hanneſium *jubet*
Deflere chordis, triſte funus
Ipſa dolet potiore verſu;
Non ſic maneres carmine Tu meo
Indictus. An non Tu Chymiam *ſagax*
In lucis oras, involutam
Nocte prius tenebriſque, profers?
Tu multiformes Materiæ explicas
Nexus: in altum vi micet Ignea,
Vel Nube ſe convolvat atra,
Vel rutilus petat ima Pulvis,
Urges fugacem ac diſſimilem ſui
Neutonianis *Protea vinculis.*
Quæ ſera Te non cantet ætas,
Et Siculi *Senis atque* Coi
Inſtructus alta, Freinde, *ſcientia*
Cauſas Dolorum quod Muliebrium
Recludis, & blanda tenelli
Arte levas mala dura Sexus!

* Vid. Muſ. Anglican. † Vid. Oden Johannis Freind ad Edwardum Hannes, M. D. in mortem Ducis Gloceſtriæ.

Nunc & Malignos Hippocrates *Pater*
Cum curat Æſtus, muneris ardui
Te poſcit in partem, cupitque
Egregio comes ire Nato.

Reperta Gentis nec Medicæ *ſinis*
Tenebricoſi temporis obrui
Squallore, dum cura ſagaci
Priſca Virum monumenta luſtras;

Hinc quippe Meſſis relliquias breves
Tu granulatim colligis aureæ,
Quaſcunque Graiorum *recondit*
Ciſta nitens, Arabumve *ſtercus.*

At quis recenti præſidio novæ
Febri reſiſtet, quæ populis gravi
Incumbit ardeſcens furore,
Pergameæ *male-nota* Sectæ,

Contagioſis halitibus nocens
Fædanſque vultum & virgineam cutim,
Rugiſque ſulcans indecoris
Ante diem, maculoſa Peſtis?

Formas acerbæ Tu Luis horridas,
Tu vim latentem ac tempora diſpicis
Doloſa: Naturæ fidelis
Auxilio Socius potenti

Morbi minacem comprimis impetum,
Nunc læta fauſtæ ſigna ſequens Ducis,
Nunc auſpicato Ductor æque
Imperio præiens ſequentem.

Hac arte late nobilis anxios
Prolem Parentes depoſitam vetas
Lugere, prælatamque vitæ
Virginibus ſpeciem redonas.

Nam perſpicaci judicio ſimul
Uſuque pollens præcipites rapis
Occaſiones, expeditus
Arbiter ambiguæ Salutis.

Hinc Te Domorum ſpes pereuntium
Extrema ſemper, Te Popularium
Tutela præſens, omnis Ætas
Freinde, *colit, colit omnis Ordo.*

Præbente Freindo *conſilium, ſui*
Secura prorſus, vix Soboli *timet*
Regina *charæ*, Principumque
Cincta choro vegetum ſuperbit.

Ipſa auguratur perpetuum genus
Spe non inani, & Sceptra Britannica
Tradenda per ſeros Nepotes,
Magna Parens Carolina *Regum.*

At Tu ſaluti parce Tuæ, precor,
Nobiſque ſaltem vive, Medentium
O prime, Morborumque felix
Et Necis Invidiæque victor.

Johannes Wigan, M. D.
ex Ædе Chriſti Oxon.
Die Jul. 15, 1727.

PRÆFATIO.

PRÆFATIO.

Lectori S. P. D.

JOHANNES WIGAN, M. D.

LECTORIBUS, præſertim Exteris, credo me non diſpliciturum, ſi de Vita Auctoris, & de Scriptis ejus Medicis antea ſeparatim, nunc vero junctim uno hoc Volumine editis, pauca fuero præfatus. Nam noſtrates quidem fortaſſe, cum nihil de eo novum aut inauditum dici ſenſerint, Mortui deſiderium in ſe fruſtra renovari querentur.

JOHANNES FREIND natus eſt A. D. 1675, in oppido Croton, in Com. Norhantoniæ, Patre, Eccleſiæ ejuſdem oppidi Rectore, Sacerdote docto, pio, probo. Cui Filii in Templo ejus loci Marmor pulchrum, cum eleganti nec, uti mos eſt, mendaci Epitaphio poſuerunt. Is a Parœcia non diſcedens ipſe, Filios a ſe mature removit, publicaque eos educatione inſtitui curavit quam ipſe expertus eſſet optimam. Hos itaque in Schola Regia Weſtmonaſterienſi collocavit, a celebri Præceptore Busbeio iis temporibus gubernata. Unde, cum juſtos in litterarum primordiis progreſſus feciſſent, Oxonium in Ædis Chriſti Collegium tranſlati ſunt. Collegio huic tum præerat Aldrichius, Vir ad hanc provinciam natus factuſque. Mira quippe in eo erat morum ſuavitas quæ Juvenum animos alliceret, munificentia quæ accenderet, tanta vero doctrinæ varietas & copia, ut in pleriſque ſingulatim diſciplinis primi ubique ab omnibus habiti Aldrichium nominari ſecundum facile paterentur. Hic ſingulos imperio ſuo ſubjectos ad ſtudia cujuſque naturæ & indoli maxime convenientia flectens, unumquemque dirigens, hortans, adjuvans, munerans, Ædem jam ante celebrem multo clariorem reddidit. Flagrabant cuncti certatim amore litterarum, ne otioſus quidem illic ſine aliqua doctrinæ aura habitare poterat: verum omnia fervere vidiſſes, nec facile quenquam inveniſſes qui non inter Socios eminere niteretur. Solent enim ingenia etiam mediocria ex magnorum

magnorum conſortio flammam concipere, unde & ipſa aliquando haud ſolum eluceſcunt, ſed aliis quoque facem præferunt. Quamobrem haud aliunde quam ex hoc Collegio major Virorum eruditione præſtantium proventus extitit, neque in aliud, inſtitutionis gratia, frequentior Procerum numerus confluxit: inter quos ſplendida nec defuere nec deſunt eorum exempla, qui, utut in arduis Regni Muneribus diu multumque occupati, ſcientiam hoc in loco acquiſitam excolere adeo non deſtiterunt, ut haud minorem in Litteris, quam in Re Politica, laudem locumque obtinuerint. Cum iſtiuſmodi Viris, ſive altæ, ſive inferioris conditionis eſſent, amicitias ſtatim contraxit Johannes Freindus; quas ita ſancte coluit, tam eas quæ ſibi uſui eſſent, quam eas in quibus ipſe aliorum commodis multum inſervire poſſet, ut nullas deinceps potiores haberet. Ac vehementi ſemper in Ædem hanc amore incendebatur: huic omnem in litteris profectum, huic Artis primordia, huic nominis incrementum, huic opes, huic amicos, huic omnem vitæ jucunditatem acceptam ſe referre prædicabat. Per primos aliquot annos, ut in Academia fieri ſolet, in communi Philoſophia & in Veterum Poetarum Oratorum & Hiſtoricorum tractatione verſatus eſt. Horumque lectioni & imitationi deditus, in proluſionibus Academicis ſtylum adeo exquiſite perpolivit, ut poſtea in Medico certamine nitorem ejus atque aciem vehementer omnes admirati ſint. Quam cito autem ad optima quæque perrexerit, declarat celebre illud Orationum par, Æſchinis altera, altera Demoſthenis, quas opera cum Amico Erudito collata, ineunte Anno Ætatis 21, intra biennium poſtea quam Oxonium venerat, in publicum emiſit; in quo Libro nitida Interpretatio, una cum Indice Alphabetico ubi res paulo difficiliores breviter docte ac dilucide exponuntur, multorum magni nominis Editorum obſcuram diligentiam longe ſuperat. Harum vero litterarum dulcedine haud ita abreptus eſt, ut non ad ſublimiores utilioreſque ſcientias mature contenderet. Itaque Mathematicis diſciplinis animum adjunxit, quarum ſtudia non modo rectam ratiocinandi methodum ſanamque de rerum veritate judicandi facultatem menti conciliare, ſed, uti ad aliarum Artium, ita quoque ad Medicinæ, cui ſeſe ab Adoleſcentia deſtinaverat, provectionem multum conferre exiſtimavit. Tamen & his etiam nimis immorari periculoſum ratus, ne alia ad rem haud minus pertinentia præteriret, melioris notæ quoſque in Arte Medica Scriptores, tam Veteres quam Recentes, diligenter pervolvit, multorum ita Sæculorum Experientia ſeſe inſtruens: Anatomiæ ſimul & Chymiæ incumbens, quoniam ex hac optime Medicamentorum naturam, ex illa Corporis Humani fabricam, e conjuncta autem rei utriuſque notitia minime fallaces erui medendi vias perſpiceret. Nullo enim modo fieri poteſt, ut homo quivis, ſine ſtudio ſine litteris, quantumcunque is acumine ingenii præcellat, in dignoſcendis curandiſque Affectibus conſummati Artificis partes expleat, utut hanc in populo, vel aſtu, vel imperio, vel felicitate fidem de ſe procreet.

procreet. His autem ille præſidiis munitus ad Artis ſuæ exercitationem Juvenis acceſſit. Juvenis etiam adhuc, Anno ſcilicet 1703, fructus ingenii & induſtriæ ſuæ præcoces oſtendit, Emmenologia ſua tunc temporis conſcripta impreſſaque. Qui quaſi cunarum labor, (nam hoc opus abſolutum eſt, cum Medicinæ Baccalaureus eſſet) dignus videri poteſt Athletis in noſtra hac Palæſtra exercitatiſſimis. In eo rationes Geometricæ cum Experimentis ſenſui obviis, morborum notitia cum Medicamentorum exploratione, dilucida Theoria cum Praxi proſpera conjunguntur. Unde magno & Medicorum & Mathematicorum plauſu ſtatim exceptum eſt. E ſtructura Uteri, ex Vaſorum capacitate & ſitu, ex Solidorum actione, ex Fluidorum motibus, tam Theoriæ Phænomena, quam Medendi indicationes & modi, ſimpliciſſima & cohærenti ſibi ratione exponuntur. Mechanica Principia Medicinæ inſervire, ſicuti in Emmenologia notatum eſt, olim perſpexit Hippocrates: qui Theſſalum Filium hortatus eſt ut "Figurarum proprietates, & Numerorum ſcientiam "cognoſceret; & diſciplinæ iſti, quæ illas edocet, & magnitudines "quaſcunque metitur, multum ſtudii adhiberet." Eandem viam tenuit, Vir & in Epicurea Secta & in Medicina jure magni nominis, Aſclepiades. Cujus Sectæ Elementa jam primum ab ipſis iſtius Philoſophiæ inter Græcos initiis, qui Hippocrati coævus & familiaris fuit, reconditiſſima inſtructus Geometria Democritus, adeo ſtabiliter firmaverat, ut deinceps Epicuri Schola, licet in Re Mathematica rudis plerumque, multa Naturæ ſecreta artificioſe admodum ac ſubtiliter revelarit. Quænam vero alia rerum primordia ſaniores hodie Philoſophi amplectuntur, quam Vacuum, & Atomos, harumque magnitudinem, figuram, ſitum, ſoliditatem, motum, gravitatem, declinationem. Hæc eadem in Medicam Artem, nec imperite, advocavit celebris ille Aſclepiades. Nam etſi fidenter quædam, ut iſti ſolent, aſſerat, tamen multa nuper in medium adductis rationibus & inventis congruentia exponit. Hic enim, referente Cœlio Aureliano, "primo Corporis primordia conſtituerat Atomos, Cor"puſcula intellectu ſenſa, ſine ulla Qualitate ſolita atque ex initio co"mitata, æternum ſe moventia, quæ ſuo incurſu offenſa mutuis ictibus "in infinita partium fragmenta ſolvantur magnitudine atque ſchemate "differentia: Quæ rurſum eundo ſibi adjecta vel conjuncta omnia fa"ciant ſenſibilia, vim in ſemet mutationis habentia, aut per magnitudi"nem ſui, aut per multitudinem, aut per ſchema, aut per ordinem. Fi"eri etiam vias ex complexione corpuſculorum intellectu ſenſas, mag"nitudine atque ſchemate differentes, per quas Succorum ductus ſolito "meatu percurrens, ſi nullo fuerit impedimento retentus, Sanitas ma"neat, impeditus vero Statione corpuſculorum Morbos efficiat. Fit au"tem eorum Statio, aut magnitudinis aut ſchematis aut multitudinis aut "celerrimi motus cauſa, aut viarum flexu & concluſione. Varias au"tem fieri paſſiones locorum aut viarum differentia, & non omnes "Statione corpuſculorum; ſed ſolubiles Liquidorum atque Spiritus tur"batione, & viarum raritate fieri. Typum Febris Quotidianum ma-

"jorum corpuſculorum Statione fieri aſſeverat, cito etenim ea inquit "exantlari atque impleri: Tertianum vero minorum Statione corpuſ- "culorum: Item Quartanum minutiſſimorum, difficile enim impleri "atque exantlari poſſunt. Et neque inquit eſſe in paſſionibus ſtatos "dies, quos κρίσιμους appellant; etenim non certo aut legitimo tempore "ægritudines ſolvuntur. Et opportunitatem temporis fieri magis ab "Artifice poſſe, quam ſua ſponte aut Deorum nutu venire. Omnia "præterea fieri neceſſitate, & nihil ſine cauſa; neque Naturam aliud "eſſe quam Corpus & ejus Motum." Hæc quaſi initia rationalis Medicinæ quanto longius provexiſſet, ſi Geometriæ & Anatomiæ uberiorem cognitionem habuiſſet. Quibus freti inter Recentiores Borellus & Bellinius Itali, Pitcairnius Keiliuſque noſtrates, plurimis in rebus veritatem conati ſunt ſi non prorſus aſſequi, tamen ad eam quamproxime accedere. Similiter Freindus Fluxus Muliebris Menſtrui Phænomena, Periodos, & Vitia, cum Medendi Methodo, ad rationes Mechanicas exegit. Verum hoc haud ita intelligi vult, quaſi omnia pariter abſolutiſſima Demonſtratione illuſtraverit. Nam & Mechanici paulo laxiorem ſibi Geometriam concedi poſtulant; quoniam in explicanda corporum natura haud prorſus eadem accuratio requiri debet, quæ in linearum & figurarum proprietatibus demonſtrandis obſervatur. Illud ſufficiat, ſi ſolidis fundamentis inædificata compages ſtabilis maneat, & tota in ſeipſa teres ac rotunda. Aſſignata ſua rei Mathematicæ provincia, Auctor ea Senſibus tribuit quæ ſub judicium eorum recidunt: Experimenta ſcilicet inſtituendo, quibus nunc Medicamenta cum emiſſo Animalium Sanguine commiſcet; nunc eadem in viventium venas adigit, harumque rerum obſervatis effectibus de vi & facultate Remediorum eleganter diſſerit. Quod ſi Geometricæ rationes in hoc itidem argumento magis valere potuiſſent, iis profecto ſenſuum teſtimonia confirmaſſet. Verum hic Scientia iſta hæret, etſi Medicamenta, ſicuti cætera corpora naturalia, mechanice quoque & ipſa agant. Neque enim dubitari poteſt quin Materiam omnem Deus ipſe ab initio Geometrice diſpoſuerit, ac proinde cuncta jugiter ſecundum leges Mechanicas oriantur, creſcant, multiplicentur, intercidant. Quoniam vero ſæpe motuum vis & origo incerta eſt, & corpuſculorum formæ, juxta quas motus ipſe infinitis modis variatur, augetur, minuitur, ita ſunt perplexæ atque involutæ, ut neque ſenſibus percipi neque ratione inveſtigari queant, neceſſe eſt ut de rerum longe plurimarum natura cauſis & operationibus uſu tantum atque obſervatione judicemus. Quid quod Anima, quæ Corpus Hominis, hoſpitem & comitem ſuum, ita variis modis afficit atque ab eo viciſſim afficitur, ejus naturæ eſt ut omnem Matheſeos ſubtilitatem longe effugiat, & omnia melius quam ipſa ſeſe cognoſcat. Igitur in Medicina γεωμετρικὸν quidem, ſed paucis; nam omnino, haud expedit. Ecquis enim ita demens eſt ut Facultates, ſive Vitales ſive Senſitivas, per notas materiæ motuſque leges explicari poſſe confidat? aut Specificas Humorum qualitates per Hydroſtaticen exponi? aut Medicamentorum vires & effectus

fectus ad regulas Proportionum exigi? Sua quidem a Freindo Anatomiæ, ſua Geometriæ, ſua Senſibus, ſua propriæ, ſua aliorum Experientiæ provincia demandata eſt. Atque hæc diſquiſitio adeo docta utilis & jucunda pleriſque viſa eſt, ut inter Exteros non deſint Medici celebres, qui honorificam admodum ejus mentionem fecerint. Omnibus tamen haud æque placuit; quippe contra doctrinam hanc, brevi poſt ejus vulgationem, contraque omnem Theoriam Mechanicam inſurgens, Librum, magna indignatione percitus, nautico potius quam Medico more conſcripſit Belga Snellenus: convitia in Auctorem inficeta, ne dicam obſcæna, ſatis intemperanter jaciens. Cauſa rixæ, quod Plethoram ſingulis menſibus accumulatam Catameniorum cauſam eſſe noſter ſtatuerat: & Chymicorum vanitates e Medicinæ Theoria ut pellerentur optaverat. Ipſe Snellenus ab Igne Philoſophus pro Fermentis ſtat, exploſam cantilenam de novo canens; Mechanicorum quidem argumenta vix intelligit, nedum refellit. Poſt hunc Emmenologiam edidit, Anno 1712, Petrus Freſart, Medicus Leodienſis, in qua Fluxus Menſtrui Phænomena ad rationes Medico-Phyſicas exiguntur. Hic quidem ſatis candidus & ingenuus Scriptor multa Freindi argumenta ita impugnat, ut in aliis cum eo conſentiat, ipſumque multa cum laude prædicet. Freſartius tamen, qui Plethoram non admittit, & Fermentorum Peculiaritatem mere commentitiam & gratis edoctam eſſe contendit, Peculiariſſimum quoddam ipſe affert, ſcilicet, Sal evectum purgaminis Uterini in vaſis collecti genuinam Fermentationis Menſtruæ cauſam eſſe. Hoc cum ſit nihil dicere, nihil contra dici poteſt. Poſt mortem Freindi haud ita pridem Thomas Simſon qui in Cathedra Academica Sancti Andreæ Medicinæ Profeſſoris munus a liberaliſſimo Litterarum fautore Jacobo Duce de Chandois inſtitutum & locupletatum ſuſtinuit, Plethoram in Mulieribus accumulari negavit. Ipſe Eruptionem Menſium cauſam eſſe ſtatuit cur Uterus ad magnitudinis ſuæ ἀκμὴν perveniat: Incrementum vero Uteri ſenſim factum cauſam eſſe cur iidem erumpant; idque eo quod Sinus per Uterum diſſeminentur, qui proceſſu temporis, ſicuti Seminis viæ in Maribus, aperiantur, & Sanguinem affluentem intra ſe recipiant. Hanc opinionem Propoſitionibus quibuſdam & Scholiis confirmare nititur, quæ nec mei inſtituti, nec mearum fortaſſe virium, eſt refellere. Ignoſcet tamen mihi Vir Doctiſſimus, ſi in eorum veritate non acquieſcere me profitear. Vereor enim, ut is qui Uterum Fœtui tantum inſervire, neque item ad Matris negotia quicquam pertinere contendit; quique Fluxus Menſtrui nullam utilitatem nullamque Cauſam eſſe Finalem aſſerit, in explicanda ejuſdem Efficiente Cauſa ſcopum attigerit. Nuperrime autem Tellierus, natione Gallus, libero & erudito ingenio præditus, ex Emmenologia quidem Freindi multum ſe profeciſſe teſtatur, opus illud ob operis perſpicuitatem, rationum vim, & obſervationum utilitatem ſummis laudibus extollens: Plethoram quoque ad Fluxum Menſtruum haud parum conferre judicat; ſed ab eo tum in aliis

rebus,

rebus, tum in hac potiſſimum diſſidet, quod Freindus Fluxum per Vaſorum Capillarium Ruptionem, ipſe vero per Influxionem Sanguinis in Vaſa Lymphatica, ſive ut ab Helvetio vocantur, Arterias Lymphaticas fieri ſtatuat. Profecto quanquam Friendus Vaſa perrumpi ſæpe dictitet, haud ita cenſendum eſt quaſi præternaturalem quandam & vulnificam Vaſorum Ruptionem intelligi voluerit, cum alibi "per impulſum Sanginis eorum Orificia diſſilire" diſerte pronuntiet. Quo conceſſo, non video quæ tanta ſit, quanquam aliter cenſeat Vir Doctiſſimus, inter eorum Theorias diſcrepantia. Neque hujuſce Sanguinis vias, ſive is per Vaſa Lymphatica, ſive per Sinus, ſive per Arterias aut Venas Capillares effluat, unquam adhuc fuiſſe credo oculis Anatomicorum ſubjectas. Non inficior quin Viri tres poſtremo memorati contra Freindi doctrinam nodos nectant, qui ſolvi mereantur; hunc in levioribus quibuſdam lapſum eſſe, & quædam hic iis quæ maturiore ætate ſcripſit haud uſquequaque congruentia reperiri facile concedo. Ac pro certo habeo, in Secunda, quæ Londini prodiit, hujus operis Editione quædam illum reformare, quædam adjicere, quibuſdam objectionibus reſpondere voluiſſe; ſed negotiorum mole præpeditus conſilium illud abjicere coactus eſt. Verum ea quæ contra dicuntur haud ita magni momenti ſunt, ut non etiamnum ſumma ejus doctrinæ, ſcilicet Plethoræ veritas, ſtabilis & inconcuſſa maneat.

Anno 1704, Chymiæ Prælector in Academia Oxonienſi deſignari meruit: quod munus obiens Prælectiones, ob doctrinæ novitatem & perſpicuitatem magna Auditorum frequentia celebratas, habuit; quas poſt aliquot annos impreſſas vulgavit.

Non ita multo poſt, Anno ſcilicet 1705, Freindum Illuſtriſſimus Comes Petriburgenſis, in Exercitu, cui ipſe in Hiſpana Expeditione Imperator præerat, Medicum Caſtrenſem conſtituit. Qui quidem ibi per duos prope Annos magna cum laude hoc officio functus eſt: ac poſtea domum reverſus, eodem animi vigore, quo ille bellaverat, res ejus geſtas in Hiſpania conſcripſit. Verum in itinere a via divertens Romæ Veteris relliquiis pauliſper immorari concupivit, tantique olim Imperii ſedem, tam feracem clariſſimorum hominum parentem, tot Antiquitatis monumenta lectione pridem ab eo cognita, oculis perluſtrare. Medicis etiam in Urbe illa celeberrimis, ad quos antea nomen ejus & ſcripta pervenerant, Baglivo & Lanciſio familiariter uſus eſt.

Anno 1709, Prælectiones Chymicas prælo ſubjecit. Erant antea prope publicæ: cum earum Exemplaria, quæ Auditoribus ſuis Prælector deſcribenda permiſerat, avide a quamplurimis exciperentur. In his Operationes omnes Chymicas juxta Newtoni Principia explicuit, ſcilicet per Corpuſculorum magnitudinem, figuram, ſuperficiem, gravitatem, ictum, & Attractionem; atque has eidem ſummo Viro jure inſcripſit. Res quidem iſtas non deſperare ſe quin ita explicari poſſent, in Emmenologiæ Præfatione dudum innuerat, hic autem adeo breviter & enucleate præſtitit, ut Chymicis jam abunde

unde ab eo ſatisfieri debuerit, cumque eo & Mechanicis in gratiam redire Snellenus. Ac meruit certe Chymia, ut cum Experimentis ope ejus factis Attractionis doctrinam ſtabiliverit Newtonus, ipſiuſque Lucis naturæ lumen attulerit, viciſſim ipſa ab eodem Principio illuſtraretur. Hæc quidem Ars in Medicina dominationem adeo licentioſam affectaverat, ut etiam in Animato Corpore Furnos ſuos erigere voluerit: Parteſque Hominis ad Inſtrumentorum ſuorum officia revocando, Sanguiniſque & Humorum ac Spirituum productiones & motus Operationibus ſuis comparando, omnem diu præ ſe tulit Medicinæ Theoriam explicaſſe. Illud interim minime animadvertit, harum ipſarum Operationum cauſas a ſe minime intellectas, ipſamque in miraculis a ſe præſtitis hærere & obſtupeſcere. Hanc nubem diſpulit Freindus, & quaſi velo reducto omnia Chymiæ myſteria in aperto lumine atque omnium conſpectu poſuit. Tamen haud ita viſum eſt Lipſienſibus, quibus Carteſii Materia Subtilis, cæteræque non ex Naturæ ſinu depromtæ ſed in cerebro ejus confictæ opiniones arridebant. Hi in Actis A. 1710 editis Prælectionum harum recenſionem dederunt: in qua Authorem queruntur Figmento mero & Qualitate occulta pro Principio uſum eſſe, cujus cauſa neque ab ipſo neque ab alio quoquam prolata ſit. Lectionum Vindiciæ a Freindo ſcriptæ in Actis Philoſophicis Anni 1711 continentur, & Secundæ earundem Editioni adjectæ ſunt. Objecta ab iis diluens neque ſe neque Newtonum in Attractionis, magis quam Gravitatis, cauſam, inquirere reſpondet: illam vero, perinde atque hanc, indubitato Experimentorum atque Obſervationum teſtimonio revera exiſtere. Audiamus autem ipſum de hac re Newtonum, qui in Optice hæc habet: "Qua cauſa Efficiente hæ Attractiones peragantur, in id vero hic non inquiro. "Quam ego Attractionem appello, fieri ſane poteſt ut ea efficiatur "Impulſu, vel alio aliquo modo nobis ignoto. Hanc vocem Attractionis ita hic accipi velim, ut in univerſum ſolummodo vim "aliquam ſignificare intelligatur, qua corpora ad ſe mutuo tendant: "cuicumque demum cauſæ attribuenda ſit illa vis. Nam ex Phænomenis Naturæ illud nos prius edoctos oportet, quænam corpora "ſe invicem attrahant, & quænam ſint leges & proprietates iſtius "Attractionis: quam in id inquirere par ſit, quanam Efficiente "cauſa peragatur Attractio. Attractiones Gravitatis, virtutiſque "Magneticæ & Electricæ, ad ſatis magna ſe extendunt illæ quidem "intervalla, adeoque etiam ſub vulgi ſenſum notitiamque ceciderunt. "At vero fieri poteſt, ut ſint præterea quoque aliæ aliquæ, quæ tam "anguſtis finibus contineantur, ut uſque adhuc omnem obſervationem fugerint." Chymicis deinde Experimentis Philoſophus ille inſignis veritatem hujus argumenti confirmat. Lipſienſes quidem dum Attractionem rejiciunt, Operationes interim Chymicas in his Prælectionibus eidem convenienter exponi minime negant. Cujus Operis quænam major poteſt eſſe commendatio, quam quod Auctor rem adeo perplexam juxta univerſum illud Newtoni Principium primus feliciter explanaverit.

Anno 1712, Societati Regiæ aggregatus est: quod quidem multis nominibus meruit, tanquam Medicus aut Philosophus, Geometres aut Mechanicus, Chymicus vel Anatomicus. Anatomicæ quædam Observationes ab eo Oxonii factæ in Actis Philosophicis extant: peritiam ejus tum in hac re tum in cæteris scripta hæc declarant. Quanta vero lætitia affici debuit, cum Patronum ac Magistrum suum Newtonum Societati jura dantem conspiceret! Gestiebant omnes Humanæ Naturæ decus illud intueri, suis temporibus natum, suo consessui præsidere gloriantes. Omnium quippe rerum scitu maxime utilium speculationes animo comprehensas habebat; non ignota ei erant Instrumenta Arte fabrefacta, non Experimenta ullius generis, non ratiocinia maxime sublimia: siiquid de terra aut mari, siquid de cælo & astris diceretur, id omne Newtoni calculo, tanquam lapide Lydio, probabatur. Primas post hunc tenebant Halleius Keiliusque, & alii complures in suis quisque disciplinis insignissimi. Nondum enim Sodalitium hoc illustre malæ artes partiumque studia perpulerant, ut Viros Supellectile tantum, non Scientia quoque Naturali instructos, in aliquo apud se numero esse paterentur. Newtono Præside, Freindus in Societatem Regiam cooptatum se gavisus est. Quam cooptationem etsi inter laudes ejus minime ponam, quoniam hæc gratia vix ulli unquam denegata sit litterarum artiumve vel mediocriter studioso, qui eam favore aut opibus aut nomine augere cuperet, tamen in adeo florenti summorum ingeniorum cætu eminere, uti eminuit Freindus, res perquam honorifica est.

Londini, ab Anno 1707, litteris & doctorum colloquiis & ægrorum curationibus intentus, mansit usque ad Annum 1712. Quo tempore cum Jacobo Ormondiæ Duce, Copiarum Britannicarum Imperatore, cujus saluti præfuit, in Flandriam profectus est; unde intra Annum rediit, ætate maturus, nulla dote, in Medico perfecto requirenda, non ornatus. Prodestne adjumenta Artis exercitationi prævia comparare? Ea abunde comparaverat Freindus. Juvatne ad eam exercendam mature accedere? Is quidem, qua ætate alii solent Tyrones esse, Senioribus tam Theoriæ quam Praxeos Magister extitit. Numnam expedit regiones longe dissitas invisere, differentias Aeris Aquarum & Locorum, & discrepantem illic Hominum naturam, consuetudinem, victum, mala & remedia contemplationi subjicere? Is, sui instar Hippocratis, qui non modo in patria Insula Co, aut Delo, aut Thaso, aut Peloponneso, aut Thessalia, aut Hellesponto, aut Asiæ Minoris Urbibus, Græcis lingua sibi & stirpe conjunctis opem attulit, sed in Barbaras Nationes, ut res istas omnes penitius cognosceret, perfectiusque Artem tractaret, Pontum & Scythiam navigavit: ita, inquam, Freindus, Hispaniam, Lusitaniam, Italiam, atque Flandriam peregrinatione Medica circumivit. Annon eximie confert, varios homines, iisdem partim, partim diversis affectibus, idque variis ex causis, languentes visitare? Id certe nullibi melius fieri potest, quam in Castris atque Classibus; ubi ingens quotidie ægrorum

numerus

numerus ex mutatione cæli, æſtu, frigore, vento, pluvia, vigiliis, vulneribus, defatigatione, malo victu & fame, otio viciſſim & intemperantia, nunc uſitatis, nunc Epidemicis morbis conflictantur. Si quod lumen diverſæ Artes ſibi invicem accendunt, quis Freindo doctrinæ varietate excultior? Siquid emolumenti, ſermones commiſcendo cum ejuſdem Artis Profeſſoribus, hauriendum eſt, quis Societatis Medicæ amantior? Sicui uſui eſt, Scientiam cum nitore copia ac vi verborum univerſis hominibus pervulgare, quis eloquentior? Quid igitur ei tum, præter Artis præmia, defuit? Quid ulterius moliri poterat, niſi ut in Civitate domicilium poneret, in qua honeſte commodeque inſtitutum vitæ genus ſequeretur, & facili doctorum commercio gauderet, inter quos tamen plus doceret quam diſceret? Itaque Londini conſedit, neque ab hac Urbe unquam poſtea migravit. Ubi ſtatim ab initio, neque potentioribus adulando, neque vilioribus ſubmittendo ſe, opes famamve quæſivit. Solis enim Ingenii & Eruditionis & Experientiæ adminiculis in Arte ſua cæpit inclareſcere: in ea Arte, quæ, quoniam circa res latentes atque ancipites haud raro occupatur, Viris in ea non verſatis, utut alioqui ſolertiſſimi ſint, nedum vulgo qui etiam a vulgariſſimis decipi ſolet, facultatem de effectibus ejus judicandi minime concedit; cujus igitur exercitatio quæſtuoſa aſſentatiunculis & oſtentatione & vaniloquentia multo magis, quam acumine & doctrina & judicio, nititur. Is autem ita longe abfuit ab hujuſmodi fuco & fallaciis, ut illum ex ægris nonnulli tanquam haud ſatis obſequentem & officioſum, ex Medicis vero pauci quidam velut receptis opinionibus nimis fidenter adverſantem, minus dilexerint. Tamen in propoſito perſtans, ubi ſemel emerſerat, omnes cito nominis ſui celebritate præſtinxit.

Anno 1716, Librum Hippocratis Epidemiorum Primum atque Tertium edidit, hiſque accommodavit Novem de Febribus Commentarios. Dignum profecto Argumentum, in quo Viri duo Arte & Facundia ita inſignes pro virili elaborarent. Nam Acutæ quidem Febres Mortalium partem longe maximam & afficiunt & interimunt. Nunc latenter ac pedetentim, nunc temporis puncto violentiſſime invadunt; nunc lento, nunc præcipiti motu, feruntur in ſalutem, aut exitium. Nullum æque Morbi genus omnibus Ætatibus commune eſt; nullum ſanos ac valentes homines æque corripit; nullum ex magis diverſis contrariiſque cauſis originem ducit, nullum eſt quod pluribus ac magis perniciosis Affectibus viam ſternat. Nihil ſingulas vel univerſas Corporis partes gravius affligit, nihil potentius Animæ facultates evertit. Eadem remedia, pro diverſo morbi tempore, & ægri ſtatu, nunc ſalutaria ſunt, nunc mortifera. Ubinam igitur requiri poteſt curioſior in Medico diligentia? ubinam animus in judicando acrior, in agendo præſentior? Nunc audacem & expeditum, nunc cautum & dilatorem eſſe convenit. Modo viam inſtitutam ſequi neceſſe eſt, modo curſum relinquere, modo relictum iterare.

iterare. Igitur in hoc maxime ſtudium atque operam ſuam videtur poſuiſſe Hippocrates, ut ea quæ ad Febrium notitiam pertinent & accurate ipſe inveſtigaret, & aliis diſerte diſtincteque exponeret. Varia primo Tempeſtatum genera deſcribit, & ſuccedentes ſibi invicem Cœli mutationes; cumque ex hac cauſa Morbi Epidemici præcipue naſcantur, animadvertit quibuſnam Temporibus ſingulæ Febrium Species invaluerint, quæ prout diverſa facie ſe oſtendunt, aut aliam aliamve Corporis partem cæteris magis vehementer impetunt, varia quoque nomina ſortiuntur; harumque frequentiam, malignitatem, durationem, & eventum docet; docet etiam cujuſnam ætatis, temperamenti, conſuetudinis, & victus homines adortæ ſint, quibuſque Symptomatis ſtipatæ; omnia denique notatu digna commemorat quæ in pleriſque ægrotantium generaliter acciderint. Sed quod ad rem maxime pertinet, vias omnes accurate indicat, quibus Natura laborantes ad ſanitatem perduxerit; quo collimans Artifex, vel hujus conatibus obſecundare, vel eos imitari ſemper ſedulo debet. Particulares deinde Ægrorum Hiſtorias ſubjicit; quod eo magis utile ac neceſſarium, quod eadem Febris ab eadem cauſa, pro differente cujuſque Vaſorum capacitate & Fibrarum textura, ac Fluidorum quantitate, conſiſtentia, motu, & ſecretione diſſimili, varios hominesgradu modoque multum variante afficit. Etiam in eodem Corpore, nunc adeo rapidus Sanguinis impetus ac violenta huc illucve inclinatio, nunc contra is Circulationis languor: & humorum modo ita ſubitæ largæque profuſiones, modo ita pertinax eorundem retentio eſt, ut qui ad Morbi nomen potius, quam ad diverſos ipſius effectus diverſamque ægri conditionem reſpicit, nihil memorabile unquam in Curationibus præſtare valeat. Hoc igitur inſtitutum merito probat, qui progreſſus & defectus in Scientiis & vera ad augmentum earum adjumenta optime perſpexit, Verulamius: " intermiſſam querens illam Hippocratis diligentiam utilem admo- " dum & accuratam, cui moris erat narrativam componere Caſuum " circa ægrotos Specialium; referendo qualis fuiſſet morbi natura, " qualis medicatio, qualis eventus. Atque hujus rei nactis nobis " jam exemplum tam proprium atque inſigne, in eo ſcilicet Viro, " qui tanquam Parens Artis habitus eſt, minime opus erit exemplum " aliquod forinſecum ab alienis Artibus petere; veluti a prudentia " Juriſconſultorum, quibus nihil antiquius quam illuſtriores caſus " & novas deciſiones ſcriptis mandare, quo melius ſe ad futuros " caſus muniant & inſtruant. Iſtam proinde continuationem Me- " dicinalium Narrationum deſiderari video, præſertim in unum Cor- " pus cum diligentia & judicio digeſtam. Quam tamen non in- " telligo ita fieri debere amplam, ut plane vulgata & quæ quotidie " obveniant excipiat, (id enim infinitum quiddam eſſet neque ad " rem:) nec rurſus tam anguſtam, ut ſolummodo mirabilia & ſtu- " penda (id quod a nonnullis factum eſt) complectatur. Multa " enim in modo rei & circumſtantiis ejus nova ſunt, quæ in genere " ipſo nova non ſunt. Qui autem ad obſervandum adjiciet ani- " mum,

" mum, ei etiam in rebus, quæ vulgares ſunt, multa obſervatu dig-
" na occurrent." Ad hanc formam delineantur Hiſtoriæ ab Hippocrate traditæ, quæ partim quidem ſatis frequentes, partim vero rariores, omnes morbum circa vitæ mortiſque confinia fluctuantem exprimunt. Alii enim Phrenitide, alii Angina, aut Pleuritide, aut Ileo, aut Inflammatione Gangrænoſa correpti ſunt. Neque hic quenquam reperias, quem non aut ingens Capitis dolor, aut Coma, aut Delirium, aut Convulſio, aut plura ex his mala, tentaverint. Videas ægritudines eaſdem ex intemperantia Vini, Cibi, Veneris, ex nimia Quiete, & Exercitatione, ex pravo Victu, ex Mærore contractas; febricitantes videas Viros Ætatis, Temperamenti, & Conſuetudinis diverſæ: Virgines, quibus Purgationes Menſtruæ jam tum fluere incipiebant, Mulieres Prægnantes, Abortum paſſas, Parturientes, Puerperas. Quidam Primo, Secundo, Quarto, aut Quinto Die: quidam, non niſi poſt Octogeſimum, aut Centeſimum & viceſimum Diem, mortui ſunt, vel ſervati. Hi ex toto liberati, illi Recidivam paſſi ſunt. Neque vero hæc famæ inhians, ut plerique ex Recentioribus, literis conſignavit Hippocrates: in quorum ſcriptis Convaleſcentium Hiſtorias ſatis multas legimus, mortuos tegit terra. Plures enim ab illo memorantur, qui perierint. Id quidem ſapienter factum; quoniam & ad Præſagitionem inſtituendam, & ad ordinandam Curationis normam, & ad explorandas Remediorum vires, haud minus dirigi poteſt Medentis conſilium ex attenta obſervatione eorum qui moriuntur, quam eorum qui ad ſanitatem perveniunt. De Medendi Methodo pauca admodum in hoc opere tradit Hippocrates: quod inde obtigiſſe credo, quod alibi ſigillatim de Acutorum Morborum Curatione egerat, in hunc finem Sanguinis detractionem, Alvum Evacuantia, Fomenta, ac Ptiſanæ Hordeaceæ potum, maxime commendans. Ac Sydenhami noſtri præcipua laus eſt, quod in deſcribendis Febribus hos Epidemiorum Libros, in medicandis Librum de Victu Acutorum ante oculos habuerit. In Scripta hæc adeo numeris omnibus abſoluta, ſive potius in Naturam ipſam, Commentarios exaravit Freindus. Cumque ægroti qui evaſerint, Humorum aut per unam, aut per plures Corporis vias, Excretione, omnes reſtituti ſint: & ex Mortuis hi diutius traxerint, quibus larga fuerit eorundem profuſio, quam illi quibus nulla aut exigua pro vi ac duratione Morbi Evacuatio obtigerit, Febrium Curationem perite judicavit maxima ex parte in iiſdem Evacuationibus Arte opportune moliendis conſiſtere. Is itaque de Miſſione Sanguinis, de Sudoribus, de Vomitione, de Exſcreatione, de Purgatione, & de Urinæ Profluvio, ac de horum commodo & tempeſtivo uſu diſſerit: Commentario uno de Veſicantium, quæ Cantharidas recipiunt, virtute adjecto, quas haud modo per Cutim Seri fluxum ciendo, ſed Sanguinem quoque exagitando, & exiliſſimos Corporis meatus reſerando, mirificam ſæpe opem afferre indicat. Hæc ille omnia ſi luculenter præſtiterit (præſtitit autem cum ſagacitate & nitore admirabili) quid jam reſtat, niſi ut præcepta ejus ſolerter adhibea-

mus, atque Experientia confirmemus. Nam ut ad ſingulos quoſque caſus cum fructu accommodentur, multum certe uniuſcujuſque judicio relinquendum eſt. Harum omnium Evacuationum commoditatem, noxamque aut inutilitatem, & intellexit & explicuit Freindus; cum haud ita pauci, una alterave earum freti, quaſi in Sectas abierint. Aliorum in Miſſione Sanguinis, aliorum in Sudorificis, aliorum in Vomitione omnis fere Medicina conſiſtit. Quidam Purgationem omnino damnant, quidam parum emolumenti abſque hac provenire poſſe contendunt. Vix aliud eſt, in quo omnes conveniant, niſi de Emeticis ubi nauſea eſt, & Clyſteribus in Alvi aſtrictione. Quanquam enim Venæ ſectionem vix quiſpiam nunc dierum ex toto rejiciat, tamen de mittendo Sanguine haud minor controverſia eſt, cum alii hunc frequenter admodum ac liberaliter, alii raro parceque detrahi velint. Ita ſuis quiſque Remediis unice fidentes, cætera, tanquam inutilia vel etiam noxia, experiri metuunt. Diverſas quidem in diverſis Regionibus curandi vias magis prodeſſe, & Rationi & Experientiæ congruit; verum uni cuivis perpetuo adhæreſcere abſurda plane res eſt. Britanni, propter moderatam Cæli temperiem, ſiquidem ob Maris circumfluentis viciniam raro vehementi vel calore vel frigore infeſtemur, haud ita violentis Inflammationibus opportuni ſunt; verum, ob frequentes tempeſtatum mutationes, frequentius ægrotant: &, quia cibo ſolido craſſoque indulgent, Aeremque ſpirant valde humidum, magis lentis atque obſtinatis Febribus langueſcunt. Quid quod Hypochondriacis, Hyſtericiſque, & cæteris Nervorum Affectibus, nulla gens peræque obnoxia eſt. Unde & parciorem Sanguinis miſſionem, & Victum liberaliorem requirunt, & Remediis Diaphoreticis ac Veſicantibus magnopere juvantur. Galli autem eſca levi ac digeſtibili maxime delectantur, vinis tenuibus, odoratis, concoctioni utilibus: corpus ambulatione multa, ludis & occupationibus frivolis mentem recreant. Unde Cruditates patiuntur nec frequentes nec longas; ubi vero nauſeam aliquam aut bilis fluctuationem in Stomacho perſenſerint, ad Abſtinentiam ſtatim, & ad Juſcula vel ſimplicia vel medicata confugiunt, quorum ope his incommodis brevi liberantur. Utque nos in initiis languorum vinoſum aliquid & ardens pro more expetimus, ita ii contra, utpote Febriculis ex levi quavis occaſione tentati, humectantia & refrigerantia deſiderant. Veruntamen, quia cibis ſucculentis & variis & Aromatum copia conditis bis in die ad ſatietatem veſcuntur, Morbis omnibus a nimio Sanguinis motu & abundantia productis patent, ac præcipue Febribus Inflammatoriis, Putridis, Bilioſis. Quamobrem Evacuationes largas, tam per Alvum, quam per Venæ ſectionem, & mature poſtulant, & repetitas ſuſtinent. Hiſpani vero Luſitanique victu utuntur probo, parco, uniformi, ſimplici. Quare ex eo infirmitatibus minime obnoxii, morbis duntaxat e temporum mutationibus & Aeris qualitate ortis infeſtantur; contra quæ omni cautione ſeſe muniunt, in tuenda ſanitate uſque ad ſuperſtitionem religioſi. Igitur ad ſenectutem viridem atque vegetam vulgo perveniunt: niſi ſi qui

Veneris

Veneris uſu vel contagioſo vel immodico, ad quam ultra vires, cum ob alimenti tenuitatem corporis habitu ſint exſangui & exſucco, a calore & deſidia ſollicitantur, vivendi ſibi tempora præcidant. Febres quidem Ardentes, ob ſiccam atque torridam in his Nationibus Cæli conſtitutionem, Caput & Pulmones ſubito ac vehementer affligunt; raro autem evenit ut Homines magnam humorum in Inteſtinis putreſcentium copiam accumulent. Quoniam in calidis regionibus valde imbecillis concoctio eſt, harumque incolæ ſtatim levi quolibet in victu errore offenduntur, & ibidem intemperantiæ & indigeſtioni Vomitus Bilioſi cum Febribus, Diarrhœæ ac Dyſenteriæ exitiales frequentiſſime ſuperveniunt; ex quo, malorum imminentium gnari, ebrietatem & ingluviem ſummopere deteſtantur. Itaque Purgationes etiam crebras defugiunt; & præcipuam in frequenti admodum miſſione Sanguinis, in emollientibus Alvi Lotionibus, in Liquorum Diluentium potitatione, Acidiſque Fructuum ſuccis, medelæ fiduciam recte ponunt. Galli quoque, perinde ac hi, venam octies decieſve incidere haudquaquam reformidant; nobiſcum præclare agitur, ſi id ſine homicidii ſuſpicione bis terve iterare liceat. Hoc tamen modo, ſive nimia Sanguinis & Humorum Copia eſt, ea expeditiſſime minuitur: ſive Rareſcentia nimia, optime cavetur ne Vaſa ulterius diſtendant perrumpantque: ſive nimius Lentor, ſpatium ad dimotionem ipſorum ampliatur: ſive quaquaverſum Motu citatiori feruntur, Celeritas eorum inhibetur: ſive in partes aliquas violentius impinguntur, eorundem impetus alio derivatur. Febres certe peracutæ, larga detractione Sanguinis, intra breve temporis ſpatium, miro ſæpe cum ſucceſſu tolluntur: unde iſtarum Gentium Medici audentiores facti, ægris etiam ab hoc auxilii genere minime alienis, nimis pertinaciter eidem viæ inſiſtunt, cum non jam eadem maneat cubantis conditio; nam ſi Febres diutius inhæreant, Homines continuata exinanitione, aut viribus defecti cito intereunt, aut in morbos inſanabiles decidunt, qui ex debili Circulatione & Stagnatione humorum in extremis vaſculis oriuntur, uti ſunt Cæcitates, Maraſmi, Viſcerum Obſtructiones, Scirrhi, & Hydropes. Idemque de Purgatione dici poteſt. Et in hac quidem re potiſſimum, etiam quoad populares ſuos, Medici mihi videntur iſti peccare: noſtrates autem, quorum neque temperamentum, neque habitum, neque victus conſuetudinem ſatis diligenter attendunt, valetudinis cauſa peregrinantes frequentius peſſundant. Utinam & nos pravis aſtantium præjudiciis & ægrorum cupiditatibus obſequendo, in horum perniciem non nimis aliquando gratificemur. Multæ paſſim audiuntur de Nervorum Affectibus querimoniæ; unde ſiquis gravitatem Capitis, Artuum impotentiam, & Spirituum dejectionem, cum ſiti & calore non immodico, perſentiat, Nervoſa quadam Febre correptum ſeſe conjicit, & calida ſtatim expoſcit Cardiaca. Verum hoc prætextu Evacuantia negligere, & Pulveres Aromaticos, Saleſque Ardentes, & Spiritus quaſi liquidi Ignis vim habentes Febricitantibus indefinenter devorandos exhibere, imperiti aut adulantis

tis Medici eſt. Quod ad Venæ ſectionem attinet, hæc in Acutioribus Morbis paulo liberius uſurpata, non omnibus hodie, perinde ac olim fuit, terrori eſt; at Purgatio, niſi forte in Infantibus ac Pueris, haud ita multum in uſu eſt. Quaſi vero ii aut ex firmiore materia, aut alio artificio contexti ſint, quam natu grandiores: aut quaſi Liberi magis intemperantes eſſent eorum Patribus. Annon, ex inordinata victus ratione & minus curioſo ciborum delectu, Stomacho & Inteſtinis inſigniter laboramus? Itaque de tempeſtivæ Vomitionis uſu nemo diſputat; nemo item Clyſteres vel præcipere vel aſſumere metuit. Cumque Primarum, uti dicuntur, Viarum principio finique concedantur hæc Evacuantia, quid cauſæ poteſt eſſe cur media pars earum ejuſdem generis Remediis privetur? præſertim cum in tenuibus Inteſtinis multo uberiores humorum ſecretiones fiant, & Vaſorum Lacteorum pars longe maxima ex iis originem ſuam ducat. Clyſteres quidem, licet ad ſuperiora Inteſtina non pervadant, tamen inferiora vacuando facilem quoque ab alteris iſtis ſtercori deſcenſum expediunt; verum Enemata, haud, uti Purgantia, craſſam illam atque viſcidam ſuperiorum Inteſtinorum Tunicis agglutinatam materiam abſtergunt depelluntque: cujus magnam illic ſæpe copiam diu hærere deprehendimus e ſolidarum fæcum cumulo quæ in fine Febrium, licet ægri vix aliud quam Liquida aſſumſerint, Alvo vel naturaliter vel per Artem ſollicitata, egeruntur. Atque etſi Catharticorum ope Materiam quandam Febrilem a Sanguine ſegregari excernique haud credibile putem, tamen eorum virtus ex eo tantum, quod Inteſtinis afferunt, levamento minime æſtimanda eſt. Alias enim, eaſque eximias utilitates præſtant. Primo enim, corruptis humoribus ejectis, alimentum, quod ingeritur, purum & integrum ad Sanguinem defertur: deinde, Inteſtinis depletione ſubſidentibus, Viſcera atque ingentia Sanguinis Vaſa quæ Abdomine continentur, minus coarctata, liberius Circulationi ſpatium præbent: poſtremo, Jecoris, Pancreatis, & aliarum Glandularum exitus reſerantur. Unde Diaphragma & Pulmones reſpiratione faciliori gaudent, in Caput haud ita violenter propellitur Sanguis, per univerſum Corpus turbatus Circulationis curſus in ordinem revertitur; Alvique fluxus & promoventur Critici, & arcentur Symptomatici. Huc accedit, quod Sudorificorum uſus longe tutior ſit & efficacior poſt Venæ Sectionem & Purgationem, inanitis laxatiſque Vaſis, & patefactis eorum oſculis. Ex quo facilius per Cutis poros deſiderata promovetur Evacuatio, & ab eo cavetur, quod maxime metuendum eſt, ne dum in ciendo Sudore toti ſumus, Remedia huc ſpectantia Inflammationes internas & Obſtructiones augeant. Igitur ubi Morbus Alvo, ut fieri ſolet, diu aſtrictæ ſupervenit, ubi poſt Vomitionem nauſea cum ructu graveolenti etiamnum inhæret, ubi pituita ſtomacho moleſta eſt, ubi os amareſcit, ubi abdomen aucta viſcerum mole aut flatibus diſtenditur, ubi inteſtina cum ventris ſiccitate vel etiam fluore torquentur, ubi corpus pravis ſuccis abundat, quid obſtat quo minus lenia,

lenia, quorum copia nobis ſuppetit, præſertim in initiis Febrium, Purgantia imperemus? Certe Hippocrates, licet haud alia ei cognita fuerint quam calida & vehementia Cathartica, tamen & hæc etiam aliquando in Febribus neceſſario adhibenda eſſe perſpexit. Is enim in Aphoriſmis ita præcipit, -- " Incipientibus Morbis, ſiquid " movendum videtur, move: vigeſcentibus vero, quieſcere melius " eſt." Et -- " In Acutis Affectionibus, raro, & in Principiis, Pur- " gante utendum: atque hoc, diligenti prius adhibita cautione, facien- " dum." Et -- " Purgandum in valde Acutis, ſi turgeat Materia, ea- " dem die: morari enim in talibus, malum eſt." Atque in his verſimiliter ille Ægyptios ſecutus eſt, a quibus Medicina cum cæteris Artibus ad Græcos derivata eſt. Ii enim ſolebant, teſte Diodoro, " Morbos præoccupare, Corpora curantes Clyſteribus, & Potionibus " quibuſdam Purgantibus, & Abſtinentia, & Vomitione: idque in- " terdum ſingulis diebus, interdum poſt tres aut quatuor dies in- " terpoſitos. Nam, diſtributo omni nutrimento, majorem ejus par- " tem eſſe ſuperfluam, atque hinc morbos creari; ideoque Cura- " tionem modo expoſitam, qua principia morbi tolluntur, ad re- " cuperandam valetudinem maxime conferre affirmabant." Similiter, Medici ſuorum temporum feliciſſimi, in Belgio Lommius, in Gallia Fernelius, in Anglia Sydenhamus, Purgantibus in Curatione Febrium primas poſt Venæ ſectionem tribuere non dubitarunt. Sydenhamus quidem in eo, quod poſtremum ſcripſit, Opuſculo, hæc de iis habet: " Cum Catharſis imperata curationi hujus Febris ob- " eſſe nonnullis forte videatur, pro comperto affirmo, nihil ita certo " atque ita potenter ægrum refrigerare atque Catharſin, poſt Venæ " ſectionem, quæ ubique præmittenda eſt, celebratam. Tametſi " enim Medicamentum Purgans eo ipſo quo ſumitur die, atque adeo " inter operandum majorem impræſentiarum & in Sanguine & in " reliquis Humoribus, quam qui ante fuit, tumultum excitet, & pro- " inde Febrem intendat; id tamen noxæ emolumento mox inde " ſubſecuturo plus ſatis penſatur. Teſtatur enim Experientia, Ca- " tharſin modo poſt eductum Sanguinem tentetur, quibuſlibet aliis " Remediis felicius certiuſque Febrem perdomare; tum quatenus " fædam illam Humorum illuviem e corpore exigat, a quibus ut a " cauſa antecedente Febris accendebatur: vel ſi non antea pecca- " bant ii, jam ſaltem concalefacti, & a Febris ardore quaſi cocti & " conſtipati, ad ejuſdem moram diuturniorem multum faciunt; tum " etiam quatenus Anodyno viam ſternit, quod tutius longe certiuſ- " que officio ſuo fungitur, quam ſi Humores peccantes, qui Pare- " gorici vires aliter potuiſſent infringere, Purgatione non fuerint " eliminati." Poſt hunc in Commentariis hiſce Freindus quoque Purgantium utilitatem ad curandas Febres eximie prædicat: ſed non ita indiſcriminatim, ut ea ſemper in uſum ducenda contendat. Neque vero totum illud argumentum pertractavit, id ſolum in ſe ſuſcipiens ut enarraret virtutem eorum in Febre, quæ Variolas Confluentes, maturitate Puſtularum aut vigente aut jam inclinata, ſem-

per excipit. Cumque hæc Medendi ratio, licet a Sydenhamo præmonſtrata, apud nos pene exoleverat, doctrinam ſuam Virorum aliquot in Arte Medica maxime illuſtrium conſenſu munire idoneum judicavit: quorum Epiſtolas, graves ſane ac perutiles, huic Operi inſertas legimus. Eodem ipſe auxilio & in aliis Febribus frequenter uſus eſt: &, quantopere id ei placuerit, conſtat ex iis quæ de hac re in Hiſtoria Medicinæ poſtea a ſe ſcripta tradidit. De Alexandro Tralliano agens, "In Cauſo, ſive Morbo qui ab illo Febris Ardens "Spuria dicitur, ubi redundat Bilis, & materia Evacuationi ſeſe offert, "& Febris haud intenſa eſt, Purgationem Venæ ſectioni præfert: "cum alii Sanguinis miſſioni maxime nitantur. Obſervationem "hanc adjicit peracutam & perutilem: Memini me, inquit, etiam "Acuta laborantem Febri purgaſſe; verum hæc res non modo multam & exquiſitam animadverſionem ac judicium, ſed & Medicum "quoque deſiderat fidenti præſentique animo. Ii qui Experientiæ "rationem adjungunt, hujuſce obſervationis facile vim perſpicient; "neque viam hanc negabunt in quibuſdam caſibus, ſiquis huic prudenter inſtiterit, mira cum felicitate tentari. Hic enim frequenter "aut ſequendæ aut adjuvandæ Naturæ modus eſt aptiſſimus. Caput "apud Oribaſium eſt ex Archigene ad hanc rem ſpectans; idque "recte animadvertit Galenus, Diarrhœam ex naturalibus iis auxiliis "eſſe unam, per quæ Morbus iſte ad Criſim perducitur. Porro "neutiquam violenta Trallianus, ſed lenia tantum, in Febre Tertiana & Quotidiana, exhibet Purgantia: quæ res animadverſionem "ſeriam meretur, Virumque illum, non modo acri cum judicio, ſed "caute ac fideliter, Artem ſuam exercuiſſe comprobat." Per hæc omnia id laboro, ut licet Purgationem in Febribus prope ad extremum uſque Spiritum, quod in Natione quadam non inuſitatum eſt, minime iterari velim: tamen, viribus ſubſiſtentibus, haudquaquam formidabile Remedii genus eſſe oſtendam. Neque video cur & in Meridionalibus Europæ plagis, ſub Febre languida & imbecillo Corpore, Veſicantibus, tanquam nos, audacter uti non poſſint: aut cur Vinum, ut a Græcis regionum æque calidarum incolis vel in Phrenitide aliquando fieri ſolebat, aut etiam Vino fortiora propinare dubitent, Febremque accendere. Nam in quolibet ægro, quovis in loco, quocunque tempore, ubi Dolor Calorque ingraveſcit, Reſpiratio arcta laborioſa & ſublimis, Pulſus autem tenſus fortiſque eſt, ea neceſſaria ſunt præſidia, quæ Materiæ Vaſa onerantis copiam imminuant, ac Fluidorum impetum refrænent: contra, ubi robur infirmum eſt, Reſpiratio frequens parva ac debilis, Pulſus autem creber exilis & languidus, ea tentanda ſunt quæ Spiritus refocillent, motumque Sanguinis torpentem exſuſcitent. Illa denique in Initio & Incremento, hæc ut plurimum in Vigore & Declinatione Morbi conveniunt. Quod ſi contraria inſtituitur Medendi ratio, Alexipharmaca & Cardiaca Inflammationes & Deliria & Spirandi anguſtiam & Calorem ſiccum movent: Evacuantia autem Vires jam attritas vexant & convellunt. His ſimilia fuerunt, quantum ex

Scriptis

Scriptis ejus aſſequi poſſum, in Curatione Febrium Freindi conſilia. Cæterum in Commentariis continentur etiam Diſquiſitiones nonnullæ ad Oeconomiam Animalem & Pathologiam ſpectantes, uti de Sectione Venarum Jugularium, de Pleuritidis ac Peripneumoniæ Sede, de Excretione Cuticulari & Inteſtinali; ubi optimo in lumine collocantur quæcunque rationes ad explicanda hæc argumenta a penitiori Mechanices & Anatomiæ cognitione hauriri potuerint. Opus autem integrum Amico ſuo cariſſimo & ſtudiorum conſorti, Ricardo Frewin, eadem nominis fama eodemque cum amore hominum Oxonii, quo ipſe Londini, tunc temporis hodieque Medicinam exercenti dedicavit. In qua Dedicatione juvat profecto tramitem illum oculis ſignare, per quem Viri duo excellentis ingenii & induſtriæ, in eodem ſtadio decurrentes, una quoque feliciter ad Artis ſuæ metas pervenerint. De Epidemiorum Libris, Freindique in eos Commentariis, multa cum hujus laude, licet ab eo in quibuſdam rebus diſſentiens, Epiſtolam ad eundem ſcripſit Anno 1718 Vir Eruditiſſimus, a quo accuratam Hippocratis Editionem avide expectamus, Daniel Trillerus. Sed cum hæc ad rem Criticam magis quam Medicam ſpectent, & quæſtiones maximi momenti ab eo examinatæ hujuſmodi ſint, An Pulſuum notitiam habuerit, An Remedia Sudorifica adhibuerit, An externi Cantharidum uſus plus quam uno in loco meminerit Hippocrates? operæ pretium non videtur his minutiis immorari: præſertim cum Johannes King in pleriſque Trillero docte reſponderit.

Anno 1719, Freindus edidit, de Purgantibus in Secunda Variolarum Confluentium Febre adhibendis, Epiſtolam ad Virum Clariſſimum Ricardum Mead, quicum amicitia & laborum ſocietate conjunctiſſimus diu vixerat: cujuſque Litteras perelegantes de eadem re ad Freindum ſcriptas, & Commentariis ſupra memoratis inſertas, legimus. Freindus autem argumentum hoc ideo uberius illuſtrare voluit, quod multi vulgaria præjudicia mordicus tenentes doctrinæ huic tanquam novæ ac inutili acriter oblatrarent. Woodwardus autem in Libro quodam perinſulſo, quem paulo ante hoc tempus vulgaverat de Medicinæ Statu, Purgantium in Variolis Patronos indigniſſimis contumeliis laceraverat. Is, ex Officina in Currum prorepens, Medici partes agere concupivit. Quod ſi aliquid incepto dignum præſtitiſſet, id ei adeo non vitio verterem, ut ſumma potius laude prædicandum judicarem. Fuit autem ab initio, fuitque ſemper, & in communi vita & in Medicinæ uſu Vir abſurditatis perridiculæ. Huic Freindus nihil reſpondit ſerio: id idem fuiſſet ac cum Umbra pugnare; Libellum autem ſub Empirici cujuſdam nomine edidit, ubi riſu lepidiſſimo acrem exagitavit Hominis præfervidi Bilem, & acerbiſſimas injurias elegantibus facetiis propulſavit. Tamen ut reclamantium ora penitus occluderet, inſtituti ſui utilitatem, & rationibus, & auctoritate idonea, & Hiſtoriis Hippocratico plane more ſcriptis, confirmavit; quarum veritatem ne malevoli ipſius fidei unice niti dicerent, cautum ab eo eſt nequam narraret; ubi adjutor ei in

medica-

medicatione præſto non fuiſſet. Hæc etiam, ut ipſe ait, " nota ſatis " atque illuſtria, non ex otioſorum hominum cerebro effuſa, ſed ex " ipſa Artis Magiſtra Experientia, eaque multiplici, deducta: non in " angulis, non in gurguſtiis, inter nutrices & aniculas clanculum " conficta, ſed in luce atque conſpectu hominum, maximeque intra " Nobilium parietes, coram Teſtibus idoneis geſta atque probata " ſunt." Purgantia in periculoſo iſto Variolarum ſtatu, etiam ab Arabibus, qui Morbi deſcriptionem primi tradiderunt, uſurpata: ac deinde a pluribus inſequentium Sæculorum Medicis judicio & Artis uſu præſtantibus, paſſim commendata obſervat. Nihil autem de Remedii hujus modo ac tempore accurate præceptum indicat, ante Sydenhami tempora: qui & Variolas luculentius depinxit, & earum curationem felicius abſolvit, quam omnes omnium gentium atque ætatum Medici. Is in Variolis Confluentibus, Die Decimo tertio, ſi modo præmiſſa fuerit Venæ ſectio, præ cæteris remediis Purgationem convenire arbitratus, prorſus interim ante hunc Diem tentari vetuit. Sed id, quemadmodum in Commentariis monuit Freindus, atque uti ex his quas recenſet Hiſtoriis perſpicue liquet, frigidum nimis conſilium, nec ſatis pro periculo expeditum. Itaque ſiquid ille novi fecit, in eo novatum eſt, quod & interdum omiſſa Venæ ſectione, &, cum citius plerumque, quam Die Decimo tertio, ad ultima ventum ſit, hoc auxilii paulo maturius etiam arripi debere exiſtimavit. Conſilii ſui rationes ab ipſo deductas Lector magna cum voluptate perpendet; hoc tantum ſummatim dicam, Cum Puſtulæ in ſiccam & Cruſtoſam Scabiem abierint, ita parum ſperari debere, vel ut libere peragatur ipſa, quæ naturaliter magna in copia fieri ſolet, Cuticularis humorum Perſpiratio, nedum materiæ relictæ expulſionem, ut quicquid ab Evacuatione petendum ſit, id in Venæ Sectione, Alvumque moventibus, maxime conſiſtat. Nam licet copioſum Urinæ fluxum optare debeamus, Diureticorum tamen effectus eorum nomini rarius reſpondet. Veſicantia nihil niſi tenue Serum eliciunt, cujus copia hic non obeſt: eorumque virtus interna magis attendi debet. Venæ ſectio præſens periculum optime avertit, cui tamen ferendæ vires haud ſemper ſufficiunt. Ac ſi ex longa Alvi aſtrictione, quæ huic morbo familiaris eſt, ſolidis craſſiſque fæcibus occluduntur earum partium ductus quæ ad Inteſtina tendunt, quonam Artis auxilio ſanitas in integrum reſtitui poteſt, niſi per Purgantia? Natura autem, iſto onere levata, inanitioni adeo non ſuccumbit, ut quid inde commodi contingat in caſibus tantum non deſperatis, evidenter appareat; (nam & calor mitigatur, & mens magis conſtat, & ſomnus ſubſequitur, & cibi appetitus redit, & robur inſtauratur:) quomodo autem ad eorum vires, qui poſt hanc mortui ſunt, conſervandas (id enim duntaxat incommodi prætendi poteſt, ne imminuantur illæ) facere potuiſſet ingens Excrementorum cumulus, aut Secretio Inteſtinalis penitus intercepta, conjicere nequeamus. Quod ſi in quacunque Febre eadem Ventris ſiccitas perſtaret, quis etiam in corpore imbecillo Laxantia formidare deberet, quorum & facul-

facultas eſſet lenis & quantitas mediocris? At in Variolis non modo plerumque Venter diu clauſus permanet, ſed Materiæ putrefactæ pars hos ipſos, per quos exiit, Meatus Cruſta tenaci obducit, pars intus relicta novam denuo Febrem accendit, cui, ſi præter modum ſæviat, novæ quoque ad humorum corruptorum ejectionem aperiendæ ſunt viæ. Neque alia adhuc commodior inventa eſt, quam quæ fit per Alvum. Quod niſi mature & abundanter fiat, etiam poſteaquam Morbi æſtus ita deferbuerit ut non jam amplius præſens diſcrimen intentet, frequenter ei ſuccedunt Abſceſſus, Furunculi, Tuſſes, atque Tabes. Notatque Freindus, neminem unquam ex iis, quos ſervare non potuit hoc auxilii genus, Alvi unquam profluvio intercidiſſe, neminem in ipſo Purgandi curſu periiſſe: hos ipſos vero qui, adhibitis utcunque Catharticis, perierint tamen, ſemper inde fere ad tempus aliquod fuiſſe levatos. Porro Hiſtoriis in hac Epiſtola narratis magnopere debemus, quod quocunque Variolarum tempore, ſi atrocia urgent Symptomata, minori jam cum hominum præjudicio Sanguinem detrahere audeamus; quæ res, contra quam vulgo creditum eſt, faciliorem iis exitum aperit, nedum intercludit: ac præſertim in initio morbi opportuna eſt. An non enim ea materiæ frequenter ſubeſt copia, quæ per Eruptionis tempus expelli nequeat: atque ideo Cerebrum premat, Cordis motum perturbet, fauces ſtrangulet, & Pulmones inferciat? An non hinc Arteriæ adeo turgeſcere ac diſtendi poſſunt, ut, cum & ipſæ rurſus debito modo contrahere ſe non valeant, & Vaſa ipſis intertexta atque adjacentia coarctent, liber Fluidorum curſus præpediatur? An non, etiamſi materiæ quantitas non immodica ſit, tamen a vehementer incitata Sanguinis Velocitate iidem effectus oriri queunt? An non ex Fibrarum irritatione Pori Cuticulares conſtringi occludique: atque has ob cauſas eæ Partium Internarum labes contingere, quæ in apertis Mortuorum Cadaveribus conſpiciuntur, Tumores videlicet Inflammatorii, Extravaſationes, Abſceſſus, & Gangrænæ? Igitur ei, qui Cordis & Arteriarum Contractionem ac Dilatationem reciprocam, atque hoc modo jugiter continuatam Sanguinis Circulationem animo comprehenderit, luce debet eſſe clarius, quamobrem in repletis firmiſque Corporibus non modo ad avertendam a Capite ac Viſceribus Fluidorum violentiam, non modo ad Humores intra Vaſa ſua cohibendos fluxileſque reddendos, neque ad Secretiones ſolum & Excretiones cæteras moderate ac ſalutariter peragendas, ſed ad eam quoque quæ per Cutim fit Sudorum atque Halituum expulſionem adjuvandam, liberali Sanguinis miſſione nullum aliud inveniri poſſit vel tutius vel efficacius vel præſentius auxilium. Ita quoque arcentur optime pericula, quæ in Variolis ſemper timeri debent, quæque exitium repentinum minantur, Phrenitis, Spirandi difficultas, & Angina. Quanto autem ſatius eſt, Remedio, a quo nihil noxæ metui, ingens emolumentum ſperari poteſt, mala imminentia mature præcavere, quam idem, utcunque idoneum, anceps tamen redditum, magis alieno tempore experiri. Hac de re

in Hiſtoria Medicinæ verbis ſequentibus optime egit Freindus: " Nonnulla tradit Aetius, quibus Medicus etiam utiliter inſtrui poſ- " ſit. Unum eo ſpectans exemplum proferam, in quo curandi nobis " regula ad imitandum aptiſſima proponitur. Hæc in Capite quodam " invenitur, quod ſi non omne, pars ſaltem ejus de Herodoto ſumta " eſt; ubi tractantur Ἐξανθήματα, ſive Eruptiones Cuticulares cujuſcun- " que generis, quæ vel Febri ſuperveniunt, vel huic ab initio jun- " guntur: eæ præſertim, quæ pruritum movent, & in cute pulicum " morſibus ſimiles efflorescunt. In hoc caſu, Naturam redundanti- " bus ac vitioſis humoribus onerari dicit: quæ niſi Evacuatione aliqua, " aut per Vomitum, aut per Alvum exhauriantur, partes Vitales ado- " riendo multum periculi intentant. Quamobrem in initio ſtatim, " ſi Febris violenti exarſerit, Sanguinem mitti jubet. Minime dubito, " quin, uti nunc obtinet, ita illis quoque temporibus vulgaris iſta " opinio obtinuerit, ut ab Eruptione Cuticulari hujuſmodi medela " vetaretur: cujus hæc plerumque ratio affertur, ne eo modo humor " a Circumferentia ad Centrum recedat. Verum argumentationis " iſtius fallacia, ſi ad Oeconomiæ Animalis normam exigatur, facil- " lime detegi poteſt: atque in promtu eſt demonſtrare, quemadmo- " dum in multis caſibus, ubi abundat ſanguis, vel is nimium glutinoſus " eſt, detractio ejus lentorem partium attenuet, ac liberiorem earum " reddat circulationem: quo fit ut non modo non cohibeatur, ſed " benignius etiam procedat Eruptio. Igitur in Eryſipelate, Variolis, " Morbillis, Febre Scarlatina, aliiſque ſimilibus vitiis, ſi vehementia " ſint ſymptomata, & caput vel pulmonem afficiant, aut in alia qua- " vis parte dolorem ingentem moveant, haud abſque ratione ac tuto " prorſus Vena inciditur. Ego certe, quanquam haud aliud frequen- " tius experimentum inſtituerim, ne ſemel quidem animadverti quam- " libet harum Eruptionum poſt miſſionem Sanguinis retroceſſiſſe, ubi " affectus ipſe id auxilii requireret. In Eryſipelate præſertim, ſed & " in aliis quoque caſibus, ubi Inflammatio adeſt, Experientia docet, " per ipſius partis affectæ Scarificationem, cum Membranæ illic onere " gravatæ craſſiores appareant, frequenter malum omne mira cum " celeritate diſſipatum evaneſcere." Neque in alia fuit opinione, qui ante demonſtratam, Sanguinis Circulationem floruit, Medicus cum primis ſagax & experiens, Carolus Piſo. Is ita loquitur, " De " Curatione horum Exanthematum non eſt inſtituti noſtri minutius " agere: hoc tantum monendi Tyrones, Venæ ſectionem mature " celebratam eſſe maxime conducibile Remedii genus in omnibus " hujuſmodi Febribus, in quibus Exanthemata quacunque ratione " erumpere ſolent: nulla vel habita ratione ætatis, niſi forte Infan- " tilis, modo adſit Plethora, mature inquam, immo etiam quam- " primum apparentibus. Nam Experientia Ratioque docent, Na- " tura nonnihil levata ab onere, hoc eſt Sanguinis plenitudine, longe " facilius & in minori copia, quod ſane optandum eſt imprimis, erum- " pere Exanthemata, neque Corporis univerſum habitum tanta op- " primi infeſtarique Putredine." Horum Virorum auctoritate ipſiſque

ſiſque verbis in re tam gravi & controverſiæ ſubjecta ideo potiſſimum uti volui, quod Williſius noſter timide ac dubitanter hoc auxilium proponat, & Sydenhamus, unico eoque valde infirmo adductus exemplo, "Phlebotomiam, non perinde ac prius arbitrabatur, Va-"riolis intra juſtos limites coercendis conducere" pronuntiet.

Anno 1720, Freindus Orationem habuit Anniverſariam, ex Harvæi inſtituto, in eorum commemorationem, qui ſua in Collegium Medicorum Londinenſe beneficentia claruerunt. Fuitque tanti Viri & præco & imitator optimus. Quippe cum ante Harvæum Ars noſtra, verbis magis quam rebus, opinionibus magis quam veritate freta, quaſi in tenebris jaceret, ipſe tandem exortus novum atque inopinatum in pleraſque hujus Scientiæ partes lumen diffudit. Ita ut Rationalis Medicina plus ei ſoli, quam cunctis eo ætate prioribus debeat; neque ex poſterioribus quiſquam huic aliquid memorabile adjecerit, qui non Sanguinis Circulantis inventum ut argumentationis ſuæ baſin poſuerit. Ecquid enim de Nutritione & Auctu Corporis, ecquid de Sanitate ac Morbis, ecquid de Vitæ Mortiſque Cauſis, aliunde clare perſpicimus? Ecquid lucis in ea quæ manet rerum obſcuritate, niſi ab eadem lampade, petendum eſt? Neque hanc ille veritatem caſu quodam aut conjectura aſſecutus eſt: ſed ex frequentibus tam mortuorum quam Vivorum Animalium diſſectionibus primus deprehendit, & rationibus firmiſſimis munitam ac demonſtratione ſenſibili confirmatam in æternum ſtabilivit. Noverat Vir perſpicaciſſimus Artem medendi ideo potiſſimum per plurima retro ſæcula manſiſſe truncam & imperfectam, quod Profeſſores ejus ob ſuperſtitionem quandam ab aperiendis Hominum Cadaveribus temperaſſent. Igitur & Anatomiæ operam ſedulo dedit, neque hanc tamen exercuit, tanquam Opifex merus, qui Machinæ partes exiliſſimas ejuſque conſtructionem accurate callens, Motus interim principia legeſque & mirificos effectus plane ignorat; verum ex Cordis & Arteriarum Venarumque fabrica & ſitu, motum uſuſque harum partium, & perpetuum Sanguinis recurſum detexit. Refertque Boylius, cum percontatus eſſet Harvæum, quomodo ei in mentem veniſſet cogitatio de Circulatione Sanguinis: hunc dixiſſe, "cum "Venarum Valvulas in Corpore ubique ita poſitas videret, ut libe-"rum Sanguini verſus Cor præberent curſum, verum eidem in con-"trariam partem fluxuro obſtarent, hinc collegiſſe ſeſe, haud ſine "conſilio tot tali artificio Valvulas a provida rerum omnium effe-"ctrice Natura collocatas: nullumque hujus rei probabiliorem eſſe "finem, quam, quoniam Sanguis, ob interpoſitionem Valvularum, "per Venas ad Artus devehi non poſſet, ut is per Arterias tranſmit-"teretur, perque Venas rediret, quarum Valvulæ ei hac via fluenti "non obſiſterent." Neque vero, intra notitiam inventi ſui ſubſiſtens Harvæus, non intellexit etiam quantopere poſſet id Medicinæ illuſtrandæ promovendæque inſervire. "Ex iis, inquit "ille, quæ in Circulatione, & hac poſita, obveniunt, uſus & utili-"tates inveſtigandæ veritatis ſunt plures. Sunt enim in Phyſiologia,

"Patho-

" Pathologia, & Therapeia recepta, quorum cauſas non novimus, " eſſe tamen nullus dubitat: videlicet Febrium Putridarum, Revul- " ſionis, & Purgationis Excrementorum. Ea omnia tamen Circui- " tus beneficio intelliguntur." Et poſtea -- " Campum invenio, ubi " longius percurrere & latius ſpeculando exſpatiari poſſum. Sed " enim tanta hinc veritatis eluceſcit lux, qua tot problemata expli- " cari, tot dubia ſolvi, tot affectionum & morborum cauſæ & curandi " occaſiones inveſtigari poſſunt, ut peculiarem tractatum poſtulare " videantur. De quibus omnibus, in Obſervationibus meis Medici- " nalibus, admiratione digna tradam." Et in fine Operis -- " Cir- " cuitus ſi vel impeditur, vel pervertitur, vel nimium concitatur, " multa periculoſa morborum genera & Symptomata admiranda con- " ſequuntur; tam in Venis, ut varices, apoſtemata, dolores, hæmor- " rhoides, hæmorrhagiæ; quam in Arteriis, ut tumores, phlegmo- " nes, dolores intenſiſſimi & lancinantes, aneuryſmata, ſarcoſes, " fluxiones, ſuffocationes ſubitaneæ, aſthma, ſtupor, apoplexia, & " alia innumerabilia. Inter Medicinales Obſervationes, & in Pa- " thologia, ea tradere potero, quæ nunquam hactenus a quovis ob- " ſervata comperio." Verum hæc omnia, magno Medicinæ damno, inter chartas periiſſe credibile eſt, quas, ardente bello civili, ex Muſæo ſuo raptas, queritur in Libro de Generatione Animalium Harvæus; uti & aliud opus haud minus elaboratum ac utile. Uſque ad ſæculum poſtremo elapſum parum exculta fuerat ea Anatomiæ pars, quæ in Morbidorum Cadaverum apertione verſatur: quanquam olim " in Ægypto, Reges corpora mortuorum ad ſcrutandos mor- " bos inſecuiſſe " tradat Plinius. Harvæus autem Anatomiam ſuam ad Medicinæ uſum maxime accommodatum litteris mandare decre- verat. " Non enim, inquit ille, ut alii, ſolum locos morborum ex " cadaveribus Sanorum indagando, & ſecundum mentem aliorum, " morborum ſpecies, qui iis in locis videri potuiſſent, recenſendo: " ſed ut ex multis diſſectionibus corporum Ægrotorum, graviſſimis " & miris affectionibus confectorum, quomodo & qualiter partes " interiores in ſitu, magnitudine, conſtitutione, figura, ſubſtantia, " & reliquis accidentibus ſenſibilibus, a naturali forma & apparen- " tia (quam vulgo omnes Anatomici deſcribunt) permutentur, & " quam variis modis & miris afficiantur, enarrandum ſuſciperem. " Sicut enim Sanorum & boni habitus corporum diſſectio plurimum " ad Philoſophiam & rectam Phyſiologiam facit: ita corporum " Morboſorum & Cachecticorum inſpectio potiſſimum ad Patholo- " giam Philoſophicam. Quippe eorum, quæ ſunt ſecundum Na- " turam, contemplatio Phyſiologica eſt prius a Medicis noſcenda; " quoniam, quod ſecundum Naturam eſt, id rectum, & tum ſui " tum obliqui regula: cujus luce errores affectuſque Præternaturales " definiendo, Pathologia poſtea clarius innoteſcit, & ex Pathologia " uſus & Ars Medendi, novaque plurima Remedia inveniendi occa- " ſiones occurrunt. Neque quiſquam facile crederet, quantum in " Morbis, præſertim Chronicis, Interiora pervertantur, & quanta

" Partium

" Partium Interiorum Monſtra gignantur. Auſim dicere, plus una " diſſectio & apertio Tabidi, aut morbo aliquo antiquo vel venenato " confecti Corporis, ad Medicinam attulit commodi, quam decem " Corpora Strangulatorum." Hæc ſtudia, hi labores ad felicem & occupatiſſimam Praxin, ad ingentem nominis famam, ad Archiatri munus extulerunt & Harvæum & Freindum. Anatomiam Freindus miro ſemper cum affectu coluit; hanc veritatis teſtem, hanc erroris confutatricem, hanc in dubiis rebus viæ ducem optimam arbitratus eſt; ope hujus multa paſſim ipſe intricata & perplexa enodavit. " Hæc, ut ipſe ait, late in omnem Medicinæ ambitum pertinet: ſine " qua illa aut nulla omnino eſt, aut Empirica. Perpetuo quippe " fluctuat Artificis ſententia, niſi Artis Fundamenta exquiſite perci- " piat; & ſicui caſu aliquo res bene ceſſerit, nulla is alia laude dig- " nus eſt, quam quod omne conſilium in Fortuna poſuerit." Idemque cum Harvæo Freindus argumentum ſumens, Prælectiones Anatomicas in Theatro Chirurgorum Londinenſium habuit: ubi de Cordis Arteriarum & Venarum Structura Motu Uſuque, ac de harum partium Morbis Morborumque Curationibus docte & accurate diſſeruit. Quas Prælectiones publicas facere ſupervacaneum ideo viſum eſt, quod, quæ in iis maxime notatu digna ſunt, ſparſa paſſim in Hiſtoria Medicinæ reperiri poſſunt, præcipue iis in locis, ubi de Syncope, Aneuryſmate, ac Circulationis uſu, ſermo eſt. Neque vero Freindus unquam Morbidorum Cadaverum apertioni, cujus rei ſummam facultatem habuit cum in Caſtris verſaretur, aut tunc temporis, aut in Urbe poſtea, quantumvis negotiis impeditus, intereſſe neglexit. Ejuſque in hac re ſtudium tum inſignes aliquot hujuſmodi diſſectionum Hiſtoriæ ab eo enarratæ, tum ſequentia ipſius verba declarant, " Optandum eſſet, ut quemadmodum hæc " Sanorum, ita & illa Morbidorum Corporum inſpectio apud nos " in conſuetudinem veniret. Etenim res minime controverſa eſt, " lucem eſſe omnem ab Arte Anatomica petendam, qua Medicus " Morborum plurimorum & proprias Sedes eruere poſſit, & Signa " legitima internoſcere." Quod ad Sanguinis Circulationem attinet, hanc Auctori ſuo Harvæo Freindus ita aſſeruit, ut nihil ultra de hac re ambigi queat; variaſque hujus doctrinæ utilitates variis tum Exemplis tum Ratiociniis ubique, data occaſione, illuſtrat. Quare in eo Patria noſtra jure gloriari poteſt, quod & inventum hoc primus omnium tradiderit Harvæus, idemque nemo quiſquam Freindo felicius ad uſum Medicinæ accommodaverit. Harvæus, inter alia dona Collegio Medicorum impertita, Epulum quotannis ſuo ſumtu fieri, & Orationem Anniverſariam haberi curavit. Freindus, ut erat Medicorum concordiæ & feſtivitatis valde ſtudioſus, cum primis elaboravit ut Epulum hoc, diu intermiſſum, inſtauraretur: atque Orationem nulli earum, quæ illo in loco unquam pronuntiatæ ſunt, ſecundam habuit. Harvæus eidem Collegio Fundum ſuum vivus donavit; Freindus etiam, cum in vivis eſſet, Theatrum Anatomicum in Æde Chriſti Oxonii ædificare decreverat, ac ſtipendium

Prælectori liberale in perpetuum conſtituere. Hoc immatura morte præpeditus non, uti ſtatuerat, fecit: at moriens, poſt Familiam ſuam, Medicæ Familiæ conſuluit. Nam ſi Filio ejus ſine Liberis mori contigerit, mille Libræ ab eo in Uſus ſupra dictos legatæ ſunt; ac ſi duo Fratris Filii inſuper ſine Prole obierint, Hæreditas omnis ad ponenda in eadem Urbe Noſocomii initia eroganda eſt.

Per omne illius Parlamenti tempus, quod Anno 1722 congregatum eſt, in Curia Britannica Freindus Senator conſedit: quod in præcedenti, non niſi per paucos Menſes, fecerat. Illic in magno eloquentium Oratorum numero, ob ſummam ejus in dicendo vim ac leporem, magnopere inclaruit.

Sub initium Anni 1723 evidentiſſime oſtendit, quam vehementi Artis ſuæ promovendæ ſtudio flagraret; hanc enim, cum propter calamitatem, quæ ſola ei per omnem vitam obtigit, ægros inviſendi facultate privaretur, ſcriptis ornare non deſtitit. Quippe Epiſtolam illam elegantem, De quibuſdam Variolarum Generibus, in Turri Londinenſi exaravit. Quam ob cauſam illic eſſet incluſus, non hic eſt inquirendi locus. Illud certe conſtat, nihil hujuſmodi obſtitiſſe quo minus poſtea, Auguſtiſſimi Rex & Regina Britanniæ nunc auſpicato imperantes, tunc temporis Walliæ Principes, plenam in integritate & peritia ejus fidem ponerent. Nam cum Liberi ipſorum gravibus & periculoſis Morbis laborarent, Conſilio ejus uſi ſunt: quod ita proſpere ceſſit, ut præconceptam de eo opinionem haud mediocriter auxerint.

In eodem loco Hiſtoriam Medicinæ inchoavit, a Galeni tempore uſque ad initium Sæculi Decimi Sexti. Cujus Primum Volumen Anno 1725, & Secundum Anno proximo prodiit. Hæc, ab eo Anglice ſcripta, a me in Latinum ſermonem converſa eſt. Quam Traductionem qui evolverint, minime dubito quin futurum ſit ut Hiſtoriæ fide, rerum varietate, aliorum Auctorum examinatione, exquiſito ipſius judicio, præceptorum utilitate, & obſervationum delectu vehementer oblectatos ſe fuiſſe agnoſcant: etſi uſitatam Freindi facundiam & orationis nitorem valde deſiderabunt, quippe qui in iis omnibus quæ Latine ſcripſit Celſi ac Ciceronis inaffectatam elegantiam conjunxerit. Quod ſi verba ac ſententias ejus, id quod facere diligenter ſtudui, fideliter ac perſpicue reddidero, hanc mihi gratiam debebunt Exteri, quod Libri adeo utilis ac jucundi lectione non ultra carituri ſint. Etiam Notulæ quædam, Manu ipſius ſcriptæ, & Codici impreſſo adjectæ, loco ſuo hic a me inſertæ ſunt. Quid in Hiſtoria hac præſtiterit, breviter ac ſummatim percurram. In Primo Volumine de Græcis Scriptoribus agit, qui poſt Galeni tempora floruerunt. Oribaſii, Aetii, Alexandri, Paulique Ætates deſignat: de qua re nihil antea apud optimos Hiſtoricos niſi perturbatum & confuſum reperiri poterat. Atque etſi, ut Philoſophiam Ariſtoteles, ita quoque Medicinam prope omnem abſorbuerat Galenus, tamen & in his Auctoribus multa ſatis ſingularia occurrere animadvertit, ut omnino digni ſint qui ſtudioſe verſentur. Multa in

his

his Medicorum illuſtrium, Galeno antiquiorum, fragmenta pretioſa conſervantur. Multa in Chirurgia facta ſunt incrementa. Quædam, Recentiorum Sæculorum inventa falſo credita, iis adjudicantur: uti Glandularum Salivalium cognitio, Setacei, Cauteriorum ad aperiendos in Cute Fonticulos, & Acupunctura in Hydrope uſus. Quid item certi de cæterorum Græcorum, qui iſtis poſteriores fuerint, ætate inveſtigari potuerit, perſequitur. Peſtis a Procopio & Euagrio narrata deſcribitur. Liquorum Diſtillatorum prima apud Græcos mentio notatur. Noſocomium ab Alexio Imperatore magnificentiſſime exſtructum, atque immenſi in hujus uſum reditus ab eodem donati commemorantur. Verum, uti Hiſtoria communis, ſi ſolummodo ad animi delectationem, non item ad informandos hominum mores, ſcripta eſt, neque nos hujus lectio & ad vitanda Anteceſſorum vitia hortetur, & ad imitandas eorum virtutes accendat, permediocris pretii eſt: ita quoque Freindus nihil memorabile ſe facturum judicavit, niſi Lucubrationes ſuæ ad Praxin Artiſque uſum præcipue ſpectarent. Morbos inuſitatos, qui a Veteribus deſcripti ſunt, exponit: uti Dracunculos, & Lycanthropiam. Medendi rationes ab iiſdem uſurpatas, quæ jam vel in deſuetudinem abierint, vel rarius adhibeantur, commendat: uti Scarificationem, & Arteriotomiam. De Purgatione in Febribus, de eadem leniter admodum ac frequenter inſtituenda in Morbis Chronicis, de Venæ ſectione in Exanthematis, & Syncope: de remedii utriuſque uſu in Cordis Palpitatione, egregie diſſerit. De Aneuryſmate, de Hernia Inguinali & Crurali, de Diſcutientium & Suppurantium indicatione, ac modo, & auxiliis ad utramque rem efficacibus, de Circulationis invento ac variis utilitatibus ad Praxin, permulta habet lectu jucundiſſima. In fine Libri Veterum præſtantiam eximie collaudat, & pro eo acriter contendit ne nuda tantum Experientia freti ea adjumenta deſpiciamus, quæ ex diligenti optimorum Auctorum pervolutione petenda ſunt. Æquus profecto & idoneus hujus rei Arbiter, qui diuturnam Experientiam cum aſſiduo Litterarum ſtudio conjunxerit: quique, ut ineunte ætate probatiſſimos Magiſtros, tanquam Viæ duces, elegerat, ita hos denuo conſummatus jam Artifex, in concluſione vitæ, tanquam Judex Cenſorque, ad examen revocaverit. In Secundo Volumine, Litterarum omnium apud Arabas initia & progreſſum, & Chalipharum his faventium ſtudia ac munificentiam, fuſe exponit. Deinceps Medicorum ex iſto populo, tam quorum ſcripta ad nos pervenerunt, quam qui nomine nobis antea inauditi erant, ætates evolvit: indicatque, quid quiſque eorum ad Artis ſuæ incrementum contulerit. De Morbis agitur, qui vel hujus tantum Gentis Scriptoribus cogniti ſint, uti Vena Medinenſis: vel ab iis primo memorati, uti Spina Ventoſa. Præclara multa, occaſione ex eorum ſcriptis arrepta, de Affectibus, & rarioribus, & vulgariter graſſantibus, diſſeruntur: ſcilicet de Inflammatione & Abſceſſu tam in Mediaſtino quam in Pericardio, de Pericardii Hydrope, de Gulæ Paralyſi, de Bronchocele, de Hydrocephalo, de Paracenteſi in Hydrope, de Calculi

culi extractione e Mulieribus. Inſtrumenta Chirurgica ad Operationes ſingulas idonea ab Albucaſi primum deſcripta, & Figuris delineata ſunt: quem Albucaſim eundem cum Alſaharavio eſſe diſcimus. Atque, ut inter Arabas Variolæ primum ortæ ſunt, ita quoque deſcriptio earum, & differentia genera, & Prognoſtica, & curandi norma uberius a Rhaze, quam ab alio quoquam ante Sydenhamum, expoſita eſt. Arabes, tam in Eruptione quam in Declinatione Puſtularum, re exigente, neque Sanguinem detrahere, neque Purgationem præcipere metuebant. Hi quidem Græcorum veſtigiis preſſe inſtiterunt; tamen, præter alia ſingularia ex eorum Commentariis a Freindo, (cui gratia hæc habenda eſt, quod ab ingenti paleæ acervo exiguam at pretioſam frugis copiam ſecreverit) excerpta, hoc iidem præſtiterunt, ut & leniora multa Catharticorum genera nobis indicarent, & moderatius, quam a Græcis factum eſt, Sanguinem educere nos docerent. Chymia apud illos ortum habuit; multæ utilium Medicamentorum Compoſitiones ab iis inventæ ſunt, quæ etiamnum in Pharmacopœis omnibus locum habent. Relictis Arabibus, ad inferiora Freindus Sæcula deſcendit: in quibus Medicinæ & Chirurgiæ inſtauratio facta eſt, Scholis ad hæc ſtudia, Salerni, Neapoli, Monſpelii, & Bononiæ fundatis. Ac præcipuos is Auctores excutit, qui Arti tunc temporis adaugendæ incubuerint. Chymia præſertim, & Anatomia, & Res Botanica magis magiſque tum florere incipiebant. Chymiæ introductionem Populari noſtro, Rogerio Baconi, maxime aſcribendam judicat: qui in Sæculo tenebris ſpiſſiſſimis obumbrato quaſi Sidus lucidiſſimum effulſit. Fuit enim & Linguarum, & Mathematices, & Mechanices, & Aſtronomiæ, & Naturalis Philoſophiæ cognitione recondita inſtructiſſimus. Ille primus Vitrorum Sphæricorum Concavorum naturam clariſſime explicuit, atque vim eam quæ res longe diſſitas combureret. Quantopere Opticen in ſingulis ejus partibus promoverit, e Libro illius de Perſpectiva abunde manifeſtum eſt: in quo de Luminis Reflectione & Refractione diſſerit, Cameramque Obſcuram, & omnia Vitrorum genera deſcribit, quæ Objectum vel augeant vel minuant, vel ad Oculum propius adducant, vel ab eo longius removeant; atque inter cætera Tubi Optici, ſive Teleſcopii, uſus ei plane innotuit. Ille Calendarium reformavit; ille Pulveris Pyrii compoſitionem ac vim primus tradidit. Sunt etiam quædam ab eo ſcripta ad Medicinam pertinentia. Dehinc Freindus Peſtem illam univerſam commemorat, quæ Anno 1348 ſæviit; novoſque Morbos, qui proximo Sæculo variis in locis emicuerunt; uti fuit Sudor Anglicus Anno 1483, qui rediit etiam quinquies ſuccedentibus temporibus: Scorbutus, qui inter Nautas Luſitanos Indiam explorantes primum leviter ſeſe declaravit, poſtea alio tranſplantata per Miſniam Anno 1486 graviter lateque ſe diffudit, Sedemque in Dania aliiſque Septentrioni vicinis Regionibus poſuiſſe aliquandiu videtur, tandem circa Annum 1600 per omnem fere Europam diſſeminata eſt, malumque his diebus Epidemicum eſt: Lues Venerea, quæ mala merx ex America a Columbo apportata, in Italia primum Anno 1492 animad-

animadverſa eſt, effecitque ut haud tanti fuerit Novi Orbis cognitio. Nam deteſtabile Virus illud duobus poſt Annis in obſidione Neapolis Gallicum infecit Exercitum, atque hoc modo intra breve tempus per Italiam Galliam & Hiſpaniam Contagium propagavit, nec ita multo poſt per Europam omnem Aſiam atque Africam. Atque ut hæc res fortaſſe omnium maxime mira eſt, quæ in tota Medicinæ Hiſtoria occurrant, ſi vel cauſam productionis ejus, vel atrocitatem veneni, vel novitatem originis conſideremus, haud abs re judicavit Freindus ſubnotare, qua primum forma apparuerit, & quemadmodum hanc poſtea variaverit, quos progreſſus fecerit, & quænam recentes medendi rationes tentatæ ſint ad ſiſtendam novæ hujuſce Peſtis violentiam. Igitur hanc delineat, prout ſeſe per Annos 50 aut 60 ab ortu ſuo in his regionibus oſtenderit; unde perſpici poteſt & opinio & Praxis eorum qui hoc tempore vixerunt & aliquid de ea literis mandarunt. Item in hoc Volumine diſquiſitiones reperiuntur de Hernia Carnoſa, ac de Veteribus Noviſque Lithotomiæ modis. In concluſione totius Operis habetur Elogium Viri doctiſſimi optimique, Linacri; qui, cum in Anglia humilis eſſet Artis noſtræ conditio, utpote ab illiteratis præcipue Monachis Empiriciſque tractatæ, hanc non modo ſcientia & facundia admirabili illuſtravit, ac munificentia promovit: ſed favore quo tum in Aula pollebat Litteras Patentes a Rege obtinuit, poſtea Senatus auctoritate confirmatas, quibus Societas Medicorum Legalis Londini conſtituta eſt. Idemque Domum ſuam moriens eidem Communitati legavit, quæ etiamnum ab hac poſſidetur. Tanto tamque ſapienti Fundatori contigerunt ſperati ab eo ſucceſſus; & non deeſſe jactamus, neque defuturos auguramur in hoc Collegio Viros, qui & ingenio & doctrina cum cæteris quibuſlibet in quacunque Natione Medicis contendant. Anno 1727, Johannes Clericus in Bibliotheca Veteri & Nova Reſponſionem edidit ad cenſuram a Freindo prolatam Speciminis cujuſdam, quod Daniel Clericus nobili Libro a ſe de Medicinæ Hiſtoria dudum ſcripto recenter attexuerat: quo in Specimine eadem Hiſtoria a Secundo Sæculo uſque ad medium Decimi Sexti ſummatim continuari dicitur. Prius illud Clerici opus ſumma cum laude prædicavit Freindus, Specimen autem rem ita parum abſolutam aut elaboratam credidit, ut multa ibidem negligenter, multa perperam dicta pronuntiaverit. Id cum ita revera ſit, quanam ratione Freindus, de eadem re agens, temperare ſibi potuit, quo minus & id in univerſum diceret, & errores ejus paſſim refutaret, tanti Viri auctoritate apud homines aliter facile fidem inventuros? In Reſponſione lapſus ejus partem agnoſcuntur, partim excuſantur, alibi accuſatur ipſe Freindus, cujus verba & argumenta ob Tranſlationem haud prorſus accuratam aliquando vel male intellecta vel perverſa ſunt. Quandoquidem vero Reſponſionis Auctor, Vir lectionis & ſcriptionis adeo immenſæ, a Fratre etiam pererudito adjutus, neque in Re Chronologica, neque in judicio de Scriptore quoquam prolato, neque in Præceptis Practicis, ullo modo Freindum redarguat: fatebimur Aetium, non Ætium ſcribi oportere, item Affectionem Bovinam non

fuiſſe a Clerico cum Vena Medinenſi confuſam, item Aquam Roſarum diſtillatam non a Meſue deſcriptam ſed ſolummodo nominatam eſſe; &, ſi id valde vult, Antidotum Hippocratis ab Actuario memoratum non certis argumentis ad Medicinæ Parentem referri debere, concedemus. Cæteris ejus cavillationibus & verborum captiunculis accurate reſpondit Johannes Baillius. Nos autem defenſionis iſtius molimen fraterno Johannis Clerici in Fratrem omni laude digniſſimum amori condonemus; Danielem vero Clericum, propter ea quæ in Medicina eximie præſtitit, cum Freindo aliiſque omnibus vehementer admiremur: & eidem, licet errores aliquos in re, quod fatetur ipſe, haud bene perpenſa admiſerit, parcamus: qui cum, ſicut fortis Equus, Olympia glorioſe vicerit, ſenio jam confectus quieſcat. Ecce autem Alterum ab Edinburgo, qui Freindo infenſus ideo quod Arcanorum Venditatores ſubſannaverat, irriſeratque Alkindum facultates Medicamentorum ad Arithmeticas Supputationes redigere conantem, tam bellæ Theoriæ tamque circumforancæ Praxeos, quas Quidam amplectitur, Patrocinium in ſe ſuſcepit, idque Animadverſiones in Hiſtoriam Medicinæ nominavit. Fruatur iſte his deliciis; nos contenti ſimus eo quod nihil gravius Freindo, præter Contumelias, ab acerbiſſimo, uti videtur, inimico objici potuerit. Nam ad illum quidem, poſteaquam Hiſtoria ſua Anglice vulgata, & in Gallicum ſermonem converſa eſt, multi, tam in Patria noſtra quam in aliis Nationibus, illuſtres Viri honorificas miſere Litteras, miram Operis approbationem teſtificantes. Freindus itaque neque Woodwardo Linteario, neque Anonymo cuidam Medico Edinburgenſi placuit: at placuit inter Germanos Hoffmanno, inter Batavos Boerhavio, inter Gallos Helvetio & Hecqueto, Popularibus vero ſuis pæne cunctis placuit; & quamdiu vel Medicarum vel Politiorum Litterarum guſtus aliquis ſupererit, univerſis placebit Freindus. Tamen iidem, qui, cum vivus eſſet, nec ſcribentis nec loquentis vim ſuſtinere poterant, venenata rurſus in memoriam ejus ex occulto tela conjecerunt. Libellum, non emi quidem, ſed circumferri vidimus, cujus Scriptor Moribus magis illius, quam Scientiæ, detrahere conatur. Ad quem deferri proles hæc furtiva debeat, ſuſpectum facit nimius hujus in Parentem amor. Sinamus autem ut is, qui Freindum vituperat, ſeipſum pro laudatore habeat. Freindi ſuavitatem Amici ac familiares ejus cum deſiderio recordantur, probitatem & obſtinatam fidem nemo non extollit, famam exteræ Gentes celebrant, peritiam præſens Ætas experta eſt, poſteræ omnes cognoſcent.

Cum Vir hic eximius ſumma Eruditionis laude, & felici Profeſſionis ſuæ uſu, magis magiſque in dies floreret, nova ſubito, eaque inſigniſſima, dignitate auctus eſt. Anno enim 1727, quo Sereniſſimus Rex Georgius Secundus ad Solium evectus eſt, primis Imperii diebus Freindum Regina Archiatrum ſuum conſtituit, & Stipendium ei perhonorificum aſſignavit. Quanto autem gaudio commoveri debuit, cum laudi ſuæ cumulum acceſſiſſe ſentiret ex eo quod adeo ſubtilis & exquiſita Rerum atque Hominum Judex, & Litterarum omnium

omnium Fautrix, multis Ipſa haud mediocriter erudita, vehementer id comprobante Rege, cujus judicium de eo erat omnino idem, Munus ita arduum ita honoris plenum ei ultro detuliſſet. Quo teſtimonio quid illi gratius aut illuſtrius accidere potuit, quam quod uſque ad mortem ejus Rex pariter ac Regina haud alius cujuſquam Conſilio, in ſua vel in Prolis Regiæ Valetudine tuenda & reſtituenda, niti voluerint? Ita increſcente in dies negotio, cum ei antea occupatiſſimo vix tempus aut vires ſufficerent, media Anni ſequentis æſtate, aliorum ſaluti intentus ſuæque immemor, nimia defatigatione fractus cæpit langueſcere. Caput autem ſtatim ab initio tentatum eſt; unde nec imminentis mali præſcius, nec præſentis gnarus, ab ægris medicandis haud prius deſtitit, quam in ipſa circumcurſitatione viribus plane defectus concideret. Quo audito, Rex & Regina graviter perculſi, Medicis qui accerſiti ſunt, Viris ei Amiciſſimis Doctiſſimiſque, nuntiari juſſerunt, gratiæ loco ſe habituros, ſi præcipuam in illius curatione operam vellent impendere. Id quidem ſedulo factum; verum invaleſcente Febre, & irritis quibuſcunque Remediis, intra breve tempus diem ſuum obiit. Quod ubi reſcitum eſt, tantus Homines mæror invaſit, ut luctum adeo publicum adeo univerſum in unius Viri morte vix unquam Civitas meminerit. Ita Vitæ curſus & finis æque glorioſus ei obtigit. Ac poſt Mortem ejus, e Regiis Pectoribus non deletam eſſe meritorum ipſius memoriam, beneficia declarant in defuncti Familiam collata. Nam Viduæ ejus Regina liberalem in ſingulos Annos Penſionem elargita eſt, Filiumque omni gratia, quam recipit ætas ejus Juvenilis, amplectitur, Fratremque Rex amplis in Eccleſia Muniis repetito favore cohoneſtavit.

Haud alios ſuſcepit Liberos præter Filium unicum, quem Adoleſcentulum reliquit. Cui cum Facultates, non amplas quidem, ſed honeſtas, ſuo labore partas legaret, tamen a Tutoribus ejus, ut ad Profeſſionis alicujus ſtudium educaretur, in Teſtamento ſuo enixiſſime petiit; illud utique animo perſuaſiſſimum habens, meliorem nullam iniri poſſe Vitæ rationem, quam quæ Homines in commune utiles efficeret. Itaque, domeſtico Exemplo, in Schola Regia Weſtmonaſterienſi, ſub Patruo ſuo, Viro doctrina pariter ac virtute præclaro, ſedulo & amanter inſtitutus, Oxonium nuper in Ædem Chriſti migravit. Cumque eximiis Ingenii dotibus inter Æquales emineat, ſpes eſt fore, ut in eo quod amplexurus eſt Vitæ genere haud minorem olim, quam Parens ejus in Medicina obtinuerit, laudem conſequatur.

Johannes Freind vixit Annos 52, obiit A. D. 1728, ſepultus eſt juxta Prædium ſuum, in Oppido Hitcham, quod eſt in Comitatu Buckinghamiæ. Cenotaphium vero ei poſitum eſt in Æde Weſtmonaſterienſi, non modo ut illic, ubi prima Litterarum rudimenta hauſerat, nomen ejus Lapidi ſacro inſculptum extaret: ſed quoniam id majori in celebritate futurum videbatur, ſi in Templo ſtatueretur Regum Sepulchris nobili, Ducumque ac Poetarum maxime illuſtrium

illuſtrium Tumulis refertiſſimo. Quibus quidem is ibi tanto magis locum meretur, quanto magis laudabile eſt Beneficia in Homines contuliſſe, quam aliorum Virtutes æternitati conſecraſſe, quantoque præſtabilius Artes in Humani Generis Salutem, quam in eorum Perniciem inventas excolere. In quo tamen Filii magis erga illum Pietas apparet, quam ipſius Famæ quicquam adjectum eſt. Nam viva hæc Ingenii & Eruditionis ejus exquiſitæ Monumenta a Poſteris omnibus cum utilitate ac delectatione pari legentur, ubi Marmor illud vetuſtate collapſum interierit.

Cæterum hoc a me grati erga illum Animi teſtimonium Cognatos & Amicos ejus omnes oro ut benigne accipiant: cui quod vivo, & valeo, & medeor (ſi medeor) ſoli debeo.

Prælectiones

Prælectiones Chymicæ:

In quibus omnes fere

OPERATIONES CHYMICÆ

Ad Vera Principia & ipsius Naturæ Leges rediguntur;

Anno MDCCIV, *OXONII*,

IN

MUSÆO ASHMOLEANO

HABITÆ.

A JOHANNE FREIND, M. D.
Æd. Christ. Alumn.

Accedit APPENDIX, in qua continetur,

I. Lectionum Chymicarum, quæ ab Editoribus Lipsiensibus exhibetur, Recensio.

II. Lectionum Chymicarum, contra Lipsiensium Editorum calumnias, Vindiciæ.

LECTORI *S.*

PRODEUNT, *secunda Vice,* Lectiones Chymicæ : *quibus Appendicem, quam vides, in Philosophicis Actis* Londini *editam, adjicere libuit : quamquam nihil a natura mea magis alienum est, quam in cavillationibus refellendis bonum otium conterere. Quia tamen Actorum* Lipsiensium *Editores, qui aliqua authoritate apud Eruditorum vulgus jamdiu valuerunt,* Newtono *nostro, clarissimo gentium omnium, forte etiam & ætatum in Scientia* Mathematica *principi, nimium invidere videbantur, visum est mihi iniquam eorum Censuram ad examen revocare; & ea, quibus in re* Chymica *explicanda tanto sub duce, innixus sum, principia paulo fusius recolere & tueri.*

Aliud mihi esse negotium credidi cum Dom. J. Le Mort, *qui licet* faciem & pulchritudinem Chymicæ purificatam, *A. D.* 1712. *ediderit, ita tamen in fornace totus est, ut ne vocabulorum vim, nedum rationum momenta intellexerit : præclarum scilicet facinus se egisse ratus, si quæcunque a nautis patriis didicerat, convitia libere evomuerit. Sed huic uti nulla suberat ad lacessendum causa, ita nec ulla pariter ad lædendum vis. Istius igitur opuscula per me licet intacta maneant. Et cum iis* Snelleni *sui iisque inficeti nescio cujus* C. W. Edinburgensis, *vel longa in* Sosiorum *forulis pace, qua dumum fruuntur, requiescant; vel ut alicui saltem usui esse possint,* Diarrhœa *laborantibus inserviant.*

CELEBERRIMO VIRO,

ISAACO NEWTONO,

Equiti Aurato

REI MONETARIÆ PRÆFECTO,

ET

SOCIETATIS REGIÆ PRÆSIDI.

CUM nemo jamdiu aut veræ Philoſophiæ ſtudere, aut naturæ vires explorare præ ſe tulerit, quin Te Ducem ſecutus, Tuis principiis fiſus, id omne, quicquid feliciter ceſſit, Tibi fere debuerit; tum certe importunus videri non meruit, qui, cum ad hæc ſtudia promovenda moliri aliquid & proferre audeat, ad Te ſtatim, *Vir Illuſtriſſime*, grato animo confugiat, & eum quem Magiſtrum agnoſcit, ſibi itidem ambiat Patronum. Quis autem huic ambitioni non libentius obſequitur, quæ omni invidia vacat? utcunque enim de Palma Mathematica acriter certatum eſt, Tibi uni nemo lites movet: ſola inter æmulos pugna eſt, quis in ſecundis conſiſtat, dum ad Te ſinguli primas ultro deferunt. Novum quippe illud & improviſum lumen, quod in intimum latentis Naturæ ſinum effudiſti, vix emicuerat, cum uno ore omnes omnium Gentium Philoſophi de *Newtono* prædicarent, quod de *Epicuro* ſuo *Lucretius*,

Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes
Præſtinxit, ſtellas exortus uti ætherius Sol.

Cum itaque nullius præconio, multo minus meo indigeas, liceat ſaltem huic Tuæ gratulari Fortunæ, Tibi, quod paucis contingit, hujuſmodi ſtudiorum præmia non defuiſſe; & famam, quæ neſcio an alii cuiquam

quam contigerit, viventi adhuc & vigenti & majora indies meditanti, obtrectatione omni liberam abunde acceſſiſſe.

Ii, qui in Matheſi rerumque naturalium explicatione verſatiſſimi ſunt, ſibi laudi habent, quod Te ſequi valeant: interim & ii qui mecum inter extremos hærent, aliquid tamen poſſunt in rem ſuam de tuo ampliſſimo penu decerpere. Illam *Attractionis* vim, quam in grandiore corporum Cæleſtium mole primus & acute perſpexeras & feliciter explicaras, multi ad illuſtranda Naturæ Phænomena tranſtulerunt: hanc vero, quam etiam in minutiſſimis corpuſculis vigere & * olim non obſcure innuiſti, & nuper † multiplici experimentorum varietate comprobaſti, vix nunc tandem advertere atque excolere incipimus. Principium hoc cum nemini adhuc viſum ſit ad rem *Chymicam* accommodare, ego, quid hic etiam valere poſſet, volui pro meis viribus experiri: hujuſce Tui ratiocinii eam eſſe vim intelligo, ut ſiquis id recte adhibere noverit, quicquid in *Theoria Chymica* difficile & perplexum ſit, ſimpliciſſime expediat. An ego huic operi aliqua ex parte ſatisfecerim, Tu optime diſpicies, qui & hanc argumentandi viam primus aperuiſti, & in hoc ipſo, quod hic explicandum ſuſcepi, argumento feliciter elaboraſti. Tu itaque, *Vir Illuſtriſſime*, ut hæc ſub tuo Patrocinio prodeant tentamina, a Te non alienum judicabis: Tu, qui viros Scientia & ingenio præcellentes fovere, adjuvare, aliis gnaviter atque obnixe commendare nunquam deſinis, etiam mediocribus & aliquod pro ſuo modulo conantibus veniam dabis.

Tibi omni cultu & obſequio devinctus,

JOH. FREIND.

* Præfat. Princ. Natural. Phil.
† Optic. Latin. Edit.

PRÆFATIO.

HABES *hic, Lector Benevole,* Prælectiones Chymicas, *iisdem ac aliquot abhinc annis habitæ sunt verbis expressas: quas quidem haud alia de causa prodire jam in lucem volui, quam quia aliunde prodituras fore esset suspicio. Easdem vero mihi denuo relegenti multis in locis deficere & laborare ita perspectum est, ut, suis vitiis contentæ negligentioris scribæ vel mutilationes vel errores minime desiderent. Sub prælum igitur plane coactæ veniunt: cui tamen necessitati libentius cedo, quod viam hujusmodi petitis ex mechanica ratiociniis præmonstratam jam & quasi patentem videam.* Principia *enim, quibus hic magna ex parte usus sum, nuper explicuit Vir de me plurimum deque literis meritus,* D. Johannes Keil: *fecitque ut me huic argumento immiscere minus alienum duxerim, quia ex hac ipsa ratione ac via, quam ad investigandas naturæ leges utcunque secutus sum, intelligi aliquatenus possit, quam in se vim contineant Viri Amicissimi cogitationes, & quam multiplicem in usum redundare queant. Etenim multi qui* Axiomata Generaliora, *quæque ad certum quendam finem non collimant, quasi ab usu remota negligentius prætereunt, eadem tamen paulo distinctius evoluta, & ad scopum aliquem revocata, clarius demum percipiunt, atque lubentius amplectuntur. Et sane, si rationes illas uniusmodi & simplices ex ipsius Naturæ sinu haustas exquirere & rite applicare, quam pro suo ingenio fictas sequi Artis nostræ studiosi maluissent,* Theoriam *non* Chymicam *dico, sed &* Medicam *haud ita mancam & mutilam haberemus. Hæc itaque mihi identidem cogitanti is demum huic operi unice satisfacere posse visus est, qui postquam* Oeconomiam Animalem *accurate descripserit, deinde etiam ita* Pharmacorum *vim exploraverit, ut tum eum, quo* Chymiæ *ope immutantur & effinguntur, tum eum, quo in sanguinem agunt, modum feliciter explicare possit. Quæ profecto argumenta si rite dispositа atque illustrata fuerint, cerno jam animo quam pulchre inter se convenirent, quantam sibi mutuo lucem darent, quam claram eruendis morborum rationibus facem prætenderent.*

De Principiis, *quæ in* Chymicorum *libris vulgo habentur, perpauca dixi: quia in refutandis erroribus operam haud ponendam censui. Multa apud eos non modo vana & nullo fundamento nixa reperiebam, sed & contra experientiam omnem concluſa: itaque*

malui Explicationem hanc Mechanicam *ex ipſis Experimentis deducere, quam, uti ſæpe fit, Experimenta ad* Hypotheſin *præconceptam accommodare. Ea enim quæ de* Attractione *dicuntur, cujus vis in hac omni diſquiſitione latiſſime patet, non ingenii commenta ſunt, ſed ex ipſa rerum Natura corporumque inter ſe obſervata habitudine, ea præſertim quam* Chymia *nobis objicit, deprompta.*

Uti ergo ratiocinia Scriptoribus Chymicis *aut hactenus ignota aut ſaltem intacta adhibui, ita res ipſas, nonnunquam, ſecus ac apud eos enunciatæ ſunt, duce Experientia deſcripſi. In quo quidem inſtituto ſi iis, qui in Sectam aliquam jurarunt, & incerta rerum nullibi exiſtentium nomina pro* Principiis *amplexi ſunt, parum placuero, iis tamen qui judicio ſuo abuti nolunt, me eouſque ſatisfacturum iri confido, ut veram ad Studia hæc promovenda viam inſtitiſſe videar.*

Quod ad Tabulas & Experimenta *attinet, in iis conficiendis omnem quam potui curam atque diligentiam inſumpſi. Neque enim opus eſt perfunctorie aut ſine tædio aliquo exequendum. Igitur lubens in hiſce laboribus ſocium frequenter habui* D. Ric. Frewin, *Virum* Loci, *in quo enutritus eſt, genio abundantem, diſciplinaque omni liberaliore, & preſertim Medica, eruditum.*

PRÆLECTIO

PRÆLECTIO I.


De Principiis & Operationibus Chymiæ.

ARTEM Chymicam, Auditores, amplam ſatis & laboratam habemus; Philoſophicam nondum agnoſcimus: quæ tamen ita videtur poſſe illuſtrari, ut aliquando inter Scientias reponi mereatur. Qui hactenus rerum Chymicarum Phænomena tradiderunt, iis fere Principiis uſi ſunt, quæ vix intelligi, nedum explicari queant: ita ut non mirum ſit ſi, nullo jacto fundamento, nihil ſuperſtruxerint. Eo ſcilicet more diſſerunt, quaſi id unice in animo habuiſſent, ut ignorantiæ ſuæ velum obtenderent; ſaltem non ut alienæ lucem afferrent. Ita illa quæ de Principiorum ratione dicuntur, non modo obſcura ſunt omnia, ſed fictitia; non Naturæ modo, ſed ipſorum etiam Hypotheſi diſcrepantia. Adeo difficile eſt Fabulam, cui nulla ſubeſt veritatis materia, ſibi ad extremum conſtare. Fatemur in Experimentis inſtituendis ſatis multa cum laude progreſſam eſſe Chymiam, in iiſdem explicandis parum profeciſſe jure querimur: quorum ſane lautam ſatis ſupellectilem accepimus, Rationes adhuc deſideramus. Ternionem illam Principiorum Paracelſicam, ſive ut alii malunt Quinarium, etiam Alkali & Acidum Tachenii non plane amplectitur dico, ſed certe parcius repudiat hodierna Chymia: quæ quidem explicationes iſtas verbis fortaſſe tollit, re tamen relinquit. Neque ex tot Scriptoribus reperitur aliquis, qui non in eas ipſas Hypotheſes, quas in aliis reprehendit, inciderit; ſaltem nullus adhuc extitit, qui ea Chymiæ poſuit fundamenta, quibus inniteretur hujuſce Artis juſta & Philoſophica enarratio. Non enim qualis revera eſſet Natura corporum Mechanica, inveſtigarunt; ſed qualem vellent eſſe, commenti ſunt: ita leges & affectiones corporibus affinxerunt, quæ nec Mechanicæ congruerent, nec ſibi. Huic arti nemo plus lucis attulit, quam inſignis ille Philoſophiæ experimentalis inſtaurator Boyleus; qui tamen non tam nova Chymiæ extruxit fundamenta, quam dejecit vetera: materiam, unde erui poſſit vera rerum explicatio, uberem reliquit, ipſam explicationem in perpaucis attigit. Viam adeo qua Chymia ad Mechanica, hoc eſt, ad vera Principia exigi poſſit, primus aperuit, Vir de Philoſophico orbe & hac præſertim Academia bene meritus, Johannes Keil: cujus cum alterum opus Phyſicum prodierit, facile patebit, res etiam reconditiſſimas illuſtrari poſſe, cum ad eas illuſtrandas ſanum acceſſerit ingenium.

Hiſce igitur Principiis uſus, ea, quæ ad Chymiæ notitiam potiſſimum faciunt, paulo fuſius differere conabor; ejuſque Operationes

tiones primarias, quod videtur opus maxime deſideratum, qua poſſum perſpicuitate exponere. Qua quidem methodo utendum duxi, tum quia ſimplex maxime & naturalis ſit; tum quia cognoverim iſtos, qui vulgariter habentur ſine ordine, ſine delectu ullo, Curſus, ita parum prodeſſe, ita ne rudem quidem Chymiæ imaginem in animo relinquere, ut Audientes obruere magis quam docere ſoleant. Itaque ea erit inſtituti noſtri ratio: Primo, ſingulas Operationes eo quo inter ſe connexæ ſunt ordine explicare; deinde tum qua potiſſimum vi Mechanica eduntur, tum cui uſui inſerviunt. Secundo, varios, quibus fieri & poſſunt & ſolent, modos evolvere. Tertio, denique ſuo quæque loco Experimenta particularia recenſere, eaque ad generalem Theoriam redigere. Sed ad hæc omnia quæ dicenda ſunt multo facilior patebit via, ſi ex Geometria & Phyſica quædam Lemmata, ſive Poſtulata, mutuemur: quæ quidem a ſcientibus ultro concedi confidimus, ab aliis credi volumus.

1. Corpora omnia ſimilia ſunt in Triplicata ratione laterum Homologorum: adeoque & Sphæræ ſunt in triplicata ratione Diametrorum, ſeu ut Cubi a Diametris. Itidem Corporum ſimilium, in quibus eadem eſt denſitas materiæ, Pondera ſunt ut Cubi a Diametris. Superficies vero ſunt in duplicata ratione Diametrorum, ſeu ut Diametrorum Quadrata.
2. Corporum Momenta, ſeu Quantitates motuum oriuntur ex ratione Quantitatis materiæ & Celeritatis compoſita.
3. Corpus ſi Fluido, cui immergitur, Specifice gravius ſit, deſcendet ea vi, quæ gravitatis exceſſui reſpondeat. Quod ſi Fluido levius ſit, ſurſum evehetur ea vi, qua ipſius gravitas ſuperatur a gravitate Fluidi.
4. Datur Vis Attractrix, ſeu omnes Materiæ partes a ſe invicem trahuntur.
5. Vis hæc per ſpatiola admodum exigua diffunditur, ita ut, cum Corpora longius a ſe invicem abſint, fere evaneſcat. Neque ſenſibilis evadit, niſi cum Corporum particulæ propius ad ſe mutuo accedant: ſub ipſo autem Contactu validiſſima eſt. Adeoque decreſcit vis Attractrix in ratione Diſtantiarum augeſcentium, quæ duplicata major eſt.
6. Vis adeo hæc pro varia Particularum figura & denſitate diverſa eſt: quod quidem in gravitate alias ſe habet, quæ eadem perpetuo manet, quomodocunque mutetur Corporis figura.
7. Sed in uno latere ejuſdem Particulæ fortior erit Vis Attractrix, quam in alio.
8. Particulæ quo minores ſunt, eo majore Velocitate ad ſe invicem accedunt. Nam vis Attractrix non niſi in Particulis, quæ ſibi mutuo maxime appropinquant, nempe, d, & c, ineſt: remotiorum vires fere nullæ ſunt. Adeoque non major inſumitur vis ad movenda corpora A & B, quam quæ Particulas, d & c, a reliquis ſolutas in motum excitaret. Sed Corporum eadem vi motorum Velocita-



tes

tes ipſis Corporibus reciproce reſpondent. Unde quanto Corpus A magnitudine excedit Particulam d, tanto minus velociter movetur: motuſque hic adeo languidus eſt, ut a medio circumambiente aliiſque Corporibus ſæpenumero obſtruatur. Ideo fit ut Vis hæc Attractrix vix ſeſe exerat, niſi in minimis Particulis extra aliarum conſortium ſemotis.

9. Vis, qua particulæ Corporum inter ſe cohærent, ab Attractione oritur; & pro varia Contactuum quantitate multifariam mutatur.

His igitur, quæ demonſtrant Mathematici, ita præmiſſis, ad Chymiæ doctrinam explicandam accedimus. Cumque ea ſit Ars, quæ Corporum Naturalium partes vel ſegregatas conjungit, vel conjunctas ſegregat, idque plerumque ignis auxilio, Operationes Chymicæ commode dividi poſſunt bifariam: in Diacriſin ſive partium Diſſociationem, & Syncriſin ſive Compoſitionem. Quæ quamquam a pleriſque retinetur diviſio, nondum inter eos convenit, quænam Operationes ad alterutrum genus pertineant; dum quam hi in Diſſociationis claſſe collocant, illi contra ad Compoſitionem relegant. Nos novum quendam ordinem adhibere, eumque argumentis aſtruere conabimur. Prioris igitur generis præcipuæ ſunt, Calcinatio, Diſtillatio, Sublimatio: poſterioris, Fermentatio, Digeſtio, Extractio, Præcipitatio, & Cryſtallizatio. Quæ cum ſint Operationes maxime Generales, ad eas facile reducuntur quæ in Chymicorum libris numerantur cæteræ; ſaltem his rite intellectis & expoſitis, etiam innoteſcent cæterarum cauſæ.

At priuſquam ipſas Operationes attingamus, non inutile erit pauca de iis præfari, quæ ope Chymiæ ex corporum Reſolutione proveniunt; ideo nempe ut vocabula ſaltem, ſi non res ipſas, in quibus ita multi ſunt Chymici, intelligamus. Ignis igitur vi, Corpora reſolvi ſolent in partes tum Liquidas, tum Siccas. Liquidæ, ſi acres ſint nec inflammabiles, appellantur Spiritus; qui tamen nihil aliud ſunt, quam Sales in Phlegmate ſoluti: eædem ſi inſipidæ fuerint, Phlegmatis, ſeu Aquæ, nomen ſortiuntur. Ex Siccis quæ ſapidæ ſunt & in Aqua ſolubiles, Sales vocantur: quæ inſipidæ, nuncupantur bifariam; aut enim Volatiles ſunt, & Flores dicuntur; aut Fixæ, tumque Terra audiunt & Caput Mortuum. Oleum, ſive Sulphur, apud Chymicos non liquida tantum Olea denotat, ſed materiam quamvis quæ inflammari queat: quanquam eſt etiam apud eos Sulphur, quod flammam non concipiat.

Ita plerumque diſcriminari & definiri ſolent partes, quas ex corporibus elicit ignis Chymicus: quæ igitur apud univerſos fere hujuſce diſciplinæ ſectatores pro Principiis habentur. Hoc quam male iis conveniat nomen, non opus eſt ut fuſius exponam: quæ nec in omnibus corporibus reperiri, nec in ſe invicem mutari non poſſe, ipſi ſtatim videbitis. Etenim hæc omnia quæ, tanquam Elementa vulgo jactitantur, ſola efficit, igne admoto, texturæ diſcrepantia: uti idem ſanguis per diverſa organa transfuſus ſuccos conſtituit, qui nec odore, nec ſapore, nec etiam compage conſentiunt.

Arbitremini fortaſſe de Acido aliquid & Alkali dici oportere, quæ ita paſſim in ore hominum verſantur. Sed hæc, prout ſibi repugnare & contradicere feruntur, qua definitione complectar, non video: quid enim revera ſignificent, ita plane neſcire me profiteor, ut ne quidem quid ab iis ſignificari velint Chymici, ſatis ſciam. Si enim id Acidum eſſe velint, quod pungat, quod corrodat; id Alkali, quod non corrodat, pungat tamen; erit quod ipſi concedent eſſe Alkali, non negabunt interim eſſe corroſivum. Sive illud Acidum vocent, quod Syrupo Violarum admixtum, Rubrum colorem excitat; Alkali id, quod Viridem: erunt utriuſque generis multa, quæ neutrum; erunt quæ contrarium colorem elicient. Idem de Experimentis, quæ cum Solutione Vitrioli inſtituuntur, dici poteſt. Sive demum ex Fermentatione & inimicitia mutua innoteſcere contendunt utriuſque indolem, nihil hinc quicquam proficimus: quippe uteunque inter Acidum & Alkali ferveat mortale odium, aliquando tamen alterutrum ſuo etiam generi non minus iraſcitur. Acida enim cum Acidis, Alkalicaque cum Alkalicis bellum inteſtinum gerunt. Quodque, cum uno Corpore comparatum, Alkali audit; mox ſi ad alterum conferatur, Acidi titulo inſignitur. Ita fruſtra quærimus limites, quibus utralibet Species contineri debeat. Hinc quam recte ii faciant, non difficilis eſt conjectura, qui Theorias non Chymicas modo, ſed & Medicas ex Acidorum Alkaliumque doctrina confingunt, dum ne vocabulorum quidem vim intelligunt.

***

quorum ſuperficies non niſi in puncto ſe tangunt, ita ut partes impulſui cuivis facile cedant interque ſe invicem moveantur, ſive id natura ſive arte fiat, ibi locum habet Fluiditas: quæ quomodo vi ignis effici poſſit facile concipiendum eſt. Igneæ quippe corpuſcula dum in materiam liquandam ſe inſinuant, eam ita comminuunt & ſegregant, ut partium multo minor contactus fiat, & proinde imbecillior cohærentia: quæ ita porro dimoto contactu poteſt debilitari, ut partes ſuper ſe invicem labi ſive fluere non prohibeat. Ad eandem plane normam oſſa in Machina Papiniana in fluidam maſſam, juſculo ſimilem, rediguntur.

Corporum partes ita ab Igne dividi & a mutuo contactu ſegregari probat, quæ in Liquatione obſervatur, Rarefactio: niſi enim eæ igneas particulas intromitterent, ita ut a contactu mutuo longius abeſſent, non eſſet cur in ampliorem molem ſe diffunderent. Ita etiam Ferri lamina, dum igneſcit, non modo tumidior, ſed & longior reperitur. Idem etiam in Cupri Calcinatione obtinere intelligitis. Pari modo carnes aſſatæ nonnihil tument, præſertim ſi maneat Epidermis, uti in Porcellis. Quippe in his omnibus particulæ igne ſegregatæ latius ſpatium deſiderant.

Ex hac Cohærentiæ diſcrepantia oritur omnis illa in Corporibus Liquandis varietas: alia quippe, in quibus minor eſt partium contactus, igni citius parent, & nonnunquam ſolo Vapore tabeſcunt: alia, arctiore contactu gaudentia, ſegnius funduntur. Ita Vegetabilia ſatis prompte liqueſcunt; Mineralia tardius; Metalla omnium tardiſſime. Atque ex his etiam, in quibus partium contactus minor eſt, uti Stannum & Plumbum, facilius cedunt; contra compactiora, Aurum puta & Argentum, non niſi vehementiore igne domantur. Quod ſi vis Cohærentiæ Quantitati materiæ ſeu Ponderi corporum reſponderet, eliceretur facile ex Staticis varia Liquationis ratio: cognita ſcilicet Gravitate corporis Specifica, innoteſceret etiam ad liqueſcendum promptitudo. Sed quia eadem materiæ quantitas ita varie poteſt diſponi, ut in uno corpore longe major ſit partium contactus quam in alio, dum par interim ſit Gravitas, vel etiam minor, ex Gravitate non recte æſtimatur vis Cohærentiæ. Id quod etiam Experientia comprobat. Plumbum quippe, licet metallis omnibus, ſi Aurum excipias, ponderoſius, præ reliquis tamen in igne facilius fluit: in quo igitur neceſſe eſt, utcunque materiæ Quantitas ſit major, Cohærentiam, ſive partium contactum, eſſe minorem.

Poſt Fuſionem, ſi ab Igne amoveantur, motu, quem excitavit ignis, ceſſante, in Solidam rurſus compagem coeunt Corpora, particulis nempe a vi Attrahente propius ſibi invicem locatis, unaque concreſcentibus. Horum alia, quæ ex partibus Homogeneis & mutari neſciis conſtant, uti Cera, Gummata, Metalla puriora, priſtinam formam recuperant; cum enim in univerſo corpore eadem maneat partium textura, fieri nequit quin in eandem ſpeciem reviviſcat. Alia vero, quorum partes quoad denſitatem & ſuperficiem

longe

longe inter ſe diſcrepant, dum quædam vi caloris avehuntur, quædam etiam, vel quoad figuram, vel quoad locum, immutantur, aliam formam induunt: antiqua enim redire nequit facies, niſi ſimili prorſus ſitu quævis, uti prius, reponatur particula: quod quam pene infinitis modis impediri queat, facile experimur in Corporibus Heterogeneis; qualia ſunt Vegetabilia omnia, & Mineralia, atque etiam ex Metallis quæ habentur infima. Ita Herba quævis in Cineres, Vitriolum exſiccata omni humiditate in Chalcanthum abit; & Lutum fornacis calore in Tegulas & Lateres compingitur.

Adeo in Corporibus etiam Homogeneis, ea quæ poſt Liquationem obſervatur diſcrepantia, ex mutabili partium ſuperficie unice petenda eſt: ea quippe in quibus partium ſuperficies eadem ſibique conſtans permanet, formam haud amittunt: alia, mutata ſuperficie, diſſimili partium coagmentatione alioque vultu fruuntur.

Liquatione ad hunc modum expoſita, facile intelligi poteſt Calcinatio; quæ nihil aliud eſt, in quamplurimis ſaltem, niſi diuturnioris Liquationis effectus. Dum enim longius intenditur Liquatio, non modo avolant corpuſcula magis ſubtilia, ſed igneæ particulæ ea multitudine in corpus ſe inſinuant, eique quaquaverſum ſe immiſcent, intimiuſque agglutinant, ut non amplius perſiſtere queat illa, quæ primum ab igne inducta eſt, Fluiditas. Ex unione adeo hac tertium aliquod emergit corpus, quod cum poroſum admodum ſit & friabile, in pulverem facile redigitur. Igne quippe in poros corporis undique admiſſo, tum a mutuo contactu diſtractæ ſunt particulæ, tum etiam in minutiſſimas atomos diſcerptæ & partitæ: unde pulveris tenuiſſimi formam facile ſuſcipiunt. Ad hunc modum Hydrargyrum igni diutius expoſitum in Calcem convertitur.

Ita Corporum, quæ calcinantur, partes dividit & rarefacit Ignis, ut ſi iterum igni committantur, facilius multo quam antea cedant; uti in Calce Plumbi experimur: imminuitur quippe illa, quæ igni renitatur, cohærentiæ vis. Ita Cuprum, atque etiam Argentum, quod cum ex partibus minus avolantibus conflatum ſit, non niſi vehementiori igni obtemperat, ſi cum Sublimato calcinetur, vel Lychni admota flamma, liqueſcit. Ita idem Argentum in Luna Cornea, quæ fit ex Cryſtallis Argenteis cum Spiritu Salis calcinatis, ad ignem veluti cera funditur.

Hanc Corporum, dum in Igne calcinantur, Diſſociationem & Rareſcentiam ſatis luculenter probat illud, quod ex igne oritur, ponderis incrementum. Ita Stannum, cæteraque omnia Metalla, Calcinatione graviora fiunt: adeo ut uncia Plumbi flamma Spiritus Vini in Calcem redacta, ultra Scrupulum pondus augeat. Ex quibus quidem Experimentis conſtat, non modo corporis Calcinati partes igne comminui admodum & rareſcere, ſed ipſum etiam ponderis incrementum ex igne proficiſci. Crudi enim Plumbi gravitas, ſi ad Aquam conferatur, eſt ut 11 $\frac{1}{2}$ ad 1; calcinati autem, ut 9 ad 1. Ita ratio Cupri Calcinati eſt 5 $\frac{5}{11}$, quæ in crudo eſt 8 $\frac{1}{2}$.

Ceruſſæ

Ceruſſæ ratio ad ipſum Plumbum adhuc minor reperitur, ſcilicet ſubtripla. Reguli Antimonalis unciis quatuor, ſi per ſeſquihoram liquentur, pondus Drachmarum ij ſs accedet, utcunque copioſi interim evehantur vapores. Simile quiddam in diſtillando Saturni ſpiritu obſervat Lemerius. Ita Calcinatione augetur quidem gravitas Abſoluta, imminuitur interim Specifica: quod inde fit, quod particulæ corporis igne diviſæ & a contactu mutuo ſegregatæ in latiorem molem excreſcant. Ignis autem particulæ cum corpore Calcinato multo leviores ſint, dum ei undequaque commiſcentur perque poros diffunduntur, gravitatem Specificam imminuunt, Abſolutam augent.

Utcunque vero igne Calcinatorio dividuntur & diſtrahuntur Corporum particulæ, ita ut veterem formam exuant, Metalla tamen pleraque, & ex Mineralibus nonnulla, quæ partibus utplurimum Homogeneis gaudent, naturam cum forma non videntur deponere. Quippe Aurum, Argentum, Hydrargyrum, quacunque Calcinatione vexata, deſtrui nequeunt: ſed levi negotio in antiquam formam reviviſcunt. Ita ex Sale Jovis Stannum denuo elicitur. Etiam Plumbi, Metallorum fere impuriſſimi, Calx priſtinam ſpeciem facile recuperat. Itidem tum ex Calce tum ex Vitro Antimonii non modo Regulus educi poteſt, ſed ipſa etiam Antimonii ſubſtantia. Ita ut in hujuſmodi corporibus Calcinatio non niſi imperfecte peragatur: multæ quippe particulæ ita parum immutari & aboleri videntur, ut ſiquando eas ab aliarum conſortio ſejungimus, figuram propriam ſibique congenerem ſuſcipiant. Neque fortaſſe id tacendum eſt, in omni Calcinatione hoc plurimum valere, quod nempe particulæ iſtæ, quarum vis Attractrix fortiſſima eſt, quæque ad corporum cohærentiam maxime conducunt, durante fuſione avolent, & in vapores abeant: adeo ut ſi iſtiuſmodi particularum uberior copia evaporet, aliud tandem corpus emergat. Ita in Plumbi liquatione fumos ea denſitudine aſſurgere videmus, qui tandem nihil niſi Calcem relinquant, ipſi metallo multum abſimilem. Aurum & Argentum etiam peracta Calcinatione, uti vulgo inſtituitur, ſub antiqua ſpecie prodeunt, quia nullæ fere in vapores ſecedunt particulæ. Atque hæc quidem quæ igne fuſorio exhalant corpuſcula, ea eſſe videntur, quorum ſuperficies latiſſima, gravitas autem minima, reperitur. Itaque Hydrargyrus, cujus particulas contrario plane modo conſtitutas novimus, difficillime in Calcem faceſſit.

Sed huic Calcinationis explicationi nullum magis favet, quam quod ex ipſa Operatione deſumi poteſt argumentum. Ea enim ſæpius ut feliciter ſuccedat, vel ſpatula ſubinde agitamus corpus calcinandum, vel cum altero quodam commiſcemus. Utrumvis ſcilicet id efficit, ut particulæ minus inter ſe cohæreant, adeoque facilius igni pareant. Conſtat ex iis quæ ſupra de Cupro & Argento dicta ſunt, quanto promptius vi caloris liqueſcant, ſi iis Sublimatum immiſceris. Cujus quidem Phænomeni ratio ex natura Hydrargyri, quocum conficitur Sublimatum, erui poſſe videtur. Experimentis abunde conſtat, Hydrargyrum cum corporibus fere quibuſcunque prompte

coaleſcere; unde & ſatis evincitur vi fortiter attrahente donari. Hæ igitur particulæ Cupro vel Argento admiſtæ, cum Virtute Attractrice multum præpolleant, faciunt, ut utriuſlibet corpuſcula minus ſe invicem attrahant, adeoque Cohærentiæ vis, quæ antea Cupro aut Argento inerat, infringatur & langueſcat: quippe quanta ab Hydrargyro prodit Attractionis energia, tanta Metallicis particulis decedit. Unde cum adjecto Mercurio debilior fiat in Metallis Cohærentiæ vis, major erit ad liqueſcendum proclivitas. Hoc quod de Mercurio dictum eſt, etiam in Salibus obtinet. Idem quippe præſtat Sulphur, quod particulis ſalinis valideque attrahentibus ubertim ſcatet, in Veneris Calcinatione: idem etiam in Croco Martis: a ſulphureis quippe particulis non tantum ignis intenditur; ſed ipſa ferri compages eo quo diximus modo reſeratur, inque guttulas deliqueſcit. Quam Ferri Calcinationem Chymici peculiari fere nomine Granulationem appellant. Hoc quippe ſingulare habent duo iſta Metalla, ut non niſi admixto Sulphure, aut ſimili quopiam, colliquentur. Par eſt ratio, cur cum Ferro calcinetur Sal Armoniacus, ut eliciatur Tinctura Mynſichti. Ita Vitrum Antimonii & Crocus Metallorum, ſi Salem vel communem vel marinum adjeceris, breviore multo tempore calcinatur. Eodem modo Aurum & Argentum in Calces nequeunt redigi, niſi aut Spiritibus Salinis aut Mercurio aperiatur textura metallica. Hinc Borace aliiſque ſalibus ad Fuſiones utuntur Metallurgi.

Uſus denique Calcinationis iis, quæ dicta ſunt, accurate reſpondet. Calcinationi enim corpora prius committimus, ut aliis Operationibus fiant magis idonea. Ita Vitriolum calcinamus, ut melius inde diſtillari queat Oleum & Spiritus. Ita Tartarum & Ferrum fundimus, ut Digeſtione Tincturas extrahamus. Id quippe Calcinatione efficimus, ut particulæ corporum laxius multo inter ſe cohæreant, adeoque promptius in quemcunque demum uſum evocentur.

Ad Calcinationem pertinet Vitrificatio. Ea de corporibus dicitur, quæ, peracta Calcinatione, Vitri inſtar pellucent: ad quam igitur vehementior ignis & diuturnior adhibetur. Ita ad Vitrum Antimonii conficiendum prævia Calcinatione opus eſt. Inde textura Homogenea: quæ non minus in corporibus pellucentibus requiritur, quam pororum rectilinea poſitio. Igne quippe admoto, abſcedunt & diſſipantur corpuſcula Heterogenea magiſque Volatilia, quibus Radii lucis ob infinitam pene Refractionum multitudinem langueſcunt: ea interim quæ ejuſdem indolis ſunt, denſa ſcilicet atque fixa, derelicta in unum concreſcunt. Adeo cum ſimilis undequaque obverſetur partium conformatio, materia iſta calcinata radios lucis æqualiter attrahit & tranſmittit. Ita Fuſione diutina, quæ particulas leviores fæculentioreſque abigit, Vitrum commune * conficitur. Hæc

* Soda, quæ & Kali dicitur, ſola incineratione in materiam Vitream copioſe abit; quippe ea planta ſale acri & vivido plurimum abundat: ita ut ex Soda Hiſpanica, ea præſertim quæ ad Sinum Illicitanum creſcit, uberem ſucci acerrimi & fere Cauſtici copiam etiam ſine igne ſæpius extraxerim.

de

de Vitrificationis modo obſervatio, uti Ratiocinia noſtra comprobat, ita etiam & Staticis evincitur. Si enim Gravitatem ſpectes, Vitrum commune mixturæ, ex qua educitur, multum * præponderat. Pariter Antimoniale Vitrum ipſo Antimonio ponderoſius eſſe declarant, quæ de Gravitate Specifica fiunt Experimenta : particulis nimirum, quæ leviores ſunt, inter calcinandum avolantibus. * Tab. 2.

Sub Calcinatione demum apud Chymicos poni ſolet Decrepitatio, & Detonatio : altera fere Salis communis, altera Nitri cum Mineralibus Sulphureis admiſti propria. Sed fruſtra vocabulorum numerum augent, cum nulla ſit in Operationis norma diverſitas : utcunque enim inter operandum crepet Sal, detonet Nitrum (ob aeris incluſi rareſcentiam atque impetum) utrumque tamen ad eundem modum calcinatur. Eſt & alia quæ per Menſtrua fit Calcinatio : quæ, cum rectius dicatur Corroſio, ad ſuum locum remittetur.

PRÆLECTIO III.

De Diſtillatione.

Diſtillatio, ſive ut alii, nec fortaſſe perperam, loquuntur, Sublimatio humida, eſt aſcenſus & elevatio particularum, guttularum more deorſum rurſus ſtillantium.

Iſte fluidi aſcenſus duobus potiſſimum modis efficitur ; primo Specificæ Levitatis ratione, ſecundo Impulſus.

Primus elevationis modus patet ex Lemmate, videlicet, Particulas corporum quæ in Fluido quocunque innatant, ſi ſpecifice leviores ſint, a Fluido ſurſum evehi debere. Cum igitur per Aerem evehantur Liquores Diſtillati, quærendum eſt, quomodo fieri poſſint Aere ſpecifice leviores. Fiet itaque Fluidum altero Specifice levius, cum ſub majori mole æqualem vel minorem habeat Gravitatem. Ita ea ratione augeri debet fluidi diſtillandi moles : quam facile augeri, ſeu, quod idem eſt, rareſcere poſſe agnoſcet, igne adhibito, qui in Re Phyſica vel mediocriter verſatus eſt ; nec eum latere poteſt quantum aereæ, aut ſubtilioris forſan materiæ in fluidis fere omnibus incluſum ſit, quantaque ſit ad eam rarefaciendam caloris vis, qui vel Thermometrum, vel Cucurbitam Veſicatoriam, vel Aquam bullientem unquam viderit. Saltem hoc ſatis edocebunt ingentes iſti, qui a Diſtillatione Vitrioli excitantur, in Receptaculo vapores. Nimirum Rarefactio nihil aliud eſt, quam eadem materiæ quantitas in ſpatium majus diffuſa ; ita ut idem maneat pondus, augeſcat interim molis amplitudo : unde etiam increſcit pororum quantitas, materia vel prorſus omni, vel graviore ſaltem vacantium. Cujus rei exemplum luculentiſſimum in ipſo aere patet ; quem Experimentis Pneumaticis ad gradum pene infinitum rareſcere ſolere novimus.

novimus. His igitur ita expoſitis, id unice agendum reſtat, ut, quænam Rareſactionis proportio Specificam hanc Levitatem pariat, inveſtigemus. Quod ut clarius concipi queat, a ſimplicioribus ordiamur, & ab Aqua imprimis exemplum capiamus. Notum eſt adhibito computo, rationem que eſt inter Aquæ & Aeris gravitatem ſpecificam, eſſe paulo pluſquam octingenarium. Cum igitur Sphærulæ, ſive Solida Similia, ſint ut Diametrorum Cubi, eademque pariter ratione reciproce decreſcat Gravitas Specifica qua augeſcunt Diametrorum Cubi: ſufficiet, ut particula Aquæ levior ſit Aeris particula, ſi eo uſque rareſcat, ut decies tantum, quod perexiguum eſt, augeatur ipſius Diameter. Diametri enim, quam particula ita rareſacta obtinet, Cubus eſt 1000. Si undecies augeſcat Diameter, Cubus erit 1331; ſi duodecies, 1728. Ita Aqua ad duodecimum gradum rareſacta, Aere, pluſquam duplo, levior evadet. Quod ſi ulterius intendatur Rareſactio, facile eſt ex numerorum progreſſu colligere, quam pene infinite reddi poſſit Aqua Aere levior. Itaque ut hæc inſtituto noſtro propius accommodemus, patet corporum pariter Fluidorum, ſi æque gravia ſint, elevationem Rareſcentiæ aptitudini reſpondere, hoc eſt, eo promptius vi adhibita elevari, quo facilius rareſcant: ſin ad rareſcendum æque ſint proclivia, a Gravitate Specifica determinari. Ita ut in iis, quæ hoc modo diſtillantur, corporibus tempus elevationis æſtimetur ex ratione Rareſcentiæ Specificæque Gravitatis compoſita. Quod non Theoriæ modo, ſed & Experientiæ, ſine qua altera nihil valet, accurate congruit. Eodem quippe caloris gradu adhibito, Spiritus Vini, Spiritus Salis Armoniaci cum Calce viva paratus, Aquæ Stillatitiæ, quorum omnium gravitas minor eſt, faciliorque rareſcentia, quam Aquæ communis, per Retortam citius elevantur: contra, Spiritus Acidi, quales ſunt Salis, Nitri, & Vitrioli, quanquam promptius exſtillare incipiant, ſegnius quam ipſa Aqua in Excipulum feruntur: licet enim Aquæ minor ſit Rareſcentia, tamen non ea eſt, quæ iſtorum Gravitati reciproce reſpondeat. Pari modo particulæ Vegetabilium & Animalium, quarum textura rarior eſt, & proinde moles levior, facilius ſurſum aguntur, quam quæ ex Mineralibus aut Metallis prodeunt. Id porro in hoc loco obſervari poteſt, corpus quod diſtillatur, ſemper tenuius & magis ſubtile eſſe, quam crudum ex quo Diſtillatum emanavit. Ita Aqua Roſacea eſt ſucco Roſarum tenuius & minus ponderoſum; ita Spiritus Rectificati, eos, qui ſemel tantum ignem paſſi ſunt, levitate excedunt.* * Tab. 3.

Aliter ſe res habet, quando inter diſtillandum Abſtractione utimur: verbi gratia, Acetum Diſtillatum Crudo præponderat: in hoc quippe caſu relinquitur liquor particulis Salinis ſaturatus, Phlegmate fere omni, cujus minor eſt gravitas, avocato. Idem in Dephlegmatione, uti vocatur, Acidorum Spirituum perpetuo obſervamus.

II. Non modo Specifica Levitas corpora diſtillanda evehit, ſed etiam ſurſum agit externa Impulſio. Impulſio illa, quæ hujus loci eſt, ab igne oritur. Cujus particulæ, etſi tenuiſſimæ atque leviſſimæ

mæ ſint, tamen ex Mechanicis facile conſtabit, ab iis certâ quadam vi agentibus poſſe ſurſum impelli corpora gravitate multum excedentia. Cum enim Momentum corporis, ſeu vis ea qua in alterum impellitur, ex ratione materiæ Quantitas Celeritatiſque compoſita oriatur, poteſt ita intendi Celeritas, ut validum ſatis momentum corpori impertiat, utcunque exigua in eo ſit materiæ Quantitas. Supponatur itaque corpus aliquod grave nullo alio momento, niſi quod ex ipſa gravitate obtinet, deſcendere; poteſt interim Aer, qui eſt multo levior, ea celeritate ferri, ut id non ſuſtineat modo, ſed attollat: quoque rapidior fuerit Aeris impetus, aut quo magis in latum explicata ſit corporis moles, eo altior celeriorque fiet elevatio. Ita laminas plumbi integras vento abripi, perque Aerem ſubvectari ſæpe cernimus. Pariter in igne, corpore utcunque exiguo, poteſt eſſe ea motus rapiditas, quæ ad obſtacula dimovenda quantamcunque volueris impertiatur vim. Quod tum alias quotidie, tum maxime in Pulvere Pyrio experimur. Cum igitur eo quo diximus modo increbuerit Ignis momentum, ut corpus diſtillandi vim ſuperet, id de ſede priſtina dimovebit: ſeu, quod in hoc loco idem eſt, quia in ſublime motum exerit, ſurſum abripiet. Ita particulæ Aere, qui in vaſe continetur, ſpecifice graviores, quales eſſe novimus Spirituum Acidorum, violentiore ignis impulſu, quo in Diſtillatione utimur, aſſurgunt. Id etiam huc ſpectat, quod eadem materiæ quantitas eo facilius elevetur, quo latiorem habuerit Superficiem: hæc enim largius diffuſa, plures in ſe recipit ignis particulas, adeoque unito hoc impetu adacta, promptius ſurſum evehitur. Ita ut idem ignis gradus corpora æque gravia non æque attollat, modo ea, de qua diximus, ſit in Superficie diverſitas. Atque in hoc quidem Impulſus negotio, partem haud exiguam Aer ſibi vendicat; qui non modo igne rarefactus ſurſum adigitur, ſed alia etiam corpuſcula ſecum in ſublime rapit. Quem vero impetum corpora ita rarefacta exerceant, familiare hoc experimentum ſatis oſtendit. Aqua cocta non niſi ad certum caloris gradum perduci poteſt; cumque ſemel efferbuerit, nunquam intenſius incaleſcit: eadem tamen Machinæ Papinianæ incluſa ultra modum excandeſcit. Immo ſi frigidæ Metallum aliquod excalefactum injeceris, ea illico in exploſionem, qualem in Pulvere Pyrio cernimus, cietur. Sed Aeris rarefacti vim nihil luculentius illuſtrat, quam Machina illa, qua carbones ex puteis ſubvehendos docet D. Savery. Siquis hæc bene perpenderit, quid nempe efficiat Specifica Levitas, vis Impellens, & Superficiei menſura: quotque modis, & qua ratione ea omnia mutari poſſint, omnem hujuſce Diſtillatoriæ Operationis varietatem facile eliciet.

Advertendum eſt in iis omnibus, quibus Levitatem Specificam ſive Rareſcentiam conciliat Diſtillatio, Impulſum etiam locum habere; ignis enim utrumque ſimul efficit: ita ut minor Rareſcentiæ ratio ad elevanda corpora ſufficiat, quam quæ ſupra a nobis poſita eſt. In iis autem quæ Impulſu evehuntur, non neceſſe eſt ut ibi ſe co-

mitem adjungat, (nonnunquam enim abeſt) Rareſcentia. Alia etiam eſt inter Rareſcentiam & Impulſum diſcrepantia, quæque huic Diſtillationis explicationi maxime favet, quod nempe iis, quæ Rareſcentiæ ope evehuntur, lenior ignis ſufficiat: ad ea, quæ Impulſu ſolo excitantur, etiam vehemens deſideratur.

Quod ad operandi diverſitatem attinet, duplici fere modo fieri ſolet Diſtillatio. Eſt enim vel Recta, vel Obliqua: hæc per Retortam, illa per Alembicum inſtituitur. Utriuſque eadem prorſus eſt ratio; niſi quod hoc ſibi peculiare habeat Recta, quod quicquid per eam diſtilletur, ad Pluviæ ſimilitudinem effingatur. Uti enim Vapores Aquei, ſolis calore, terra marique evocati, eoque ita rarefacti, ut Aere ſpecifice leviores fiant, altum petunt & in nebulas coeunt; deinde Aerem prægravantes pondere ſuo deorſum feruntur, & guttatim Pluviæ forma diſtillant: ita idem præſtat Alembicus. Particulæ fluidæ ex corpore diſtillando, vi ignis, utri ſupra dictum eſt, expreſſæ, perque Aerem, tum Rareſcentiæ tum Impulſus ratione, ſubvectæ, ad Alembici culmen ſub vaporum ſpecie deferuntur: donec mox tum ab ipſius parietibus repercuſſæ, tum frigore externo denſatæ, ita inter ſe coeunt, ut præ Gravitate Specifica per interius Alembici latus in declive cadant: unde in Roſtrum quaſi lacuna quadam derivantur. Eadem obtinet in Oleo Sulphuris, quod per Campanam fit, explicatio. In Oleis, & nonnunquam in Spiritibus diſtillandis, Alembici roſtro apponitur canalis longus, per multos anfractus flexuſque, ſerpentium inſtar, circumductus; qui dum vas Aqua frigida plenum pertranſit, facit, ut Vapores non evaneſcant, & in guttas citius denſentur.

Eſt & alia apud Authores, per Deſcenſum, Diſtillatio; quando particulis corporum vi ignis in ſuperiore vaſe disjunctis, quod fluidius eſt in alterum inferius ſtillat: uti in Pice elicienda & Aqua Roſacea, vel mulierculis notum eſt. Sed quia fere ex Chymicorum officinis exulavit, eam ad alium locum remittamus.

Quod modo Recta, modo Obliqua Diſtillatio ſit commodior, ratio ex compage naturaque corporis diſtillandi petenda eſt. Recta ſcilicet adhibetur, quando ea ſit corporis textura, quæ id in ſublime facile ferri patiatur; qualem in Vegetabilibus obſervamus. Alia vero particulis gravioribus prædita igni ſegnius parent, & ad altitudinem Alembici evehi nequeunt; cujuſmodi fere ſunt Mineralia omnia & Metalla; itaque non niſi Obliquæ Diſtillationi cedunt. Recta nimirum, utpote lenior, in iis, quæ promptius rareſcunt, fere unice locum habet; Obliqua iis, quæ non niſi impulſu evehuntur, plerumque deſtinatur: quæ igitur ſola eſt, quæ in Reverberio fit, Diſtillatio.

In Diſtillatione, aliter atque utplurimum in Calcinatione, id licet obſervare, quod materia diſtillata, quanquam ex Corporibus Solidis, verbi gratia, Vitriolo, Cornu Cervi, Oſſibus evocata, non in priſtinam redit compagem, ſed in fluore perſiſtit. Quiſquis ad ea, quæ in Calcinatione diximus de Cohærentiæ Fluoriſque ratione, attenderit,

derit, hoc etiam quam ad cauſam referri poſſit, facile perſpiciet. In Diſtillatione ſcilicet partes tenuiores non modo ſegregantur a craſſis, ſed abſtrahuntur penitus, & per ſe extra aliorum conſortium collocantur: ita ut cum Liquor iſte Diſtillatus nihil aliud ſit niſi partium fluidarum congeries, fluorem ſemper retineat neceſſe ſit.

Id etiam credo advertitis, vario modo elevari Phlegma; in quibuſdam nempe ante Spiritum, in aliis rurſus poſt eundem aſſurgere. Alterum in Acidis Spiritibus diſtillandis, Vitrioli, Salis, & Nitri; alterum in Ardentibus & Urinoſis, Vini puta & Salis Armoniaci, obſervaſtis. Cujus rei ratio, licet ex antedictis facile elicienda, tamen hic non incommode forſan explicabitur. Id adeo ex liquorum Gravitate Specifica fluit; ſi enim experimentum inſtituatur, Phlegma Acidis iſtis Spiritibus reperietur ſpecifice levius, idem Urinoſos & Ardentes gravitate * excedet. Cum igitur corporum levitas id effi- * Tab. 5.
ciat, ut citius ſurſum ferantur, ſatis patet quare iſta obtineat in Phlegmate elevando varietas. Nec ſententiæ huic quicquam refragatur, quod in Animalium, uti Cornu Cervini, Viperarum, Cranii Humani Diſtillatione, Phlegma ante Spiritum prodire ſoleat, cum tamen Spiritus Phlegmatis levitatem exuſperet. Quippe notandum eſt, Animalium Sales & Spiritus, eos præſertim qui in Oſſibus & Cornibus continentur, cellis quibuſdam concludi & coerceri: ita ut hæc repagula prius diffringi neceſſe ſit, quam ii ſurſum evolare queant. Phlegma vero cum ubique etiam in ſuperficie deliteat, vi ignis promptius elicitur, & in ſublime, utcunque Spiritu gravius, effertur. Atque hoc verum eſſe, luculenter arguit Spirituum horum altera diſtillatio, quæ Rectificatio appellatur: in ea enim ante Phlegma proſiliunt † Spiritus; iis nimirum carceribus expediti, quibus antea con- † Tab. 1.
ſtricti ſe in libertatem vendicare non poterant.

In Oleis id ſatis ſingulare eſt, quod licet Aqua tum multo leviora ſint, tum bulliant etiam, & rareſcant citius, (contra ac tradunt plerique) per Retortam tamen ſegnius evehantur. ‡ Sed hoc ex varia ‡ Tab. 1.
utriuſque textura oritur: Aquæ quippe globuli parcius inter ſe cohærent, adeoque in divortium facilius abeunt; Olei vero ea eſt tenacitas ſive ea partium mutua coagmentatio, ut non niſi validiore impetu ſegregari atque evehi poſſit. Igitur Liquores Oleoſi, quo magis Oleo orbati ſunt, eo facilius aſſurgunt: quod in Spiritu Vini & Terebinthinæ experimur.

Diſtillationis uſus per ſe ſatis innoteſcit: nempe ut a partibus compactioribus ſecernantur Liquidæ: ſive Olei, ſive Phlegmatis, ſive Spiritus demum forma prodeant. Quod ad apparatum attinet, ſeu quare corpori diſtillando aliquando alterum immiſcemus, de hoc commodior erit differendi locus, cum Sublimationis tractaturi ſumus doctrinam. Interim de iis, quæ jam dicta ſunt, ex hac Rare-
factionis Tabella melius forte judicabitis ‖. ‖ Tab. 1.

PRÆLECTIO IV.

De Sublimatione.

SUblimatio a Diſtillatione parum diſcrepat, niſi quod in hac Fluida tantum, in illa Solida & Sicca eleventur: Hæc etiam tam Fluida quam Solida: illa Solida tantum pro objecto agnoſcat.

Id etiam intereſt diſcriminis, quod Rareſcentia, quam in Diſtillatione plurimum valere oſtendimus, in Sublimatione vix locum habeat: ea quippe quæ ſublimari cernimus, cum ſolida ſint, ita parum ad rareſcendum ſunt idonea, ut ſolo Impulſu evehi poſſe videantur. Cum igitur Impulſus unica ſit, quam hic agnoſcimus, elevationis cauſa, hujuſce quoque Operationis ratio ex iis, quæ de Impulſu ſupra diximus, eluceſcit.

At fortaſſe non abs re erit, ſi paulo accuratius inquiramus, quare tanta occurrat in corporum elevatione diverſitas: quare alia leniſſimo fere igne in altum emicant, alia ne fortiſſimo quidem excitantur. Eoque opportunior erit hæc diſquiſitio, quod locus hic omnem de Volatilitate & Fixitate doctrinam continebit; de qua multa traduntur a ſcriptoribus Chymicis, non ita multa innoteſcunt.

Fixa igitur ſunt, quæ in igne durant; Volatilia, quæ ignem ferre neſcia, vi caloris ſurſum evehuntur. De his primo dicemus, modumque explicabimus, quo in Volatilibus, quæ ejuſdem eſſe videntur naturæ, tam varia tamque diſſimilis contingat elevatio.

Quod igitur particulæ corporum evolare atque evehi poſſint; id igni, non modo Impulſus ergo, ſed alia de cauſa tribuimus: qui ſe in corporum interiora inſinuans, partium cohærentiam tollit, ita ut in minuta admodum, ſi non in ultima quæ arte fieri poſſit, exoriatur diviſio. Ita particulæ ad hunc modum ſejunctæ & diviſæ, de gravitate, uti dictum eſt, plurimum amittunt: ejuſdem quippe particulæ Gravitas eadem ratione decreſcit, qua imminuitur Diametri cubus. Supponatur igitur, corporis, cujus Diameter ſit 12, Gravitatem eſſe etiam 12. Si Diameter fiat uno minor, ſcilicet 11, Gravitas corporis erit tantum $9\frac{1}{4}$ proxime. Quam enim rationem habet 1728, qui eſt cubus Diametri prioris, ad 12 Gravitatem corporis; eandem habet 1331, qui eſt cubus Diamerri alterius, ad $9\frac{1}{4}$ proxime. Quod ſi Diameter ad 10 redigatur, Gravitas non ultra 6 proxime aſſurget: ſi dimidio decreſcat Diameter, ſcilicet ad 6, Gravitas infra binarium ſubſiſtet. Ita ut cum in ſubtilioribus corpuſculis minuatur quantum fieri poteſt Diameter, Gravitas fere relinquatur nulla. Itaque hoc quo diximus modo diſcerptæ igne adhibito particulæ in ſublime facile feruntur.

Neque tantum ex hac partium imminutione oritur Gravitatis decrementum; ſed aliud etiam ſequitur, quod ad elevationem expe-

diendam

diendam, plurimum valet. Id adeo ex varia Superficie petendum eſt. Hæc enim, ſecus ac Gravitas, ea tantum ratione decreſcit, qua imminuitur Diametri Quadratum. Ita, ut ea quæ ſuperius dicta ſunt reſpiciamus, ubi Gravitas ea ſerie decreſcat, quam exprimunt numeri 1728, 1331, 1000, Superficiei imminutio hac ratione conficitur, 144, 121, 100. Cumque Diametro reducta ad 6, Gravitas infra binarium ſubſtiterit, Superficies interim ad 36 aſſurget. Ita ut fere abolita omni Gravitate, ſatis lata adhuc relinquatur particulæ elevandæ Superficies. Argumentum hoc, a Superficiei magnitudine deſumptum, quod ratiociniis & computo adumbravimus, quaſi ad ſenſum demonſtrabit ſequens experimentum. Quippe ſi Aquæ, ſuper Limaturam Ferri affuſæ, inſtillentur guttulæ aliquot Olei Vitrioli, ſuborta Fermentatione, Aeris globuli dum ſe extricare nituntur, nonnullas Ferri particulas ad Aquæ ſummum abripient. Quod non alia de cauſa fieri poſſe videtur, quam quod ad Superficei amplitudinem perpuſilla ſit in Limatura Gravitatis ratio; quamobrem Ferrum a corpore ſpecifice multo leviore evehi non recuſat. Sed quantum hoc ad promptiorem aſcenſum faciat, tum abunde alias dictum eſt, tum ſatis eluceſcit ex Camphora, Benzoe, & Arſenico, quorum particulæ cum laxius cohæreant, adeoque in ampliorem Superficiem ſint diffuſæ, ea de cauſa præ cæteris fere omnibus facilius evehuntur. Etiam ſuperficiei ratione, ſolida iſta corpuſcula quibuſdam fluidis citius ſurſum evolant. Ita Flos Sulphuris promptius Oleo, non Vitrioli dico, ſed quocunque fere leviſſimo aſcendit. Hoc naturæ quaſi artificio, quod nempe decreſcat Gravitas in Triplicata, Superficies vero in Duplicata ratione imminutæ Diametri, efficitur, ut corpora quoad Gravitatem multum diſcrepantia una eademque vi poſſint attolli. Ita Animalium Sales, uti Cornu Cervini, Sanguinis humani, Viperarum, &c. ex minutiſſimis omnium corpuſculis conflati, uti diſtillando experimur, facile aſſurgunt, quia minor ſit in iis Superficiei, quam Gravitatis imminutæ ratio: aſſurgunt & Vegetabilium Sales, uti Tartari, Balſami, &c. quæ craſſiore multo ſunt compage, adeoque ob Superficiei amplitudinem ſatis commode elevandi. Etiam Mineralium & Metallorum corpuſcula, utcunque gravia & compacta, igni aliqua ex parte cedunt, & in ſublime truduntur. Nimirum in his omnibus efficit diffuſa Superficies, quæ ignis impetum uberius recipit, ut æque procliviter evehi poſſint, ac ſi imminuta ipſorum Superficie decreſceret Gravitas. Ita ut particulæ, utcunque pondere diſcrepantes, æque in altum evolent, modo ratio Gravitatum ad Superficies fuerit reciproca. Ex his, quæ ſatis fuſe expoſuimus, omnis illa Volatilitatis varietas facile elicitur. De Fixitate non opus eſt ut pluribus dicam, cum ea prorſus ex contrariis cauſis oriatur: Et qui probe perſpexerit quare quædam in ſublime poſſint evehi, una concipiat neceſſe eſt, quare alia nequeant attolli.

Non interim huic loco alienum erit pauca obiter de Mercurio annotare: qui, licet in eo particularum moles tenuiſſima ſit, tamen,

quia perexigua ſit ſuperficies, & pondus non mediocre, igne adhibito, per ſe ægre admodum elevatur; quanquam a pleriſque inter corpora maxime volatilia perperam numeretur. Idem tantillo Plumbi admixto paulo promptius evehitur: quippe hoc artificio ita immutatur textura, ut eadem ratione qua imminuitur Gravitas, increſcat etiam Superficies. Ad eandem normam Cinnabaris illa, quæ ex Antimonio & Mercurio conficitur, facilius in ſublime impellitur. Ita Mercurius Dulcis, in quo Sales Acidi pro rata fere parte adhibentur, citius adhuc aſſurgit: porro Sublimatum Corroſivum, ubi Sales Mercurium triplo excedunt, ocyſſime omnium in altum tollitur. Atque hinc pendet omne illud Chymicorum myſterium, quo vel Volatilia figunt, vel Fixa in Volatilia convertunt. Primum nempe ut efficiant, corpori quod Volatile eſt, aliud Fixum igniſque patiens adjiciunt, uti Salibus Urinoſis Acidos: hinc nempe in nova corpuſcula cum Acidis coeunt Urinoſi, ita ut intendatur plurimum eorum gravitas & cohærentia, adeoque igni minus obſequantur. Eodem modo Spiritus Acidi Volatiles Salibus Fixis admiſti deprimuntur. Etiam ea corpora, quæ ſeorſim per ſe ſola ſatis alacriter emicant, poſſunt ita inter ſe componi & coaleſcere, ut cohærentiæ ratione ignis vim eludant: uti ex Bezoartico & Turpetho Minerali ſatis innoteſcit. Contra, ut Fixa elevent, aliquod Volatile admiſcent, uti Chalybi & Cupro Salem Armoniacum: Cujus interventu fit, ut in mixto minor evadat gravitas, ſitque proinde aſcenſus facilior. Ad hunc modum Salem Vitrioli Volatilem, ope admixti Boracis, eliciendum docet * D. Homberg. Etenim haud aliter a Fixis diſcrepare videntur Volatilia, quam quod hæc ex particulis longe minutioribus conflentur.

* Hiſt. Acad. Franc. 1702.

Volatilitas Fixitaſque Sales præ aliis magis reſpicit. Quanquam haud ſcio an qui pro Fixis habentur Sales, ii ſint, qui vel violentiore igne vel temporis ſaltem tractu evolare nequeant. Ita ſi in Phiala diutius ſervetur Sal Tartari calcinatus, quo nullus fere habetur magis Fixus, epiſtomium Cryſtallis operit & quaſi incruſtat. Eundem ſalem ſingulari apparatu per Retortam elevat Boyleus. Quare Volatilitatem Fixitatemque non tam pro rebus abſolutis, quam relativis recte habet idem in re Chymica Author diligentiſſimus.

Atque hæc omnia ita ſe habere clarius forte perſpici poteſt, ſi ea quæ in Diſtillatione peracta ſunt, ſub examen pauliſper revocemus. Ad Spiritum Nitri eliciendum, Salipetræ adjicimus Boli alicujus triplum aut amplius: qua quidem admixtione, Nitri non modo Liquatio prohibetur, ſed ita dirimitur Cohærentia, ut igni facilius obſequatur. Eodem modo prolicitur Spiritus atque Oleum Succini. Sal communis, qui ſi ad iſtam Nitri normam tractetur, non niſi Reverberii igne in Spiritum abit, cum Oleo Vitrioli & Aqua ſubactus & comminutus, etiam Arenæ Calore in guttas extillatur. Ita Salis Armoniaci particulæ adeo ſolutæ & disjunctæ ſunt, ſi Aquam affuderis, ut citius evocentur Spiritus. Pari ratione cum Spiritum Salis aut Nitri Dulcem educimus, Spiritu Vini admixto Liquor Salinus

tum

tum levior fit & ad rareſcendum promptior, tum ipſi Sales in minutias magis conciſi, ita ut expeditior ſequatur elevatio.

Ita tandem aliqua ex parte explicatæ ſunt, quæ ad Diſſociationis claſſem referuntur, Operationes Chymicæ. De quibus omnibus id in genere annotari poteſt; licet inter operandum corpora potius componere velle videamur quam disjungere, uti cum apponimus & immiſcemus quippiam, tamen Operationis finem eum eſſe, ut partes aliquæ a veteri conſortio ſegregentur & diſcedant. Ita ut cum de Operationum ratione fiat judicium, non quid in ipſo apparatu molimur, ſed quid inde aſſequimur, ſpectandum ſit.

PRÆLECTIO V.

De Fermentatione.

FErmentatio, quam hic explicare ſuſcipimus, eſt motus ille partium inteſtinus, qui, cum Solida in Liquoribus ſive Menſtruis colliqueſcunt, ſuboritur. Motus iſte aliquando ita lenis eſt, ut ſenſum omnium effugiat; contra, aliquando ita concitatus, ut ſenſibus etiam pateſcat. Illam Fermentationis ſpeciem, Diſſolutionem; hanc, Ebullitionem & Efferveſcentiam, nuncupabimus.

Ut hujuſce Operationis rationem aliquam aſſequamur, de Salium Diſſolutione, quæ omnium ſimpliciſſima eſt, diſſeremus: quam ſi adumbrare poſſimus, ex ſimilitudine quædam vobis imago ſeſe objiciet, quonam modo cæterarum Solutionum genera deſcribi debeant. Quod ut melius explicemus, quærendum eſt, qua de cauſa motus oriatur, & deinde quare iſto motu ſolvantur Sales. Motus itaque hic optime oriri poſſe videtur ex vi Attractrice: quæ in Phyſica ſcientia ita late patet, ut nihil ſit in univerſa rerum natura, quod non huic legi ſubjiciatur & obtemperet. Id adeo de Salibus intelligendum, quod eorum corpuſcula, quæ ſunt maxime ſimplicia (utcunque tandem in moleculas pororum plenas coeant) etiam admodum minuta eſſe videntur, & pro ratione molis perquam ſolida: ideo vim Attractricem fortiſſime exerunt, quæ, cæteris paribus, quantitati materiæ reſpondet. Hinc a corpuſculis Salinis Aqueæ particulæ validius, quam a ſe invicem trahuntur. Hæ itaque cum laxius inter ſe cohæreant, & ad motum ſatis proclives ſint, in Salium viciniam propius ire contendunt, & quaſi in amplexus ruunt: ſcilicet pro ſuo quæque genio, in motum cientur. Quæ enim propius abſunt, velocius; quæ longius, advehuntur ſegnius. Attractionem quippe hanc ſub ipſo Contactus limine validiſſimam eſſe demonſtrant Mathematici. Itaque ſi in medium patinæ Aqua repletæ conjiciatur aliqua Salis Portio, Aqueæ Particulæ in medio Vaſis ſitæ linguam ſatis acriter feriunt; quæ vero ad marginem locatæ ſunt, fere inſipidæ perſiſtunt.

perſiſtunt. Motu adeo hujuſmodi coorto, Aqueæ particulæ cum impetu quodam in Sales feruntur: Quarum quidem momentum ex Ponderis Celeritatiſque ratione, uti docet Mechanice, æſtimandum eſt. Vi porro hac impulſæ, aditum ſibi in Salium meatus, qui plurimi ſunt, aperiunt, eoſque tandem ita comminuunt & diffringunt, ut tollatur omnis partium cohærentia: quare idonea intercapedine ſegregatæ & divulſæ, per Aquam ſparſim fluctuant & diſſipantur. Ad hanc normam vi adhibita Attractrice, comperta eſt fieri Salium Solutio. Quam rem non modo ratiocinando aſſequimur, ſed oculorum teſtimonio probamus: Saccharo quippe in Aquam immiſſo, ſubvehi illico Aqueas particulas, & gradatim fruſtula etiam nondum demerſa impetere conſpicimus. Pariter ex Oleis per Deliquium elicitis demonſtratur Attractionis vis; qua continuo illa humorem aereum abſorbent ſibique aſſociant. Et profecto in hoc præcipue fundari videtur illius proceſſus ratio, quo nonnulli Oleum Sulphuris conficiunt. In patinæ enim fundo, qua deflagraturum eſt Sulphur, Cryſtalli calcem locant: quod non alia de cauſa fit, niſi ut, calce Phlegma omne ad ſe allectante & fugente, potentius, ſive ut Spagyrici loqui amant, magis Concentratum evadat Oleum.

Hæc tamen Salium Solutio non ſine varietate aliqua peragitur; quippe in quibuſdam, uti Nitro, Sale Armoniaco, &c. citius abſolvitur; in aliis, uti in Sale communi & Vitriolis, tardius ſuccedit. Etiam aliud eſt inter Sales diſcrimen, quod nonnulli uberi ſatis copia colliqueſcant; contra alii in eadem Aquæ menſura parcius ſolvantur. Ita ſi ponderis ratio inter Aquam & Sales ineatur, Sal communis ad dimidiam partem liqueſcit; Alumen, Salem Enixum Paracelſi, æquali fere portione, Saccharum etiam dupla ſolubilem experimur. Hæc Solutionis varietas non a Liquore, qui ubique æque ſibi conſtat, ſed a Salium diverſa cohærentia petenda eſt: ii nempe quorum rarior eſt compages, qualis videtur eſſe Sacchari, motu illo inteſtino comminuuntur facilius, & in liquamen uberius abeunt.

Eſt apud Chymicos ſingularis Solutionis ſpecies, quæ Deliquium appellatur: quando ſcilicet Sales, Aeri expoſiti, liqueſcunt. Quæ quidem Solutio eadem prorſus ratione nititur ac cæteræ quarum ſupra meminimus: Aqueis enim particulis, quibus Aer abunde ſcatet, tribuendum eſt, quod ſub dio liquentur Sales. Quod ex humido tum loco tum tempeſtate, quæ Deliquium hoc maxime expediunt, recte ſatis colligi poteſt. Igitur cum Aqua ad hunc modum per Aerem deferatur, Sales deliquati pondus augent; ita ut ex Salis Tartari, verbi gratia, ʒj. Olei elicias ʒij. Eodem modo Oleum Vitrioli, aeri humido expoſitum, pondere augeſcit. Quod ſi in Cryſtallos redigantur Sales, propter eam quam plurimum reniti diximus cohærentiam, Deliquio vix cedunt: etiam ii qui ex Plantarum cineribus eliciuntur, & dicuntur Alkalizati, quanquam omnium facillime in Aere tabeſcant, ſi in Cryſtallos compacti fuerint, non niſi ægerrime remolleſcunt.

De

De hiſce Solutionibus id adverti debet, igne admoto omnes & promptius peragi, & copioſius educi: ignis quippe particulæ non modo Salium Cohærentiam intercidunt & dirimunt, ſed Aquæ etiam momentum intendunt, ita ut ei quaſi in ſubſidiis ſint. Idem de motu quocunque & agitatione dicendum eſt.

Vulgata ſatis eſt ſententia, Aquam, licet ad ſaturitatem uſque Salem aliquem imbiberit, poſſe tamen de altero quippiam delibare: quod prout de Salibus in univerſum ſe habere dicitur, an ita revera ſit, eſt profecto cur in dubium vocemus. In hoc quippe quod inſtituitur experimento, cum Aquam Sali affuſam diutius inſidere, & quaſi incubare ſinunt, ut iſtius particulis ſe penitus inferciat, rem quam probari oportuit, ſupponunt. Cum enim diu reſtiterit illa Solutio, Salium non exigua pars, qui prius in Aqua fluitabant, ſubſidit inque Cryſtallos abit: adeo parum ad ſatietatem repleta eſt Aqua, ut ſiquid ejuſdem ſalis de novo adjeceris, non ægre abſorbeat. Ita cum ad hanc normam fiat Experimentum, quidni & aliquid de alio ad ſe poſſit arripere? Non inficior tamen aliquando accidere, Aquam, cum de nonnullis Salibus nihil amplius attrahere queat, alios ſatis prompte excipere: uti in Solutione Salis communis ſaturatiſſima Saccharum facile colliqueſcit. Neque id ſane rationi incongruum: quippe cum ita varia ſit Salium cohærentia, æquum eſt, ut Aqua illum, qui firmius compingitur, intactum relinquat; hunc, qui rarior eſt, ſubeat atque diſſolvat. Sed hoc in iis quæ ejuſdem ſunt texturæ fieri poſſe vix concedendum eſt. Quod nobis certius conſtare videbitur, ſi cauſam eam, qua fit ut Sales non niſi definita quantitate ſolvi queant, penitius ſcrutemur. Cum enim bona corporis ſalini pars in Aqua contabuerit, ea quæ ſoluta ſunt corpuſcula quaquaverſum attrahunt: unde fit ut Attractio illa, qua Aqueæ particulæ inter ſe invicem urgentur, augeſcat; dum motus interim, quocum Salem nondum ſolutum adorti ſunt, ita infringitur & langueſcit, ut tandem prorſus intercidat. Quippe motus ille, qui primo excitatur, differentiæ iſti, quæ inter Aquæ & Salis vim Attractricem intercedit, unice debetur. Itaque, cum par ſit utrinque Attractio, extincto motu nulla ulterius ſequitur Solutio. Hinc etiam elucet ratio, quare in Vino Emetico conficiendo Crocum Metallorum indeterminata fere quantitate adhibemus: quantumcunque enim pulverem infundimus, non niſi certa ejus portio in vino ſolvitur. Itaque doſis, quæ Vomitum cieat, non Croci, ſed Vini quantitate æſtimatur.

Ut facilius colliqueſcant, Sales in Pulverem redigi ſolent: unde non modo imminuitur Cohærentia, ſed intenditur etiam Attractio. Eo quippe artificio plures particulæ Menſtruo expoſitæ ſunt, & unitis viribus Aquam ad ſe fortius trahunt. Eandem ob cauſam duriora corpora in laminas aut ramenta redigimus, ut ab Acidis facilius corrodi poſſint.

Iiſdem hiſce Principiis Corporum cæterorum omnium Solutio innititur: ad quam quidem rite illuſtrandam æſtimari debet tum in

ipſo corpore Cohærentiæ vis, Pororumque magnitudo, tum in Menſtruo & ad motum proclivitas, & Momenti efficacia. Habenda eſt etiam Elateris ratio, uti oſtendent ſequentia. Quæ omnia ſi accurate deſignari & ſtatui poſſint, eruetur facile omnis illa de varietate Solutionum doctrina. Exemplo ſit Aquæ & Spiritus Vini diverſa indoles; in ea quippe facile liqueſcunt Sales, quia Aqueæ particulæ a Salinis corpuſculis vehementius, quam a ſe invicem trahuntur: in Spiritu vero, qui Aqua multo levior eſt, ſed Salinis particulis imbutior, intacti manent: Ita ut Spiritus particulæ, cum ob molis exilitatem ſeſe fortius quam Sales attrahant, eorum cohærentiam nequeant diffringere. Ita eadem de cauſa fit quod Aquatilium Plumæ, & corpora Adipoſa, Aqua affuſa, haud madeſcant. Contra Spiritus Reſinas, quibus Aqua ſolvendis impar eſt, facile ſolvit: videntur quippe earum particulæ ita ſibi invicem agglutinari & adhæreſcere, ut interſtitia admodum exigua relinquant: quæ quidem Aqueis corpuſculis aditum negant, Spirituoſa tamen, quorum tenuior eſt moles, ſatis prompte excipiunt. Eodem modo Metallorum Amalgamatio explicanda eſt. Aurum quippe ex corpuſculis, quæ vi Attractrice plurimum pollent, conflari videtur; hinc Hydrargyri particulas facile intromittit, quæ ab auro validius quam a ſe invicem attrahuntur, quæque ita exiles ſunt, ut metalli poros ſatis prompte ſubeant. Argentum vi partium Attractrice ad Aurum proxime accedit; itaque præ cæteris metallis Hydrargyro adhibito citius molleſcit. Ferri autem atque Æris vis Attractrix eam, quæ Hydrargyro ineſt, vix excedit; itaque cum his ægre admodum in Amalgama coit, niſi, alio admiſto corpore, de vi ſua Attractrice aliquid deperdat Mercurius.

Corroſio apud Chymicos eſt Corporum per Acida, vel ſaltem Salina Menſtrua, Diſſolutio: itaque ea quæ ſuperius dicta ſunt, etiam huic aliqua ex parte explicandæ ſufficient. Hoc tamen ſibi proprium habet Corroſio, quod corporibus firmius compactis, qualia ſunt Oſſa, Metalla, &c. fere unice deſtinetur. Ita ut ſingulari quodam momento inſtrui videantur Salina Menſtrua, cujus cauſam non alienum erit penitius rimari. Liquores iſti, ſive Acidi, ſive Urinoſi, nihil aliud ſunt, quam ipſi Sales pauco Phlegmate diluti. Hi itaque cum ſolidi ſint, & proinde non exigua materia referti, tum ſe invicem magis attrahunt, tum a corporis ſolvendi particulis fortius attrahuntur. Hæc quippe una eſt ex iis quas Attractio obſervat legibus, ut ad eandem diſtantiam quantitati materiæ, quam continent particulæ Attractrices, reſpondeat. Ita cum corpora iſta firmiora Salinis Menſtruis imbuamus, oritur fortior quam in Solutionibus cæteris Attractio, &, qui Attractionem pari paſſu conſequitur, motus partium vehementior: qui cum ad hunc modum increbuerit, facile concipi poteſt, quomodo Sales tanquam ſpicula in corporum meatus adigat, cohærentiamque omnem, tenaciſſimam licet, referet atque relaxet. De Corroſione id adeo obſervandum eſt, ut quo magis in minutias divulſæ ſint Menſtrui particulæ, eo citius atque fortius

fortius penetrent. Motus enim, quem parit Attractio, potiſſimum in minimis corpuſculis conſiſtit, in grandioribus fere elangueſcit. Quippe exilis particula Velocitate ſatis impigra fertur: amplior interim ob ſuperficiei magnitudinem ab ambiente fluido ſæpe ſiſtitur & quieta hæret. Aliud etiam ſequitur commodum, quod particulæ propius ad corpus ſolvendum accedant: quod niſi fiat, non percipitur vis Attractrix. Itaque recte pronunciant Chymici, Sales non agere, niſi ſolutos. Quamobrem iidem hi Sales, qui in Aqua colliquati Metalla parum tangunt; ſi in Acidos Spiritus converſi ſint, facile ſubigunt. Diſtillatione quippe non modo minor reſtat Aquæ portio, ſed corpora Salina igne ita minutim conciſa ſunt, ut Attractionis vim promptius ſentiant: itaque Menſtruum hujuſmodi Diſtillatum Solutione quacunque Salina, quæ cum Aqua inſtitui ſolet, efficacius eſt.

Quod ſi particulæ, inter quas motus ille cooritur, ſint Elaſticæ, etiam ſenſui ſatis patebit Fermentatio. Corpora quippe perfecte Elaſtica eadem Celeritate a ſeſe mutuo poſt ictum recedunt, qua prius ad ſe invicem accedebant. Ita conſtitutis ad hunc modum particulis, continuo quaſi reviviſcit motus, & novus iſque multo acrior exoritur conflictus: inde impetus & momenti ea vehementia, qua tandem labefactata ſubiguntur & fatiſcunt corpora etiam duriſſima. Huic virtuti Elaſticæ cum illa ſe etiam comitem addat, quæ ab Attractione oritur, ideo violentior increbreſcit motus: particulæ quippe, quæ in alteram vi Attractrice præditam reflectitur, impetus a Repercuſſione continuo augetur. Motu hoc concitatæ particulæ, ſi quid Aeris intra poros contineant, exprimere & extrudere conantur: qui ideo colliſu hoc rareſactus, ita ut præ levitate in loco conſiſtere nequeat, cellas aqueas, quibus incluſus eſt, ſecum rapit, & ad ſuperficiem propulſus Bullas effingit. Experimentum, quo ſententia hæc optime illuſtrari poſſe videtur, ſuperius memoravimus. Quippe ſi Limaturam Chalybis, cui & Aquam & Oleum Vitrioli ſuper affudimus, Machinæ Pneumaticæ includamus, exhauſto pauliſper externo aere, is qui intra Chalybis & Aquæ poros continetur, tanto impetu e clauſtris ſuis prorumpit, ut non modo ingentem ſpumam in liquoris ſuperficie excitet, ſed & liquorem ipſum extra vitri marginem propellat.

Quod ſi vehementius increverit motus, Efferveſcentiam & Calorem excitat; qui nihil aliud eſt, niſi partium motus rapidior ex attritione mutua productus. Ut hæc plenius intelligi queant, inquiramus quomodo inter liquores commixtos, uti inter Aquam & Oleum Vitrioli, oriatur Efferveſcentia. In hoc Oleo Sales ea copia redundant, (id quod gravitas ipſa declarat) ut juxta ſe invicem locari videantur; ideoque, quia Attractio in omne latus æqualiter diffunditur, in Æquilibrio quodam conquieſcere: Aqua vero affuſa dirimitur contactus Salium, & inæqualis fit Attractio. Hi itaque pro ſuo more in mutuos iterum amplexus ire contendunt; cumque ob quantitatem materiæ ſeſe invicem fortius quam Aquam attrahant, eam de interjecto

interjecto ſpatio dimovent & deturbant: donec Oleo undequaque pariter diluto, ceſſet tandem motus fermenteſcens. Quod ſi Sales etiam Elaſtici ſint, quod veriſimile eſt, cum nulla fere ſint corpora omni Elatere libera, non modo in ſe cum impetu ruunt, ſed poſt ictum reſiliunt denuo, & in contraria moventur: unde illa partium reciproca quaquaverſum fluctuatio, & tandem Excandeſcentia. Ita ſatis mechanice explicari poteſt hujuſmodi Fermentatio, quæ vulgo neſcio cui Acidi Alkalique Antipathiæ tribuitur.

Fermentationem hanc ex particulis Elaſticis ſuſcitari eo magis veriſimile eſt, quod corpora omnia aere, quem omnes Elaſticum fatentur, excluſo tardius fermenteſcant. Ita, ut Cereviſiæ Fermentatio rite ſuccedat, Fermentum quoddam, quod aere maxime turget, adjicimus: ita etiam Aer Auſtrinus in liquoribus potulentis non modo primum Efferveſcentiæ impetum ſuſcitat, ſed & diu fermentatos denuo in tumores ciet. Neque ſane leviter huic ſententiæ patrocinatur inſignis illa, quæ in Fermentatione obſervatur, Rareſcentia; ad quam nulla fere corpora ita prompte perduci poſſunt, niſi quæ Aerem etiam incluſum habent: qui quidem Fluidis præſertim comes hæret aſſiduus. Nullum tamen nobis magis favet, quam quod ex Sale Chalybis peti poteſt Argumentum. Chalybem quippe vi maxime Elaſtica pollere notiſſimum eſt. Ideo ea de cauſa factum eſſe non abſurde credimus, quod, cum ei immiſceatur Oleum Vitrioli, inſequatur Efferveſcentia. Quod tamen ſi Aquam adjeceris, vehementius adhuc excandeſcit, & proinde Ferrum citius ſolvit; contra ac ſentiunt nonnulli. Idem exhibet Oleo admixtus Spiritus Vitrioli, in quo quidem Aqua plurimum dominatur. Cujus rei ratio hæc eſſe videtur; quod in Oleo Vitrioli, ſi a Phlegmate paulo liberius ſit, Sales ita denſati & compacti ſint, ut Ferro prorſus incubare dicantur, itaque nullo motu aut impetu inſtructi id non ita valide adoriri poſſint: Aqua vero affuſa tum tenuiores fiunt, ita ut majore velocitate in ferrum arietent, tum a ferreis particulis magis quam a ſe invicem attrahuntur; unde increſcit ille motus inteſtinus. Itaque ſæpius Chymici, ut rectius fieri poſſit Solutio, Menſtruum, ut cum iis loquar, debilitant & infringunt. Ita Aqua Fortis duplex non ita commode Argentum ſolvit, ac illa quæ Phlegmate plenius imbuta eſt. Ita aliquando Vini Spiritus, quo purior ſit, Tincturas parcius elicit. Pari modo Æs, Mercurius, & perplura alia, quæ Oleo Vitrioli admixto nullas fere turbas excitant, cum Spiritu Nitri, quod eſt Menſtruum longe levius, tumultuantur & fermenteſcunt. Contra ſi nimium Phlegma adjiciatur, Fermentationem omnem compeſcit: hinc Spiritus Vitrioli, ſi imbecillior ſit, nullam cum Ferro Efferveſcentiam ciet: quod etiam & Aqua præſtat, ſi Oleo Vitrioli uberius affuſa ſit. Menſtruo quippe adhunc modum diluto, Sales a conſortio mutuo nimis longe disjuncti ſunt, & quaſi extra terminum Attractionis ſemoti. Ita in omni hoc negotio late patet vis, tum Elaſtica, tum Attractrix, ut ex earum vario gradu oriatur omnis illa Fermentationis varietas. Hinc etiam fit, quod inter

Fermen-

Fermentandum nova ſæpius exurgant corpora : priſtina quippe compages perpetuo partium colliſu labaſcit. Multa apud authores de Menſtruorum diſcrepantium ratione diſceptari ſolent ; & nemo fere eſt qui non Hypotheſin aliquam commentus eſt, quare quædam corpora in Salinis potius, uti Metalla ; alia non niſi in Sulphureis, uti Reſinæ ; alia demum in Aqueis, uti Sales, melius liqueſcant. Præſertim de Aqua Forti & Regia ſatis prolixe diſputant, quare altera Argentum ſolvat, in Aurum interim nihil valeat ; altera cum Aurum ſubigat, Argentum ne tangat quidem. Sed ea omnia quæ adhibent ratiocinia ita dubiæ fidei ſunt, ut nullum inter ſaniorem Philoſophiam locum mereantur. Difficillima profecto eſt quæ in omni Chymia habetur diſquiſitio ; ad quam tamen expediendam ſi Mechanica adhibemus Principia, veritatem non tam conjectura, quam demonſtratione aſſequi videmur. Rem itaque totam ut rectius intelligamus, liceat computo deducere. Facile adeo concedi poteſt, cum multo major ſit Auri quam Argenti Gravitas, quod in illo longe minutior ſit Pororum Cavitas. Ponamus igitur Pororum alterutrinque Diametros eam inter ſe habere rationem, quam 2 ad 1 : unde fit quod corpuſcula, Auro penetrando idonea, octies minutiora eſſe debeant, quam ea quæ Argentum prompte ingredi queant. Ponamus etiam Vim Auri Attractricem ad eam qua Argentum pollet, ita comparari poſſe, ut 2 ad 1, ſive ut 40 ad 20. Porro Diametri ratione particulæ, ex quibus Aqua Fortis componitur, Auri Poros duplo excedant ; ita ut viam ſibi in Aurum nunquam aperiant. Vis vero qua Argentum Aquam Fortem attrahit ad vim, qua ipſius Menſtrui particulæ ad ſe invicem attrahuntur, ita ſe habeat, ut 20 ad 12 ; Cohærentiaque Argenti ſit ad Momentum, quo Aquæ Fortis particulæ irruunt, ut 8 ad 3 : qua quidem vi inſtructæ Argenti compagem facile diriment. Id etiam denique pro conceſſo ſit, quod ea ſit inter Auri Argentique Cohærentiam ratio, quæ eſt inter 3 & 2. Soluto in Aqua Forti Sale Armoniaco, oritur, uti Experimento innoteſcit, Fermentatio ita vehemens, ut niſi ſenſim & paulo parcius affundatur, vaſculum illico diſrumpat. Motu adeo hoc excitato, particuliſque continuo colliſu inter ſe impingentibus, eas ita diminui haud abſurde credimus, ut ad dimidias reducatur Diameter : unde tandem in eas minutias abeunt, quæ Auri Poros ſubintrent. Id etiam adverti debet, quod diſſoluto in Aqua Forti Sale Armoniaco vel Marino, Menſtrui vis multum intenditur, hoc eſt, Vis ea, qua Menſtrui particulæ ſeſe invicem attrahunt, major evadit, propter eam quæ de novo adjiciuntur corpuſculorum valide attrahentium copiam. Itaque cum antea vis Menſtrui erat uti 12 ; Aqua Forti in Regiam migrante, ponatur ad 16 aſſurgere. Hinc ſi vires Attractrices ſpectemus, inter Argentum & Aquam Regiam ea erit ratio, quæ eſt inter 20 & 16 : & Velocitas, quacum corpuſcula Aquæ Regiæ in Argentum irruunt, Attractionis differentiæ, nempe 4, reſpondebit. Si ſingulæ particulæ in Aqua Regia æque grandes eſſent ac in Aqua Forti, earum Momenta ad Argenti Cohærentiam ita ſe conferrent ut 4 ad 3. Sed ex Hypotheſi particula

quævis octuplo minor redditur, ideoque parte Momenti tantum octava pollet. Ita ut Momentum, quocum Aquæ Regiæ corpuſcula Argentum impetunt, ad metalli cohærentiam ita ſe habebit, uti ½ vel ½ ad 3, hoc eſt, uti 1 ad 6. Hinc ſatis clare liquet, in hoc rerum ſtatu Argentum ab Aqua Regia diſſolvi non poſſe. Aurum vero, ſi vim Attractricem expendimus, ad Aquam Regiam ita ſe habebit, ut 40 ad 16: itaque particularum Velocitas, qua Aurum adoriuntur, erit ut differentia, ſcilicet 24: qui numerus ſi ducatur in ½ (viz. particularum magnitudinem) Momentum exprimit ♆ vel 3 æquale. Auri Cohærentiam poſuimus uti 2: cui cum Menſtrui impetus præpolleat, neceſſe eſt ut Metallum fatiſcat & ſubigatur. Si Attractione utriuſque Metalli comparata, Aurum triplo excedat; cum Argenti Attractio ſit 20, ea qua Aurum pollet ad 60 aſſurget: ex differentia porro, quæ eſt inter Auri & Aquæ Regiæ vim Attractricem, nimirum 44, ducta in ½ (particularum, quibus Aqua Regia ſcatet, magnitudinem) oritur momentum æquale ♅ vel ♃: cumque renitentia ſit ut 2, hac ratione ad eam ſe habebit momentum, uti ♃ ad 2, vel uti 11 ad 4, nempe eam triplo fere excedet. Ea quæ hic poſuimus modis prope infinitis mutari poſſunt, ita tamen ut iidem prorſus ex hac vel illa explicatione oriantur effectus. Ut enim in genere rem totam enunciemus, ponamus Attractionis ratione Aurum ad Argentum eſſe, ut a ad b; Argentum ad Aquam Fortem, ut b ad d; Aquam Fortem vero ad Regiam, ut d ad e. Exprimat f particularum in Aqua Forti, r vero in Aqua Regia fluitantium Magnitudinem: c Auri, g Argenti Cohærentiam. Si particularum f Diametri Diametris, quibus Auri meatus gaudent, majores ſint, hæ quacunque demum vi Attractrice pollent, Aurum nequeunt diſſolvere. At ſi $\overline{b-dxf}$ exſuperet g, Menſtruo cujus particulæ ſunt f, & Poris Argenteis minores, cedet Argentum: & ſi $\overline{b-exr}$ ad g non aſſurgat, in eo Menſtruo, cujus particulæ ſunt r, & vis Attractrix e, Argentum nunquam liqueſcet. Si vero $\overline{a-exr}$ major ſit quam c, Menſtruum, cujus particulæ ſunt r, viſque Attractrix e, Auro penetrando ſolvendoque ſufficiet. Atque in hoc caſu, quia literæ indeterminatæ multo plures ſunt, quam quæ requiruntur conditiones; manifeſtum eſt Problema hoc infinitis fere modis ſolvi poſſe, quorum omnes æque quod quæritur abſolvunt. Quænam iſta demum ſit ratio, quæ inter Auri Argentique Poros Cohærentiamque intercedit, quænam iſta ſit Virium Attrahentium in Metallis Menſtruiſque habitudo, quæ huic Solutionis operi ſufficiat, nondum ſatis innotuit; erit fortaſſe aliquando, cum Experimentis accuratius factis, & ad hæc Mechanices Principia diligenter exploratis, evaneſcent illæ quibus nunc laboramus tenebræ. Noſtro argumento ſatis eſt, ſi numeros adhibere poſſumus, computique ratione oſtendere, quæ nos tandem via ad Phænomena hæc illuſtranda deducat.

PRÆLEC-

PRÆLECTIO VI.

De Digeſtione.

PER Digeſtionem intelligi volumus eam corporum Solutionem, quæ per Menſtrua, igne adjuvante, efficitur: cujus Operationis rationem, cum ea univerſa ſuperius tradita ſit, ſupervacaneum eſſet hoc in loco retractare. A Diſſolutione quippe nihil quicquam diſcrepat Digeſtio, niſi quod hæc ignem ſibi in ſubſidiis habeat: qui quam vehementer & motum inteſtinum, unde pendet omnis Solutio, promoveat, & particulas ſolutas ſurſum ſubvehat, tum alias explicatum eſt, tum ex re ipſa ſatis innoteſcit.

Igitur Digeſtionis naturam ſatis illuſtraſſe videbimur, ſi id prius expoſitum fuerit, quomodo particulæ corporum, hoc artificio evocatæ, poſſint in Menſtruo quaquaverſum diſſeminari & ſuſtineri. Quod tum maxime quæri oportere cenſebitis, cum ſolida iſta corpuſcula non eandem habeant Gravitatem Specificam, qua fruuntur ii, in quibus innatant, Liquores. Nam de iis, quorum eadem eſt cum Menſtruo Specifica Gravitas, nulla movetur quæſtio: ex Hydroſtaticis quippe patet iſta cum Fluidi partibus æqualiter premi, & in eo ſitum quemcunque datum retinere. Sed cum Specifice Graviora ſint vel Leviora, qua ratione ſuſtineri queant, non æque facile innoteſcit. Quam rem paulo fuſius aperire conabimur.

Quanquam ea ſit corporis perfecte Fluidi natura, ut particulæ, ex quibus conſtat, impulſui etiam leviſſimo haud invitæ pareant, & a ſe invicem ſecedant: in quibuſcunque tamen liquoribus aliqua, quantulacunque ea ſit, reperitur Tenacitas; unde fit ut ea inter ſe ſit partium Cohærentia, quæ non niſi certa quadam vi dimoveri poſſit. Et ſane hæc quæ ineſt Liquidis Cohærentiæ vis, licet fere nulla videatur, ſi quam in Solidis experimur reſpicimus, eam tamen ſuo inſtructam eſſe Momento deprehendimus: quæ quidem uti in diverſis Liquoribus aut fortior aut imbecillior occurrit, ita varium effectum ſortitur, Phænomenis iſtis, quæ a natura perfecti Fluidi ſequerentur, plus minuſve diſcrepantem. Ita ut quanquam ex legibus Hydroſtaticis corpuſculum omne, utcunque ſubtile, ſi in Fluido Specifice Leviore demerſum ſit, neceſſario fundum petat; compertum tamen habeamus graviſſima corpora, uti Aurum, &c. in tenues laminas redacta, etiam Spiritu Vini ſuſtineri. Hæc adeo Tenacitatis vis, quæ motui corporum in Fluido renititur, numero partium, quæ divellendæ ſunt, ſeu corporis, quod in Fluido moveri volumus, Superficiei reſpondet. Hinc fit, cum corporis Superficies increſcere poſſit, dum eadem interim perſiſtat Gravitas; quod Fluidi Renitentia eo uſque augeri queat, ut vim Gravitatis, qua in eo corpus deorſum fertur, exæquet. Quod ut melius percipere poſſimus, ad calculum

culum exigamus. Sit, verbi gratia, Cylindrus Auri, in quo Baſeos Diameter digitum æquet; ſupponaturque vis Gravitatis, quæ Metallo ineſt, eam ad Fluidi Renitentiam habere rationem, quam 100 ad 1. Si Aurum denuo efformetur & in alium Cylindrum abeat, in quo Baſeos Diameter digitis decem par ſit; hujuſce Cylindri Superficies, quæ Fluidi movendi partes contingit, centies latior evadet: unde hæc de novo orta Renitentia, cum Auri Gravitati æquipolleat, deſcenſui etiam obſiſtet. Itaque vis illa, qua Fluidi cujuſque Tenacitas gaudet, Experimentis facile innoteſcit. Concipiamus Plumbi unciam Cylindricam, cujus Baſis eo uſque in latum ducenda eſt, donec non amplius in Fluido, cujus Tenacitas indaganda eſt, ſubſidat: Baſis Cylindri hujuſce ita ampliati, Fluidi Superficiei reſpondet; cujus quidem Tenacitas ponderi unciali æquipollet. Si porro Experimento facto, maſſa hæc minime deſcendere obſervetur, cum Diameter ad digitos decem ſit reducta, ea Superficiei menſura, quæ circulo Digitorum decem Diametrum habenti par ſit, ea Tenacitate pollebit, quæ unciæ ſit æqualis: quæque ſuperficiei pars Circulum, cujus Diameter ſit unius digiti, exæquat, etiam unciæ $\frac{1}{100}$ æquabit. His adeo præmiſſis, omne hoc de Digeſtione argumentum clarius explicabitur. Corpus quippe licet Fluida, quibus immerſum eſt, Gravitate Specifica excedat, in iis tamen commode ſuſtineri poteſt, modo in particulas admodum minutas redigatur. Corpore enim in minutias dirempto, Gravitas majore longe ratione decreſcit quam Superficies, ſeu, quæ huic perpetuo reſpondet, Fluidi Tenacitas: quare tandem Renitentia inde orta eandem cum particularum Gravitate vim obtinebit, earumque deſcenſum impediet. Ponatur itaque definitæ Diametri Sphæra Plumbea: in qua quidem Ponderis ad Fluidi Tenacitatem ratio eſt, ut 100 ad 1. Si Sphæra hæc in alias Sphærulas dividatur, in quibus Diameter ſit prioris dimidia, Sphærulæ cujuſque Gravitas tantum ad $\frac{1}{8}$ aſſurget, Superficies vero ad $\frac{1}{4}$, ſi ſphæram ſpectamus. Soliditas enim ſive Gravitas corporum in ratione imminutæ Diametri triplicata, Superficies non niſi in duplicata decreſcit. Ideo cum Renitentia ſit ad $\frac{1}{4}$ reducta, Gravitas autem ad $\frac{1}{8}$, cujuſque Sphæræ Pondus ad Renitentiam ita ſe habebit, ut $\frac{100}{8}$ ad $\frac{1}{4}$ vel ut $\frac{100}{2}$ ad $\frac{1}{4}$ vel ut 50 ad 1. Ita ut in hoc caſu ratio illa, qua Pondus Renitentiæ reſpondet, ad dimidias minuatur. Si Corpus ita dividatur, ut Sphærulæ cujuſque Diameter Diametri, quæ in Sphæra fuit, ſit $\frac{1}{10}$, ſingularum Gravitas ad $\frac{1}{1000}$ decreſcet, & Superficies ſive Renitentia ad $\frac{1}{100}$. Adeoque ratio quam habet Gravitas ad Renitentiam erit, ut $\frac{100}{1000}$ ad $\frac{1}{100}$ vel ut 10 ad 1. Si Sphærulæ cujuſque Diameter ſit $\frac{1}{100}$, Gravitas erit $\frac{1}{100000}$, Superficies vero ſive Renitentia $\frac{1}{10000}$, adeoque Renitentiæ ratione erit Gravitas, uti $\frac{100}{1000000}$ ad $\frac{1}{10000}$: quæ duæ Fractiones cum invicem æquipolleant, Renitentia hoc in loco ad vim Gravitatis accedet, &, ne in fundum agantur particulæ, vetabit. Adeoque hoc, ſive in Solutione, ſive Digeſtione, perpetuo obtinet; viz. ſi corporis Gravitas ſit ad Tenacitatem Fluidi, ut p ad 1: corpore demum in minutias diſcerpto, ut partium

Diametri

Diametri ad totius Diametrum ſint ut 1 ad p; Renitentia, qua luctaturæ ſunt particulæ, ipſarum Gravitati æquipollebit: quippe cum earum Pondus ſit $\frac{1}{p^3}$, Superficies vero $\frac{1}{p^2}$, Gravitas ad Renitentiam ea ratione ſe conferet, ut $\frac{p}{p^3}$ ad $\frac{1}{p^2}$ vel uti 1 ad 1. Hinc eluceſcit ratio, quomodo Metallorum corpuſcula in Menſtruis Specifice Levioribus ſuſtinentur; uti Aurum in Spiritu Nitri Bezoartico, cujus tamen Gravitatem quindecies excedit *. Nimirum ſi ineatur computus, intelligemus Diametro nondum ad medias redacta, uti Aurum Gravitate duplo excedere, ita Superficiem Auri eſſe duplam, ſi ad Gravitatem conferatur. Eadem prorſus in ceteris quibuſcunque Menſtruis ratio eſt. * Tab. 3.

Ad hanc normam corpuſcula Specifice Graviora in Menſtruis ſuſpendi videmus. Eadem etiam eſt cauſa, cur ea, quæ Leviora ſunt, ad Superficiem enatare nequeant. Cum enim Fluidorum æqualis utrobique ſit preſſio, ita ut partes ſuperius poſitæ in inferiores niſum reciprocum exerceant, vis ea, quæ corpuſcula graviora ad fundum delabi non ſinit, etiam leviora ne ſurſum emergant vetat. Ita Plantarum particulæ, uti Quercus, Abietis, Croci, &c. quanquam ad Aquæ Gravitatem Specificam non accedunt, † in ea tamen facile detinentur. Etiam Camphora, corpus pene omnium leviſſimum, in Oleo Vitrioli aut Aqua Forti ſoluta ita coercetur, ut ad ſummum elabi non poſſit. † Tab. 2.

Digeſtionis uſus ex ipſa definitione peti poteſt; nimirum ut corporum particulæ magis Volatiles, & a terreis liberæ, liquore aliquo extrahi, cumque eo intime miſceri poſſint. Igitur ad hoc lenior ignis ſemper fere adhibetur, ut corpuſcula, quæ ad evolandum promptiora ſunt, ſua quaſi ſponte ſecedant: vehementior quippe etiam fæces exprimit; unde, ſi non imminuitur Liquoris efficacia, turbatur certe claritas: quod præſertim in Tincturis conficiendis evenire ſolet. Adde quod, ſi paulo fortius calorem intendimus, vix ab Empyreumate cavemus.

Varii in Digeſtione apparatus ratio, ex iis, quæ alibi dicta ſunt, ſatis intelligi poſſe videtur. Ita cum Salem Tartari fundimus, & Sulphur in Flores redigimus, ut extrahantur Tincturæ, ea de cauſa fit, ut particulæ, hac arte prius comminutæ & divulſæ, ſe a Menſtruo facilius deradi patiantur. Crocus, Opium, Caſtoreum, &c. quorum compages laxior & tenuior eſt, per ſe ſatis prompte affuſo Menſtruo in Tincturas abeunt. Myrrha & Succinum, quæ firmioris cohærentiæ ſunt & ad Reſinas propius accedunt, Digeſtioni difficilius parent. Itaque, ſi iis adjiciatur Sal Armoniacus, non modo Salis hujuſce interventu citius educitur Tinctura, ſed & intenſior quoque fit, & ad Medicos uſus efficacior. Ita de Myrrha recta ſatis eſſe videtur Vigani ſententia, qui eam in vulgatis Elixiribus fere intactam relinqui ſtatuit; ideo Myrrham cum Sale Tartari ſacculo incluſam ſuſpendit, donec molleſcat: ita quippe facilius in Spiritu Vini colliqueſcit. Qui quidem in Elixiribus conficiendis modus ex Paracelſo deductus eſt, qui Spiritum Vini Oleo Sulphuris acuit.

Nihil fere eſt in quo magis elaborant Chymici, quam ut Tincturam Martis eliciant: quem quidem ut ſubigant, &, uti ipſi loquuntur, aperiant, varia excogitarunt Menſtrua, alii alia: Urinam, Pomaceum, Succos Acetoſos, Acetum denique, & Æruginis Spiritum; quibus mirum in modum Ferri corpus cruciant, ut Tincturam ſuam uberius deponat. Quorum ſane proceſſuum labor pene infinitus, fructus permediocris. Sed ſatis eſt ut iis diſpliceat, præparationem fuiſſe ſimplicem. Hæc tamen, quam hic exhibemus, uti cæteris facilior, ita nec viribus inferior reperietur. Ferri quippe compages, tum igne, tum Salis Armoniaci ſpiculis, ob particularum ſubtilitatem, ſatis comminuta & diſcerpta eſſe videtur, ut Spiritum Vini bona ſui parte exſaturet. Id etiam forte non abſurde dici poteſt, Salem Armoniacum & Vini Spiritum ad Ferri naturam vireſque propius accedere, quam reliqua illa, quæ ſupra attulimus, Menſtrua. Ita hoc modo non tantum Ferri ſubſtantiam elicimus, ſed idoneo vehiculo & quaſi ſubſidiario inſtructam habemus. Hujus Tincturæ artifex primus Mynſichthus: qui tamen eam alio more concinnavit. Proceſſum ipſum, quoniam memoratu dignus eſt, ab Authore accipite. ℞ Salis Armon. p. 2. Limatur Chalyb. p. 1. M. & per Retortam ſecundum gradus diſtilla, primum lento, deinde fortiore igne; ſic Martis Eſſentia remanet in fundo. Hanc exime, & optime edulcora, ut ab omni Salis Armoniaci acredine ſit libera: poſtea materiam hanc edulcoratam Cucurbitæ immitte, & cum Spiritu Vini extrahe Tincturam; cum deſiit Tinctio, Spiritum Tinctum exime, & per Alembicum abſtrahe uſque ad medietatem; reliquum manens cum Eſſentia extracta per Chartam filtra, idque ipſum, utpote veram Martis Tincturam, ad uſum aſſerva. Quam prolixa & tædii plena ſit hæc Operatio, facile intelligitis: qui quidem, ut penſari queat labor, medicamento virtutem aliquam eximiam deberet impertiri: quod, an ita fiat, multa in dubium vocant. Nam Diſtillatio Ferrum non ita fortiter diffringere poſſe videtur, ac Calcinatio: in hac quippe adhibetur ignis vehementior. Deinde ea Salis Armoniaci ablutio plane ſupervacanea eſt: nam Sal iſte Tincturæ & eductionem expedit, & vires auget. Illa denique per Alembicum Spiritus Abſtractio nulla ratione nititur: Tinctura enim, dum abſtrahitur, eas, quæ Volatiliores ſunt adeoque magis efficaces, dimittit particulas. Quod ſi hac Abſtractione Tincturæ vim intendere animus eſſet, id certe melius fieri poſſet, ſi diuturniore Digeſtione Ferri corpuſcula uberius imbiberet.

PRÆLECTIO VII.

De Extractione.

EXtractio latius ſumpta quamcunque denotat, quæ per Menſtrua fit, Solutionem: niſi forte dicamus eas ita inter ſe diſcrepare, ut

ut in hac univerſam corporis ſubſtantiam abſorbeant Menſtrua, in illa non niſi certas quaſdam particulas delibent. Ad hunc modum Camphora Spiritu Vini ſolvitur, Jalapium rectius extrahi dicitur: cum in eo Menſtruo Reſina tantum, intactis fere cæteris particulis, colliqueſcit. Sed quæ hujus loci eſt Extractio, eſt ea Solutionis inſpiſſatio, quæ, abſtracto ad certam portionem Menſtruo, mixturam reliquam ad craſſitiem quaſi melleam redigit. Ita poſtquam Croci Tinctura Spiritu Vini ad ſaturitatem evocata fuerit, Spiritum denuo ad medias circiter diſtillando abſtrahimus, deinde materiam reliquam in vaſe patulo ſuper Arenam collocamus, ut quod ſupereſt humidi in vapores abeat. Hoc artificio Croci particulæ Spiritu ita comminutæ & diſcerptæ ſunt, ut ei ſe facile immiſceant, & Tincturam ſatis liquidam conſtituant: relicto tamen poſt Diſtillationem non niſi pauco Spiritu, neceſſe eſt reſiduum paululum craſſeſcere: quod, cum denuo vaſi aperto committatur, avolantibus urgente igne, quæ texturæ ſubtilioris ſunt, particulis, in maſſam adhuc ſpiſſiorem, quæ Extractum vocatur, compingitur. Aliquando Succi ipſi Vegetabilium in Extracta abeunt. Ad hanc normam ſeſe habet Extractio, quam pluribus exponere minus erit neceſſarium, cum omnia ea, quæ de Solutione dicta ſunt, ad hunc etiam locum commode referri poſſint.

Extracta ex Plantarum familia maxime fiunt: quæ quidem pro Plantarum diſſimili indole diverſa Menſtrua poſtulant; quod in Gummatis præcipue obſervari licet. Ea enim quæ Mucilaginoſa ſunt, uti Gummi Arabicum, Tragacanthæ, &c. non niſi Aqueis liquoribus commode ſolvuntur: contra Reſinoſa, verbi gratia, Galbanum, Scammonium, &c. ſoli fere Spiritus Ardentes ſubigunt. Contra, ſunt quædam mediæ naturæ, quæ utriuſque generis Menſtruis cedunt quidem, quanquam in altero non æque facile extrahantur. Ita Aloe & Rhabarbarum, quæ nonnihil Reſinoſi habent, cum Spiritu Vini melius quam Aqua in Extracta abeunt: plantis vero Reſina minus abundantibus, uti Helleboro, Scorzoneræ, &c. eliciendis Aqua commodior habetur, quam Vini Spiritus. Igitur, ut rite fiat Extractio, quæri debet idoneum, & corpori extrahendo quaſi cognatum Menſtruum.

Sed in nulla alia magis quam in Opii, utpote Remediorum nobiliſſimi, Extractione laborarunt Chymici: cui quodnam felicius conveniat Menſtruum, magna eſt inter eos controverſia. Longum eſſet omnes apparatus formulas recenſere; liceat paucis unam aut alteram perſtringere. Alii Opium, cum vel ſuper prunas vel ſulphuris accenſi vaporem exhalaverit, Acidis liquoribus extrahunt: ideo nempe, ſi ipſis credimus, ut vis Opii narcotica figi & corrigi poſſit. Sed illa Opii exudatio plane inepta eſt, niſi volumus loco Medicinæ terram damnatam extrahere: calore enim admoto avolat ſubtilior illa Opii pars, quæque Sale Volatili maxime abundat. Deinde Acida peſſimo conſilio adhibentur; nam, ſi vires ſpectes, ab iis longiſſime abhorret Opii natura: Acida quippe ſanguini coagulum & lentorem indu-

inducunt, ad quem quidem attenuandum nihil fere Opio efficacius reperitur. Ita, cum mederi volumus, Opium Acidis aſſociare, quid aliud eſt, quam ſi Chirurgus, ut vulnus penitius recidi queat, cultri aciem retunderet? Pari modo Succi Vegetabilium Aciduli, quibuſcum fermenteſcere ſolet Opium, utcunque illius vim parcius imminuunt, ſi ſub examen revocentur, cenſuram vix effugient. Alii Salem Tartarii adjiciunt, qui tantopere ab iis prædicatur, ut Opii Corrector audiat. Et ab hoc quidem uti nihil fere mali, ita nec boni aliquid accreſcere videtur. Nam nec Sale iſto eget Opium, ut extrahi queat, cum per ſe ſatis prompte in Menſtruo liqueſcat: neque eſt ita malignæ efferæque indolis divinum illud morborum lenimen, ut cicurari & corrigi debeat. Melior certe iſta Veterum, utcunque perperam dicta, Correctio; qui Opiatis ſuis Calida fere ſemper & Aromatica adjecerunt: quibus quidem ita parum refringitur Opii vis, ut ab iis potius ad medicos uſus novas ſibi ſuppetias adſciſcat. Itaque veteres ſecutus, Crocum Cinnamomum & Caryophyllos Laudano ſuo admiſcuit D. Sydenhamus. Reliqua fere Menſtrua, quibus ad Opium extrahendum utuntur Chymici, ſunt Spiritus Vini, Vinum ipſum, & Aqua: quorum ſingula ſuos habent propugnatores. Ex quibus tamen, ſi Vino primas deferimus, æquiſſimo jure litem dirimere videmur. Nam Spiritus Vini, præterea quod ardentior ſit quam ut omnibus conveniat, Opii Reſinoſam partem nimis libere abſorbet; unde nauſea ſæpiſſime, & tormina. Quinimo, quod & omnes Spiritus Ardentes faciunt, ſanguini admixtus concreſcit: quod Opii natura alieniſſimum eſſe diximus. Contra Aqua, licet Opium ſatis probe extrahat, ſæpius præ imbecillitate ſtomacho, infirmo ſaltem, minus ſe commendat. Sed omnibus hiſce vitiis caret Vinum, Canarinum præcipue & Xeroenſe: quæ non modo Opii Salem Volatilem, in quo maxima remedii virtus eſt, feliciter exhauriunt; ſed etiam tum ſtomacho peramica ſunt, tum Medicinæ ipſi per ſanguinis ſpirituumque itinera aptum ſatis præſtant vehiculum.

Obſervamus Tincturas, dum Digeſtione eliciuntur, eſſe admodum ſaturatas; Menſtruum tamen, poſtquam diſtillatione avocetur, veterem denuo colorem induere. Dum enim igne fortiore per Alembicum fit Abſtractio, Liquorum particulæ ita rareſcunt, ut præ Levitate Specifica prompte admodum aſſurgant: quod præcipue in Spiritu Vini advertitis, quo nullum fere Menſtruum rareſcentiæ promptius obſequitur. Corporum vero minutiæ, quæ in liquore innatant eumque colore quodam tingunt, utcunque exiles, cum propter ſoliditatem rareſcere neſciant, a fugaci Menſtruo deſeruntur penitus, & ex Cucurbita prolici nequeunt: quippe, ſi vi ignis adactæ per ſe ſurſum aſcendere nitantur, ad culmen Alembici pervenire non poſſunt, ſed nativo pondere decidunt rurſus & in præceps feruntur. Ita qui hoc modo ex Tincturis abſtrahuntur Liquores, propriam fere indolem retinent, & evadunt decolores. Nonnunquam tamen quæ leviora ſunt corpuſcula, qualia ſunt Opii, Croci, &c. una cum Menſtruo in Excipulum derivantur: quod tum ſapore tum

odore

odore deprehendi poteſt, licet non ea copia ſint, quæ Tinĉturam Menſtruo concilient.

Ad hunc modum peragi ſolet Extraĉtio; quæ quidem Operatio in Chymia reĉte fortaſſe locum habet, an vero Medicinæ etiam inſerviat, non ita extra dubium poni videtur. Nam quæ ſubtiliores ſunt particulæ, eæ fere omnes avolant & diſſipantur, vel cum Diſtillatione abſtrahitur Menſtruum, vel cum in nudo aere evaporat. Ita ſiquid ad medicos uſus iſtæ conferant, id in Extraĉtis fruſtra quærimus: ſi vero partium craſſiorum & magis inertium delectum facere volumus, eas nulla alia apparatus ratio æque feliciter ſuppeditat. Ita ut ea quæ a Chymicis tantopere venditantur Extraĉta, ſi vires medicas ſpeĉtes, non tam Pharmaci loco, quam Vehiculi, ſi ita loqui liceat, habenda ſint.

PRÆLECTIO VIII.

De Præcipitatione.

PRæcipitatio dicitur de iis, quæ in Menſtruis aliquando fluitantia & ſuſpenſa, ad fundum tandem decidunt. Quæ quidem nonnunquam ſua ſponte, ſæpius tamen non niſi alio inſtillato Liquore, in præceps feruntur. Par eſt alterutrinque Deſcenſus ratio.

Fruſtra eſſet recenſere omnia ea, quæ de Præcipitationis cauſa excogitantur commenta: præſertim cum ea ſit hujuſce Operationis ratio, ut nulla alia ad Mechanicas leges redigi poſſit facilius. Ex iis quæ de Digeſtione dicta ſunt, ſatis clare percipitis, quomodo Solida corpuſcula a Fluidis ſuſtineri poſſint, utcunque Specifice Graviora; ſcilicet ſi, quantum ea Gravitatem Menſtrui Specificam excedant, tantum reciproce reniti queat hujuſce Cohærentia: quam quidem Renitentiam Amplitudini, quam habent corpuſculorum Superficies, reſpondere pariter oſtenſum eſt. Igitur ut diutius ſuſtineri nequeant, ſeu, quod idem eſt, ut in præceps labi poſſint, alia eaque contraria prorſus requiritur conditio, viz. ut Menſtrui tenacitas non ea ſit, quæ corpuſculorum Gravitati æque reſpondeat. Atque hoc duobus potiſſimum modis effici poſſe videtur.

Et primo quidem ſequi ſolet Præcipitatio, cum inſtillatur liquor Specifice Levior. Eo enim affuſo diminuitur Menſtrui Gravitas, quæ in Menſtruo ſemper obſervat rationem ex utriuſque liquoris Gravitate commixtam. Menſtruo ad hunc modum diluto, debilitatur etiam Cohærentiæ vis, ita ut in ſoluta corpora non ſatis valide reniti queat: quæ igitur, ſublato æquilibrio, præ pondere deorſum ruunt. Pari modo ac Hydrometri, qui in Aqua facile ſuſtinentur, ſi Spiritus Ardentes uberius immiſcueris, ad Vitri fundum ſe præcipitant. Atque hoc non modo rationibus Mechanicis, ſed Experimentis accurate congruit. Ita Spiritus Salis Armoniaci Metallorum ramenta in Acidis

Menſtruis ſoluta ſatis copioſe præcipitat: quibus omnibus levitate
* Tab. 3. multum * præpollet. Idem expeditius præſtat Spiritus Vini, cujus
† Tab. 3. gravitas omnium fere minima reperitur †: a quo itaq; Sales omnes in Aqua ſuſpenſi dejiciuntur & in Cryſtallos coeunt. Ita ſi guttatim adjicias Acetum Diſtillatum, Scoriæ Antimoniales in Aqua diſſuſæ Sulphur Auratum demittunt. Ad eandem normam Aqua, Acetum, &c. Præcipitationem, parciorem licet, ex Acidis educit. Etiam Acida ipſa quæ non ita gravia ſunt, ponderoſioribus affuſa, quicquid in iis innatat ad fundum deturbat: uti Spiritus Salis Plumbum, Cuprum, Stannum in Oleo Vitrioli ſolutum in præceps agit. Ita parum in hoc negotio deſideratur Alkali, quod omnes fere una voce neceſſarium eſſe contendunt Chymici.

Secundo ſuccedit æque Præcipitatio, ſi Graviorem Menſtruo liquorem adjeceris. Hujuſce quippe particulæ tum pondere ſuo tum impetu, quem deſcendendo acquirunt, dum fundum petunt, ſolida corpuſcula quæcunque in itinere deprehenderint, ſecum una abripiunt & deorſum trudunt: ita ut hoc adventitio liquore depulſa & quaſi coercita, nequeant in ſedes priſtinas reſurgere. Quod ſiquis experiundo tentabit, non deerunt, quæ ratiocinium hoc comprobent, exempla. Ita non modo Acidi Spiritus, ſed Aqua Vegetabilium Tincturas Spiritu Vini extractas deturbat: eaſdem Aqua vel Vino elicitas uberi ſatis copia dejiciunt, qui graviore pollent momento,
‡ Tab. 3. Spiritus Acidi ‡. Pari modo Metalla in Spiritu Salis Armoniaci ſoluta, Oleo Vitrioli aut Spiritu Nitri deprimuntur: eadem etiam, quamvis in Aqua Forti ſuſpenſa, facile præcipitat cum Oleum Vitrioli, tum Spiritus Nitri Bezoarticus. Idem Oleum ſi vel Sali Volatili Oleoſo, vel Salis cujuſcunque Solutioni quantum fieri poteſt ſaturatiſſimæ, affundatur, non modo minutias ad fundum devocat, ſed liquorem fere univerſum in Salem convertit. Cum enim hi inſtillentur liquores alter alteri, Sales qui in iis plurimum abundant, vi Attractrice concitati, in mutuos complexus ruunt: & quia non longe a ſe invicem reſiliant, ita tandem mutuo agglutinati ſunt, ut, cum Phlegmatis non niſi perpuſillum ſuperſit, Solidi ſpeciem ſuſcipiant. Id quod etiam in Tartaro Vitriolato obſervatis; in quibus quidem experimentis ea oritur conflictio & effervescentia, ut evaporet fere omnis, qua diluti ſunt ſales, humiditas. Atque hinc pendet omnis Coagulationis Chymicæ ratio: quæ quidem in hoc Precipitationis opere maxime valet. Neque alia de cauſa Oleum Tartari in Acidis Soluta præcipitat, niſi quod cum corpuſculis iſtis in Coagulum quoddam abeat, adeoque Menſtrui tenacitatem prægravet & exuperet.

Neque hæc tantum ſuccedit Coagulatio gravioribus affuſis fluidis: ſed etiam ſæpius Præcipitationi favet, cum liquoris inſtillati gravitas vel menſtruo prorſus congruit, vel ab eo parum recedit. Hæc partium agglutinatio cum in aliis, tum in Salinis potiſſimum ſe prodit. Ita Spiritus Salis Armoniaci, Spiritus Cornu Cervini & Sanguinis Humani, Sal Volatilis Oleoſus, in quibus gravitas fere cum Aqua communis

munis reperitur, *Sublimati ſolutionem ingenti copia præcipitat; id quod in Præcipitato Mercurii Albo advertitis. In quo quidem Salium, qui & in Sublimato & in affuſis liquoribus maxime abundant, unionem ſatis declarat ponderis incrementum: id enim, quod in fundo ſubſidet, Sublimati adjecti pondus excedit. Pariter Vegetabilium Magiſteria, per Præcipitationem elicita, hanc de Coagulo ſententiam evincunt: in iis quippe major eſt, quam in Pulveribus, gravitas ſpecifica. †Quæ igitur ponderis acceſſio liquoris, quocum inſtituitur Præcipitatio, particulis tribuenda eſt. * Tab. 3. † Tab. 2.

PRÆLECTIO IX.

De Cryſtallizatione.

CRyſtallizatio eſt ea Salinarum partium inter ſe connexio, ut Cryſtalli ſpeciem referant, variæ pro Salium indole conſtructam & figuratam. Quod ut commodius fieri queat, ad hunc fere modum inſtituitur Operatio; Corpus Salinum in Aqua ſolvitur, deinde per filtrum trajicitur ſolutio, quæ demum Aqua ad pelliculam evaporata in Cryſtallos concreſcit. Diſſolutio & Filtratio eo ſpectant, ut Sales a ſordibus quibuſcunque liberentur; ſecus enim ſiquid alienum irrepſerit, Cryſtallorum non modo hebeſceret nitor, ſed mutilaretur etiam figura.

Salibus igitur ita deterſis & repurgatis Aqua rurſus (utpote nulli amplius uſui futura) inſtituta evaporatione abigitur: quod quidem eo conſilio fit, ut quæ reſidua eſt ſaturatior fiat ſolutio. Atque hæc ſolutionis ſaturitas neceſſaria eſt, ut uberius in Cryſtallos coeant Sales; quæ cum nihil aliud ſint niſi partium ſalinarum congeries, ſi prius innotuerit compoſitionis hujuſce cauſa, facile percipietis, quare in dilutiore menſtruo demitti nequeant. Compoſitio adeo hæc a vi illa Attractrice oritur, qua Sales prope ſe invicem poſiti mutua coaleſcere & compingi contendunt; quod eo facilius faciunt, quo minore intervallo ſejuncti ſint: nam Attractionis vis, quæ ſub ipſo contactu validiſſime ſeſe exerit, nimio interjecto ſpatio penitus elanguet. Igitur Sales Aqua frigida copioſius diluti, cum longius a conſortio mutuo abſint, vim Attractionis non omnino ſentiunt, ſed in ſedibus quieti commorantur: quod ſi etiam ſaturatior fieret ſolutio, parcius citra evaporationem demittuntur. Aqua vero ad pelliculam evaporata, Sales ad mutuos fere contactus ſiti ſunt: unde fortius ſe invicem attrahunt, ſibiq; intimius innexi in quoſdam quaſi faſciculos uberrime effinguntur.

Ita ſi ſolutio quævis Salina diutius reſtiterit, Cryſtalli ſponte decidunt; Aqua enim, quæ Salium cohærentiam prohibeat, exhalat: uti ſatis oſtendunt ea, quæ in ipſa Operationis ſerie obſervaſtis. Iidem vero Sales Aqua calida ſoluti, in ea facile colliqueſcunt & ſuſtinentur,

ſuſtinentur, nec quamdiu ea calorem retineat, in Cryſtallos concreſcunt. Motu quippe quem calor excitat vigente, præpeditur atque deſtruitur omnis ille motus a vi Attractrice oriundus. Cum vero Aqua refrixerit & in ſe ipſa tandem quieta reſederit, Sales propiore vicinia potiti ita vim Attractricem exerunt, ut inter ſe coire poſſint & in Cryſtallos efformari.

Sales cujuſcunque generis in Cryſtallos redigi poſſunt, ſive Fixi, ſive Volatiles: e Fixis difficilius quidem Alkalizati. Volatiles prius figendi ſunt, quam in Cryſtallos abire queant: ſecus, evaporatione adhibita, avolant & diſſipantur. Etiam Metalla, Spiritibus Salinis corroſa, in Cryſtallos facile reducuntur. Quod cum ita ſit, curioſis quærendi anſam præbuit, utrum revera ſint aliqui Metallorum Sales. Argumentum a Cryſtallis hiſce deductum multis perſuaſit, eos in Metallis contineri: quod tamen infirmo admodum fundamento niti videtur. Quippe ii, qui vocantur Jovis & Saturni Sales, nihil aliud ſunt niſi Metallorum minutiæ, Salini Menſtrui corpuſculis ita intime unitæ & cohærentes, ut tum in Cryſtallos efformari, tum in Aqua ope Salium, quibus irretitæ ſunt, liqueſcere & ſuſtineri queant. Nam ſi Sales iſtos Igni calcinatorio committamus, Metalla ipſa reviviſcunt. Nec Metallorum Sales magis evincit Martis Vitriolum, ſive Sal Chalybis cum Limatura Chalybis & Oleo Vitrioli præparatus: in quo quidem aliquam Ferri portiunculam contineri concedimus: ſed quia cum ipſius Vitrioli Cryſtallis nihil quicquam non habeat commune, male inde colligitur in Ferro Salem quendam deliteſcere. Nam ex affinitatis ratione melius certe concludi poteſt, aliquid Ferreum nativo Vitriolo adhæreſcere: quod & Experimenta ſatis confirmant. Nam Calx Vitrioli Magnetem attrahere comperitur. Igitur qui arte Vitriolum conficiunt, Ferrum magna copia admiſcent. Ita parum Metallorum Salibus favent, quæ ex Cryſtallis petuntur, ratiocinia. Sunt nonulli, qui ſine Salini Menſtrui aut Ignis adminiculo Metallorum Salem elici poſſe contendunt: ita a ſe eductum eſſe aſſerit Borrichius ex Metallis, cum Mercurio & Aqua tritis, Salem Cryſtallinum. Sed fides penes Authorem eſto. Nam ſententia hæc, nec inique, a ſanioribus Chymicis exploſa eſt. Idem de Margaritarum, Coralli, &c. Salibus dicendum.

Hactenus Cryſtallorum rationem expoſuimus, figuras ipſi ſatis percipitis: quæ quidem non minus pulchritudine ſua, quam varietate ita ſe commendant, ut nuſquam fere jucundius ſpectaculum natura exhibeat. Quod tum nudo oculo aliquatenus patet, tum Microſcopiis armato elegantius ſe prodit. Ita in Sale Communi conſpiciuntur Pyramides quadrilateræ Baſi quadrata, in Saccharo oblonga & rectangula ſuſtentatæ: in Alumine ſenis lateribus exſurgunt, Baſi pariter Hexagona innixæ. Vitriolorum Cryſtalli ſtirias ut plurimum referunt, multa varietate inter ſe conſertas: quibus interjacent Polygona, qualia fere nudo oculo cernimus. Sal Armoniacus arboris ramos eleganter imitatur, Cornu Cervi ſagittas pharetra incluſas. In Sale Mirabili Glauberi, qui ex Sale communi & Vitriolo conflatur,

utriuſq;

utriuſq; Salis figuræ exhibentur. Nitrum in quaſdam quaſi Columnas Priſmaticas, lignorum faſciculis haud abſimiles, ſe exerit: inter quas diſſeminantur figuræ aliquot modo Rhomboides, modo Pentagonæ: quæ proxime ad Salem Communem videntur accedere. Ita ut ſatis recte annotarit Lemerius, Nitrum nulla arte ita purgari poſſe, quin aliquid Salis Gemmei ſive Foſſilis ei adhæreſcat. Sed omnes fere pulchritudine ſuperat Sal Jovis; in quo lineæ, aciculis ſimiles, ita a Centro undique diſcurrunt, ut ſtellam, qualem in Martiali Regulo conſpicimus, exhibeant.

Id quidem in his Salibus admodum ſingulare eſt, quod quocunque modo in minutias diſcerpti & ſoluti ſint, in certam ſinguli ſibique propriam figuram, cum in Cryſtallos abeant, reviviſcunt. Ita ut non minus ægre ſalſedinem, quam figuram ſuam deponere poſſe videantur. Quæ lex cum perpetua ſit & immutabilis, innoteſcere poteſt cognita Cryſtallorum figura, quænam debeat eſſe particularum textura, quæ Cryſtallos iſtas poſſint componere. Uti & ex altera parte, explorata particularum fabrica, Cryſtallorum etiam figuræ ſtatuentur. Figuræ quippe partium maxime ſimplicium cum eodem ſemper modo ſe habeant, neceſſe eſt ut forma, in quam eæ inter ſe compoſitæ coaleſcere ſolent, ſibi etiam conſtet. Cum vero in uno latere ejuſdem particulæ Salinæ fortior ſit Attractionis vis quam in altero, ſecundum ea latera, quæ validius attrahunt, fiet perpetuo Salium concretio. Unde & demonſtrari poteſt minimarum particularum figuram ab ea, quæ in Cryſtallo prodit, prorſus alienam eſſe. Sed hoc Mathematicis relinquendum, ne in eorum fines irruere videamur.

Hæc vobis, Auditores, ſi perſpicue expoſuerim, ſatis habeo. Quippe omne hoc Chymiæ illuſtrandæ munus, non tam rerum farragine aut apparatus pompa, in quibus ita fere toti ſunt Chymici, quam Explicatione ſimplici & ingenua optime niti poſſe arbitrabar. Neque enim id credo quæritis, ut Arcanis inſtructi inter Adeptos aſcribi poſſitis; potius quæ ſit rei Chymicæ ratio, quinam veſtræ hujuſce operæ fructus, intelligere velle videmini. Hoc adeo ut aſſequamini, nulla magis faciunt quam quæ hic adhibentur Principia: quæ non modo naturæ aptiſſima reperientur, ſed & conceptui maxime idonea. In quibus quidem convenientiam iſtam & quaſi catenam quandam cernitis, ut ea inter ſe ita mutuo cohæreſcere & conſpirare poſſe, niſi re vera eſſent, nequaquam veriſimile fateamini. Superſunt ſane multa, quæ admodum difficile eſſet exponere; quam tamen difficultatem aliquando vinceret rite applicata induſtria: ſunt fortaſſe nonnulla, quæ nullo ingenio, nullo labore indagari poſſunt; hæc ſi ad rationes Mechanicas exigi nequeant, honeſtius eſt confiteri nos neſcire, quam inepte de iis philoſophari. Igitur uti nihil falſi vobis proferre volui, ita quicquid apud alios perperam dicitur libens præterii: ſatis eſt propriam firmare poſſe ſententiam; alienam convellere non vobis moleſtum magis, quam mihi ſupervacaneum.

TAB. I.

In qua Rarefactio, Bullitio, & Aſcenſus Liquidorum æſtimatur.

In eodem gradu Caloris & Matraciis ejuſdem magnitudinis inter ſe collata ſunt Liquida ſequentia.

	Rarefactionis. Gradus.	Tempora.
Spiritus Vini	Dig. ½	20 m.
Oleum Terebinthinæ	6½	
Aqua Communis	¼	

NB. In uno minuto Spir. Vini & Oleum Terebinth. dig. ¼ aſcenderunt; Aqua non niſi poſt ſex minuta cœpit aſſurgere.

Oleum Raporum	Dig. 1	
Acetum Diſtillatum	½	19 m.
Aqua communis	¼	
Aqua Fortis Simpl.	4	
Oleum Vitrioli	4	15
Spir. Nitri Bezoart. & Herm. ana	3½	
Aqua Fortis Simpl.	3	
Aqua communis	1½	12
Aqua Fortis Simpl.	2	
Spir. Nitri Bezoart. & Herm. ana	2	8
Aqua Fortis Simpl.	1½	
Spiritus Vini	3	
Spiritus Salis Armon.	½	7 m.
Urina tepida	3	
Aqua communis	2	
Spiritus Salis Armon.	2½	18
Urina frigida	2½	
Aqua Communis Rutæ Stillat.	2½	15
Aqua Communis	2	
Oleum Vitrioli	3	30
Aqua Fortis	2	
Spiritus Vitrioli	1	27
Aqua Communis	½	

Bullitionis Tempora.

Spiritus Vini	9
Oleum Terebinth.	15
Aqua Communis	29
Oleum Raporum	4
Acetum Diſtillatum	6
Aqua Communis	8
Aqua Fortis Simp.	6
Spiritus Salis	6
Spiritus Nitri Herm.	9
Aqua Fortis Simp.	9
Aqua Communis	15
Spiritus Nitri Bezoart. & Herm.	5
Aqua Communis	7
Ceresiſia tenuis	30
Lac	32
Aqua Communis	35
Oleum Vitrioli	60 auct. 60 igne.
Acetum Vinarium	18 m.
—— Cerevisiæ	25
Vinum Rubrum	30

Oleum Vitrioli non niſi poſt horam ebulliit.

Hora 2. 13 m. In leni calore & in Matraciis æqualibus, in quibus Colli longitudo Dig. 13. æquabat, Diamet. Dig. ¼.

Aq. Fortis S.	1 m.	D. ¼ h. 3. 16 m. D. 7.
Ol. Terebin.	1 m.	D. ½.
Cerev. tenuis	9	cœperunt affurgere
Lac	5	
Aq. comm.	16	h. 3. 33. D. 4.
Spir. Vitr.	3	

Cerevisia	h. 3.	Ita bulliebant, ut extra Matracium ferrentur. Lac & Cerevisia non cum bullis modo, ſed Spuma ingenti aſſurgunt.
Lac	h. 3. 12 m.	
Ol. Terebin.	h. 3. 16	

Hor. 2. 13 m. In fortiore Igne.

Ol. Raporum		In Uno minuto aſcendebant; ſed Oleum Raporum quater altius, quam cætera.
Vin. Rubr.		
Acet. Vin. Cerevisiæ.		
Sp. Sal. Arm. Succin.		

		D.		D.	
Ol. Raporum	8 m.	5	25 m.	2	Extra Matracium ebulliit.
Spir. Sal. Armon.		1		3¼	Extra Matracium ebulliit 60m.
Acetum Cerevif.		1½		4	37m.
Vinarium		1		3½	35m.
Vinum Rubrum		½			

His Experimentis non abs re erit adjicere ea, quæ per modum Diſtillationis inſtituta ſunt: In quibus eundem Ignis gradum, ſimileſque Retortas adhibuimus.

			Tempora Aſcenſus.	Quantitas Diſtillata.
Aqua commun.	Ana ℥ 4.	in Bihorio	℥ 4	℥ 1 vix.
Oleum Raporum			℥ 1	
Aqua Fort. ſimplex	An. p. æq.	ſimul extillabant		
Aqua communis				
Aqua communis				℥ 2
Oleum Terebinthinæ	An. p. æq.	in Bihorio		℥ 1
Oleum Raporum				℈ 1
Aqua Fortis dupl.				℥ 1
Spir. Corn. Cervi non Rectif.	Ana p. æq.	in Bihorio		℥ 3
Spiritus Vitrioli				℥ 1
Aqua communis				℥ 2
Igne Fortiore. Oleum Vitrioli	An. p. æq.	in trihorio		℥ 1 intra horas 5.
Spir. Nitri Bez.		9 m.		℥ 5
Aqua commun.		9 m.		
Spirit. Vini		7 m.		℥ 7 intra trihorium.
Solutio Camph. in Vino Albo		9 m.		Plus Camphoræ quam Vini aſcendit.

TAB. II.

In qua Gravitas Solidorum Specifica æſtimatur.

	Pondus. In Aere.	In Aqua.	Ponderis Imminut.	Gravitas Proport.
Mercurii crudi	gr. 60	gr. 55½	gr. 4½	14
Plumbi		54¾	5¼	11⅜
Cupri		53	7	8½
Æris		id.		
Stanni Crudi		id.		
Reguli Antimonii		52	8	7½
—— Martis & Veneris		id.		
Stanni (Block Tin)		id.		
Ferri		51⅛	8⅞	7 prox.
Cinnabaris Antimonii		51	9	6⅔
Lithargyri Argent.		id.		
—— Auri		50½	9½	6
Monetæ Arg. (Den. 6.)		49	11	5⅓
Cupri Calcinati		id.		
Vitri Antimon.		48	12	5

Lapidis

	Pondus. In Aere.	In Aqua.	Ponderis Imminut.	Gravitas Proport.
Lapidis Calaminaris	gr. 60.	gr. id.		
—— Tutiæ ——	47		13	4 3/13
Croci Metallorum—	46 1/2		13 1/2	4 1/2
Antimonii crudi —	45		15	4
Chal.cum fulph.præ.	41		19	3 1/19
Ceruſſæ —— ——	id.			
Vitri viridis——	39		21	2 11/21
Corallii rubri ——	id.			
Silicis — ——	38		22	2 1/11
Boli Armen. ——	id.			
Lapidis Judaici——	38 1/2		21 1/2	2 1/2
Situlæ Vitreæ ——	id.			
Oſſis Ovini recentis -	33		27	2 3/27
Limaturæ Chalyb. -	30		30	2
Terræ Lemniæ —	id.			
Eboris—— ——	29		31	1 29/31
Cornu Cervini —	28		32	1 7/8
Sulphur. Mineralis -	id.			
Tartari crudi ——	27		33	1 27/33
Vitri Veneti ——	26 1/2		33 1/2	1 53/67
Æris Viridis——	25		35	1 5/7
Plumbi uſti ——	24		36	1 2/3
Gummi Arabici —	18		42	1 3/21
Opii —— ——	16		44	1 4/11
Ligni Guaiaci ——	15		45	1 1/3
Gummi Tragacan. -	id.			
Myrrhæ ——	12		48	1 1/4
Corticis Guaiaci —	id.			
Gumm. Guaiaci —	11		49	1 1/49
Reſinæ Scammonii -	10		50	1 1/5
Ligni Nephritici —	id.			
Lithyocollæ ——	6		54	1 1/9
Radicis Chinæ ——	4		56	1 1/14
Thuris —— ——	id.			
Gallarum ——	2		58	1 1/29
Radicis Gentianæ—	minus 15			9 9/11
Corticis Peruviani --	minus 16 1/2			11 11/17
Ligni Quercini —	minus 26			8 8/13
—— Abietini ——	minus 48			16 2/3

Pondera Salium in Spiritu Vini ad hunc modum explorata ſunt.

	Pondus. In Aere.	In Sp. Vin.	Pond. Immin.	Gravitas Proport.
Mercurii Crudi —	gr. 60.	gr. 57 1/3	2 2/3	17prox.
— Dulcis ——		56	4	15
— Panaceæ Rubr.-		55	5	12
— Dulcis 3to. ſubl.		id.		
——— 4to. ſubl.		54	6	10
Turpeth. Mineralis -		id.		
Sublimati Corroſivi -		52 1/4	7 1/3	8prox.
Sacchari Saturni —		42	18	3 3/8
Salis Nitri fixi ——		id.		
Magiſterii Corallii—		39	21	2 1/8
Pulv. Sympathetici -		id.		
Tartari Vitriolati —		38 1/2	21 1/2	2 1/43
Sal. Mirab. Glaub. --		38	22	2 1/11
Tartari Emetici —		37 1/2	22 1/2	
Salis Guaiaci ——		37	23	2 23/37
—— Prunellæ ——		id.		
—— Polychreſti ——		id.		
—— Enixi ——		id.		
Cremoris Tartari —		34	26	2 1/13
Vitrioli Albi——		id.		
Salis Chalybis ——		33	27	2 3/9
Vitrioli viridis ——		32	28	2 1/7
Chalcanthi Rubef.—		id.		
Sal. Vitroli Albi —		id.		
Nitri —— ——		id.		
Sal. Vol. corn. cerv.		27	33	1 27/33
Ent. Mart. ſem. ſub.		26	34	1 17/17
Sal. Armon. purific.		id.		
Ent. Mart. 3to. ſubl.		22	38	1 1/19

TAB. III.

In qua Liquidorum Gravitas Specifica æſtimatur.

Maſſæ plumbeæ in aere pondus gr. 455.

	Pondus.	Ponderis Imminut.	Proport.
OLeo Vitrioli — gr.	379	76	5 3/76
Sp. Nit. Hermet.	383	72	6 5/9
Sp. Nit. cum Ol. Vitr.	396	59	7 13/59
Nitri comm. ——	397	58	7 29/29
—— Bezoartico ——	id.		
Aqua Fort. dupl. ——	400	55	8 1/5
Spir. Vitrioli ——	406	49	9 4/49
Sp. Salis cum Ol. Vitr.	408	47	9 27/47
Solut. Salis cont. ʒij. cum Aquæ com. ʒvj.	id.		
Sp. Salis Arm. Succin.	409	46	9 23/46
— cum Ciner. Clavell.	id.		
Aqua Forti ſimpl. ——	410	45	10 1/9
Sol. Salis Enixi ʒj. in Aq. ʒv. ——	id.		
Decocto Gentianæ —	410 1/2	44 1/2	10 22/44
Sp. Tartari ——	411	44	10 1/44
Decocto Biſtortæ ——	id.		
Sp. C. C. non Rectif. -	id.		
Decocto Sarſæ ——	412	43	10 3/43
——— Chinæ ——	id.		
Spir. Sal. comm. ——	412 1/2	42 1/2	10 1/2
Decocto Ari ——	id.		
Sol. Aluminis ʒj. ʒj. in Aq. ʒvj. ——	413	42	10 1/2
Laudano Liq. Sydenh.-	id.		
Panacea Opii Liq. ——	id.		
Decocto Cort. Peruv. -	id.		
——— Granatorum -	id.		
Solut. Sal. Arm. purif. ʒj. & Vitr. Alb. ʒj. in Aq. ʒv.	id.		
Urina —— ——	413 1/2	41 1/2	10 21/41
Sp. Nitri Dulci ——	414	41	11 1/41
Aqua communi ——	id.		
Tinct. Aloes (cum Aq.)	id.		
Decocto Santali rubri -	id.		
Aceto Diſtillato ——	414 1/2	40 1/2	
Aqua Menthæ —— Rutæ —— Sabinæ — Stilla.	415	40	11 1/2
Aceto —— ——	415 1/2	39 1/2	
Lacte —— ——	415 1/2	39 1/2	
Decocto Sabinæ ——	id.		
Infuſo Marrhubii ——	416	39	11 39/39
—— Menthæ ——	id.		
—— Abſinthii ——	id.		
Elix. prop. cum S. Vol.	416 1/2	38 1/2	
Infuſo Theæ ——	id.		
Spiritu Croci ——	417	38	11 1/38
Spir. Salis Armon. cum Calce Viv. ——	418 1/2	36 1/2	
Spir. Salis dulci ——	id.		
Tinct. Caſtorei ——	419	36	12 7/12
Spir. Vini Camphorato	id.		
Tinct. Chalyb. Mynſict.	420	35	13
Tinct. Sulphuris cum Spir. Terebinth. —	id.		
Oleo Raporum ——	id.		
Tinct. Corallii ——	421	34	13 14/14
Spiritu Vini ——	421 1/2	33 1/2	14
Oleo Terebinthinæ —	422 1/2	32 1/2	
Spir. Vin. Rectificato -	423	32	14 7/8
Aqua Cocta ——	424	31	14 31/31

Ejuſdem Maſſæ in

* Numeri in columna extima locati rationem exprimunt gravitatis fluidorum ſpecificæ ſi reciproce ſumantur. Uti enim 11 1/38 : 5 3/8 ita gravitas Olei Vitrioli ad gravitatem Spiritus Croci, nempe circiter dupla.

APPENDIX:

In qua continetur,

I. LECTIONUM CHYMICARUM,

QUÆ AB

Editoribus Lipſienſibus

EXHIBETUR,

RECENSIO.

II. LECTIONUM CHYMICARUM

CONTRA

Lipſienſium Editorum

CALUMNIAS

VINDICÆ.

APPENDIX:

LECTIONUM CHYMICARUM RECENSIO.

CHymicos in Experimentis cum laude hactenus progreſſos eſſe agnoſcit Autor, in iis autem explicandis parum profeciſſe affirmat, talibus quippe uſos Principiis, quæ vix intelligi poſſint. Artem igitur Chymicam illuſtraturus ſingulas Operationes eo, quo inter ſe connexæ ſunt, ordine explicare, & qua potiſſimum vi Mechanica edantur, diſquirere intendit. Monet autem viam, qua ad Mechanica Principia Chymia exigi poſſit, primum aperuiſſe Johannem Keil in iis, quæ ex Tranſactionibus Anglicanis Sectioni Sextæ, Tom. IV. Supplementorum p. 272, & ſeqq. inſeruimus, & ſpem facit operis Phyſici ab ipſo edendi, in quo res maxime reconditas illuſtratum iri ait. Adhibet nimirum præter notiſſima Principia Arithmetica, Geometrica, & Hydroſtatica, etiam hypotheſin Keilianam (quam loco citato ipſis Autoris verbis deſcripſimus, & jam in Actis Anni ſuperioris attigimus) de vi Attractrice particularum minimarum. Verum enimvero Dominus Keilius cum ſequacibus redit reapſe ad qualitates occultas, quales apud Scholæ Philoſophos Sympathia & Antipathia fuere, dum vim quandam Attractricem ſtatuit, quæ ſi (ut ipſe vult) primitiva eſt, omnique materiæ erga omnem materiam eſſentialiter competit, utique per rationes mechanicas explicari nequit: atque adeo vel erit aliquid abſurdum, vel in miraculum ſeu voluntatem Dei extraordinariam reſolvetur, ad quam tamen in Phyſicis ſine neceſſitate confugiendum non eſſe, convenit inter intelligentes. Quod ſi aliter procedimus, & fictionibus indulgemus, reditur ad Philoſophiam quandam phantaſticam Scholæ, vel etiam Enthuſiaſticam, qualis Fluddi fuit. Ita uno ictu ſubvertentur, quæ in Anglia ipſe Robertus Boylius & alii Viri docti de rebus naturalibus mechanice, id eſt, rationabiliter explicandis magno ſtudio ſtabiliverunt, quæ Boylius etiam diſerte ad Chymica applicuit. Juxta infelicem hanc philoſophandi rationem Autor adeo ſupponit, omnes materiæ partes a ſe invicem trahi; vim Attractivam per exigua admodum ſpatiola diffundi, & in contactu validiſſimam exiſtere; decreſcere autem in ratione majore, quam eſt duplicata diſtantiarum; eandem pro varia particularum figura & denſitate diverſam eſſe; immo in uno latere fortiorem ſeſe exerere quam in alio; particulas eo majore velocitate ad ſe invicem accedere, quo ſint minores; cohæſionem denique

nique materiæ in corporibus ab hac Attractione oriri, & pro varia contactuum quantitate multifariam mutari. Sed hæc omnia ſine qualitate illa occulta Attractrice, veræ Philoſophiæ principia confundente, & in antiquum Chaos reducente, commode explicari poſſunt, partim etiam a Viris doctis jam explicata ſunt, ſtatuendo plurimas materiæ particulas ſphæra quadam magnetica fluidi ſubtilioris eſſe circumdatas, cujus motu (ut in magnetibus noſtris fieri videmus, attrahant ſe invicem, aut repellant, & ad ſitum convenientem diſponant, quoties ſcilicet libertatem aliquam ſunt nacta. Ut alios multos modos Mechanicos taceamus a Pulſu ortos, quibus ſine Attractione proprie dicta explicari poteſt, cur corpora ad ſe invicem accedant, ut attrahi videantur; veluti cum aqua per ſuctionem in tubos aſſurgit, vel cum guttæ binæ ejuſdem liquoris ex contactu ſubito in unam coaleſcunt. Itaque ad aliquid precarium & minime intelligibile confugere neceſſe non eſt. Et talibus ſemel admiſſis, apertaque fingendi licentia, mox erunt qui alias hujuſmodi qualitates occultas, ſeu quas ipſi agnoſcant abſolute inexplicabiles, comminiſcentur, & paulatim ad vetera ignorantiæ aſyla redibunt. Si detur vis attrahendi ſeu Sympathia, quidni pari jure detur vis repellendi ſeu Antipathia? Ita facile etiam dabitur Antiperiſtaſis, dabuntur qualitates emiſſæ per modum ſpecierum cum ſuis actu potentialibus; dabitur Funiculus Lini Attractivus a Boylio refutatus; dabitur in materia eadem variatio extenſionis non apparentis tantum, ſed etiam veræ, ejuſdemque materiæ accurata in majus volumen diſtenſio, aut in minus volumen compreſſio, ſine aliena materia intro admiſſa vel expulſa, ſeu rarefactio aut condenſatio proprie dicta, tanquam mater vis elaſticæ: imo hanc extenſionis variationem, ni fallor, Dominus Keilius jam ipſe introducere conatur loco ſupra laudato. Et ut verbo dicam, pleraque omnia monſtra Scholaſtica, ſtudio Baconi, Galilæi, Jungii, Carteſii, Hobbii, Toricelli, Paſcalii, Boylii profligata, velut agmine facto per poſticum iterum in Philoſophiam, niſi cavemus, irrumpent. Videamus vero, quomodo Autor figmento iſto ad Chymicas Operationes explicandas utatur.

Cum Chymica ſit Ars corporum naturalium partes vel ſegregatas conjungendi, vel conjunctas ſegregandi, idque plerumque ignis auxilio; eam in Diacriſin & Syncriſin dividit. Ad illam, Calcinationem, Diſtillationem, Sublimationem; ad hanc, Fermentationem, Digeſtionem, Extractionem, Præcipitationem, & Cryſtallizationem refert. Calcinatio quoniam ſine liquatione nunquam fere contingit, hanc primo loco explicat.

Cohærent, ex mente Autoris, particulæ per mutuam attractionem, in ipſo contactu fortiſſimam. Liquantur ergo corpora, dum corpuſcula ignea in ea ſe inſinuant & ita ſegregant, ut particualrum multo minor contactus fiat. Hanc ſegregationem a corporum liquefactorum rarefactione probat, & ex cohærentiæ diſcrepantia omnem in corporibus liquandis varietatem deducit. Calcinationem diuturnioris liquationis effectum pronunciat, dum corpuſcula magis ſubtilia

tilia avolent, & igneæ particulæ ea multitudine in corpus ſe inſinuent, eique quaquaverſum ſe immiſceant ac intimius agglutinent, ut amplius perſiſtere nequeat fluiditas: id quod ex aucto corporum calcinatorum pondere probat. Ad Calcinationem quoque Vitrificationem revocat, & ſine ratione Decrepitationem atque Detonationem apud Chymicos ab ea diſtingui, notat. Aſcenſum fluidi in Diſtillatione duplici cauſæ adſcribit, Specificæ nempe Levitati, & Impulſui. Demonſtrat itaque particulas rarefactas ſpecifice leviores fieri: exempli gratia, moleculam aquæ, cujus gravitas eſt ad gravitatem aeris, ut 800 ad 1, ſi ejus diameter per rarefactionem decupla evadat. Sed leviora in gravioribus aſcendunt; erit autem tanto promptior aſcenſus, quo corporum particulæ facilius rareſcunt. Impulſum a celeritate deducit, qua ignea corpuſcula moventur, virium quantitatem ex facto maſſæ in celeritatem per communem errorem paſſim in his Actis notatum æſtimans. Ad elevationem particularum ſpecifice graviorum multum conferre Superficiem eorundem, cum plura ignis corpuſcula in eas impetum faciant, ſi lata fuerit, quam ſi exigua exiſtat. In elevatione ſolidorum, quæ fit per Sublimationem, rareſcentiam vix locum habere, ſed ſoli impulſui aſcenſum tribui debere. Conſiderandum vero eſſe, quod in particularum ſejunctione vi ignis facta, Gravitas minuatur in ratione Cuborum, Superficiem in ratione Quadratorum Diametrorum, atque adeo abolita fere Gravitate lata ſatis Superficies particulæ evehendæ relinquatur. Exempli gratia, ſit Diameter corporis 12, Gravitas 12: Si Diameter evaſerit ſubdupla, Gravitas infra binarium ſubſiſtit, Superficies autem ad 36 aſſurgit. Fermentationem per motum partium inteſtinorum definit, qui ſuboritur, ſi Salia in liquoribus ſeu Menſtruis colliqueſcunt, eamque in Diſſolutionem & Ebullitionem dividit. Diſſolutionem fieri, ſi Salia diſſolvenda validius attrahant particulas fluidi, quam hæ a ſe invicem trahantur. Ita autem fieri, ut in viciniam Salium propius ire contendant, ſicque in motum concitatæ cum quodam impetu in Salia ferantur, & in earum meatus aditu parato eadem comminuant atque diffringant. Quod ſi particulæ ad motum concitatæ Elaſticæ fuerint, Fermentationem oriri, cum eadem celeritate poſt ictum recedant, qua prius ad ſe invicem accedebant. Aerem rarefactum, dum expellitur, ebullitionem cauſari, & motu vehementius increſcente, calorem excitari. Amalgamationem & Corroſionem eodem modo explicat: nec aliter de Digeſtione ſtatuit, niſi quod hic ignis in ſubſidium vocetur. Extractionem quoque per eandem particularum Attractionem declarat: Præcipitationem vero fieri ait, vel ſi liquor ſpecifice levior inſtillatus Menſtrui gravitatem & conſequenter tenacitatem minuat, ut particulæ ſpecifice graviores, quæ huic ſeparandæ antea pares non exiſtebant, nunc eam vincant, ſicque deſcendant; vel ſi liquoris ſpecifice gravioris, dum infunditur, particulæ fundum petentes reliquas per fluidum diffuſas ſecum una abripiant: fundo non amplius elevandæ, cum per ſe fluido ſpecifice graviores exiſtant.

Cryſtallizationem denique a vi particularum ſalinarum Attractiva immediate ac unice derivat. Similes meditationes paſſim habent recentiores Philoſophi, quando res Chymicas ad cauſas revocare conantur, niſi quod a vi illa Attractiva merito abſtineant, ne vocula eleganter ſonante ignorantiam ſuam palliare videantur. Sed tum demum eos valde profeciſſe dicendum erit, cum effecerint, ut experimenta nondum capta ex conſtitutis Principiis prædici poſſint.

LECTIONUM CHYMICARUM VINDICIÆ.

EMittenti mihi Lectiones Chymicas ſuſpicio fuit, ne in Chymicorum offenſionem caderem, quod nullo Authore artem utiliſſimam Fabulis atque Opinionum commentis, quibus iſti quidem jam nimium diu eam incluſerant, exuere auſus ſim, ſuaque in luce integram collocare: Eos autem, qui aliquo veritatis ſtudio ducerentur, ita æquos fore confiſus ſum, ut Scriptori gratiam habituri eſſent, qui in hac Philoſophiæ parte novum aliquid ediderit; ipſamque primus ad naturæ Principia, firma ſcilicet atque indubia, revocarit. Sed res ea, ſecus atque ego exiſtimaveram, accidit: Actorum quippe Lipſienſium Editores, qui neque Experimenta a me prolata, neque modum quo ea ad Naturæ leges perpendere aggreſſus ſum, ne attingunt quidem; Principia ipſa, quæ jamdiu pro certiſſimis habita ſunt, quibuſque innititur mea omnis rerum Chymicarum explicatio, convellere ſunt conati: hocque primo impetu faciunt, poſthabita libri ipſius ennarratione, ne quis ad legendum non præoccupatus accederet. Et certe minus æque ferenda eſt hæc eorum cavillatio, quoniam extra provinciæ ſuæ fines evagati ſunt; id enim unice præ ſe ferunt iſti Literatores & quaſi Indices Librorum, ut quid in quoque Scripto contineatur, compendiaria quadam opera ſimpliciter fideliterque recenſeant, legentis interim judicium relinquant integrum ac liberum. Pro fundamentis Theoriæ Chymicæ habui Principia, ipſamque argumentandi Methodum, quam Mathematicorum Princeps in Philoſophiam intulit Newtonus: Qui quidem Vir, admirabili quo eſt ingenio, ad res Phyſicas promovendas certam patefecit viam, naturalemque Scientiam tanto rationum pondere ſtabilivit, tam incredibili rerum inventione locupletavit, ut ad eam illuſtrandam plura præſtiterit quam omnes omnium gentium Philoſophi. Hoc itaque ſagaciſſimi Viri inſtitutum, quia Editores latere viſum eſt, paucis aperiam: oſtendamque totum id, quodcunque

cunque eſt quod jam in hoc cognitionis genere exploratum atque perſpectum habemus, ex hac ipſa ratione ac via fluxiſſe. Porro etiam argumenta, quibus ad hanc Phyſicæ doctrinam refutandam uſi ſunt, ex falſis, quas de hac re imbiberint, opinionibus promanaſſe planum faciam; pluresque iſtiuſmodi, quas adducunt, ratiunculas contra illa, quæ ipſi amplectuntur Principia, quam contra Newtoniana, proferri poſſe.

Carteſiani, iique fere omnes, qui ſe magiſtros Philoſophiæ Mechanicæ dici volunt, rationem hanc perpetuo tenuerunt, ut hypotheſin aliquam ſumerent ſeu figmentum, quod nullibi niſi cogitatione fingentium exiſtit: deinde, ut verbis neque perſpicuis neque definitis comminiſcerentur, quo demum modo omnia ad hujuſce hypotheſeos normam efficiat natura. Aliam omnino Newtonus inſiſtit viam: nihil ille fingit, nihil pro arbitrio ſuo aſſumit; id ſolum quod Experimento & Obſervatione notatum, ſenſibus omnium patet, pro rato habet. Ex his Principiis certiſſimas Mathematica ἀκριβείᾳ elicit concluſiones, quas deinde ad alia Naturæ Phænomena explicanda feliciſſime accommodat. Hanc inſiſtens viam elegantiſſime demonſtravit, Planetas motu Elliptico circa Solem verſari, Areaſque Temporibus uſque reſpondentes deſcribere: Satellites itidem ad eandem normam circa Planetas, quos ut comites perpetuo conſequuntur, volvi. Hinc extra dubium omne poſuit Planetas ad Solem, Satellites autem ad Planetas primarios ſe inclinare & tendere: hanc autem inclinationem in ratione Diſtantiarum duplicata decreſcere: Ineſſe porro immutabilem quibuſcunque corporibus vim, qua itidem in ſeſe mutuo ferantur: Et inde fieri, ut Lunæ in Terram inflectio, idem plane valeat ac Gravitatis vis, atque acceſſum receſſumque Maris efficiat. Inclinationem hanc ſive Attractionem quidam, ſi ita lubet, qualitatem occultam nuncupent, & erit credo ſemper occulta: neque enim adhuc ex Editoribus quemquam extitiſſe video ita in penitiore Philoſophia perſpicacem, qui docere in ſe ſuſceperit, quo modo, qua vi Mechanica Attractionem illam exerceat natura. Sed utcunque hæc Naturæ vis, ſi cauſam ſpectemus, occulta ſit, minime tamen figmentum, ſive hypotheſis (quod in eorum Principia, ipſis etiam fatentibus, cadit) appellari poteſt; cum eam æque revera exiſtere ac Solem aut Planetas, luculentiſſimis Argumentis confirmetur. Quod ſi ſit hujuſmodi Principium, quod in materia omni perpetuo inſidet, quid vetat quo minus id ad rem ſuam accommodent Philoſophi, explicentque nobis quo modo effectus plurimi, quos quotidiana animadverſione notamus, vim inde ſuam atque originem derivent.

Pariter obſervatione diuturna clariſſimiſque Experimentis varium illum, quo radii Lucis refringi ſolent, modum exploravit idem Newtonus; hincque ita feliciter Lucis Colorumque naturam admirabilem aperuit, ut hanc Optices partem ante eum non niſi tenuiter admodum & nugatorie pertractatam fuiſſe omnes ultro agnoſcant.

Hanc

Hanc adeo rectiſſimam eſſe conſtat, quam Philoſophi in Scientiæ perveſtigatione tenere poſſunt, rationem, ut primum multiplici experimento corporum naturas vireſque perquirant, deinde poſthabita omni cauſarum, unde eæ fluxerint, indagatione, Phænomena, quæ cujuſque virtutem ingenitam ſequuntur, enucleent atque exponant. Hac ipſa via ingreſſus divinus ille Archimedes leges tum Mechanicas tum Hydroſtaticas exquiſivit, dum interim neque Gravitatis neque Liquoris cauſam aut ſtatueret aut inveſtigaret; ea ſolummodo quæ ſenſuum cognitione percipiuntur pro Principiis habens, utriuſque Scientiæ rationem pulcherrime evolvit. Ita etiam *Galilæus*, quanquam nullam de Gravitatis cauſa hypotheſin commentus eſt, motus tamen celeritatem, quam gravia corpora cadendo acquirunt, inveſtigavit, Projectorum impetum & curſum, Pendulorumque reciprocationes primus explicuit: Eaque Scientiæ fundamenta poſuit, quibus celeberrima Phyſicorum inventa hodie innituntur. Quid? an non in Optica illuſtranda ampliſſimo cum fructu progreſſi ſunt Mathematici, duobus Principiis, altero Refractionis, Reflectionis altero, conceſſis; utcunque alterutrius cauſa pauciſſimis adhuc innotuerit?

Si quid ponderis Editorum authoritas habeat, præclara hæc acutiſſimorum hominum inventa omnino repudianda ſunt, quia ſcilicet ex iis corporum virtutibus, quarum initia cauſæque prorſus incognita ſunt, ducuntur; nec ſine qualitate illa occulta veræ Philoſophiæ principia confundente, & in antiquum Chaos reducente, commode explicari poſſunt. Video clariſſimum Wolfium in Aerometria, Gravitate Aeris tanquam conceſſo Principio uſum eſſe; atque eo quidem multa Naturæ Phænomena haud abſurde expediviſſe: Qui tamen Gravitatis cauſam Mechanicam ratiocinatione ne attingit quidem; nec credo ullam unquam hypotheſin ad cauſam hanc explicandam accommodatam fuiſſe, quam ipſe Wolfius a vero alieniſſimam eſſe non facillime probare poſſit. An huic igitur objicient Editores, quod Scientiæ Phyſicæ occultam qualitatem invexerit? In hac quidem Gravitate explicanda, quam ſenſu percipimus, longiſſime omnium proceſſit Newtonus: Eam quippe a vi Attractrice, quæ per omnem ſe undequaque materiam diſſeminat, oriri commonſtrat. Vim hanc Editores, pro ſua in rebus Philoſophicis authoritate, Figmenti vocabulo appellant; ſed quo demum loquendi jure id, quod in rerum natura exiſtere oſtenditur, Figmentum dici queat, ne intelligi quidem poteſt. Illam certe Attractionis ſpeciem, quemadmodum in toto Planetarum Orbe dominatur, luculentiſſime expoſuit Newtonus; neque adhuc videre contigit, quid contra Viri perſpicaciſſimi Demonſtrationes objectari poſſit. Alterum hoc Attractionis genus, quæ in Diſtantiæ ratione magis quam duplicata decreſcit, & revera exiſtere, & vim ſuam in minutiſſimis corpuſculis acriter exercere, plura mihi præſto ſunt quæ probent Experimenta, quam unquam ad demonſtrandam Aeris Gravitatem allaturus eſt Wolfius. Quorſum igitur Principia, quibus ratiocinatio hæc omnis

nititur,

nititur, in altero Argumento pro commentitiis habere licet, in altero non item? Experientia comprobatum eſt, radios lucis quæ a Sole, ſtellis inerrantibus, vel etiam ab eo quo utimur igne, dimanat, verſus oras ſolidorum corporum æqualiter allici; ea autem immutabilis naturæ lex eſt, ut ubicunque ſit Actio, ibi una non poſſit non eſſe Reactio: Itaque vere & jure concluſuri videmur, Principium hoc, quod Attractionis nomine vocamus, tum revera exiſtere, tum per univerſam omnino materiam diffundi. Quod licet in omni materia inhæreſcat, id tamen in minutiſſimis corpuſculis vim ſuam ad ſenſum magis patefacere demonſtravit Vir in Phyſiologia acutiſſimus D. Keillus.

At aiunt, Talibus ſemel admiſſis, apertaque fingendi licentia, mox erunt qui alias qualitates occultas, ſeu quas ipſi agnoſcunt abſolute inexplicabiles, comminiſcentur, & paulatim ad vetera ignorantiæ aſyla redibunt. Si detur vis Attrahendi ſeu Sympathia, quidni pari jure detur vis Repellendi ſeu Antipathia? Ita facile etiam dabitur Antiperiſtaſis; dabuntur qualitates emiſſæ per modum ſpecierum cum ſuis Actu potentialibus; dabitur Funiculus Lini Attractivus; dabitur in Materia eadem Variatio Extenſionis, non apparentis tantum, ſed etiam veræ. Itane incœptant, ſi detur vis Attrahendi; cum eam dari Experientia ipſa apertiſſime demonſtrat? Non eſt hoc opinionis commentum ad alia Phænomena explicanda excogitatum, ſed eſt per ſe conſtitutum a Natura Phænomenon; adeoque quanquam ſibi plaudant Editores, quod hujuſce ſententiæ fautores ad abſurdum quid deduxerint, omnis tamen illa, de qua ſe ita fidenter jactant, huc tandem redit argumentatio; nempe ſi unum aliquod Principium, quod in rerum natura exiſtere obſervatione certa compertum eſt, concedimus, ideo etiam oportet alia, quæ nuſquam extiterunt, approbare; uti verbi gratia, ſi Gravitatem agnoſcimus, quam corporibus quibuſcunque ineſſe certo animadvertimus, quanquam illius cauſam prorſus neſcimus, idcirco fabulas Philoſophorum omnes & commenta amplecti neceſſe eſt, quæ nec experientia ulla confirmari, nec ratione explicari queunt. Si hoc ſit Mathematicorum more ratiocinari, ſatius eſt profecto ad vetera quævis ignorantiæ aſyla redire, quam hanc argumentandi licentiam aperire.

Sed vim Attractricem in eo maxime oppugnant, quod rationibus Mechanicis minime illuſtrari poſſit. An igitur volunt, ut nihil in rem Phyſicam introduci debeat, niſi cujus ratio & cauſa perſpecta ſit? An Editorum aliquis Elaterem aeris, qua vi Mechanica conſtitutus ſit, unquam explicuit? Eum tamen & Philoſophi omnes ultro concedunt, & ad multa Naturæ Phænomena enodanda feliciſſime accommodari una mente conſentiunt. Fabro utique id libenter damus, ut Horologii artificium intelligat, quanquam interim Gravitatis Elateriſque, ex quibus quidem pendet omnis rotarum converſio, rationem penitus ignoret: Hoc idem Phyſico denegabimus? Qui vim illam, qua univerſa corpora aguntur, & ſuo quæque motu atque ordine diriguntur, inveſtigarit, qui potentiæ hujuſce motricis

leges definire, eaſque ad præcipua Naturæ Phænomena explicanda adhibere poterit, tametſi cuinam cauſæ vis illa omnium gubernatrix ortum debet, plane ſe neſcire fateatur, illum de naturæ viribus & machinatione nihil prorſus ſcire, nihil animo percipere dicemus? Quod ſi hoc Attractionis Principium ad fontes uſque ſuos perſequendi ſtudio teneantur Editores, faciant quod lubet; hanc iis gloriam ultro relinquit Newtonus, ſatis præclare ſecum agi ratus, ſi modo eorum offenſionem effugiat, quod involutum longeque difficillimum problema explicandum in ſe non ſuſceperit.

Non me latet quod Cl. L. quem quaſi Numen aliquod ſuſpiciunt Editores, in Specimine illo, quod vocuabulo eleganter ſonante nuncupat, Dynamicum, planiſſime ſcripſerit, Vim Activam, ſeu Niſum, intimam corporum Naturam conſtituere. Vis hæc, ſive Niſus, ſi quid velit recte intelligo, idem eſt ac propenſio illa mutua, quam corporibus quibuſcunque inſitam diximus; quamque multo ante patefecerat Newtonus, quanquam ea materiæ naturam contineri nuſpiam aſſeverarit. Si vera ſit L.... ii ſententia, nobis æquo jure Extenſionis Soliditatiſque cauſa quærenda eſt, ac Attrahentis hujuſce, quod omni materiæ ineſt, Principii ratio excutienda. Hoc autem poſito fundamento, effectus omnes quos in hac univerſa mundi machina contemplamur, ab ipſa Materiæ conſtitutione neceſſariam originem deducunt. At mihi quidem intima corporum natura ita parum explorata eſt, ut longiſſime abſim, qui affirmem vim hanc æterno rerum fœdere illis intermiſceri, & eadem naturali colligatione, ac Extenſionem Soliditatemque, inhæreſcere. Sane ita valde laborare videtur hæc ſententia, ut argumenta, quæ in contrarium afferre proclive eſſet, vix recenſeri, nedum refelli poſſint. Quod ſi cum Cl. L...o ſentiant Editores, non video cur amplecti nolint Principium, quod ille ita apprime neceſſarium judicat, ut id in intima corporum natura conſtitutum eſſe pronunciet. Cum vero ex motu corporum omnium conſtet, Attractricem hanc potentiam revera exiſtere, ſi eam neque Materiæ neceſſario ingenitam, neque rationibus Mechanicis explicandam eſſe cenſeant, haud abſurdum aliquid credo aut Phyſico alienum facturi ſumus, ſi eam in Voluntatem Dei reſolvimus: Legemque univerſam eſſe ſtatuimus, qua omnis hæc Mundi Moles gubernatur & regitur, corporumque vario utcunque motu labentium convenientia atque concentus ſervatur: quanquam quidem hæc ipſa potentia, non minus quam naturæ conſtructio omnis, a divina voluntate unice manaverit. Illi vero, qui nullam hujuſmodi legem agnoſcunt, ſed univerſum Phyſices negotium, non modo quoad proximas, ſed remotiſſimas etiam cauſas, ſuapte natura & mechanica quadam ratione geri volunt, ita ut nihil ſit quod non ab ipſa materiæ vi immutabilique motus conditione proficiſci putent, quid aliud agunt, niſi ut cum Epicuro notionem ex animo hominum evellant cuncta providentis atque moderantis Dei; argumentaque ſuppeditent, quæ in rem ſuam traducant impii?

Quicquid

Quicquid vero de hac Attractrice virtute ſtatuendum ſit, minime dubium eſt, rerum naturam ſine Principio quodam actuoſo non poſſe conſiſtere: Quippe corpora, utcunque in motum ſemel excitata, ſi deinde iis ſuo more uti liceret, viciſſitudines ſuas certo tempore haud ita conſtanter conficerent. Hoc cum ita neceſſarium perceperit acutiſſimus L....., pereleganter concluſit, quod Agere ſit character Subſtantiarum. Ubicunque autem vis hæc omnia ciens atque agitans motibus ſuis ſita ſit, in occultam quandam qualitatem reſolvatur neceſſe eſt; aliam enim illius cauſam, quam divini numinis voluntatem, fruſtra hactenus quæſivimus. Nonnulli autem, qui ſibi in rebus Mechanicis acutius cernere videntur, vim hanc in Æthere vel in Fluido quodam admodum ſubtili collocant; quos ſane interrogare velim, quid tandem ſit, quod illum Æthera agat, & in motione perenni continuataque tueatur? Unde fit, ut motus omnino contrarii ſe invicem non extinguant? Quid ſit porro, quod motus hoſce ea facultate inſtruat, ut ſuum ſinguli opus proprium ſibique aptum efficiant? Hæc omnia ex occulta qualitate, quam in Æthere ſitam eſſe volunt, oriri neceſſe eſt. Etenim ſi hanc hypotheſin ad naturam revocamus, facile patebit plures ab iis intromitti occultas qualitates, quam ſunt quæ explicanda ſuſcipiunt Phænomena. Quanto rectius ille in Philoſophia ſua Newtonus? Qui Principium non niſi unum, idque ſimplex maxime, & obſervatione confirmatum ſibi dari poſtulat,

..... Et ſpecioſa dehinc miracula promit.

Sed quanta obſcuritate laboret, quamque infirmis rationibus fulta ſit tota illa Æthereæ cujuſdam virtutis, aut ſubtilis Fluidi Hypotheſis, nullum clarius, quam ex iis quæ de hac re diſſerunt Editores, peti poteſt argumentum. Aiunt quippe, Hæc omnia ſine qualitate illa occulta Attractrice, vera Philoſophiæ principia confundente, & in antiquum Chaos redigente, commode explicari poſſe, partim etiam a viris doctis explicata eſſe. Hunc adeo ob finem, ſtatuunt plurimas Materiæ particulas Sphæra quadam Magnetica Fluidi Subtilioris eſſe circundatas, cujus motu (ut in Magnetibus noſtris fieri videmus) attrahant ſe invicem, aut repellant, aut ad ſitum convenientem diſponant, quoties ſcilicet libertatem aliquam ſint nactæ. Quid quæſo eſt Sphæra quædam Magnetica, niſi aliquid admodum occultum? cui utique adſciſcitur quid adhuc occultius, ſcilicet Magnetiſmus. Unde ſit, ut hæc Materiæ ſubtilis Sphæra corpori, cui circundata eſt, perpetuo comitem ſe præbeat? Res quidem ipſa poſtulare videtur, ut corpus, cum ſemel motu impreſſo locum mutaverit, Sphæram hanc itidem ambientem poſt ſe relinquat: quippe ſi terra novo aliquo impetu acta alium prorſus curſum iniret, ex legibus Mechanicis ſatis liquet, quod non Atmoſphæra modo, ſed quicquid a Terra liberum ſolutumque eſſet, facto diſſidio, ſua ſe in ſede contineret. Quid igitur in hoc rerum ſtatu concludendum eſt? An quod occulta quadam qualitate Atmoſphæra hæc motum

corporis

corporis continuo ſequatur? An quod vi etiam occulta, altera materiæ ſubtilis Sphæra de novo gignatur? Utut ſit, libenter diſcere velim, quænam demum ea qualitas ſit, quæ Sphæram hanc Magneticam in motum cieat? cujus generis motus ille ſit, & qua potiſſimum ratione excitetur, qui efficit, ut Materiæ particulæ attrahant ſe invicem, aut repellant, aut ad ſitum convenientem diſponant? Quot tandem occultas qualitates ad ſingula Phænomena explicanda accerſere coacti ſunt, dum unam illam & ſimplicem rejiciunt, quæ per univerſam naturæ fabricam ſe diffundit, & plurimis Phænomenis ſolvendis tam præclare inſervit. Id vero in Editoribus ſatis mirari nequeo, quod qui contra vim Attractricem ita acriter dimicant, & ſine ea omnia commode explicari poſſe contendunt, eam tamen in hoc ſuum de rebus Phyſicis commentum ipſi transferant: Nec ab Attractionis vocula, quæ quidem iis ita eleganter ſonare viſa eſt, abſtineant, ut ignorantiam ſuam palliare poſſint: Loquuntur enim de Sphæra quadam fluida, quæ ATTRAHIT, repellit, & ad ſitum convenientem diſponit. Cum nihil veri ſit in hac Sphæræ ſubtilis fabula, cavendum certe fuit, ne deſideraretur iſta, quæ rem verisimilem redderet, convenientia. Facillimum profecto eſſet, Naturæ Phænomena omnia ad hunc modum illuſtrare; mirifice quippe rerum cauſas expedit Sphæra Magnetica Fluidumque Subtile, atque etiam maxime inter ſe pugnantia conciliat. Atque hoc quidem quod de Materia ſubtili vique Magnetica excogitarunt figmento (dum agendi ratio ab inventoribus fere intacta relinquitur) nullum præſentius ignorantiæ aſylum; etenim omnes illas occultas qualitates, quæ hactenus in Philoſophiam irrepſerunt, longe multumque ſuperat. Nemo certe non videt, quam ficta hæc omnia atque commentitia ſint, cum neque quale ſit hoc ſubtile fluidum, neque etiam ſi ullum omnino ſit, aut obſervatione animadverti, aut ratione colligi poſſit. Diſpiciat itaque Lector, an non ea quæ in veram, hoc eſt, Newtonianam Phyſicen intentant argumentandi tela, in hanc ipſorum infelicem Philoſophandi rationem fortius retorqueri queant. Ea omnia quæ pro certis atque ratis jactanter ſatis venditant, vana prorſus ſunt & fabulis referta, nulla Obſervatione aut Experimento nitentia; quæ etiam ſi pro veris conceſſa fuerint, eo occultarum reconditiſſimarumque virtutum agmine ſtipantur, ut facilius multo ſit Sympathiæ, Antipathiæ, & Antiperiſtaſeos naturam cogitatione complecti. Hujuſmodi nimirum Hypotheſes hoc vitio laborare ſemper comperi, ut obſcurius quid magiſque difficiles explicatus habeant, quam res ipſæ, quibus eæ explicandis accommodantur. In illa Vorticum hypotheſi, quæ iis ante cæteras omnes arridet, rationem nullam afferunt, cur materia fluida curvam ſemitam affectet, ſeſeque circa centrum torqueat, cum ea ſit corporum omnium natura, ut rectis lineis ferantur? unde tot Vorticibus cautum eſt, ne in curſibus ſuis ſe invicem perturbent & impediant; unde per eos tranſeant Cometæ, motuque prorſus contrario, ac ipſe Vortex, verſentur; tantumque abſit, ut illius incitatiſſima converſio eos interpellet, ut in ſuis, quos circa

Solem

Solem conficiunt, orbibus, ad eandem ac Planetæ normam dirigantur, ſeſeque verſus eum pari modo inflectant. Hac adeo Vorticum hypotheſi in eos ſe laqueos inducunt iſti Philoſophandi artifices, a quibus nunquam expedire ſe poſſunt: in qua tamen poſitum eſt omne hujuſmodi Philoſophiæ fundamentum. Quum ad Phænomenon aliquod explicandum accedunt, ad illorum nutum præſto eſt Subtilis Materia, quæ modo motuque admodum ignoto atque inexplicabili rem quam velint efficiat. Num Philoſophiam magis ſapiunt hæc, quam ſi quis dixerit id a Sympathia, Antipathia, vel occulta aliqua qualitate proficiſci? Num hæc Philoſophandi ratio non æque, ac illa quam vellicant, in Aſylum ignorantiæ ceſſura eſt? Et ſi conſuetudini fictis hiſce fabulis indulgenti obſequimur, quidni cætera etiam, quæ ab hominibus ad comminiſcendum ingenioſis fingi poſſunt, amplectamur?

Quam longe alia diſſimiliſque eſt vera Philoſophiæ inſtituendæ via! in qua nihil ponitur, niſi quod in ipſa rerum natura conſtitutum eſſe obſervatio evidentiſſima declarat; & quanquam Principii, quo utimur, cauſa & origo deliteſcat, ex eo tamen multa, quæ quotidiano uſu animadvertimus, fluere & pendere poſſunt. Itaque ingenui eſt Philoſophi primo corporum virtutes experimentis elicere; deinde, ubi eæ diligenter exploratæ ſtabilitæque ſint, diſtincte & perſpicue commonſtrare, quinam illas effectus ſua ſponte conſequantur. Neque ulla credo tanti eſſe adverſantium argumenta, quæ hanc veri inveſtigandi rationem evertant. Etenim ſi Principia & Poſtulata vim ſuam omnem in Experimentis poſitam obtineant; ſi Propoſitionibus conceſſis & rite præmiſſis, nihil contra Dialectices leges conficiatur, concluſio non poteſt non eſſe certiſſima: Ita ut quicquid hac methodo evolutum explicatumque habemus, rem Phyſicam inventis augere atque amplificare merito cenſendum ſit. Igitur vim hanc Attractricem, utcunque eam labefactare conentur Editores, firmam nos ſtabilemque tenere confidimus.

Eſt & alterum Axioma, quod conſenſu ſuo non approbant Editores, viz. Corporum Momenta, ſeu quantitates motuum oriri ex Ratione Quantitatis Materiæ & Celeritatis Compoſita: quæ qui ſic æſtimant in communi errore verſantur, uti paſſim in illorum Actis notatum eſt. In iis quidem video de hac re unum aut alterum clariſſimi L..... Commentariolum; qui tamen ita parum rationibus pugnat, ut nihil niſi fallaces concluſiunculas, nihil niſi in verbis captiones ſectetur: igitur ea quæ de hoc argumento protulit, una fere Mathematicorum voce atque ſententia improbantur: Quorum nonnulli hoc ipſum Axioma exquiſite confirmarunt. Hos itaque adeat Lector; nam illa diſceptatio, uti per ſe ſatis magna eſt, ita etiam huic inſtituto nimis aliena.

Sed jam Editores, ſicut æquum eſt, cum bona gratia dimittamus: hanc enim eorum humanitatem libenter agnoſco, quod Principia, quibus uſus ſum, modo vera fuerint, me ſatis apte atque appoſite ad rem meam accommodaſſe etiam, non inficiando confiteri videantur.

FINIS.

EMMENOLOGIA:

IN QUA

Fluxus Muliebris Menſtrui

PHÆNOMENA,

PERIODI, VITIA,

CUM

MEDENDI METHODO,

AD

RATIONES MECHANICAS

Exiguntur.

PRÆFATIO.

MISERA profecto videtur & iniqua Fœminarum conditio, ut, quæ humani generis conſervatrices a Natura deſtinatæ ſint, eædem morbis maxime obnoxiæ effingerentur. Quamcunque enim vitæ rationem ſequantur, paucæ ſunt quibus contingit doloris expers & illibata ſanitas: quippe ſi conjugio fruantur, ex eo ipſo leporum fonte amari aliquid ſurgit, & longa ſaltem tædia, ſi nihil aſperius, ſecum affert graviditas; ſi cœlibi otio ſe tradant, vix ita ſibi cavere poſſunt, quin morbo aliquo laborent, ob id ipſum quia non fiunt gravidæ. Eæ enim ſanguinis ſuppetiæ, quas in fœtus uſum atque alimentum accumulare debent mulieres, ſi paulo ultra debitum modum aut intus excedant, aut foras profluant, mille in tenello corpore turbas excitant. Eo quidem artificio efformatur muliebris fabrica, ut certis quibuſdam temporibus depleri poſſit iſta ſanguinis redundantia: infinita tamen indies obverſantur mala, quæ ſalutare hoc naturæ opus interpellant; ita ut, ne evacuatione hac minus rite peracta, ſua Fœminis male conſtet ſanitas, Ars in ſubſidium advocanda ſit. Quæ cum ancilla quædam & miniſtra ſit, quæ Naturæ opus, ſiquid obſtaculi intervenerit, promoveat atque expediat; niſi agendi modum, quo utitur Natura, accurate intellexerit, ita parum illius conatibus auxilio erit, ut vix potuerit non admodum officere. Inveſtigato autem Naturæ tramite, Ars ſiquando eam ſequi atque æmulari velit, nullo errore huc illuc temere vagabitur, ſed ad metam recta contendet.

In hac quidem, quam aggredimur, diſquiſitione non utili minus quam jucunda, elaborarunt ſeculorum pene omnium ingenia: ſed ut nullum fere eſt argumentum, de quo plura ſcribunt Medici; ita nec ullum, in quo Lectori minus ſatisfaciunt. Qua in re quod tam infeliciter ceſſerit viris tum doctrina tum ſtudio ad hanc rem ſatis inſtructis, nullam aliam cauſam reperio, niſi quod abſtruſiſſima quæque Principia & maxime recondita ſequerentur; ſimpliciora vero, & quæ quaſi ante pedes jacuerunt, aut non viderent, aut contemnerent. Ita cum ingenio ſuo abrepti, in rebus admodum obſcuris immorarentur, non mirum eſt, ſi ſuorum potius ſomniorum fuerint, quam Naturæ interpretes. Hæc facile ſentiet, ſiquis eos, qui de Menſibus ad ſatietatem uſque ſcripſerunt, Authores pervolvat; qui quidem fere omnes iis ratiociniis Menſium naturam explicant, quæ ipſa debuerant, nec tamen poſſunt, explicari. Talia ſunt eorum, qui a Lunæ phaſibus, aut Archæo, aut Fermento quodam Menſes deducunt, commenta. Quod

ſi Naturæ veſtigia fideliter legamus, ipſa nobis ſe ultro indicabit; neque unquam æque feliciter innoteſcet corporis humani machina, ac ſi leges eas, quas Mechanicis, hoc eſt ſuis motibus præſcripſit Natura, conſulamus. Hiſce enim Principiis unice inniti debent vera Phyſices fundamenta: quibus quicquid ſuperſtruxeris, id non modo ſimplicitate ſua legentis ſtudium excitabit, ſed evidentia etiam aſſenſum coget.

Dolendum ſane eſt Theoriam Medicinalem, quæ in multis ſaltem eadem certitudine ac Geometria elaborari poteſt, uti fere in Authorum ſcriptis tractatur, non modo conjecturalem videri, ſed & abſurdam; in quibus quidem eæ, quæ de morborum cauſis finguntur, Hypotheſes, ita parum ad ſeveriorem rationis normam accedunt, ut præclare ſatis actum ſit, ſi non ſenſui plane repugnent. Multa ſunt, quæ ingenuum hunc medicinæ fontem contaminarunt; nihil tamen penitius inquinavit, quam infamis iſte, qui in artem medicam dudum irrepſit, Chymiæ abuſus: abuſus inquam, quia ſi intra proprios limites conſiſtat Chymia, nullum humanis commodis æque inſervit Inſtrumentum, nullum vel citius, vel efficacius morbos abigit. Hujus quippe provincia eſt, Pharmacis eleganter concinnatis & quaſi contractis Medicinam Practicam ditare: quod ſi ulterius excurrat Chymia, & ad morborum Theoriam ſua accommodet Principia, ingenia alioquin peracuta in errores agit, & vana ſcientiæ imagine deludit. Quid enim ea aut in cauſis morborum rite explicandis, aut ſymptomatis feliciter curandis præſtare poſſunt Principia, quæ ita nulla ſunt, ut in animo quidem philoſophantium locum fortaſſe habeant, in rerum tamen Natura minime exiſtant? De quibus etiam inter ipſos diſciplinæ hujus fautores nondum convenit. Utcunque vero commentitia fuerint Chymicorum Elementa, a pleriſque tamen ad morborum cognitionem illuſtrandam adhibentur: eo utiquæ ſucceſſu, ut non plus commodi Praxi medicæ, quam Theoriæ detrimenti intulerit Chymia. Ita arti per ſe ſatis rationali offecit, uti hactenus tractata eſt, Philoſophia Chymica: cujus tamen penitior ſcientia ita medicinæ prodeſſe poterit, ut ſi ad Mechanicas rationes exigatur, (quod fieri aliquando poſſe non deſperandum eſt) nihil ſit, quod etiam Theoriæ illuſtrandæ magis inſerviturum videatur.

Sed huic de morbis ſcientiæ, depravatæ admodum & pene intermortuæ, medicas tandem manus adhibuit, vir ſtudii atque ingenii admirabilis, Bellini: qui quidem in Artem Medicam introduxit ſanius quoddam ratiocinandi genus, ex Mechanices atque Anatomiæ fontibus depromptum. Eam utili Theoriæ facem prætulit, quæ & hodie ad hoc ſtudium præclara quædam ingenia excitavit, &, ſi recte auguramur, felicibus poſterorum cœptis prælucebit. Etenim hinc omnino inveſtiganda eſt vera morborum, tum cauſa, tum indicatio; hujuſmodi quippe Principia non modo certa & Naturæ maxime congrua reperiuntur, ſed & intellectu etiam facillima. Optandum eſſet ut provinciam hanc ſuſciperent, quibus Medicinæ palma, ab exteris etiam, ultro conceſſa eſt, Medici noſtrates; famamque eam, quam in curatione morborum illuſtranda jure obtinuit, in Theoria quoque excolenda

ſibi

ſibi vindicaret Anglia. Eam quippe deſideramus Theoriam, quæ a Praxi feliciſſima ſit deducta, ad eamque rurſus accommodata: quæ cum hactenus fere nuda fuerit & more tantum philoſophico deſcripta, hodie forte minus æſtimatur; dum ii qui rationem illam, qua ad Praxin applicanda ſint Elementa Mechanica, parum perſpiciunt, ea ne omnino quidem applicari poſſe arbitrantur.

Quod ſi ex Elementis hiſce Mechanicis optime educatur Theoria medica, Muliebrium certe, ſiqua alia, morborum cauſa haud ita difficilis eſt, quin magna ſaltem ex parte perſpici atque illuſtrari queat. Et ſane operam noſtram nullum æquius poſtulat argumentum, quam ut morbis iſtis quam certiſſimum remedium excogitemus, qui cum in Fœminis graviſſimos dolores excitant, tum in nobis etiam, qui humanitati pariter & medicinæ ſtudemus, non vehemens minus curandi ſtudium excitare debent. Cum autem univerſi fere, quibus Mulieres laborant, morbi ab aliquo Menſium vitio, uti recte notat Hippocrates, deriventur; horas haud male collocaſſe videbor, ſi Menſium naturam paulo luculentius, quam hactenus in libris tractatam reperio, explicare ſim aggreſſus. In quo quidem opuſculo nihil reconditum, nihil a communi ſenſu longius remotum reperiet Lector: ſiquidem id mihi unice curæ fuit, ut veritatem, quam maxime poſſem, aſſequerer; quæ quo magis obvia & familiaris fuerit, eo ſolet eſſe acceptior.

INDEX

INDEX
CAPITUM.

CAP. I. DE *Purgationis Menſtruæ natura.*
CAP. II. *Variæ de Menſibus opiniones recenſentur.*
CAP. III. *De Plethoræ cauſis, & quare fiat in Fœminis.*
CAP. IV. *De Structura Uteri & Vaginæ.*
CAP. V. *De modo quo Menſes movet Plethora.*
CAP. VI. *Argumenta contra Plethoram refelluntur.*
CAP. VII. *De Periodis.*
CAP. VIII. *Phænomena Menſium explicantur.*
CAP. IX. *De iis quæ aut citius cient, aut diutius retardant Menſes.*
CAP. X. *De Symptomatis quæ a ſuppreſſis Menſibus oriuntur.*
CAP. XI. *De methodo in ſuppreſſis Menſibus Therapeutica: cui ſubnectuntur Hiſtoriæ.*
CAP. XII. *De Symptomatis quæ a Menſium fluxu immodico oriuntur.*
CAP. XIII. *De Methodo in fluxu Menſium immodico Therapeutica: cui adjiciuntur Hiſtoriæ.*
CAP. XIV. *De Remediorum Viribus & Operatione.*

CAP. I.

De Purgationis Menſtruæ naturâ.

PURGATIO Menſtrua, ſive fluxus ſanguinis ab utero ſingulis menſibus emanans, periodos ſuas communiter inchoat ſecundo ſeptenario, terminat ſeptimo, ſive numeri ſeptenarii quadrato: communiter dico, quia nonnullæ ſunt mulieres, in quibus tardius inchoatur fluxus; paucæ etiam, quas multo ante annum decimum quartum invadit; aliæ rurſus, quas poſt quadrageſimum nonum non deſerit: memorantur præterea fœminæ Menſtruis prorſus immunes.

Evacuati ſanguinis Quantitas pro varietate temperamenti, victus, ætatis, &c. diverſa eſt: in ſanis tamen & adultis vulgo aſſurgit ad uncias viginti, quibus convenit menſura ab Hippocrate aſſignata, duæ ſcilicet Heminæ [a]. Nec minor eſt in Qualitate diverſitas; aliquando enim ad Lympham propius, quam ad Sanguinem, accedit humor Menſtruus: in ſanis vero reperitur rubicundus valde & floridus, qualis (uti idem notat Hippocrates [b]) e vena ſecta Victimæ recenter mactatæ cruor effluit. Qui tamen nonnunquam ita vitiatur, ut pene inter venena referendus ſit: ſed hoc non proprio ipſius vitio debetur, ſed admixtis ſordibus & aliunde ducto contagio. Qui aliter cenſet, Authorum de hac re argumenta conſulat.

Eadem eſt Periodorum inconſtantia; eſt enim ubi die 27 aut 20, eſt ubi bis in menſe, uti in ſalacibus obſervat Duretus [c], etiam aliquando abſque ſanitatis noxa [d]. Eſt demum, ubi ne ſemel quidem in menſe redit Periodus: quæ tamen frequentiſſime ſingulis menſibus recurrit. Pari modo ſe habet fluxus duratio: in aliis enim trium, in aliis quatuor, in nonnullis non niſi ſex dierum ſpatio terminatur: plerumque tamen triduo abſolvitur [e].

Hæc omnia phænomena in ſequentibus locus erit expendere; nunc ad ea, quæ ſub Menſium fluxu fere ſolent accidere, veniendum eſt. Inſtante fluxu, in puellis ſaltem nondum purgatis, hæc præcipue obſervantur ſymptomata: Dolor & æſtus partium vicinarum, ad lumbos præſertim & coxas, aliquando etiam inflammatio, cephalalgia, appetitus remiſſio, crurum laſſitudo; durante profluvio, invadit ſæpe nauſea, & languor.

In Bilioſis Temperamentis paulo maturius fluunt Menſes, citiuſque Periodos ſuas conficiunt; in puellis mollioribus & minus ſanguineis ſerius erumpunt. Ita ſi regio paulo calidior ſit, anno uno aut altero ſeptenarium ſecundum antevertunt; ſi frigidior, excedunt. In Præg-

a Morb. Mul. lib. 1. ſ. 15. b Ibid. c In Holler. 255. d Panarol. Cent. 2. Obſ. 41. Med. Septentr. p. 33. e Hipp. de Morb. Mul. 1. S. 15.

nantibus etiam, & fere ſemper in Lactantibus deficiunt; ſaltem, tertio menſe elapſo, non reperiuntur in Gravidis. Ex diuturniore morbo convaleſcentes ægre & non niſi tarde admodum reviſunt. Fœminis gulæ deditis & genio liberius indulgentibus fluxus ſæpe ad ſextum diem & ultra extenditur; in obeſioribus, & iis qui aut tenui victu aut exercitio multo utuntur, citius terminatur. Quantitas ſanguinis evacuati ad ætatis uſque florem augeſcit; florente ætate, æqualis permanet; ætate rurſus declinante paulatim minuitur. In junioribus tenuior, in ſenibus craſſior reperitur ſanguis. Varietatis hujuſce ratio explicabitur in ea, quam tractaturi ſumus, periodorum doctrina.

CAP. II.

Variæ de Menſibus Opiniones recenſentur.

CAuſas hujuſce fluxus, ad oceani morem ſtato tempore æſtuantis, & ſtudio inveſtigarunt & ſcriptis tradiderunt, Medici, tum veteres, tum recentiores. Infinitum eſſet, quid de iis quiſque ſenſerit, referre; ſatis erit argumentorum capita depromere, ut, ſi illorum ſententiæ nobis parum placeant, quid melius poſſit exquiri, videamus.

In Cauſis igitur inveſtigandis, alii Finalem, alii Efficientem aſſignant; nonnulli, uti Galenus, utramque. Cauſa Finalis fluxus Menſtrui ab Authoribus ſtatuitur, vel Mulieres ad concipiendum aptiores reddere, vel Fœtui præbere nutrimentum. Qui priorem ſententiam amplexi ſunt[a], Menſtruum fluxum ideo neceſſarium eſſe dicunt, ut ſanguis a ſordibus & recrementis purgatus, tum fœminas magis ad coitum impellat, tum ſemen felicius excipiat. Huic argumento facile occurritur; neque enim in ſanis ſanguis ille, qui ejicitur, impurus eſt aut vitioſus, ſed optimus & fragrantiſſimus: quippe non glandulæ alicujus ope ſecernitur, ſed ex capillaribus arteriis erumpit, ideoque naturam arterioſi, hoc eſt, puriſſimi ſanguinis retinet. Quod ſi hæc Menſtrua purgatio conceptui promovendo ita eſſet neceſſaria, nullæ certe conciperent mulieres, niſi quibus fluxerint Menſes; quod quidem experientiæ & Hiſtoriæ Medicæ prorſus repugnat[b].

Alteram ex Finalibus cauſis aſſerit Galenus, eique ſcriptores fere omnes aſſentiunt; refragantur tamen nonnulli, & his duobus potiſſimum argumentis in Galenum inſurgunt.

1°. Ne guttulam quidem materni ſanguinis ad fœtum derivari aiunt; quia ſcilicet neque ulla datur inter Vaſa Uterina & Umbilicalia Anaſtomoſis: neque Fœtus ſanguine, ſed ſucco lacteo per os nutritur[c]. Qui hoc aſſerunt, pari etiam ratione poſſent dicere infan-

a Charleton, Sylvius.
b Hild. l. 5. obſer. 41. Bonet. Med. Septentr. p. 30. Sennert. tom. 3.
c Charleton de Catamen. p. 36 & 43.

tes

tes a materno ſanguine non haurire alimentum, quoniam lacte, non ſanguine nutriuntur. Unde vero id ipſum lac ſuppeteret, niſi ex materni ſanguinis penu ad mammas deferretur? Jam in Fœtu nutriendo eadem valet ratio; ſive enim ipſo matris ſanguine per arterias uterinas delato, ſive liquore qui in Amnio continetur alatur Fœtus; utrinque facile conſtat ſanguinem maternum fœtui alendo inſervire: quis enim iſtius liquoris aliam inveſtigabit originem, qui eum ex materno ſanguine derivari neget? ita ut ſi concedatur Fœtum per os nutriri, quicquid fuerit pabuli, id omne a matre ſit petendum. Fœtum vero per os ſolummodo non nutriri, ſatis probant Monſtra ſine capite in lucem edita, & nonnulli ore naribuſque obturatis infantes. Ulterius adhuc proceſſit Medicorum[a] in re Anatomica peritia, & Fœtum, placenta intercedente, ſanguine materno ali luculenter ſatis evicit; exhibuit enim eam, (quam negant nonnulli[b]) inter Vaſa Uterina & Umbilicalia Anaſtomoſin: cum enim ovum in utero per ſeptimanam unam aut alteram fluctuarit, ab eo, uterina lympha mollito & humectato, erumpunt protinus vaſorum Umbilicalium ſtamina, pari modo atque ex ſemine in terræ gremium immiſſo undique ſe diffundunt fibræ: hæc interiori uteri tunicæ ita ſe inſinuant, ut Vena Umbilicalis Arterias matris Hypogaſtricas penetret, Arteriæ vero Umbilicales Venis maternis inſerantur. Per hos aditus perennis inter Fœtum & Matrem agitur ſanguinis circuitus: ſcilicet Umbilicalis Vena Arterioſum ſanguinem a Matre accipit, quem in Fœtus uſum ad Venam Cavam, adeoque ad cor deducat; uti Arteriæ Umbilicales ſanguinem, nutriendo Fœtui parum idoneum, in Venas maternas regerunt. Quod ſi nulla per hæc vaſa daretur nutritio, non modo pabulo ſuo defraudaretur Fœtus, ſed ne tunicæ quidem, quibus obvolutus eſt, ullo modo poſſent nutriri.

2^do. Negant cauſam eſſe Finalem ſanguinis Menſtrui, ut Fœtui in nutrimentum cedat, quia quantitas novem menſium ſpatio evacuata nimis exigua videtur, ut alendo fœtui ſufficiat[c]. Utrum vero ſufficere poſſit necne, hujuſmodi edocebit calculus. In fœminis recte ſe habentibus ſanguis Menſtruus effunditur ad uncias viginti; ita quantitas novem menſibus effuſa erit lib. 15. quia vero nonnunquam accidit, ut gravidis etiam, per tres ſaltem priores menſes, fluant Menſtrua, licet modica valde & imminuta, ſupponatur effuſi ſanguinis quantitas ea proportione decreſcere, ut primo menſe dimanet ½ ſeu ʒ 10, ſecundo ⅓ ſeu ʒ 6 ⅔, tertio ¼ ſeu ʒ 5, poſtea vero omnino deficiat: unciis demum 21 ⅓ ex lib. 15. ſubductis, quantitas ſanguinis reſidua, quam prægnans in Fœtus nutrimentum commodare poſſit, erit lib. 13 ʒ 2 ⅔, quæ ſi cum recenti Fœtu atque involucris omnibus in trutina ponatur, ea excedet pondere; nullumque dubio locum relinquet, quin embryo incrementum ſatis idoneum largiri poſſit. Medium enim Fœtus recentis pondus eſt lib. 12, aliquando majus, frequenter etiam minus reperitur. Quod ſi Pregnanti Menſes deficiant, ſuppetunt ad alendum fœtum lib. 15; quibus vero ultra uncias

a Columb. Anatom. p. 460. Caſſer. Placent. Tab. 5. b Wharton, Charleton. c Bayle diſſert. de Menſib.

viginti

viginti assurgit fluxus, uti non raro fit, eæ Fœtui, etiamsi monstrum sit, alimentum novimestre facile ministrabunt.

Igitur non video cur a Galeni sententia recedendum sit, qui in Definitionibus Medicis hoc docet, τὰ καθαιρόμενα παρέχειν τῇ γυναικὶ πρὸς ὑγίειαν ἀκινδύνως· ἐπιγεννήσεως δὲ διὰ τὴν σύλληψιν, τῷ ἐμβρύῳ τὴν τροφὴν παρέχει tribuntur mulieri Menstrua, quæ sanitatis gratia vacuentur; embryo autem nutrimentum præbeant, per Conceptum suppressa. Quæ verba, modo sint rite intellecta, veritati optime respondent. Ea enim quæ inter Scriptores multum agitatur quæstio, An Fœtus, scilicet, Menstruo sanguine alitur, perridicula est & a sana, hoc est, Galeni mente alienissima: quasi vero ille unquam crediderit Fœtum nutriri eo ipso sanguine, qui foras ejicitur: quasi non hoc potius voluerit, sanguinem in muliere redundare, ut non tantum proprio corpori alendo satis habeat, sed & concepto Fœtui pabulum insuper ministret; ideo tamen per uterum extra graviditatem singulis mensibus expurgari, quoniam redundet: neque enim Menses fluere, nisi redundaret sanguis, Galenum credidisse statim videbimus.

De Efficiente hujusce profluvii Causa non minus inter se discrepant Authores: dum alii Lunam, alii Fermentum quoddam, alii denique Plethoram statuunt. De his sigillatim pauca sunt dicenda, ut quænam ad veritatem propius accedat sententia, perspici queat.

Et 1^mo. qui Mensium causam a Luna petunt, hoc unico omnes ducuntur argumento, quod fluxus uterini Periodus Lunæ cursibus respondeat, adeoque ad illius imperium dirigatur: quod sane argumentum facile & breviter convelli potest, siquis reponat Menstruis Periodos contingere Lunæ minime congruentes, siquidem eæ frequentius crescente adhuc mense, quam exacto recurrunt. Quod si huic profluvio præesset Luna, mulieres omnes, quibus eadem esset regio, ætas, atque temperies, eodem tempore, iisdemque vicibus ad Menstrua cieret: quod tamen ita parum fit, ut ne fieri quidem possit.

2^do. A Fermento quodam Menstruorum causam deducunt ex recentioribus plerique[a]; quod quidem, diverso licet vocabulo obvolutum, idem est ac apud Democritum fervor uterinus. Statuunt nimirum colluviem Menstruam per uterum purgari ope Fermenti, quod in tota universi sanguinis massa diffundi censet Graaffius, Bayleus vero uteri indigenum agnoscit. Uterque Fermentum hoc in Salibus quibusdam situm esse contendit, qui motu suo sanguinis massam ita exagitant, ut statis quibusdam temporibus, singulis scilicet mensibus, acrius efferveseat, & per uteri vasa exitum quærat. Quomodo peragatur hæc Fermentatio, aut cur his Periodis vires suas exerat, argumentis Lectori parum satisfaciunt, verbis admodum imponunt. Eorum enim sententia, quæ propria singulis visceribus Fermenta tribuit, non modo circulanti sanguini, sed communi sensui repugnat. Ubi enim Fermentum istud delitescit, ubi tam securo fruitur hospitio, ut ab humoribus præterfluentibus minime turbari aut abripi

a Graaff. Bayl. Etmuller.

queat?

queat? quod ſi Fermento ſedem in viſceribus largiamur, unde ei tanta ſuppetit ſuppellex, ut perpetuis impendiis exhauriri nequeat? Deſideraret certe novi Fermenti ſuppetias, ut perenne hoc fermentandi munus obiret. Altera de fermentis opinio, quod ſcilicet totius ſanguinis maſſa fermenteſcat, a veritate æque aliena eſt: ſive enim ad Chymicorum mentem exponatur Fermentatio, actio ſcilicet mutua Acidi & Alkali; ſive latius ſumpta[a], partium motum inteſtinum denotet, neutro modo ſanguini competere poteſt: non priori, quia in ſanguine deſit[b] Acidum: non poſteriori, quia Fluidi cujuſvis partes, quæ ſub iiſdem Planis horizontalibus jacent, æqualiter premuntur, adeoque ad quietem ſe componunt, niſi novo aliquo impetu in motum cieantur. Ita ſi daretur aliquis in ſanguine motus inteſtinus, brevi deficeret, niſi liquido, quod a corde immittitur, excitaretur denuo & reviviſceret; quod ſi a liquido, quod a corde influit, motus inteſtinus oriatur, ſatis conſtat alium in ſanguine motum dari non poſſe, præter eum, quo continuo progreditur & circulatur.

Sed exolevit fere hodie abſurda illa de Fermentis doctrina, & a ſaniſſimis ſaltem ſcriptoribus jam diu exploſa eſt. Quod ſi aliquam rationis ſpeciem præ ſe ferre queant fermenta, ad hunc modum exponi debent; nempe quod in utero ſitæ ſint glandulæ, in quibus liquor ſive Fermentum quoddam ſecernitur, quod in ſanguinem ſingulis tantum menſibus deducitur, eumque in motum vividiorem ſuſcitans & rarefaciens, & uteri canales fortius diſtendens, viam Menſibus aperit. Hoc vero Fermentum ſemel tantum in menſe effunditur, quia ductuum excretoriorum orificia ita tenuia & anguſta ſint, ut id ſola vi quantitatis, ſpatio menſtruo ſecretæ, exitum reperiat; pari modo ac in Teſticulis fit. Hæc hypotheſis, utcunque prima facie cæteris paulo magis probabilis videatur, cum iis tamen æque a veritate abhorret: idem quippe contra omnes de Fermentis hypotheſes valet argumentum, nempe ſi a Fermento, non a Plethora concitarentur Menſes, brevi ſpatio ea ſanguinis quantitas foras effuſa eſſet, quæ vitæ fomitem penitus extingueret. Contra Fermenta acriter contendit in ſuo de Catameniis libro Charletonus, & Baylei ſententiam ſatis viriliter evertit: qui tamen cum exponit ſuam, totum illud argumentum ex ipſo Bayleo, iiſdem per omnia fere verbis expreſſum, mutuatur, quod paginis proxime præcedentibus rejecerat & refutarat.

3^tio^ Denique Plethoræ tribuit Galenus Menſtrui fluxus originem, in libro de Venæſectione adverſus Eraſiſtratum, οὐχ αὕτη (φύσις) γυναῖκας μὲν ἁπάσας ἐφ' ἑκάστῳ μηνὶ κενοῖ, τὸ περιττὸν ἀπεχέουσα τοῦ αἵματος; ἴδοι γὰρ, οἶμαι, οἶκοι τὸ θῆλυ γένος ἔτι ἰσχυρῶς πόνοις διαλῳδοῦμον, οὐδ' ὑπαίθριον ἡλίῳ καθαρῷ, καὶ διὰ ταῦτα πλῆθος ἀπορρέον, ἅμα φυσικὴν ἔχον τὴν πλήθους ἢ κίνησιν. "Nonne natura ipſa mulieres cunctas eva-
" cuat, ſanguine ſuperfluo ſingulis menſibus foras effuſo? quippe mu-
" liebre genus, quod domi ageret neque vehementibus laboribus ex-
" erceretur, neque ſub claro ſole viveret, & propterea quamplurimos
" humores coacervaret, oportebat opinor evacuationem hujuſce ple-

a Willis de Febrib. b Boyle. Pitcarn.

" nitudinis, tanquam remedium a natura datum, accipere." Hanc de Plethora ſententiam multi poſt Galenum ſecuti ſunt; quam tamen apud Authores ita parum illuſtratam reperio, ut neque luculenter ſatis appareat, vel quibus de cauſis Menſes moveat Plethora, vel quænam in Fœminis vera ſit ipſius Plethoræ cauſa. Igitur quoniam his rite explicatis Menſtrui fluxus naturam clarius innoteſcere poſſe confidimus; diſquiremus primo, unde originem deducat, & quomodo in Fœminis creſcat Plethora; deinde quibus viribus, & qua potiſſimum de cauſa, ſanguinem per uterina vaſa exoneret: quibus ultimo loco adjicientur argumenta, quæ periodicum profluvii iſtius recurſum expedient quodammodo & illuſtrabunt.

CAP. III.

De Cauſis Plethoræ, & quare fiat in Fœminis.

UT cauſis Plethoræ inveſtigandis rectius ſternatur via, liceat his uti præmiſſis.

1°. Corpus omne in eodem ſtatu permanere, ſi evacuatio additioni fuerit æqualis; & vice verſa.

2do. Si animali cuivis Periodica aliqua ſupervenerit ſanguinis eruptio, & idem exacta eruptione ſtatus redierit qui ſub initium Periodi fuit, ita ut nec minus nec magis ponderoſum fiat animal, in eo ante eruptionem iſtam fuiſſe Plethoram: & porro evacuationes omnes ante eruptionem factas additioni fuiſſe impares, at una cum erumpente ſanguine æquales.

Hæc per ſe ſatis liquent; unica quippe, ex qua quantitas materiæ cujuſque dignoſcitur, menſura, eſt Pondus. Si igitur corporis Pondus idem maneat, manet eadem etiam Quantitas materiæ; ſeu quod idem eſt, quantum additur corpori, tantum etiam & ab eo evacuatur. Si vero minus evacuatur quam apponitur, creſcet pondus corporis, adeoque quantitas materiæ erit major; quæ ſi ad hunc modum aucta in vaſis ſanguineis accumuletur, nec in habitum corporis diffundatur, inducetur ſanguinis Plethora, donec fiat eruptio. Ipſa autem eruptio per vices recurrens indicat ſanguinem non in carnes abſumi, ſed intra vaſa coacervari.

Quocunque igitur in corpore talis oriatur Plethora, ut neceſſe ſit certis quibuſdam Periodis materiæ redundantis excretionem fieri, ſatis liquet omnes eas evacuationes, quæ Periodorum intervallis factæ ſunt, quantitate materiæ corpori ingeſta fuiſſe minores: quod ſi corpus, facta hac excretione periodica, in eundem cum illo ſtatum redigatur, quem incipiente Periodo obtinuit, ſequitur omnino ultimam hanc evacuationem, intermediis omnibus conjunctam, ad menſuram quantitatis per totius Periodi decurſum ingeſtæ aſſurgere.

Et hactenus quidem non tam conjectura, quam demonſtratione perventum eſt.

Itaque ut hæc omnia inſtituto noſtro accommodemus, ex certiſſimis Principiis concludi poteſt: cum fœmina, expurgatis Menſibus, eundem obtineat corporis ſtatum, quo ſub Periodi Menſtruæ initium fruebatur, (quod experientia confirmat) in ea decurſu iſtius Periodi evacuationes cæteras aſſumptis alimentis impares fuiſſe: itidem, quia hæ fuerint impares, humorem nutritium in corpore redundare; qui ſi intra Circulationis ambitum concluſus ſit, ſanguini eam, pro qua contendimus, inferet Plethoram.

In eodem vero ſtatu jugiter permanere, tum ex viſu, tum ex Statica, probantur integræ valetudinis mulieres; in quibus totius fere ætatis decurſu nulla ponderis mutatio ſentitur, modo eadem obſervetur vivendi ratio, idemque adhibeatur rerum, quas vocant, Non-naturalium uſus. Sed ne forte paulo altius excurrere videamur, libet ad medium aliquod, ne dicam perexiguum, tempus deſcendere; & id tantum petimus, ut Fœmina ſana, & Menſibus rite purgata, per quinque annos eadem permanere concedatur: hoc ſi impetramus, ſequitur ex Præmiſſ. 1. evacuationes omnes eo quinquennio peractas alimenti copiæ reſpondiſſe; e quibus tamen evacuationibus eſt fluxus Menſtruus; quod ſi, Menſtruis ſubductis, evacuationes reliquæ non reſponderint, patet ex Præm. 2. fuiſſe ante ejectos Menſes in muliere Plethoram.

Aliud argumentum, cur evacuationes cæteræ ad ingeſta alimenta parum aſſurgant, ab ipſis Menſibus deſumi poteſt; ſi enim aſſurgerent, profluvium Menſtruum non tam inter Criſes ſalutares, quam Morbos poni deberet; & miſellæ Fœminæ quinquennii ſpatio ſanguinis puri lib. 100, ut in capite præcedente demonſtratur, fruſtra evacuarent, ſeu quod idem eſt, lib. 100 de pondere ſuo amitterent. Itaque tantum abeſſet ut ſano corpore fruerentur; ut corpus eo tempore vix haberent.

Pariter eadem certitudine colligimus, Secretiones in cæteris animalibus ingeſtæ materiæ reſpondere; quoniam, cum ætatis florem conſecuta ſint, in eodum prorſus ſtatu permanent; quia vero evacuationis additioniſque eadem ſit proportio, ideo in iis non accumulari Plethoram: neque porro menſes fluere debere, qui citra Plethoram non moventur. His alia forſan in ſequentibus adjicietur ratio, cur Bruta fluxui Menſtruo non ſint obnoxia.

Satis jam perſpicue oſtenſum eſt, in Muliere dari Plethoram; quibus vero de cauſis iſta fiat redundantia, ſeu, quod idem eſt, quare in ea deficiat totius alimenti evacuatio, hoc etiam ſi explicare potero, argumento plenius ſatisfacere videbor.

Perſpirationem igitur, (ea enim Secretione alimenti pars longe maxima diſſipatur) in Fœminis imminuere probantur ſequentia.

1°. Uti obſervat, accuratiſſimus rerum inveſtigator, Sanctorius[a], Vires imbecilles: & has quidem a molliori textura recte deducere videtur Hippocrates[b]; quo enim magis ſolidæ fuerint partes, eo robuſtior fit corporis compages. Sed quæcunque ſit imbecillitatis hu-

a Med. Stat. ſ. 1. 52. b De Gland. ſ. 11.

juſce

juſce cauſa, certum eſt Mulieres Viris eſſe imbecilliores; idque ex Pulſu ſatis innoteſcit. Pulſum enim muliebrem fere langueſcere dicas, ſi cum virili conferatur; quod etiam annotavit Galenus[a]; a Pulſu porro certiſſima roboris indicia ſunt petenda. Quid enim eſt robur, niſi vis illa quæ a ſanguine & ſpiritibus in membra derivatur? ea vero quomodo derivari poteſt, niſi cor, cujus ſolius motu diriguntur ſanguis & ſpiritus, validius contrahatur? Quod ſi cordis contractio ſit validior, fieri nullo modo poteſt, ut non fortius increbreſcat Pulſus. De hoc qui dubitat, dubitare etiam poteſt, utrum ſit Pulſus. Sed ut ad rem redeamus, Sanctorii Aphoriſmus ab iis quæ dicta ſunt demonſtrari poteſt: ſi enim Pulſus ſit imbecillior, minor ſanguinis quantitas ad glandulas, non intercutes modo, ſed alias omnes dato tempore deferetur, ideoque minor erit humorum ſecretio: etiam id ipſum quod ſecernitur, propter eam quam explicuimus imbecillitatem, e fibris, quarum tenſio remiſſior eſt, non ita prompte aut fortiter exprimi poteſt.

Ad hunc modum a viribus imbecillis orietur Perſpirationis defectus: quod ſi in Fœminis vaſorum orificia multo, quam in viris, exiliora ſint, (quod rationi forte non repugnat, quia & earum compages magis delicata ſit, ſubtiliuſque pertexta, & moles ſemper fere contractior) alterum a noſtra parte erit argumentum; quia tum copia ſcilicet liquidi in vaſa ſecretoria influentis minor ſuppetit. Eſt enim Secretio, ut velocitas ſanguinis, & vaſis ſecretorii orificium; uti demonſtravit Bellini. Adeoque ob minorem ſanguinis velocitatem, quam ex Pulſu cognoſcimus, & capillarium anguſtias, quæ ex textura delicatula etiam probari poſſe videntur, minor erit in Fœminis materiæ perſpirabilis ſecretio.

2°. Temperamentum, quod humidius eſſe in Fœminis, quam in Maribus recte[b] pronuntiat Hippocrates. Fæminarum enim corpora, tum ad tactum tum ad viſum, multo molliora & teneriora ſunt quam virorum; a qua partium mollitie Humidi redundantiam idem ille Autor non abſurde deducit[c]: quo enim minus ſolidæ ſint partes, eo magis in iis abundat fluidum[d]. In Viris autem, quo ſolidior evadit corporis compages, eo minus fluidi relinquitur; ſolidarum enim partium moles, niſi imminuta fluidi copia, increſcere nequaquam poteſt. Itaque ratione molis ſuæ plus habent ſanguinis mulieres, quam viri. Hinc eſt quod citius ad debitam magnitudinem aſſurgant; quia liquidi copia, ex qua ſolidæ partes conflantur, in iis ſit uberior: ita ut minori tempore æquale, vel æquali tempore amplius nutrimentum inde hauriri queat, uti argumentatur Hippocrates[e], fuſiuſque oſtendit Pitcarnius. Cum igitur fœminæ hac gaudeant temperie, humiditatem in iis non remitti bene colligit modo laudatus author: quia rariore ſint textura[f]; patet etiam ex Statica Sanctoriana, humida corpora minus perſpirare, & plenius nutrimentum Secretioni inſenſili officere. Eodem fundamento nititur Apho-

a De Cauſ. Pulſ. 3. 2. b Nat. Puer. ſ. 6. c Morb. Mul. 1. ſ. 11. d De Gland. ſ. 11.
e Morb. Mul. 1. ſ. 11. f De Gland. ſ. 11.

riſmus

riſmus ille[a], ab aquæ potatione perſpirationem inſenſilem impediri. Pariter aquoſas, id eſt, per quam humidas, mulieres diutius purgari ſcribit Hippocrates[b].

3°. Vita domi acta & labore minus exercita; ideoque hinc etiam originem trahere Plethoram recte ſtatuit Galenus, &, optimus naturæ interpres, Hippocrates[c]. Etenim annotante Sanctorio[d], "Exercitio corpora leviora fiunt; omnes quippe partes, præcipue muſculi & ligamenta, motu ab excrementis purgantur; perſpirabile ad exhalationem præparatur, & ſpiritus tenuiores fiunt": ita quicquid ſit humoris ſuperflui, id fortius foras exprimitur; optime enim notavit Hippocrates, labore aliquid humoris abduci[e]. Contra vero quiete nimia gravius fit corpus, & propter inhibitam perſpirationem humores intra vaſa redundant: igitur recte docet idem Sanctorius, perſpirationem, ubi in ſanis deficit, exercitio ſarciri[f].

Quæret fortaſſe aliquis, quare fœminas minus perſpirare contendam, cum in iis plerumque æque copioſus ac in viris obſervetur ſudor? Cui hic hæret ſcrupulus, diſcat e Sanctorio, quod perſpiratio & ſudor ita parum inter ſe conveniant, ut nihil fere habeant commune; contra quo hic amplius provocatur, eo magis illa minuitur[g]. Saltem ſi præceſſerit ſudor paulo uberior, perſpirationem ad horas & fortaſſe dies aliquot langueſcere & ratio evincet & Statice[h].

Ultimo de otioſa vita argumento facile erit reponere, plurimas inveniri mulieres, exercitio quidem laboribuſque aſſuetas, non ideo tamen Menſibus immunes. Sed meminerit lector deſidiam non eſſe unicam plenitudinis menſtruæ cauſam: utcunque labori ſe aſſueſcat mulier, humidam ſuam ſecum portat temperiem, & vires imbecilles. Quod ſi cui & vita athletica, & ſiccum temperamentum contigerit, dubitari forſan poteſt, utrum illi fluxura ſint Menſtrua: pro me certe haud parum facit quod obſervarunt Practici, eas quibus Menſes penitus defuiſſe compertum eſt, calidiſſimi[i] fuiſſe temperamenti Viragines: quæ cum ad robur maſculinum accedant, & laboribus ut plurimum ſe exerceant, alimentum omne facile digerunt, & per poros eliminant[k]. Igitur in his Pulſus validiores obſervat Galenus[l]. Ita Menſibus Saltatrices deſtituti ſcribit Sennertus[m], Foreſtus[n] etiam Cantatrices: quod & experientia ſatis confirmat. In quibus quidem omnibus labor id efficit, ut evacuationes copiæ ingeſtæ reſpondeant; adeoque nec ulla deſideretur menſium purgatio.

Sed utcunque de cauſis diſceptari queat, de re certum eſt. Plethora igitur demonſtrata, non ita arduum eſt, quibus viribus, & qua potiſſimum de cauſa, ſanguis per Uterina vaſa effluat, explicare.

a Med. Stat. ſ. 3. 67. b Epid. 6. 1. c De Gland. ſ. 11. d S. 5. 9. e Morb. Mul. 1. 11. f S. 5. 34. g S. 1. 12. 13. 23. 110. h S. 5. 3. i Plater. Obſ. Med. p. 247. k Hild. c. 5. Obſ. 41. l Cauſ. pulſ. 3. 5. m Tom. 3. n L. 28, Obſ. 1.

CAP. IV.

De Structura Uteri & Vaginæ.

ANtequam vero modum, quo ad ciendos Menſes utitur Plethora, exponam, neceſſarium videtur pauca de Uteri & Vaginæ fabrica præfari: quod quidem ii qui de Catameniis ſcripſerunt, tanquam a re ſua alienum prætermittunt; quamvis nihil fere eſt, quod de hoc argumento cogitanti clariorem lucem afferat, quam Muliebris Uteri ſtructura, non tantum animo perſpecta, ſed ad examen hoc accommodata. De hac itaque, quantum inſtituto meo ſufficit, breviter dicam.

1. In fœminis Pudendum, uti & reliquum corpus, reſpectu horizontis ſitum obtinet Perpendicularem, in cæteris animalibus Parallelum.

2. Interna tam Uteri, quam Vaginæ tunica, in quam inſeruntur varie & diſſeminantur venæ & arteriæ, adipe omnino caret & craſſitie; ita ut vaſa, fibris ipſius intertexta, minus ſuſtinere aut munire queat: quæ quidem in cæteris fere quibuſcunque corporis partibus plurimum ſuffulciunt muſculi & pinguedo.

3. Vaſa ſanguinea, tam arteriæ quam venæ, numero pene infinita ad has partes deferuntur; quorum tamen major copia in uterum diffunditur. Arteriarum rami, uti & venarum, ex utroque latere ſibi invicem per Anaſtomoſin committuntur, qui non recto curſu ad uterum feruntur, ſed varie inter ſe implicati & contorti, curvis & quaſi ſerpentinis ductibus perreptant. Cujus quidem texturæ ratio ſatis elucet & neceſſitas; gravida enim muliere, & fœtu uterum magis indies diſtendente, comprimerentur omnino, aut diſſilirent potius vaſa ſanguinea, niſi his ambagibus circumducta eſſent: hoc nimirum artificio formata utero ſenſim creſcenti facile cedunt, & ultimis graviditatis menſibus in directum magis reducuntur.

4. Aortæ truncus deſcendens multo amplior in fœminis, quam in viris reperitur: eo utique naturæ conſilio, ut non modo ad muſculos excludendo fœtui inſervientes, ſed ad uterum etiam, in quo fovetur & enutritur fœtus, major ſanguinis copia deferatur. Quæ quidem vaſorum multitudo facit, ut non alium quemvis, niſi per Uterum, ſibi exitum quærant Menſes.

5. Venis omnibus Uterinis deſunt Valvulæ.

CAP. V.

De modo, quo Menſes movet Plethora.

CUM talis ſit vaſorum conformatio, videamus quomodo, accedente plethora, ſanguis per ea expurgetur. Quod ab his Propoſitionibus, quas demonſtrant Mathematici, clariſſime deduci poteſt.

Prop.

Prop. 1. Augetur Momentum corporis cujuſvis, ſeu vis ea, qua corpus e loco ſuo continuo tendit, augendo vel celeritatem, vel quantitatem materiæ, vel utramque.

2. Si Momentum corporis ſit majus, quam contraria impedimenti vis, id impedimentum removebitur.

3. In Percutientibus corporibus, ictuum magnitudo motui deperdito proportionalis eſt.

4. Motus deperditus eſt, ut Reſiſtentia.

5. Si corpus data vi in impedimentum aliquod feratur, ictus magnitudo erit, ut Sinus Anguli Incidentiæ.

6. In quovis Fluido non tantum eſt Preſſio deorſum, ſed etiam a latere & undiquaque.

7. Fluidum corpora circumpoſita premit a latere omni illa vi, qua partes ejus conantur a preſſione recedere.

8. Preſſio lateralis eſt in ratione altitudinis, qua fluidum incumbens aſſurgit.

9. Directio preſſionum Superficiei, quæ premitur, eſt perpendicularis.

Priores duæ Propoſitiones oſtendunt, quare, increſcente Plethora, ſanguis e canalibus ſuis erumpat; reliquæ, quare ex Uterinis potiſſimum feratur.


Per ſe enim luculenter patet, quomodo eadem manente velocitate, augeatur Momentum ſanguinis in Plethora; quia ſcilicet augetur quantitas: quod ſi augeatur etiam velocitas, eo fortius erit momentum. In Plethora tamen ſemper creſcit, non modo quantitas ſanguinis, ſed & velocitas, niſi ſanguis nimis lentus fuerit, aut viſcidus: ſi enim rite admiſtus & comminutus ſit, quo magis mole creverit, eo plures ſecernit ſpiritus; quo vero ſpirituum copia ſit uberior, eo crebrior fit, atque validior cordis contractio: ita ut ſi acceſſerit Plethora, neceſſario ſanguis velocius circuletur, adeoque majore cum momento in impedimenta quævis impingat.

Vaſa vero ſanguinea tanquam impedimenta ſpectanda ſunt, ne ſanguis extra canales feratur; & hoc ſane efficiunt, quamdiu aut æquis viribus aut majoribus ſanguini circulanti renituntur: cum vero eouſque increbuerit ſanguinis momentum, ut ei oppugnando vaſa minime ſufficiant, locum facile cedunt, ut per ipſorum tunicas ſanguis erumpat. Vaſa vero Uterina, quia, uti diximus, carne parum ſuffulta ſunt, ſiqua alia, ad cedendum ſunt facillima: ea ſane reniti non poſſe oſtendit ipſa ſanguinis eruptio; qui quidem erumpere minime poſſet, ſi ea contra æquali Momento reſtitiſſent.

Quia vero per Prop. 3. in Percutientibus corporibus, ictuum magnitudo motui deperdito proportionalis ſit, videndum eſt, an ſingularis aliqua in Uterinis vaſis fiat motus imminutio: quæ quidem clarius elucebit, ſi ad ea, quæ de vaſorum ſtructura paulo ante diximus, attendamus. Ea nempe non recto, ſed curvo admodum & quaſi ſerpentino curſu per uterum varie funduntur: itaque cum motus deperditus ſit ut Reſiſtentia per Prop. 4, ſi major in iis contingat Reſiſtentia,

ſiſtentia, major etiam erit ictus magnitudo; quam motui deperdito proportionalem agnoſcimus. Majorem vero in vaſis hiſce contortis dari Reſiſtentiam, hoc modo demonſtratur. Si in recto canali decurrat fluidum, datur tantum Preſſio eaque lateralis, per Prop. 7, qua ſcilicet latera canalis diſtendit fluidum; quia latera non opponuntur fluido in directum adeoque nec impedimento ſunt. Si tamen in curvo canali moveatur fluidum, canalis latera non tantum premit, ſed omni, quo pollet, momento in ea impingit: quanto vero magis, hoc impeditum obſtaculo, de motu ſuo deperdat, tanto fortior erit in idem obſtaculum ictus magnitudo. Quo vero in curvum magis flectantur vaſa, id eſt, quo magis directioni fluidi ſint oppoſita, eo major erit vaſorum reſiſtentia, & proinde major ictuum magnitudo: inde etiam uberior accedet fluido vis, quo facilius vaſa poſſit perrumpere.

Si enim canalis Cylindrici A C (uti in Fig. 1.) Axis ſit fluidi directioni ſemper parallelus, nullus erit particularum fluidi in ipſius latera impetus; adeoque & ictus nullus; fluidum vero omni illa vi,



qua premitur, latera vaſis perpendiculariter urgebit. Quod ſi quantitas fluidi augeatur, preſſio etiam & vis, quæ in canalium latera exercetur, augebitur: unde orietur canalium diſtenſio, & proinde laxior fibrarum textura, minorque inter ſe cohærentia. At ſi canalis ſit inflexus paulo, ita ut oblique feratur ſanguis a B ad C, (uti in Fig. 2.) moles ſanguinis aucta non modo latera ipſius diſtendet, ſed in partes curvatas cum impetu feretur, & fibras jam ſatis diſtentas cum ictu perfringet: eoque facilius cum, uti oſtendit Borellus, Vis ictus omni preſſione infinito major ſit. Ictus vero magnitudo major erit, quo magis incurvetur canalis, idque in ratione Sinus Anguli Incidentiæ. Nam ſi ſanguis (uti in Fig. 3.) a D ad C dirigatur, major erit ictus magnitudo ad latus C, quam cum ſanguis (in Fig. 2.) a B ad C decurreret. Adeo quo magis incurvetur canalis, eo major erit ictus magnitudo; donec ad flexionem (ut in Fig. 4.) perpendicularem perventum ſit, ubi datur maxima; quia ibi Sinus Anguli Incidentiæ ſit maximus. Ita ſatis patet in curvis canalibus ictus vim intendi.

Et hæc quidem uberius explicare libuit, ut perſpicue innoteſceret, non minimum conferre ad Menſes per uterum evacuandos ipſius Uteri ſtructuram.

Etiam

Etiam hoc ad cætera accedit, quod vaſa, quo magis contorta ſint & circumvoluta, eo longiora multo fiunt: longitudine vero efficitur, ut plus ſanguinis intra latera ſua excipiant; ſanguinis adeo quantitate aucta, augetur & momentum; unde fit facilior per tunicas eruptio.

Quod ſi Uteri fabricam attentius advertamus, luculentius adhuc patebit ratio, quare per Uterina potiſſimum vaſa exoneretur ſanguis menſtruus. Cum enim Pudendi muliebris ſitus, reſpectu horizontis, perpendicularis ſit, idem etiam erit ſitus arterialis fiſtulæ, quæ a corde ad uterum ſanguinem deportat: quia vero in fluido, per Prop. 7, corporis cujuſvis circumpoſiti fiat preſſio, non deorſum modo, ſed etiam a latere; per Prop. autem 8, preſſio lateralis ſit in ratione altitudinis, qua attollitur incumbens fluidum, univerſa columna ſanguinis ab Aortæ Deſcendentis trunco ad uterum protenſa uterina vaſa a latere, idque perpendiculariter per Prop. 9, comprimet & diſtendet: quod ſi preſſio hæc a ſitu arteriarum perpendiculari orta, cum iis quæ de canalium ambagibus dicta ſunt conferatur, facillime diſpiciet ingenuus lector, quod ad evacuandos menſes præ omnibus vaſis longe aptiſſima ſint Uterina. Quippe, propter Plethoram, & pondus fluidi tum in arteriis tum in venis perpendiculariter incumbentis, intumeſcunt latera vaſorum, ita ut fibræ a ſe invicem magis diſtrahantur: quo vero rarior ſit fibrarum textura, eo facilius vi illatæ cedunt. Jam in Plethora augetur ſanguinis Momentum, quia augetur quantitas: etiam &, niſi lentor adſit, velocitas; impedimenti vis imminuitur, quia vaſis ſanguinis redundantia pridem diſtentis, minor ſit fibrarum contactus & cohærentia: ita ſuperato impedimento, ſanguis tandem erumpit.

Hinc etiam non leve exurget argumentum quare in Brutis, licet eadem plane in iis ſit (aliter ac nonnulli ſentiunt[a]) vaſorum conmatio, non tamen reperiatur fluxus uterinus; quoniam, cum in his Pudendum reſpectu horizontis parallelum ſit, tollitur omnis iſta ad latera vaſorum preſſio, a perpendiculari arteriarum ſitu deducta: quæ ſane inter cauſas haud poſtrema eſt, cur mulieres Plethoricæ per Uterum purgentur.

Pro nobis etiam ulterius facit Valvularum in Venis Uterinis defectus: quod utcunque prima fronte legenti parum ſatisfaciat, majoris eſſe momenti videbitur, ſi, quid in aliis venis præſtent Valvulæ, ſub examen revocetur. Hæ quidem, cum flaccidæ ſint, nulli prorſus uſui eſſent, ſi ſanguis continuo curſu, veluti flumen, per arterias venaſque deferretur: ſiquidem ſanguine continuo decurrente, utcunque venis inſererentur Valvulæ, fluidum quamvis ſupra Valvulam delatum in partes inferiores æque graviter incumberet, ac ſi nulla prorſus intercederet Valvula: ſi enim canalis plenus ſit, Valvula interpoſita preſſionem fluidi non magis tollit, quam, ſi veſica aquæ plena alteri itidem plenæ imponatur, membranæ interjectio efficit quo minus aqua, quæ in veſica ſuperiore eſt, pondere ſuo infe-

a Charleton, Bayle.

riorem premat. Sed quoniam ſanguis ab arteriis, non continuo flumine, ſed per intervalla quædam, prout cor contrahitur, in venas influit, utile admodum comperitur Valvularum artificium: cum enim nullum ſanguini regreſſum concedant, cavent, ne major ſanguinis copia Venas Capillares premat, quam quæ inter eas Valvulamque proximam continetur: nimirum ab inferiore parte Valvulæ preſſio tollitur, quia intercapedo illa ob Cordis Diaſtolen, ſive circulationis moram, ſanguine minus diſtenditur: quod ſi in Cordis Diaſtole ſanguis in venis majoribus deorſum retro gurgitaret, Capillares Venulæ ita pondere incumbente laborarent, ut facilius diſrumpi poſſent. In Venis vero Uterinis, propter Valvularum defectum, nihil prorſus obſtat, quo minus ſanguis omnis, qui in ramis amplioribus continetur, retro verſus Capillarium anguſtias corruat, & tenella orificia ita premat, ut impulſu quovis promptius diſſiliant. Et hoc quidem modo, in Arteriis ſitus perpendicularis inflectioque tortuoſa, in Venis Valvularum defectus multum adjuvat, ut per Uterinas vias evacuetur ſanguis redundans.

A quibus vero canalibus potius dimanet ſanguis menſtruus, an ab iis qui ad Uterum, an ab iis qui ad Vaginam deferuntur, magna eſt inter Authores controverſia: quæ ſane non incommode prætermitti, ſaltem ſalva utraque ſententia componi poterat. Etenim cum eadem ſit partium textura, eadem vaſorum conformatio, longe plura tamen ad Uterum excurrant vaſa quam ad Vaginam, quid dubii eſt quin ex utriſque canalibus, uberius licet ex Uterinis, evacuentur menſtrua? Quod quanquam per ſe ſatis pateat, hoc tamen argumento breviter illuſtrari poteſt. Ubi in Prægnantibus erumpunt Menſes, ſi Abortus fiat, ab Utero videntur fluere; quænam enim alia vis fœtum a Placenta queat divellere, niſi effuſi in utero ſanguinis fluctuatio? Si vero nullus inſequatur Abortus, eos potius a Vagina demitti credimus: quia ſi in Utero fiat ſanguinis eruptio, periculum eſt, ne abortiat mulier. Igitur aliquando ab Utero, aliquando a Vagina, ſæpius tamen utrinque fluunt menſtrua: ita tamen ut in iis quæ pepererunt, propter vias liberius patentes, frequentius, quam in Virginibus, ab Utero emanent.

Alia etiam inter ſcriptores verſatur quæſtio, utrum a Venis, an ab Arteriis prodeant Menſes; quos ego ſane ab Arteriolis evaneſcentibus malim deducere. Ibi enim maxima eſt canalis anguſtia, qua efficitur, ut ſanguis in latera vehementius feriat, & oſtiola recludat: quod ſi in Venas deductus fuerit, latius ſibi ſpatium videtur comparaſſe, quam ut foras egredi cogatur. Ideo ſiqua in canalibus oriatur obſtructio, eam in Arteriolis potius quam in Venis poni debere recte arbitratur, Philoſophiæ Medicæ peritiſſimus, Pitcarnius[a]. Quinimo ſanguis floridus admodum & rubicundus cum ſit, ab Arteriis potius, quam a Venis originem trahere videtur. Sive tamen e Venis ſive ex Arteriis fluat, ex Capillaribus certe, non ex majoribus ramis propellitur: uti ex fluxu ipſo, qui guttatim fere peragitur, dignoſci poteſt.

[a] Differt. Med. 106.

CAP.

CAP. VI.

Argumenta contra Plethoram refelluntur.

HUC quidem Principiis ſimplicibus maxime & indubitatis pervenimus; quæ tamen non magis vera ſunt, quam intellectu facilia. Quanquam vero huic fundamento innixa minime corruere poſſit Theoria, non tamen negligenda ſunt, quæ vulgo contra Plethoram afferuntur, argumenta: quæ ſi refelli queant, noſtræ ſententiæ ſi non roboris aliquid adjicietur, impedimenta certa detrahentur. His igitur argumentis manifeſtum eſſe putat Charletonus[a], Meram plenitudinem non ſufficere, ut evacuatio per uterum efficiatur.

1. In Tabidis & macilentis, conſueta, & interdum profuſa, reperiuntur Menſtrua; quibus tamen ſanguinis copia infra mediocritatem conſiſtit. Rem ipſam ſane agnoſcimus, in Macilentis nempe fluere menſes; Plethoram ideo non dari pernegamus; quippe multi, uti obſervat Galenus, ſanguine exuberant, graciliſſimi cum ſint; etiam ipſo Charletono judice, ita parum in Macilentis deficit ſanguis, ut in iis præcipue redundet. Ipſum igitur audiamus, Oeconom. Animal. Exerc. 5. S. 3.

" Qui maxime nutriuntur, ut obeſuli, pauco ſanguine præditi " ſunt; Macilenti autem magnis venis, plurimoque ſanguine donan- " tur. Quare etiam hi utplurimum animoſi ſunt, & omnia vitæ " munera alacrius vividiuſque peragunt, utpote ſpiritibus proportio- " naliter prægnantes. Ac propterea graciles liberaliorem venæſectio- " nem ferunt, quod carnoſa & muſculoſa eorum pars ſtrigoſior cum " ſit majorem quoque copiam in poris ſuis abſorbeat: venæ autem " etiamſi exhauriantur, minore tamen iſtoc damno evenit, modo " quantum lampadi vitæ ſatis ſit ſuperſit. At vero toroſis & præpin- " guibus damnum a copioſa ſanguinis evacuatione contingit; quia " habitus eorum ſanguine calidiore depauperatus, ſeroſis humoribus " repletur facileque in cachexiam degenerat. Ib. Sect. 4, Notum eſt " in animalibus fame enectis, & hominibus quoque, qui tabidi in- " tereunt, plurimum ſanguinis etiam poſt obitum in venis reperiri; " quod prorſus impoſſibile eſſet, ſi ſanguis corpori ſolum nutrien- " do deſtinaretur. Animal enim fama non periret, quamdiu ſan- " guinis quicquam in venis ſupereſſet; nec tabidorum corpora adeo " emaciarentur, dum venæ ſufficientem ſanguinis copiam in ſe con- " tinent, unde partes poſſint inſtaurari." Quibus adjici poteſt hiſtoria S. 6. quam ex Hippocrate deſumit, de viro quodam, qui cum ad extremam maciem morbo extenuatus fuiſſet, & indies magis magiſque tabeſceret, ſecta tandem per vices utriuſque manus vena, donec exanguis fieret, brevi ἰυσαρκῶ evaſit. Unde fit, ut qui, cum contra ſanguinis nutritionem differit, in Tabidis & macilentis Ple-

[a] De Catameniis, p. 30.

thoram

thoram ita ſtrenue propugnat, idem, cum Catameniorum cauſam agat, conetur convellere? ſed ea Charletoni argumenta, quæ jam ex Oeconomia Animali deprompſimus, ita ſolida ſunt & veritati congruentia, ut ne ab ipſo quidem Charletono everti poſſint. Hinc Macilentæ, uti ſcribit Galenus, miſſionem ſanguinis copioſiorem ferunt; qua & ſæpiſſime in iis, poſtquam diu defecerint, redintegrantur Menſtrua. Hujuſmodi plurima exempla ſunt; & quotidiana fere obſervatio eſt, in Lactantibus gracili corpore præditis Menſtrua ſolenniter fere celebrari: ita parum infra mediocritatem conſiſtit in Macilentis ſanguis.

2. Ipſa Plenitudo nonnunquam impedimento eſt, quo minus fluant Menſes. Ita quidem ſcriptorum pars maxima unam ſuppreſſi fluxus cauſam ſtatuunt, Plethoram: a qua ſuppreſſionem Menſium ſimiliter induci arbitrantur, ac Iſchuria nonnunquam oritur a nimia, qua veſica diſtenditur, urina[a].

At ſi quis hæc accuratius perpendat, diſſimillima prorſus inter ſe reperietur harum ſuppreſſionum ratio. Veſica enim firma admodum & muſculoſa tunica munitur, ita ut ſi extra modum accumuletur urina, Veſicæ latera nequeat perrumpere; quia non impetu aliquo illabitur, ideo neque Momento aliquo in ea impingit. Sola vero Preſſione Laterali, qua vi fluida omnia pollent, latera ita valet diſtendere, ut ea minime ſe contrahere queant, adeoque neque urinam foras protrudere; hoc eſt, tanta eſt urinæ quantitas, ut major ſit, quam quæ a vi Tunicæ muſculoſæ moveri poſſit, adeoque actio muſculi ſuſpenditur. Neque muſculus prius ſe contrahet, quam aut Momentum ipſius intendatur, ita ut urinæ ponderi præpolleat, aut ipſa, quæ vim muſculi oppugnat, Cathetere eliciatur urina. Etiam in hoc caſu Iſchuriam multum adjuvat veſicæ Sphincter: qui cum ſit muſculus perpetim contractus, niſi quando ab Antagoniſta & urinæ pondere ſuperetur, fortius certe contrahetur, ſi nulla ab Antagoniſta oriatur contranitentia: Antagoniſta vero eſt Detruſor urinæ; ſive ipſius veſicæ Tunica muſcularis; cujus actionem ab urinæ copia ſuſpendi jam oſtendimus. Aliter omnino ſe habet in vaſis Uterinis Plethora: his enim non tantum preſſio eaque perpendicularis ſed & ictus ſatis validus a ſanguine inducitur; & tantum abeſt, ut horum canalium latera muſculoſa ſint, ut ne muſculis quidem fulciantur; ita ut ſi permaneat Plethora, rupturam effugere non poſſint, uti in præcedentibus demonſtratur. Ipſa igitur Plethora, per ſe ſpectata, Menſes nequaquam ſupprimet: poteſt vero ſanguis redundare, licet non fluant Menſes. Supponimus itaque in hoc caſu nullum eſſe in canalibus vitium (ſi enim eſſet, huic tribui deberet ſuppreſſio, non Plethoræ) adeo ut in ſanguine quærenda ſit ſuppreſſionis cauſa. Cum vero quantitas ſanguinis in culpa eſſe nequeat, (ea enim, uti vidimus, fluxum promoveret, non ſupprimeret) reſtat, ut qualitatum aliqua ſuppreſſionem hanc introducat: e quibus nulla æque ad hanc rem inſtructa eſt, ac viſciditas. Cum enim ſanguis lentior ſit, & particulæ

[a] River. Etmuller.

ejus

ejus tenaciter inter ſe cohæreant, adeoque magnitudine excreſcant, per oſtiola vaſorum Capillarium minime traduci poteſt; in quibus itaque orietur Obſtructio: obſtructis porro his meatibus, per quos facilem egreſſum ſibi comparare aſſuevit ſanguis, intra majorum canalium latera concluſus eſt, quæ nimis robuſta ſunt, quam ut ei exitum aperire cogantur. Hoc igitur & nullo alio, quod ſciam, modo efficietur Menſtrui fluxus Suppreſſio, etiamſi adſit plethora: ipſa tamen Suppreſſio non Plethoræ proprie, ſed ſanguinis lentori tribuenda eſt.

3. Si ideo fluerent Menſes, quod ſanguis quantitate modum excedat, per alia vaſa, pulmonum puta, &c. potius quam per uterina erumperent. Sed huic argumento abunde ſatisfactum puto, in iis quæ de Uteri ſitu, & ſtructura differui: unde Uterum, præ aliis omnibus corporis fœminei viſceribus, ad evacuandos Menſes accommodatum maxime, & quaſi natum eſſe demonſtratur. Quod ſi Uterina vaſa paulo magis indureſcant, & tenaciora fiant, aut intenſius creſcat Plethora, ſanguis per alios canales iter ſuum expugnabit; ita ut fœminis, quibus via per Uterum præcluditur, per Nares ſæpe, aut Pulmones evacuetur ſanguis Plethoricus; pariter ac in iis, qui vino liberius indulgent, frequentiſſime obſervatur ex naribus quaſi critica quædam ſanguinis eruptio.

Afferri poteſt & aliud contra Plethoram argumentum; nempe ſi in fœminis accumuletur Plethora, ut ad Fœtum nutriendun magis idoneæ ſint, cur eadem in Brutis deficiat, quæ non minus fœtus ſuos nutriunt, quam Mulieres? Utcunque res ſatis obſcura ſit, hoc certe ex iis quæ Cap. 3, & 5 diximus, ſine dubio concludi poteſt, quod cum Bruta Menſibus omnino libera ſint, eundemque ſemper, poſt ætatis florem, corporis ſtatum conſervent, in iis quotidianas omnes evacuationes alimentis aſſumptis reſpondiſſe: niſi alia quæpiam in iis ſit evacuatio Menſtrua, uti in Viris obſervavit Sanctorius[a]. Idem de Fœminis, quibus ante prægnationem Menſes non fluunt, dicendum eſt. Cum vero utero gerant Bruta, quia aliquid in Fœtus uſum conferunt, non fieri poteſt, quin Geſtationis tempore, aut nutrimentum ſolito plenius accipiant, aut minus ſolito remittant. Itaque in Brutis Prægnantibus, Canibus præſertim, acrior ſolito obſervatur voracitas. Hoc enim præcipue eſt pro quo contendimus, quod Menſes in ſanis Mulieribus a Plethora unice proveniant: quod ſi nonnullis Menſes defuerint, non ideo tamen deſunt ſuppetiæ, unde ſatis nutrimenti in fœtum impendi poſſit. Igitur Mulieres aliquas ſine Menſium profluvio concipere poſſe arbitratur Ariſtoteles[b], viz. "quibus tantum "humoris colligitur, quantum iis, quæ purgantur, reſtare ſolet poſt "purgationem; quanquam non tanta copia eſt, ut foras poſſit pro-"fluere." In hoc quippe ſingulari admodum caſu neceſſe eſt, ut mulieri & ante graviditatem eadem fuerit evacuationis additioniſque proportio, & jam prægnanti evacuationis ſolitæ imminutio.

a Med. Stat. 1. 63. b Hiſt. Anim. 7. 2.

Atque hæc de Plethoræ natura dicta ſunt: qua rite intellecta & perpenſa, profluvii uterini cauſa, quæ multos diu torſit, facillime deducitur. Ita clare res omnis vel etiam a tyronibus concipi poteſt, ita ſimplici modo & naturali maxime effectus Menſtruorum omnes a Plethora fluunt, ut ſatis mirari nequeam ad aliam cauſam confugere poſſe authores. Quod ſi in ſequentibus oſtendero, quod Symptomata omnia, quæ a menſium vitio oriuntur, huic de Plethora doctrinæ optime reſpondeant, ab eaque facile derivari queant; quodque ipſa demum Medendi Methodus ſententiæ noſtræ ſuffragetur, nihil eſt quod ulterius vel a ſcepticis deſiderari poſſit.

Cum vero Plethora Efficiens menſium cauſa ſtatuatur, intelligat lector me ſemper de Mulieribus ſanis, & recte ſe habentibus loqui. Menſes enim proveniunt ſæpe a nimia vaſorum imbecillitate, ab humorum acrimonia, &c. Hæc vero cæteraque id genus ſimilia vitia ſunt, quæ ſano corpori abeſſe ſupponimus.

CAP. VII.

De Periodis.

INter eos, qui Menſtrui fluxus cauſas ſibi viſi ſunt inveſtigaſſe, nemo fere eſt, qui Periodorum rationem exponere conatur; ſed ſatis habet unuſquiſque eas aut ad Lunæ motum, aut ad arcanam quandam naturæ legem referre: etiam qui in Fermento toti ſunt, id ipſum ad Periodos explicandas parum adhibent; quamvis enſem Delphicum nacti fuerint, qui in omnes partes torqueri, ad omnia fluxus hujuſce myſteria æque accommodari poſſet. Sed hoc Periodorum negotium omnes abſtruſum quiddam opinantur, commentis certe ſuis reddiderunt obſcuriſſimum: licet, ſi natura duce, non hypotheſi aliqua, ad veri inveſtigationem utamur, nulla facilior aut magis ſimplex excogitari poteſt, quam tota hæc de Periodis doctrina.

Ea nempe, quæ Capite tertio de Plethora dicta ſunt, adeo certa & perſpicua credimus, ut nemini jam dubium ſit, Perſpirationem in fœminis debita minorem eſſe. Imminutione igitur Perſpirationis non ſuppoſita modo, ſed & demonſtrata, videamus quid inde depromi queat ad hoc Periodorum intervallum luculentius explicandum. Cum deficiat in muliere Perſpiratio, neceſſe eſt aliquid indies intra vaſa coacervari, unde paulatim creſcat Plethora. Quæcunque igitur ſit quotidiani alimenti menſura, ſi ſingulis diebus accumuletur intus ipſius pars triceſima, (quæ perexigua quantitas videbitur, ſi cum ea conferatur, quam unius noctis ſpatio, levi de cauſa, impediri poſſe oſtendit Sanctorius) intra triginta dies accumulabitur quantitas, victui quotidiano æqualis: adeoque ſi alimenti menſura ſit lib. 2. (quæ tamen uſitata ſemper fere minor eſt) erit pars ipſius triceſima in ſanguine ſingulis diebus redundans ʒ 6 $\frac{2}{3}$ = $\frac{1}{3}$; &

intra

intra menſem ſeu dies triginta ſanguinis aucti copia erit ʒ 192 ſeu lib. 2. quæ quatuor unciis excedit copiam ſanguinis fluxu menſtruo effuſam. Igitur ſatis eſſet ſanguinis plethorici, ut lib. 1½, quæ vulgaris eſt Catameniorum menſura, ſingulis menſibus effundi poſſet, ſi non ultra ʒ 5½, quod perpuſillum eſt, per diem imminueretur perſpiratio. Et hoc quidem modo facillime concipitur, dierum triginta ſpatio increſcere poſſe Plethoram ; quæ quibus viribus ad Vaſa Uterina perrumpenda ſit inſtructa, in iis, quæ ante diximus, ſatis explicatur ; quibus tamen, perſpicuitatis gratia, etiam hoc adjici poteſt, unde clarius forte elucebit augendi in plethorico ſanguine momenti ratio. Quantitas ſanguinis menſe quolibet evacuati cum ſit ʒ 20, totius maſſæ ſanguineæ (quæ vulgo æſtimatur lib. 19, vel 20.) eſt pars circiter decima ; hac igitur ſanguini acceſſione facta, ſub fine cujuſque currentis periodi momentum ſanguinis erit decima parte fortius, (& hoc quidem ex ſola quantitate aucta, ne de Velocitate aliquid dicam, quæ, ſi ſanguis recte ſe habeat, augetur etiam in Plethora) ſinguli porro in corpore canales decima parte prementur magis, & diſtendentur: ita canales preſſionem die uno aut altero ante fluxum undecima parte adauctum ſuſtinere poſſunt, (ſanguinem enim intra latera ſua coercent) decima vero accedente locum cedunt ; uti lancibus ad æquilibrium perductis, ſiquid ultra adjicias, præponderat. Quod tum ex iis, quæ de cauſis Plethoræ expoſita ſunt, tum e re ipſa facile & evidenter innoteſcit. Menſtruis igitur fluentibus, vaſa omni eo ſanguine, qui Plethoram conſtituit, deplentur ; ceſſantibus vero, ad conſuetum corporis pondus redeunt mulieres : unde iterum deficiente perſpiratione neceſſe eſt ut intra idem tempus eadem accumuletur redundantia. Quod ſi detur vaſa ſanguinea ab hujuſmodi Plethora ſemel diſrumpi poſſe, ſequitur omnino, ſi ſimilis menſe quolibet redeat Plethora, eundem itidem fluxum reverti debere : deficiente vero in fœminis perſpiratione, abunde ſufficit Intervallum menſtruum, ut Plethora talis increbreſcere, & accumulari queat. Ita muliebrem fluxum ſtatis & definitis temporibus redire æque neceſſarium eſt, ac anni tempeſtates, ſuo quaſque ordine, iiſdem vicibus quotannis reciprocari : nec magis mirum eſt, profluvium hoc Menſtrua Periodo revolvi, quam annua æſtatem. Effectus enim perpetuo idem erit ſibique conſtans, niſi aliqua cauſæ acciderit mutatio ; hanc vero poſſe accidere tum in menſium tum in annorum recurſibus, ſatis arguunt & incerta in hoc fluxu Periodorum intervalla, & varia tempeſtatum viciſſitudo : ſed hoc cauſis, quæ utrinque ſe admiſcent, tribuendum eſt, adeoque nihil detrahit de effectu cauſæ primariæ neceſſario & conſtanti. Utcunque enim cuique tempeſtati ſtatæ ſint ſuæ recurrendi vices, multa tamen intercedere poſſunt & frequenter ſolent, ſive terræ aliquo, ſive aeris vitio, quo minus aut debitis intervallis redeant, aut ſolennem curſum abſolvant : par eſt in Fluxu Uterino Periodorum ratio ; quibus licet ſpatium menſtruum præſcripſerit natura, eæ tamen ab extraneis cauſis ſæpe turbatæ, tum ultra, tum citra fines ſuos conſiſtunt.

Nequid

Nequid vero deſit, quo Menſtrui recurſus ratio melius intelligatur, aliarum rerum, quæ ſtatis temporibus Periodos ſuas repetunt, Phænomena conſulamus. Ex hac claſſe notiſſima eſt, licet parum vel explicata vel intellecta, Febris Intermittens. Hujus originem a Lentore ſanguinis recte deducit, Theoriæ ut ita dicam Medicinalis inventor primus, Bellini: de quo qui dubitat, adeat exquiſitiſſimum illius de Febribus tractatum. Dato itaque ſanguinis Lentore, Fluidorum circulantium particulæ aliquæ majores erunt, quam ut tenuia Capillarium vaſorum oſtiola tranſire queant; in iis igitur adhæreſcent hæ particulæ, quæ indies novis ſuppetiis auctæ, canalium orificia ita ſenſim obſtruent, ut tandem per ea, ſi modo ullus, difficilis certe pateat ſanguini trajectus. Inde eſt, quod extrema frigeſcant, quia ſanguis ad ea non pervadit. Redundante igitur in majoribus ramis fluidi copia, cor crebrius validiuſque contrahitur, & proinde adeo augetur ſanguinis momentum, ut vaſa rupturam effugere non poſſent, niſi fluidi portio per aliquos meatus foras extrudatur. Ita in Febre Intermittente poſt frigus invadit demum calor; donec, accedente ſudore critico, Paroxyſmi fiat ſolutio: quia ſcilicet, materia per poros uberrime evacuata, deplentur canales, ita ut ſanguis per vaſcula tenuiora uſitato more circulari queat. Eodem vero manente ſanguinis Lentore, eadem rurſus fit ad vaſorum orificia humoris viſcidi adhæſio, eademque ſenſim creſcet obſtructio; ita priori prorſus ſimilis redibit paroxyſmus. Quod ſi idem in ſanguine permaneat Lentor, quid mirum eſt morbum ita periodos ſuas ordinare, ut eodem die, etiam & eadem hora, ingruat denuo Paroxyſmus? quidni ſecunda vice idem redeat typus, ac in prima fuit, cum cauſa Paroxyſmi ſit eadem? Abſurdum eſſet, ſi a Lentore, uti explicatum eſt, derivetur morbus, Febrem modo hoc, modo illo intervallo exacerbeſcere, cum in Lentore, qui inducit Febrem, nulla prorſus fiat mutatio. Quod ſi fiat, mutabitur etiam Periodus, & morbi Typus.

Eadem omnino eſt in profluvio Menſtruo Periodorum ratio; ſi enim quantitas materiæ perſpirabilis per dies ſingulos retenta eadem ſit, eadem prorſus orietur Plethora, a qua ad definitum tempus continuo provocabitur fluxus uterinus. Sin interceſſerit aliquid, quo minus ad conſuetum modum perveniat Plethora, tum etiam morem ſuum variabit Periodus, uti in ſequentibus dicetur.

Periodicam etiam in Viris evacuationem obſervat Sanctorius[a], "Corpora nempe virorum ſana, & moderatiſſimo victu utentia, ſin-"gulis menſibus fieri ſolito ponderoſiora, unius ſcilicet duarumve li-"brarum pondere; & redire ad conſuetum pondus circa finem men-"ſis, ſed facta criſi per urinam paulo copioſiorem, vel turbidiorem." Hinc facile patet, quod in Viris quolibet menſe hæc, de qua loquitur Sanctorius, Critica fiat per urinam evacuatio, quia quolibet menſe augeſcit pondus, ſeu quod idem eſt, humorum in corpore Plenitudo; quæ ſi nulla eſſet, neque ulla prorſus ſequeretur evacu-

[a] Med. Stat. 1. 63.

atio

atio: quamdiu vero data quantitas ſingulis menſibus accumuletur, tamdiu, exacto menſe, Periodica recurret Criſis.

Ad hunc modum, ſi eadem vivendi ratione uterentur Fœminæ, eandemque accumularent Plethoram, redirent ſemper menſtruorum Periodi. Sed quia aliis alia eſt temperies, ætas, regio, & victus conſuetudo, fieri non poteſt, quin in diverſis fœminis longe diverſa ſint Periodorum intervalla. Quod ſi quis varietatis hujuſce cauſas exploret, videbit hæc omnia fluxus reciprocantis tempora, ita inter ſe diſcrepantia, a vario Plethoræ ſtatu unice pendere. Hoc quoniam a ſcriptoribus parum animadverſum eſt, in cauſa fuiſſe videtur, quod apud illos prætermittatur omnis de Periodorum ratione diſquiſitio: conſilio quidem ſatis prudenti, cum neque a Luna, neque a Fermento, neque ab ipſo, quem pro arbitrio regit Helmontius, Archæo, commode deduci poſſit varius ille, qui in Periodorum recurſibus contingit, Typus. Quippe, quia in cauſis iſtis nulla queat eſſe diverſitas aut inconſtantia, erit etiam determinatus atque unicus agendi modus; ita ut, ſi ab his omnino excitarentur menſes, in omnibus æque, perque eadem intervalla efflorescerent. Sed ea pene infinita eſt Periodorum varietas, quæ a nulla, niſi perquam mutabili, cauſa derivari poteſt; qualis quidem eſt Plethora, mille modis mutari facillima; quemadmodum oſtendent ſequentia.

In Bilioſis enim Temperamentis, uti diximus, paulo maturius fluunt menſes, citiuſque periodos ſuas conficiunt. In hoc nimirum Temperamento ſanguis non uberior modo, ſed fluidior tenuiorque fit; ita quo minus inter ſe cohæreant partes ſanguinis, cum citius calorem concipiant & facilius rareſcant, majus ſpatium occupabunt, adeoque arterias latius diſtendent. Unde in Bilioſo Temperamento obſervatur pulſus magnus, corpus macilentum, ad iracundiam etiam, & ad venerem proclivitas; quæ omnia ſanguinis abundantis ſigna ſunt: ita ut temperamentum hoc vulgari nomine rectius dicamus ſanguineum (ſic enim temperamenti cauſa exponitur) quam bilioſum, cum major bilis ſecretio a ſanguinis abundantia neceſſario, tanquam effectus, fluat. Igitur, cum hujuſmodi mulier ad Plethoram citius perducta ſit, patet, quare ei & ante conſuetum tempus fluant menſes, & breviore periodo recurrant. In his etiam citius terminatur fluxus, quia ſanguis, tenuis cum ſit & ſubtiliſſime comminutus, per vaſa liberius egeritur.

Ita ſi regio paulo calidior ſit, anno uno aut altero Secundum Septenarium antevertunt Menſtrua; ratio eadem eſt ac in priori caſu; calore enim intenſius rareſcit ſanguis. Inde etiam fit, ut iis, quæ propius ad Æquatorem ſita ſint, copioſius fluant Menſes. Contra frigore ad Plethoram tardius aſſurgit mulier; itaque Menſes in regionibus Borealibus Secundum Septenarium ſæpius excedunt; hinc in urbibus ad ventos frigidos ſitis, virgines tardius pubeſcere ſcribit Hippocrates [a]. Etiam in Scythicis mulieribus notat profluvium uterinum, non modo rarius, ſed & parcius quoque reperiri [b].

a De Aer. 7.

b De Aer. 48.

Fœminis gulæ deditis, & genio liberius indulgentibus, fluxus ſæpe ad Sextum Diem extenditur: quo enim major alimenti copia ſuſcepta ſit, eo amplior erit ſanguinis redundantia: quæ cum ſit evacuationis Menſtruæ cauſa, neceſſe eſt, ut magnitudini Plethoræ reſpondeat fluxus. Quibus enim corpus plenum fuerit, his plures prodeunt Menſes, authore Hippocrate[a]. Ita quibus major eſt vaſorum amplitudo, uti Macilentis, & corpus minus perſpirabile, uti otioſis, copioſius fluunt Menſes[b]. Idem in mollibus mulierculis, in quibus humores abundant, obſervat Galenus[c]: cui etiam convenit illa Hippocratis ſententia, Aquoſis, id eſt, perquam Humidis diu durare Menſes[d].

Contra in Obeſioribus, uti notat Hippocrates[e], & iis quæ aut tenui victu, aut exercitio multo utuntur, citius terminatur fluxus; in quibus quidem omnibus minor eſt Plethora: quæ enim tenui victu utuntur, ſanguinem non accumulant; quæ exercitio multo, per poros diſſipant & abſumunt. Hinc Ruſticæ mulieres, quæ laboribus aſſuescunt, parcius purgantur. In obeſis vero, ſanguis non intra vaſa coacervatur, ſed in habitum corporis diffunditur, uti Capite ſexto probatur: igitur hæ venis anguſtioribus præditæ ſunt, & ad concipiendum ineptiores. Fluxus enim Menſtruus, quanquam conceptui non prorſus quidem neceſſarius, facit tamen ut facilius concipiant mulieres: quippe vias uterinas ita aperit, ut liberior fiat ſemini in ſanguinem introitus. Hinc Scythicas mulieres ideo infœcundas eſſe dicit Hippocrates[f], quia Menſtruis parcius purgantur. Deficiente igitur ſanguinis quantitate, brevi peragetur fluxus; ita ut apud Hippocratem tanquam obeſitatis ſignum habeatur, ſi infra triduum conſiſtat purgatio[g]. Eadem de cauſa Obeſis Menſes citius multo ceſſant, ſcilicet a triceſimo aut triceſimo quinto anno, uti author eſt Foreſtus[h]. Notetur etiam in his Menſes prorſus ſupprimi ſine noxa; uti & in iis, quæ venam frequenter ſecant: quod & ſcriptores annotarunt, & confirmat experientia.

Pari modo in puellis minus ſanguineis ſerius erumpunt, & parcius fluunt Menſes, quia tardius creſcit Plethora: cujus etiam defectu fit, ut fœminas ex diuturniore morbo convaleſcentes tarde admodum reviſant Menſtrua; ſanguis enim, morbo Chronico exhauſtus, priſtinum ſtatum non niſi difficillime recolligit.

Ita in diverſis Fœminis diſcrepant Periodi; quæ tamen in eadem non minus variæ ſunt, prout ætas & vivendi ratio eſt diverſa. Quarum tamen Periodorum ea eſt indoles, ut quo minus ſtatæ atque definitæ, eo magis rationi conſentaneæ ſint, & vario Plethoræ, unde oriuntur, genio reſpondeant. Quid enim magis naturale, quam ut pro varietate ætatis varietur etiam Periodus, cum alia in Pubeſcentibus, alia in adultis, alia demum in Provectioribus ſit Plethora? Quippe in Puellis, menſtruo ſæpe longius reperitur periodi intervallum; quia, cum plurimum ſanguinis in corporis nutrimentum cedat, in vaſis lentius augeſcit Plethora. Cum vero ad debitum in-

a Morb. Mul. 1. 19. b Duret. in Holler. 253. c Morb. vulg. d Epid. 6. 1.
e Morb. Mul. 1. 15. f De Aer. 48. g Morb. Mul. 1. 15. h Lib. 28. Obſ. 3. Gal. Cur. Morb. per V. S. Foreſt. ib.

crementum

crementum pervenerit mulier, ſanguis nutritionis munere ſolutus poteſt eam ſingulis menſibus accumulare Plethoram, quæ uterina vaſa facile perrumpat. Ætate porro in ſenium vergente, imminuuntur vires, & deficit paulatim ſanguis; ita ut tardius ſit plenitudinis augmentum, & diuturnior periodi mora: hinc ſæpe anno uno aut altero ante Septimum Septenarium, Bimeſtris obſervatur, aut Trimeſtris periodus; donec gradatim imminuti menſes tandem penitus intercidant. Par eſt a vivendi ratione periodorum diſcrepantia: ſi labori multo & diætæ tenui aſſueſcat mulier, vel quacunque alia de cauſa humores minus accumulet, longioribus intervallis celebratur fluxus; eadem ſi lautius victitet, aut Plethoram quovis modo intra vaſa coacervet, frequentius purgatur: uti in ſequentibus clarius patebit.

Videmus magnam in Periodis diverſitatem; qua tamen ita parum evertitur noſtra de Plethora ſententia, ut vix firmiori argumento ſtabiliri queat. Urinæ excretionem tardius vel citius fieri, prout potulentorum copia diverſa eſt, fatentur omnes: etiam in pratis non æque ingentem quotannis diluviem, ſed eam, quæ intumeſcenti flumini optime reſpondeat, expectabunt: quidni etiam & Menſtrui fluxus Periodos variis Plethoræ gradibus conſentientes expectent?

CAP. VIII.

Phænomena Menſium explicantur.

VASA Uterina, Menſtruis inſtantibus, plethorico multum diſtendi ſanguine ſatis nos probavimus; &, qui fœminas Menſtruales ſecuerunt, teſtantur Anatomici[a]: quod ſi ab hac plenitudine cætera profluvii hujuſce Phænomena optime deduci poſſint, nihil eſt quod ad Theoriam hanc illuſtrandam adjici queat.

Pro nobis igitur faciunt ea, quæ inſtante fluxu ingruere diximus, Symptomata: æſtus ſcilicet & dolor partium vicinarum, ad lumbos præſertim & coxas, aliquando etiam inflammatio; cephalalgia, crurum laſſitudo, appetitus remiſſio, & languor: quæ omnia a ſanguinis Plethora commode deduci poſſunt. In hac enim ſæpe diximus Momentum ſanguinis intendi; unde Calor erit etiam intenſior: qui a circulante ſanguine ita pendet, ut nihil aliud ſit, niſi partium ſanguinis in ſe invicem impetus & attritio. Motu vero aucto, uti in Plethora fit, ſanguinis major eſt attritio; quia humorum tum Quantitas, tum Velocitas augetur: ita utraque de cauſa increſcet Calor: qui ſi nimius fuerit, Febriculam, quam & frequenter obſervant Practici, & phlogoſin pariet.

Cum porro in Plethora canalium latera ita diſtendantur, ut minor ſit fibrarum inter ſe cohærentia, orietur continui ſolutio, &

a Graaf. Highmor. &c.

proinde

proinde etiam dolor. Hinc Menſtruis ex Graviditate ſuppreſſis abeſſe dolorem ſcribit Hippocrates [a]; quia ſcilicet in vaſis maternis non redundat, ſed ad Fœtum deducitur ſanguis plethoricus. Caput vero facile invadit dolor, quia cerebrum uti eſt pars omnium molliſſima, & vaſis etiam ſanguineis plurimum referta, ita fibras habet humorum impulſui minus renitentes, promptiuſque ſolubiles. Igitur hos in capite dolores, circa progreſſum Menſium, Virginibus potiſſimum adeſſe notat Hippocrates [b]. Cum dolore capitis, Veſiculas etiam pone aures intumuiſſe, inſtante fluxu, memorat Paulinus [c]. Memoratur etiam a Baglivio periodicus in oſſibus clavicularum tumor [d]. Partes denique Utero vicinæ præ aliis magis dolent, quia in ea potiſſimum regione, propter vaſorum multitudinem, accumulatur Plethora: & quia lumbi & coxæ nervos habeant cum iis, qui ad uterum excurrunt, communes, eos conſentire & una quaſi pati non poſſe ſiquis neget, idem etiam ne ſentire quidem dicat. Aliquid etiam mutuo huic conſenſui, Ligamentorum interventu, accedere poteſt.

Crurum laſſitudo inde venit, quod vaſa uterina, cum ſanguine adeo intumeſcant, origines nervorum, qui ab Oſſe Sacro ad Crura deferuntur, comprimant; iſtiuſmodi autem compreſſio ſpiritus intercipit, & quendam quaſi ſtuporem Cruribus inducit: qui ob eandem cauſam in Gravidis fere ſemper accidit; uti & non raro in iis, quibus urina diu ſupprimitur. Igitur, obſtructis Menſibus, Claudicationis periculum eſſe ſcribit Hippocrates [e].

Remittitur etiam Appetitus: quia ſanguis ita ultra modum rareſcit, & Ventriculi arterias dilatat, ut Nervi admodum comprimantur: quo fit, ut ſpiritus in tunicam ventriculi muſculoſam copioſe ſatis influere nequeant, adeoque debita inhibeatur contractio. Contractione vero impedita, Appetitus, ſive a laterum attritu, ſivè ab humore ventriculi proveniat, neceſſario langueſcit: neque enim niſi ſatis valide contrahatur Ventriculus, aut latera contactu poſſunt atteri, aut humor e tunicis educi. Ita ſæpe Cardiaca & Opiata ſtomachi aciem retundunt.

Languor vero invadit; quia in Plethora, & nimio pondere laborat corpus, & tenera cerebri vaſcula ita turgeſcunt, ut compreſſu ſuo omnes pene in Nervis aditus præcludant; hinc in membra minor derivatur ſpirituum copia.

Ita plerumque ſe habent, inſtante Fluxu, mulieres: idem quoque in Viris, quibus Menſtrua illa, de qua diximus, obtingit evacuatio, obſervat Sanctorius [f]; " ante Criſin nempe Menſtrualem, vel gravi-
" tatem capitis, vel corporis laſſitudinem perſentiri, & deinde paulo
" copioſiori urina evacuata omnia ſedari. Pari modo in fœminis,
" ſimul ac defluxerint Catamenia, priſtinus refloreſcit vigor." Hæc omnia fere a Plethora oriri poſſe ſymptomata, idonei teſtes evincent, Ebrii. Huc etiam illud referri poteſt, quod in Puellis, viz.

a Nat. Puer. 1. 6. b Prædict. 2. 39. c Med. Septentr. p. 34. d Fibr. motr. p. 5.
e Nat. Puer. 1. 7. f Med. Stat. 1. 66.

Menſtrua

Menſtrua nondum paſſis, mammæ ſæpe ante fluxum intumeſcunt & ſororiant: etiam in nonnullis fœminis, inſtante fluxu, Ventrem ita inflatum fuiſſe novi, ut plane Tympaniticæ viderentur; quod unde deduci queat, niſi a Plethora, non video. Neque id ſane prætereundum eſt, his quæ fluxu Menſium inſtante accidunt, ſymptomatis præ cæteris obnoxias eſſe eas, quæ vitam agunt otioſam, aut nunquam pepererunt; in quibus facilius creſcit Plethora.

Pari modo diverſitas Quantitatis emiſſæ Plethoram arguit; ea quippe ad ætatis uſq; Florem augeſcit: quo enim propius ad debitam molem accedat puella, eo minus ſanguinis in corporis habitum ad nutriendas partes impenditur, adeoque uberius in vaſis coacervatur ſanguis. Florente ætate æqualis permanet, quia nempe, cum augmenti terminum ſemel attigerit corpus, in eodem prorſus ſtatu diu viget. Ætate rurſus declinante, paulatim minuitur; Senecta enim obrepente, tum minor indies fit humorum redundantia, tum vaſorum fibræ rigidæ magis & duræ evadunt: ita ut neque ea ætate accumuletur Plethora, ſi neque accumuletur, propter vaſorum tenacitatem depleri poſſit. Igitur Aniculas ſicciores, & ſanguine minus abundantes recte pronuntiat Hippocrates[a]. Hoc in loco haud alienum erit Plethoræ originem paulo altius inveſtigare, cauſaſque exponere, quare nec ante Secundum Septenarium incipiat fluxus menſtruus, nec ultra Septemium perduret: cujus rei rationem primus tradidit vir in Oeconomia Animali ſcientiſſimus, Cockburnus[b]. Corpore quippe tenello adhuc & pubeſcente, Fibræ ita Flexiles ſunt, ut pori omnes, quemadmodum Hippocrates loquitur, facile pervii ſint & perſpirabiles; quod ſatis teſtatur ea, quæ in junioribus reperitur, in ſudorem proclivitas. Ideo quicquid alimenti ſuſcipitur, vel in partes nutriendas cedit, vel ſiquid ſuperfluum ſit, per poros prompte egeritur; unde nulla ea ætate accumulatur, quæ Menſes provocet, Plethora. Cum vero augeſcente corpore Fibræ ſolidæ magis & duræ evadant, quod circa Pubertatis annos ſemper fit, neceſſe eſt ut pori ſive capillarium vaſorum orificia multo quam prius anguſtiora ſint; ita ut, orificiis contractis, minor fiat per minima vaſa ſecretio. Secretione igitur ad hunc modum deficiente, in ſanguine redundant, qui a nutriendis partibus reſidui ſunt, humores; a qua humorum redundantia excitantur Menſes. Pariter eadem de cauſa, & Pueris Pubeſcentibus frequenter accidit Narium hæmorrhagia. Quoniam vero lente & gradatim fiat hæc Fibrarum durities, ideo pariter ſenſim augeſcit Plethora; ita ut, cum primo incipiat, valde mediocris ſit, deinde cum ætate increſcens augmenti ſummam paulatim attingat. Cujus quidem rei veritatem abunde confirmat experientia; in Puellis enim jam pubeſcentibus copia ſatis exigua erumpunt Menſes, qui cum Plethoræ reſpondere debeant, eadem etiam ratione uſque ad ætatis florem augeſcunt.

Menſes vero ultra Septimum Septenarium non perſiſtunt, eo quod uteri vaſa robuſtiora ſint, quam quæ a ſanguinis momento perfringi queant: hoc, autem vaſorum robur inde naſcitur, quod in Senectute

a Morb. Mul. 2. 3. b Oecon. Animal. p. 130.

non modo Fibræ rigidæ magis & renitentes fiant, ſed Capillarium oſcula, ex quibus fluere conſuerunt menſes, continua tandem cicatrice quaſi callo ita obducta ſunt, (quemadmodum in Hæmorrhoidibus ſæpius inciſis contingit) ut per ea nullus ultra pateat ſanguini exitus. Capillaribus vero occluſis, majora vaſa, utcunque increbreſcat Plethora, fruſtra impetuntur. Quod ſi ad hanc normam in provectioribus ſubito reſtricti eſſent Menſes, ingruerent ſane ea, quæ in Suppreſſione Menſium accidere ſolent, ſymptomata, Hoc igitur ut vitari poſſet incommodum, ſapienter inſtituit natura, ut quemadmodum creſcente ætate paulatim augeſcunt Menſes, eadem declinante lentis etiam gradibus deficiant. Ita fere ſemper ante annum 49 non modo Copia ſenſim minuitur, ſed rarius recurrunt Periodi. Vaſis igitur uterinis ad hunc modum renitentibus, ſupponatur primo tempore intra canales retineri Menſtruorum partem viceſimam ſive ʒ 1; quæ cum quantitas ſit admodum exigua, per alias vias commode ſatis evacuari poteſt; hoc eſt, poteſt alia evacuatio ita augeri, ut Menſium defectum ſuppleat: præſertim cum nihil frequentius accidat, quam ut, una evacuatione diminuta, altera tanquam vicaria increſcat; quemadmodum ex. gr. Poris frigore concluſis, ſuccedit frequentiſſime Alvi fluor. Periodo igitur ſecunda ſupponatur effuſi ſanguinis quantitas non ultra ʒ 18 aſſurgere; facile certe concedi poteſt, ut altera illa evacuatio eadem etiam ratione augeſcat. Adeo Menſibus ſenſim deficientibus, alia Secretoria, aſſuetudine continua, ita ſe tandem comparabunt, ut Plethoram, quæ menſe quolibet coacervatur, excipere & deplere poſſint. Igitur Provectioribus nullum gravius ſymptoma accidit, quanquam defecerint Menſes. Huic ſententiæ multum favet Sanctorius, qui in Senectute augeri perhibet evacuationes ſenſibiles. Id etiam pro nobis facit quod perpetua fere obſervatione comprobatum eſt, pleraſque ſcilicet mulieres, ſimul ac Menſibus deſtitutæ ſint, habitum pleniorem contrahere, & pingueſcere. Ita poſſunt deficere Menſes, cum parum interim deficiat humorum copia; quod ſi ea etiam defecerit, uti in ſenili ætate plerumque fit, alia erit ratio, cur, citra ſanitatis noxam, Septimo Septenario ceſſent menſtrua. Notandum eſt obiter ab hac varia fibrarum duritie plurimum pendere diverſam illam Menſium, tum erumpentium, tum ceſſantium, tempeſtatem.

In Prægnantibus penitus deficiunt menſes: id vero unde fit, niſi quod alio, ad Fœtum ſcilicet, remittitur ſanguis Plethoricus? Interdum quidem in Matre reperitur uberior[a] ſanguinis copia, quam quæ in alimentum Fœtus inſumi poſſit: ita ut, Gravidæ licet, non deficiant Menſes: itaque hæ, quibus etiamſi prægnantibus fluunt, habitiores plerumque, & humoribus turgentes obſervantur. Tertia vero Periodo elapſa ſupprimuntur penitus Menſtrua; quia Fœtu tandem increſcente, ita ut plenius alimentum poſtulet, minuitur Plethora. Quod ſi ad ultimos menſes perſtiterint, Fœtus ſolet eſſe valetudinarius admodum & imbecillis: adeo vera eſt illa Hippocratis obſer-

[a] Hild. c. 5. obſ. 41. Cummius Med. Sept. 37.

vatio,

vatio[b], mulieri utero gerenti ſi purgationes prodeant, id eſt, ſolennes aut immodicæ, impoſſibile eſſe, ut Fœtus ſit ſanus: cujus rei rationem alibi exponit, Menſibus nempe Fœtus augmentum dimitti[c]. Ita Gravidæ ſi lac ex mammis profluxerit, imbecillum eſt quod intus gerit, annotante Celſo[d]: quia ſcilicet eas ſanguinis ſuppetias hauriunt Mammæ, unde debuit nutriri Fœtus.

Pari modo Lactantibus deſunt Menſes; quia ad Mammas avertitur ſanguis exuberans, ut in lac, quo alatur Fœtus, abeat: quod & notat Hippocrates[e], & quomodo ad Mammas potiſſimum dirigatur, ſatis mechanice[f] exponit. Igitur in his, quia nulla ad Vaſa ſit Plethora, ſine noxa retinentur Menſes: ideo neque provocari debent. Quod ſi etiam Lactanti fluant, neceſſe eſt ut illi poſt ea, quæ pro lacte fiunt, impendia, ſanguis adhuc redundet: ideo præcipue in Nutricibus macilentis, utpote ſanguine plurimum turgentibus, reperiuntur menſtrua.

Adeo omnino a Plethora pendet fluxus Menſtruus, ut ſi Vaſa Uterina paulo robuſtiora ſint, aut vitio aliquo obſtructa, ſanguis alium ſibi aditum patefaciat: ita frequenter profluvii uterini alia evacuatio eſt vicaria. Apud Authores paſſim memorantur fœminæ, quibus, menſtruis ſuppreſſis, ſanguis ſtato tempore per Hæmorrhoidas[g], per Nares[h], per Poros cutaneos[i], etiam per Urinam[k], & Vomitum[l] rejectus ſaluti fuit: quod in Aphoriſmis, Criſeos ſignum recte ponit Hippocrates[m]. Quod ſi vicaria hæc reprimatur evacuatio, gravia inſequuntur ſymptomata: uti frequens experientia ſatis teſtatur. Extra dubium eſt quibuſcunque e canalibus prodeat, periodicum hoc a Plethora excitari profluvium (eſt enim ſalutare) & Menſtruorum nomine inſigniri debere; hæc enim non tam evacuationis locus, quam quantitas & tempus denominat & diſtinguit: quæ tamen magis amant per Uterum, uti diximus, expurgari, niſi aliquod in uterinis vaſis ſit vitium; quod ſemper accidit, cum aliæ ſanguini aperiantur viæ. Ita in hoc caſu natura ipſa per Hæmorrhagiam, quæcunque ea ſit, Fœminas Plethora laborantes levat: idem fit, ſi per venæſectionem arte fiat depletio, ubi in ſano corpore tantum peccat Plethora. Quin in iis quæ per uterum rite purgantur, Menſes ſemper imminuit, non raro etiam ſiſtit, miſſus e brachio ſanguis. Eodem modo ſi plethorica ſit mulier, Abortum præcavet Phlebotomia. Mira quidem eſt & ad hanc rem maxime appoſita, quam de muliere quadam Platerus[n] narrat, hiſtoria; "cui poſt ablatum exec-
" tumque Uterum Menſes deinceps, cum purgationis tempus inſtaret,
" per vicinum Anum, ſtato tempore, & colore convenienti, effluxere.
" Sanitati reſtituta diu poſtea vixit non aliis uſa remediis, quam quod,
" cum Menſtrua per Podicem ſegnius fluerent, venam juxta malle-
" olum quandoque aperiret." Satis manifeſtum eſt in muliere hac eandem, ac ante uterum exectum, accumulatam eſſe plethoram, &

b Aph. V. 60. Morb. Mul. 1. 44. c Morb. Mul. 1. 40. d Lib. 2. cap. 7. e Morb. Mul. 1. 99. f Nat. Puer. 21 & 22. g Sennert. Prax. lib. 3. Bonet. Med. Sep. 36. h Borrich. Med. Sep. 37. i Dolæus 636. k Salmuth. c. 3. Obſ. 36. l Hæchſtetter. Dec. 2. Caſ. 6. m Aph. V. 32 & 33. n Obſerv. Med. lib. 3.

menſtrua

menſtrua ſolenniter fluxiſſe: quæ quomodo, cum paulo ſegnius fluerent, a venæ-ſectione cieri & promoveri poſſent, in ſequentibus oſtendetur. Memorantur apud Zacutum[b] Menſtrua per Pollicem periodice erumpentia, quæ ſi forte parcius fluerent, acceſſit capitis dolor & febris. Neque ſane adeo mira res eſt Menſes per Pollicem excerni, ſiquidem apud Authores non infrequens ſit ſanguinis per Digitos[c] evacuati mentio. Cuidam, ab infantia uſque ad annum ætatis 24, effluxit, unoquoque Plenilunio, ex Pollice[d] ſanguis primo quidem ad ʒ 4, deinde poſt annum 16, ad ℔ ſs. Quo fluxu temere demum inhibito, in Hæmoptoen conjectus eſt. Alteri ex Indice[e], ſingulis fere menſibus, per annos 12, uſque ad lib. 4. prorupit ſanguis: in qua quidem hiſtoria hæc imprimis notatu digna videntur, 1. Quod ſi reſtricta fuerit evacuatio, circa brachia exortus eſt dolor acerrimus. 2. Quod quo rarius rediret periodus, eo copioſius effluxit ſanguis. 3. Quod a potatione ſemper increſcebat fluxus. Quæ omnia cum Menſium phænomenis optime conſentiunt.

Hoc loco non alienum erit Periodicum illud memorare, quod in Viris etiam interdum reperitur, ſanguinis profluvium. Sunt quibus ſtata fit per Hæmorrhoidas[f] evacuatio, in aliis periodica Hæmoptoe[g], in nonnullis etiam Mictus ſanguineus[h], certis temporibus recurrens, obſervatur. Hujuſmodi enim fluxus, pari modo atque in fœminis, a Plethora oritur, & ſanitati plurimum prodeſt; quod ſi in iis ſupprimatur ſolennis hæc purgatio, ſuccedit morbus; uti quidam, cujus meminit[i] Salmuthus, "prohibito mictu ſanguinis periodico, in "ſummam pectoris anguſtiam & compreſſionem, maximamque ſpi- "randi difficultatem incidit, eaque paucos intra dies extinctus eſt." Pari modo ac Ulcera & Fonticuli, quibus diu evacuari conſueverint humores, ſi ſubito ſiccantur periculo raro vacant.

Illud etiam obſervatu dignum eſt, Periodica evacuatione in hujuſmodi Viris ſuppreſſa, non modo ſanitatem extingui, ſed eadem prorſus, ac quæ fœminis Menſtruo levamine deſtitutis accidere ſolent, oriri ſymptomata; ita ut, ſi ſuppreſſio diuturnior ſit, evadant plane Hyſterici. In quem etiam morbum facile incidunt, qui vitam agunt nimis otioſam: a qua quidem Plethoræ origo in præcedentibus deducta eſt.

Quod ſi in Viris hujuſmodi creſcat Plethora, quæ fluxum periodicum concitat; ſi porro, deficiente fluxu, eadem quæ in Fœminis ob Menſes inhibitos, oriantur ſymptomata; quidni etiam in Muliere Menſes moveat Plethora, & morbos, qui a ſuppreſſis Menſibus proveniunt, inducat?

b Prax. Hiſt. 1. 3. Tranſ. num. 171. c. 3. 47. c Mercat. Morb. Mul. 469. f Amat. Luſit. L. 5. 3. Barthol. c. 5. 53. d Philoſ. Tranſ. numero 272. g Salmuth. c. 2, 3, & 18. e Philoſ. h. Id. i Ibid.

CAP.

CAP. IX.

De iis quæ aut citius cient, aut diutius retardant Menſes.

EXplicatis igitur Fluxus Menſtrui phænomenis, erit forſan non inutilis opera rerum earum vires paulum expendere, quarum interventu aut maturius, aut tardius moventur menſes: his enim rite intellectis, ſi quando vitiatum fuerit hoc profluvium, iſtius mali non modo cauſam melius aſſequemur, ſed & curationem felicius auſpicabimur.

Ex iis quæ maturius cient Menſes, præcipua ſunt Febris, Coitus, Potatio largior, Motus violentus, Vomitus, Sternutatio, Iracundia, Paſſio Hyſterica, ſolennis Evacuatio inhibita, Plantæ Emmenagogæ dictæ: quæ omnia aut ſanguini Plethoram introducunt, aut Stimulo quodam vaſa irritant.

In Febre enim, cum ſemper augeatur ſanguinis velocitas, immo frequenter & copia, etiam intenſius erit, quo canalium latera feriat & diſtendat, Momentum: ita in hunc motum excitatus ſanguis, tenera uteri vaſcula, modo a nobis antea expoſito, facile perrumpet. Quæ etiam cum ætate longa induruerint, ſanguini febriliter æſtuanti non ſemper reſiſtunt; uti in muliere quadam, cujus meminit Bohnius[a], evenit, quæ, ingruente febre, octogenaria menſibus purgata eſt. Eodem modo in Variolis haud raro provocatur ſæpius fluxus Menſtruus, nempe a Febre; qui cum proximo ante Criſin die invadere ſolet, uti obſervant practici, peccantis forte materiæ aliquid abducit, & morbum judicat. Igitur menſes, ſi Variolis ſupervenerint, raro cohibuit, ſed ſuo more uti permiſit, practicus idem & ſcriptor integerrimus, Sydenhamus[b]. Hinc Febres Acutas Menſtruis erumpentibus ſolvi docet Hippocrates[c]. Pari modo in fœmina plethorica Febrem Synochum Menſibus ad ſeptem dies fluentibus terminari ſcribit Foreſtus[d]. Quod ſi hujuſmodi fluxus Criticus turbetur, graviſſima ſæpe inſequuntur pectoris aut capitis mala; uti in tribus puellis obſervat Borrichius[e].

A Coitu, præter motum illum, quo uterina vaſa cæteræque corporis partes turgent atque incaleſcunt, admiſſo ſemine intenſius rareſcit ſanguis, & velocius per canales circulatur, ita ut impedimenta quævis facilius perfringat. Igitur apud Hippocratem, ſanguinem attenuare & calefacere perhibetur Coitus[f], & menſibus faciliorem exitum præſternere[g]. Hunc a virili ſemine ſanguinis motum cieri ſatis oſtendunt ea, quæ fœminis ſub conceptionis tempus ingruunt, ſymptomata. Inde eſt, quod ultimum Suppreſſionis Menſtruæ remedium vulgo habeatur Coitus: quem ideo fœminis paſſim commendat Hippocrates. Qui tamen ſi immodicus fuerit, immodicum etiam fluxum

a Circ. Anat. p. 243. b Morb. Acut Hiſt. 289. c Coac. Præn. ſ. 226. d Lib. 1. Obſ. 20.
e Act. Hafn. vol. 2. 195. f Diæt. 2. 36. g Genitur. ſ. 7.

excitabit: uti experiuntur Prægnantes, quæ ea ſæpe de cauſa abortiunt.

A Potu largiori quomodo ſanguini inferatur Plethora, & proinde rapidior circuitus, ex re ipſa ſatis apparet.

Motu violento non tantum ſanguinis calor increſcit, ſed particulæ etiam magis fluidæ, & tenues fiunt. Contractio enim muſculorum, quæ in Motu violento fit, non modo ſeroſiorem ſanguinis partem per poros abducit, ſed id, quod intra canales circulatur, comprimendo attenuat & comminuit; ita ut aucta velocitate fortius increbreſcat fluidi Momentum, & major vaſorum Diſtenſio: unde facilior ſanguini aperietur exitus. Ita Saltantibus improviſo ſæpe erumpunt Menſes.

Ad motum violentum referri poſſunt Vomitus, & Sternutatio[a]: in quibus quidem non modo validiſſime movetur Ventriculus & Diaphragma, ſed vicinus etiam Uterus ita agitatur & concutitur, ut vaſa, colliſu hoc diſrupta, ſanguini locum cedant. Idem efficiet corporis in Paſſione Hyſterica Convulſio; quod in virgine quadam obſervat Platerus[b].

Affectus Animi quomodo ſanguini novos motus introducant, fortaſſe arduum eſt explicare; quod vero introducant, certiſſimum. In Iracundia præſertim validius contrahitur cor, increbreſcit pulſus, ſcintillant oculi, inardeſcunt genæ; quæ omnia ſanguinem motu concitatiore ferri arguunt, adeoque majore impetu in canalium latera impingere: qui ſi violentius impingat, facile diffiliunt vaſa uterina.

Ab Evacuatione ſolenni inhibita provocantur menſes, quia major in ſanguine accumulatur Plethora; uti contra, ſi præceſſerit evacuatio nimia, ſupprimuntur, quia tum deficit Plethora.

Plantæ Emmenagogæ, cum Sale Volatili ut plurimum refertæ ſint, ſanguinis particulas incidunt atque attenuant, & in motum vividiorem exſuſcitant. De harum viribus, & operandi modo in ſequentibus dicetur; ſufficiat hoc in loco id ſolum annotare, nulla dari Emmenagoga, quæ non aliquo modo Momentum ſanguinis intendant: aucto vero ſanguinis momento, erumpunt Menſes.

Huc etiam referatur Victus acris, tenuis, & copioſus: cujus exempla paſſim in Authoribus legenda.

Alia ſunt, quæ Menſes maturius cient; ſed ea omnia ad has, quas jam percurrimus, claſſes reduci poſſunt: aut enim Vim aliquam vaſis imprimunt aut ſanguini inducunt Plethoram, uti & faciunt ea, quæ jam explicuimus: quod ſi hoc modo ſemper agant, & hujuſmodi effectus producant, veriſimile eſt eadem eſſe in movendis Menſibus etiam naturæ inſtrumenta.

Si quis dicat in Febre, Motu violento &c. ſanguinem rareſcere tantum, & curſu velociore circumagi, Plethora vero minime laborare, meminerit ab hac ipſa rariore ſanguinis textura, reſpectu vaſorum, veram exſurgere Plethoram. Si enim ſanguinis particulæ, ſive comminutæ, ſive quocunque modo diviſæ, majus ſpatium occupent, la-

a Hildan. c. 3. obſ. 58.

b Obſ. Med. p. 191.

tera

tera canalium æque diſtendent, ac ſi aucta eſſet humorum copia. Ita ſanguine rarefacto, erit quæ Ad Vaſa dicitur Plethora. Id etiam reponi poteſt, pleraſque Febres, non ſecus ac menſes, a Plethora ortum ducere.

Contra, ea quibus Menſes retardantur, ſunt Frigus immodicum, Mœſtitia, repentina Exanimatio, Evacuatio nimia, Victus incraſſans, humorum Cruditas, Pharmaca Aſtringentia: & hæc quidem omnia aut ſanguinis Lentorem augent, aut Momentum imminuunt.

Uti enim Calore rareſcit ſanguis & relaxantur fibræ, ita Frigore nimio conſtringuntur arctius vaſa & rigeſcunt. In muliebri igitur Plethora, cum fluidi quantitas redundet, vaſa frigore conſtricta exitum negant; nec tamen ita ſunt capacia, ut per ea libere ſatis moveatur ſanguis: unde neceſſe eſt, ut aliqua ſanguinis pars tandem in minimis canalibus ſtagnet; ſtagnando autem paulatim imminuetur motus ſanguinis, & orietur Viſciditas. Ita utroque nomine Menſtrua retardat Frigus, quia tum Vaſa conſtringit & roborat, tum ipſi Sanguini Lentorem tarditatemque inducit: hinc minor vis fluidi ad latera rumpenda. Igitur Aeri Frigido paucitatem Suppreſſionemque Menſium tribuit Hippocrates, quam & in Septentrionalibus eſſe popularem refert[a]. Quod ſi Frigus, illæſo Utero, cæteras corporis partes repente corripiat, fluxum, ſi jam adſit, promovet: impedita enim Perſpiratione, major ſuppetit humorum copia per Uterum, frigore intactum, evacuanda. Ita ſæpe ſub fine profluvii, fœminis, quæ ſubuculas paulo humidiores induunt, uberius prorumpit ſanguis. In his quippe protinus recrudeſcunt Menſes, etiamſi ceſſaſſe videantur.

Cum Mœſtitia ſemper conjungitur motus ſanguinis tardior: igitur ſi timor & triſtitia diutius perſeverant, Melancholiam adeſſe pronuntiat Hippocrates[b]: in Melancholicis porro obſervatur pulſus rarus, & facies pallida, ob impetum ſcilicet ſanguinis minorem. Ex motu enim imminuto fit, ut tardius ad cerebrum perveniat ſanguis, a cerebro item ut ſegnius in cor deriventur ſpiritus: Momento igitur languente, vaſa non ita facile perrumpet ſanguis. Par eſt ratio Exanimationis repentinæ: in ea enim diſſipantur prorſus Spiritus, ita ut cor viribus deſtitutum laboret admodum, & ſanguinem vix queat protrudere: unde tardior ſanguinis curſus, & debilius momentum. Ita narium Hæmorrhagia ſubito terrore ſæpe reſtinguitur.

Menſes, ſi præceſſerit Evacuatio nimia, ſiſti, aut ſaltem retardari debere, ſatis manifeſtum eſt: deficit enim, qui fluxum provocet, ſanguis. Ita poſt Partum multæ duas vel tres periodos intermittunt; quia nempe lochiorum fluxu pene exhauſti ſint humores. Pariter a diuturniore Morbo imminuuntur Menſtrua, quia aut non ſuppetit ſanguis, aut in partium nutritionem impenditur. Balnea & Æſtuaria ſudorem nimium promovendo, Plethoram ideo & Menſes imminuunt, & tardant. Idem de Ulceribus, & Fonticulis diuturnis annotandum eſt. Novi etiam mulierem, cui ex Theæ potu urina nimia

a De Aere 48. b Aph. 6. 23.

profluxerat,

profluxerat, menſibus vice proxima immunem: alia a vena liberius ſecta ad ſpatium trimeſtre non purgata eſt. Etiam inter Salivandum fœminæ defeciſſe Menſtrua compertum habeo: in qua quidem hoc ſingulare & notatu dignum evenit, quod die proximo ante Salivæ fluxum ab utero eruperunt Menſes, proruente vero a glandulis Saliva intercepti ſunt. Ita, itinere per inferiora præcluſo, ſtatim per Nares effluxit ſanguis, & ea quidem copia, ac ab Utero remitti conſueverat: deinde, bimeſtris ſalivationis decurſu, intra vaſa quietus ſubſtitit. Pari modo ſe habent Mulieres, ſi alio traducitur humorum copia; igitur in Hydrope Menſes ſiſti monet Hippocrates [a]; paucioreſque fieri & tandem deficere, ſi in utero creſcat Aqua intercus [b].

Menſibus etiam officiunt Victus incraſſans, & humorum cruditas: quia, cum chylus viſcidior ſit, ſanguis fere ſemper in Capillaribus ſtagnat, difficilius certe & parcius a ſanguine ſeparantur ſpiritus; unde imbecillior circulatio, & vis minor. Ita in iis ſæpe ſupprimuntur menſes, quæ Lactis uſui nimium indulgent; aut Cretacea comedunt, uti praviſſimum eſt Virginei morbi ingenium. Idem efficit Vita otioſa, & nimia Frigidæ potatio; unde ab aquis crudis & frigidis Menſes vitiari admodum & imminui, uti etiam & Lac, teſtatur Hippocrates [c]. A quibus etiam imprudenter potis non tantum Menſium ſuppreſſionem, ſed & mortem aliquando ſequi narrat Foreſtus [d].

Pharmaca denique Aſtringentia in cauſa ſunt, cur tardius fluant Menſes, quia & uterina vaſa corroborant, & ſanguinem magis viſcidum & cohærentem efficiunt: ortæ ab his ſuppreſſionis menſtruæ hiſtoriam ſatis notabilem refert Actuarius [e]. Quomodo vero ab Aſtringentibus hujuſmodi oriatur effectus, dicetur poſtea, cum de menſtrui fluxus vitiis, eorumque remediis, tractaturi ſumus doctrinam.

Hoc etiam de iis, quæ Menſes aut maturius aut tardius cient, annotari debet, quod ſi paulo diutius aut violentius increbuerit eorum uſus, cauſæ fiunt, quas Authores vocant, Evidentes purgationis menſtruæ tum penitus ſuppreſſæ, tum immodice profluentis.

CAP. X.

De Symptomatis quæ a ſuppreſſis Menſibus oriuntur.

CUM non minus atrocia quam contraria Menſium occurrant vitia, fluxus nempe immodicus, nimiaq; retentio, cum porro ab horum alterutro fere ſemper derivetur omnis illa muliebrium morborum Ilias, (eos enim enaſci, cum aut plura aut pauciora ſint menſtrua, docet Hippocrates [f]) non abs re erit rationem exponere, qua fit, ut a Menſibus vitiatis tot tantaque oriantur ſymptomata. Quia vero longe frequentiſſimum eſt malum, & inter virgines pene epi-

a Morb. Mul. 1. 2. Prævid. Urin. 2. 12. b Morb. Mul. 1. 85. f Aph. 5. 57. c De Aq. ſ. 7. d Lib. 28. ob. 3. e De

demicum,

demicum, Menſium imminutio, ab ea diſquiſitionem ordiamur: ſiquidem nullus fere in Puellis reperitur morbus, qui non hanc aut comitem, aut cauſam agnoſcat.

Imminutionis varii ſunt gradus: aut enim parcius, aut tardius, aut etiam difficilius, aut, quod frequenter fit, non omnino fluunt Menſes; Suppreſſos vero atrociſſima omnium ſequuntur ſymptomata: quos quæ provocare denuo poſſunt Pharmaca, eadem etiam quocunque modo imminutis proſunt: ita ut ſi Suppreſſio menſium plenius explicetur, cæteræ imminutionis ſpecies facillime & intelligi & curari queant.

Obſtructis igitur Menſibus, non tam certa aliqua & Diagnoſtica, uti cæteris affectibus, ſuperveniunt ſymptomata, quam univerſi fere, quibus humanum corpus laborat, morbi. Et primo quidem, Suppreſſione adhuc recente, ingraveſcunt præcipue ea, quæ inſtante fluxu ſæpius ingruere diximus, ſymptomata: dolor & æſtus partium vicinarum, cephalalgia, appetitus remiſſio, & languor; quæ quomodo Plethoræ reſpondeant, ſupra oſtenſum eſt. Hæc deinde longum malorum agmen ſubſequitur, uteri inflammatio, aliquando etiam gangræna, arteriarum pulſatio, dorſi & articulorum dolor, frigoris caloriſque viciſſitudo, venarum varices, tumores in cruribus præſertim, & pedibus, & hypochondriis; totius corporis gravitas & imbecillitas, tormina inflationeſque ventris colicæ haud abſimiles, flatus etiam & murmura, vomitus, ad præcordia anxietas, tuſſis, dyſpnœa, aſthma, tabes, cordis palpitatio, & ſyncope; in capite dolor acerrimus, ad ſinciput præſertim & occiput, oculorum gravitas, vertigo, nonnunquam apoplexia & inſania, pallor, fluor albus, paſſiones hyſtericæ, globus præſertim quaſi in gutture ſurſum reptans, urina aliquando ſtillans, aliquando ſuppreſſa, alvus dura, ſanguinis per aliena loca eruptio. Hæc fere a Suppreſſione menſtrua oriuntur ſymptomata, in aliis alia: quæ tamen omnia non inconcinne a Plethora deduci poſſunt.

Cum vero horum alia a ſola ſanguinis quantitate aucta, alia rurſus a qualitate etiam vitiata oriantur, videndum eſt quales potiſſimum affectus inferat aucta quantitas, ſive Plethora. Quoniam autem Plethora per ſe ſpectata Menſes, uti capite ſexto oſtenſum eſt, nequeat ſupprimere, ſequitur ut in Vaſis quærenda ſit Suppreſſionis cauſa: omnis quippe Suppreſſio, morboſa ſaltem, vel a Vaſorum, vel a Sanguinis vitio derivatur. Vaſis igitur Uterinis ita conſtrictis, ut nullus ſanguini pateat egreſſus, propter eam quam explicuimus humorum redundantiam, momentum ſanguinis intenditur, quia nempe non augetur modo quantitas, ſed & velocitas; quæ ſemper, niſi adſit lentor, eſt in ratione copiæ. Quo enim uberior ſit ſanguinis quantitas, eo major erit Spirituum ſecretio: ab his vero cum pendeat cordis ad ſanguinem circulandum vis, validior frequentiorque fiet contractio; unde velocior etiam per vaſa ſanguinis circuitus. Cum itaque tum moles, tum momentum ſanguinis increſcat, orietur etiam calor humorum intenſior, & canalium validior diſtenſio, & proinde

quicquid a nimia diſtenſione proficiſcitur: cujuſmodi ſunt ea, quæ inſtante fluxu ſæpius ingruere ſolent ſymptomata; quibus adjici poſſunt vaſorum tumor, & pulſatio: & hæc quidem præ cæteris patiuntur eæ, quibus Suppreſſionis cauſa fuerit vaſorum tenacitas. Ideo ſignum Diagnoſticon habetur a vaſorum vitio ſuppreſſionem proveniſſe, ſi adſit dolor circa uterum tenſivus, venarum tumor, faciéi color floridus: quod etiam certius erit, ſi fortius increbreſcat Pulſus. Erit enim in Plethora, quæ qualitatem ſanguinis nondum vitiat, Pulſus validus, plenus, creber: validus quidem, quia cum uberior ſit ſanguinis copia, largior etiam erit ſpirituum ſecretio; ita cor ſpiritibus magis inſtructum, fortiuſq; ſe contrahens, majori impetu ſanguinem in arterias protrudet; qui ideo vehementi ictu in arteriarum latera impinget, & Pulſum validiorem excitabit. Cum porro in Plethora amplior ſanguinis moles in canalibus continetur, amplius etiam ſpatium occupabit, & arteriarum tunicas magis extrorſum trudet, ſive Pulſus ad digitum ſentietur plenior. Crebriorem etiam Pulſum inferet Plethora, quia tum copioſius in cordis ventriculos influit ſanguis, ita ut cor ſtimulo quodam in contractionem citius ſuſcitetur; tum uberius etiam in fibras cordis muſculares derivantur ſpiritus; ita ut cor motum ſuum exercere poſſit frequentius. Unde in arteriis Pulſus crebrior.

Ad hunc modum tum ictu tum tempore incitatior fiet Pulſus, donec ad augmenti ſummam pervenerit Plethora: eſt enim certus quidam plenitudinis gradus, ultra quem, illæſa qualitate ſanguinis, augeri nequeat quantitas. Hoc a Plenitudine periculum optime intellexit Hippocrates: Athletas enim, quorum habitus ad ſummum bonæ valetudinis gradum pervenit, in eo diu manere & conſiſtere non poſſe aſſerit; quippe ſi quid ulterius adjicitur, periculo non vacat[a]. Itaque hanc bonam habitudinem cito ſolvendam eſſe monet. Plethora enim diu nequit increſcere, quin comitem ſibi adſciſcat ſanguinis Lentorem. Quippe cum, inſtante fluxu menſtruo, ea, quam prius expoſuimus, ſit vaſorum diſtenſio, quia ſcilicet quantitas, & proinde etiam momentum ſanguinis decima fere parte augetur; ſi Menſes ad duas periodos ſubſtiterint, moles ſanguinea quinta fere parte ſolito uberior erit, niſi aliæ evacuationes auctæ fuerint; adeoque eadem ratione increſcet ea, qua latera vaſorum a fluido circulante urgentur, Preſſio: quam a vaſis citra virium noxam ſuſtineri poſſe nemo credet, qui, quam graviter ea ſub primæ periodi incurſum laborent, meminerit. Et hic quidem a Plethora Lentor tribus modis deducitur. 1. Etenim ab ipſa copia oriri poteſt, quæ ita ſupra modum intra vaſa turgeſcit, ut ea, utcunque diſtenta, ſatis amplum ſanguini circulando ſpatium præbere nequeant, niſi penitus diſſiliant fibræ; ita ut, cum uberior ſit, quam pro vaſorum capacitate, fluidi moles, majorem patiatur renitentiam ſanguis redundans. Quo fit ut particulæ ipſius, tum a canalium tunicis, tum a præcedenti liquido, cui continuo affricantur, quaſi retropulſæ & retar-

[a] Aph. 1. 3.

datæ,

datæ, in anguſtius ſpatium coeant, ſeu tenacius inter ſe coaleſcant: quæ etiam, quia mole nimium excreſcunt, in Capillaribus ſenſim ſtagnabunt; unde iterum circuitu per hæc minima vaſa aliquatenus impedito, major erit in cæteris canalibus globulorum inter ſe invicem renitentia, & proinde ſtrictior cohærentia, ſive Lentor. 2. Lentorem inducet motus cordis in Plethora tandem imminutus. Cum enim ultra determinatum quendam gradum intumeſcant vaſa ſanguinea, nervos circumpoſitos non in cerebro modo, ſed & in ipſo corde, ita fortiter conſtringent, ut parcior fluat in fibras cordis ſpirituum copia, unde motus cordis debilior. Itaque ſanguis, quo minore cum impetu protruditur, eo facilius a quacunque renitentia retardatur, adeoque promptius ad Lentorem perducitur. 3. Sanguinis etiam Lentorem promovet partium tenuiorum abſumptio. Cum enim vaſa diſtendat admodum ſanguis plethoricus, ea contra reciprocata quadam actione in ſanguinem nituntur; ita ut ipſius particulæ a tunicis vaſorum repercuſſæ a preſſione recedere conentur: quo fit, ut tum per vaſorum poros, tum per ductus ſecretorios exprimatur quicquid fuerit ſanguinis tenue & aquoſum: ita particulis fluidioribus continuo extruſis, neceſſe eſt, ut ſanguinis reliqui compages ſit arctior multo, & conſtrictior. Igitur ſi non omnino prodeant menſes, eos præ morbo aut craſſos, aut viſcoſos, aut glutinoſos fieri docet Hippocrates[a]. Adeo ut, licet hæc quæ ſequuntur ſymptomata a Plethora proficiſci queant, magna tamen ex parte Plethoræ cum Lentore conjunctæ ortum debent, accedente ſaltem lentore in deterius eunt: qui tamen lentor cum a plethora proveniat, minime obſtat, quo minus ſymptomatum, quæ ſuppreſſis a Vaſorum vitio Menſibus ſuperveniunt, cauſa agnoſcatur Plethora. Atque hoc animo tenebit lector, ut eadem ſæpius iterandi tædio parcatur.

Cum autem Plethoræ acceſſerit Lentor, evaneſcit illa, quæ Suppreſſioni a Vaſis ortæ propria eſt, Pulſus vehementia: quippe ita vim priſtinam remittit Pulſus, ut jam tandem imbecillis, rarus, atque inæqualis fiat. Lentore enim inducto, propter compagem ſanguinis ſtrictiorem parcior ſit ſpirituum ſecretio; ſpiritibus vero minus copioſe influentibus, & corde adeo debilius contracto, imbecillior erit ſanguinis in arterias projectio. Unde etiam Pulſus imbecillis. Ad hoc illud etiam accedit, pondus nempe ſanguinis in Plethora auctum: ita, cum major moles movenda ſit, impetu debiliore ſanguinem extrudet cor. Increſcet adhuc Pulſus imbecillitas, eo quod, cum major ſit ſanguinis viſcoſi quantitas, major erit particularum inter ſe niſus & affrictus, earumque difficilior a ſe invicem divulſio: unde minor ſanguinis, propter majorem reſiſtentiam, velocitas, & Pulſus proinde imbecillior. Velocitate porro imminuta, ad nervorum origines tardius deducitur, qui in ſpiritus abire debet, ſanguis: itaque ii, qui jam in nervis hoſpitantur, ſpiritus minus protruſi, ſegnius in cordis fibras influunt; unde longioribus intervallis iteratur cordis contractio, & rarior fit Pulſus. Etiam inæqualis erit Pulſus, tum

[a] Morb. Mul. 1. 10.

ictus

ictus tum intervalli reſpectu; quia, cum novus continuo fere in ſanguinem lenteſcentem traducatur chylus, fieri nequit, ut æqualis ſit ſanguinis totius temperatio, eademque particularum omnium cohærentia: molis igitur ſanguineæ cum pars alia ſit tenuior, alia rurſus viſcidior, pro varietate texturæ, qua gaudet ſanguis ad nervorum oſcula allabens, varia erit ſpirituum ſecretorum copia, a ſanguine ſcilicet laxiore major, a conſtrictiore minor: ita ſpiritibus inæqualiter ad cor derivatis, inæqualis etiam erit cordis contractio, non quoad tempus modo, ſed & impetum. Itidem Pulſum inæqualem efficiet ſanguinis, qui in cordis ventriculos influit, craſis inæqualis: lentum enim ſanguinem, utpote compactum magis & renitentem, tardius & debilius projicit cordis ſyſtole; tenuem vero, minore reſiſtentia præditum, eadem vis citius & validius extrudit.

Eodem modo ſe habet Pulſus, ſi Suppreſſionis origo ab altera quam attulimus cauſa provenerit, ſanguinis ſcilicet Qualitate vitiata; ea enim, quanquam variis modis inquinari poteſt, nullis tamen ita vitioſa fiet, ut Menſes valeat reſtringere, niſi ſimul adſit Lentor. Igitur in hoc caſu, tanquam unicum ſanguinis vitium, habendus eſt Lentor: a quo Suppreſſionem inferri poſſe ſuperiora ſatis evincunt. Ita quemadmodum Plethora ſanguini tandem Lentorem inducit, ſic etiam Lentor Plethoram parit: obſtructis quippe craſſo ſanguine arteriis Capillaribus, intra reliqua vaſa coacervatur ea, quæ ſingulis menſibus effundi debuit, ſanguinis portio. Ita quacunque de cauſa ſupprimantur Menſes, exurget tandem Plethora, quæ quomodo inferat ea, quæ a ſuppreſſis Menſibus ſequi ſolent, ſymptomata, paulo jam diſtinctius explicandum eſt.

Redundante igitur in Uteri vaſis ſanguinis copia, cum aliqua ejus pars firmius hæreat, & abripi per tenuia Capillaria non poſſit; Arteriolæ, in quibus hæc inchoatur obſtructio, magis magiſque ſenſim extrorſum trudentur ab eo, qui continuo allabitur, ſanguine: qui, ſuccedente ob partium niſum calore, calorem pariter concipiet, & Inflammationem pariet: quæ frequentius fit, quando in ipſo fluxu ſubito reſtricti ſunt Menſes. Perdurante Inflammatione, ſi partes ſolidæ ab humoribus corroſæ & laceratæ fuerint, inſequitur Ulcus: nonnunquam etiam, ſi acceſſerit corruptio, Gangræna: exempla ſuppeditabit Hildanus [a].

Arteriæ vehementius pulſant, quia ſuppreſſis Menſibus ita redundat ſanguis, ut tum ob copiam quidem canalium tunicas latius diſtendat, tum vero ob auctum momentum feriat validius. Igitur hæc Arteriarum Pulſatio in iis præcipue obſervatur, quibus, Vaſorum vitio, recenter ſuppreſſi ſunt Menſes. Cum enim ſemel Lentorem contraxerit ſanguis, ita ut minus velociter circuletur, ceſſat ea in Arteriis Pulſatio, ob momentum ſanguinis debilius, quanquam minime interim deficiat Plenitudo. Lenteſcente quippe ſanguine, parcius ſeparantur ſpiritus; unde corde motum ſuum admodum debi-

[a] Cent. 2. Obſ. 62, 63, 64.

liter

liter peragente, fluidum impetu languidiore in arteriarum tunicas defertur: ideo ea ſenſim labaſcit Pulſatio.

Spina dorſi frequenter dolet, quoniam Medulla Spinalis, uti eſt ſenſu acutiſſimo prædita, ita preſſione ea, quæ ab arteriis diſtentis oritur, facile affici ſolet. Ideo Variolarum imminentium ſignum Diagnoſticon habetur Spinæ dolor: quem quidem in Variolis non ſecus ac in Suppreſſis Menſibus, excitat nimia vaſorum plenitudo. Orietur etiam inveteraſcente morbo ad Articulos dolor, propter exquiſitum Perioſtei ſenſum: quo fit, ut, cum ſanguis copia & lentore ſimul peccans, vaſa, quæ Perioſteo intercedente oſſibus inſeruntur, ſupra modum diſtendat, tenuis illa membrana multum diſtrahatur, quæ tamen ad Articulos potiſſimum diſtrahetur, quia circa Oſſium extremitates vaſorum longe uberior copia Perioſteum pertranſit.

Frigoris caloriſque viciſſitudo ex iis, quæ de Febre Intermittente, capite octavo, diximus, ſatis commode deduci poteſt: hæc enim viciſſitudo nihil aliud eſt, quam Febricula, gradu licet multo remiſſiore, Intermittens. Hinc Suppreſſis Menſibus Quartanam acceſſiſſe narrat Foreſtus[a]. Atque hæc quidem frigoris caloriſque per vices acceſſio haud futile ſignum eſt, quod ſanguis in iis, quibus ſupprimuntur menſes, jam tum incipiat lenteſcere. Itaque in tertiis menſibus ſi mulieri non prodierint, Febrem erraticam, & Horrorem accedere ſcribit Hippocrates[b].

Venarum in pedibus cruribuſq; Varices non tantum a ſanguinis exuberantia, ſed regreſſu in Venam Cavam aliquatenus tardato oriuntur. Accumulata enim plethora, diſtenditur adeo atque intumeſcit Uterus, ut neceſſario ramos Iliacos multum comprimat; comprimendo vero ſanguinis per eos refluxum moretur. Ita circuitu in cruribus admodum languente, intumeſcent venæ; in quibus quoniam ſint, valvularum interjectu, diſtinctæ quaſi cellulæ, non æqualiter turgeſcent latera, ſed tumores quoſdam, ut ita dicam, geniculatos, quos Varices appellant, efformabunt; in iis ſcilicet, quæ a duabus valvulis comprehenſa ſunt, intervallis. Quo autem magis a corde diſſitæ ſint venæ, eo turgidius eminent Varices; quia, cum major ſit fluidi incumbentis altitudo, major etiam erit ad extremitates canalium preſſio. Accedente Lentore intenſius adhuc intumeſcent Varices: quia, languente ſanguinis velocitate, tardior multo ſit per Venas Iliacas recurſus.

Quod ſi paulo diutius fiat iſta a Plethora diſtenſio, laterum fibræ ſanguinis impetu dimotæ & ſejunctæ ita fatiſcent, ut per ipſarum rimas humores facile exudent; ita aditu in vaſorum interſtitia ſemel patefacto, perenne fiet ſtillicidium; unde ſenſim increſcet Tumor. Qui ad inferiora potiſſimum, uti pedes, crura, & hypochondria, naſcetur; quia cum difficilior & tardior ſit in his infimis canalibus ſanguinis ad cor recurſus, & gravior incumbentis fluidi moles, uti jam oſtenſum eſt, ibi major erit in latera vaſorum niſus, & proinde facilior in inſterſtitia illa fluidi eruptio. Hinc paucis quibus ſupprimuntur menſtrua, hujuſmodi Tumores abſunt: in quibuſdam etiam

[a] 3. 34. [b] Morb. Mul. 1. 4.

Rheumatiſmi, & Podagræ ſpeciem præ ſe ferunt, qua quidem mulieres prorſus immunes eſſe ſcribit Hippocrates[a], niſi defecerint Menſes. Hos a Plethora Tumores proficiſci ideo quoq; haud abſurde contendas, quod humidi temperamenti mulieres, quibus diutius durant menſtrua, ſuppreſſo profluvio, citius intumeſcunt: quale Hippocrates temperamentum Occidentalium[b], quas vocat, fœminarum eſſe proprium obſervat; ſiquidem illi iſta plaga ita frigida & aquoſa videatur, ut incolis & Suppreſſionem Menſium, & proinde Tumores inducat. Atque hi quidem Tumores utplurimum laxi ſunt, non raro tamen in abdomine duri, inſtar Nodi aut Tuberculi cujuſdam, obſervantur; in quibus id ſatis ſingulare eſt, quod non jugiter excreſcant, ſed modo turgeant, modo penitus ſubſidant, ita ut hi ad Hyſterica ſymptomata reducendi ſint Tumores, de quibus in ſequentibus dicetur. Talia circa inguen Tubercula, retentis Menſibus, obſervat Hippocrates[c]. Quod ſi longius perſeverarit Suppreſſio, Lentore accedente, ita ſenſim langueſcit circuitus, ut, motu per vaſa minima imminuto, ſanguinis particulæ tenacius inter ſe cohærentes Obſtructiones in cæteris canalibus, Lymphaticis præſertim, qui omnium ſunt tenerrimi, facile pariant. Ita humorum viſciditas, fibrarum laxitati conjuncta, Hydropem inferet, qualem in ſuppreſſis Menſibus deſcribit Foreſtus[d]. Frequenter etiam in ipſo Utero ſuccreſcit Aqua Intercus, quam & ſæpe notat Hippocrates[e]: qui quidem morbus Virgines potiſſimum afficit, eodem annotante Hippocrate[f], quia in iis facilius ſupprimuntur Menſes, uti poſtea dicetur. Pariter ſi aliæ evacuationes, ut Hæmorrhoidum, urinæ, diaphoreſeos, &c. ſuppreſſæ fuerint, propter Plethoram in corpore coacervatam, frequentiſſime ſuccedit Hydrops: etiam noſtræ de Plethora ſententiæ ulterius adhuc favet quotidiana illa de guloſis & bibacibus obſervatio, quod in Hydropem præ cæteris multo procliviores ſint.

Hæc quæ a canalibus nimium oppletis oriuntur mala, Ventriculo imprimis & Inteſtinis nocitura facile ſentiet, quiſquis vaſorum ad eas partes reptantium multitudinem pene infinitam perpendat. Quippe, ob humores plethoricos, in ipſis vaſorum tunicis quædam quaſi Inflatio ſentitur: quæ cum ſpirituum per nervos influxum, uti dictum eſt, intercipiat, langueſcit admodum motus ille ventriculi & inteſtinorum Periſtalticus, quo in tenuem chylum rediguntur alimenta. Ita ut his chyloſeos inſtrumentis, ob ſpirituum inopiam, minus vivide ſe moventibus, non tantum tardius, ſed imperfectius etiam comminuatur chylus: unde etiam majore copia intra primas vias accumulatur, & quendam plenitudinis ſenſum inducit. Adhuc crudior erit & viſcidior chylus, ſi adſit lentor ſanguinis; cum enim in lentore motus ſanguinis ſit imbecillior, & cohærentia multo tenacior, non modo minor ſpirituum in muſculos derivatio, ſed minor etiam erit in glandulis ventriculi, & inteſtinorum liquidi ſecretio: ita ut alimenta liquido eo, quo humeſcere & molliri ſolebant, de-

a Aph. 6. 29. b De Aere 12. c Nat. Puer. 7. d 19. 34. e Morb. Mul. 1. 2. f Morb. Mul. 1. 87.

fraudata,

fraudata, minus rite diſſolvi queant; inde longior in inteſtinis chyli mora, & compages craſſior. Igitur fere ſemper Menſium ſuppreſſorum comes eſſe ſolet alvi pigrities: tum quia, motu inteſtinorum imminuto, minus detruſæ ſint fæces, tum quia præ ſiccitate per ſe tardius exire queant. Hinc alia elucet ratio, cur plethorico ſanguini neceſſario tandem accedat Lentor; quia ſcilicet chylus, ob motum ſtomachi & inteſtinorum in Plethora imminutum minus comminuitur, adeoque magis craſſeſcens cum ſanguine circulatur. Vera quippe eſt Veterum ſententia, id quod in prima concoctione crudum eſt, in ſecunda aut tertia nunquam digeri. Et hunc quidem chyli lentorem Suppreſſioni menſtruæ brevi ſuccedere ſatis manifeſtum eſt, quod mulierem quibus ſuppreſſi ſunt Menſes prima fere ſemper ſit de Ventriculo læſo querimonia. Hinc ſanguis craſſior factus minutiſſima, quæ per faciem excurrunt, vaſa nequit pervadere; unde genæ pallidæ, & decolores.

Chylus autem, ſi diutius æquo in his pomœriis moretur, ea vitia contrahet, quæ liquoribus ſtagnantibus fere ſemper adſunt, cujuſmodi ſunt Putredo, & Acor: cum vero ſine quodam partium motu putreſcere nequeat Chylus, quicquid aeris in eo continetur, fortius quoque agitabitur: qui ſi intus ſit concluſus, flatus & murmura excitabit: ſi foras eliminatus, ructum. Multifariam autem oriuntur ventriculi & inteſtinorum tormina, tum quia canalium fibras intus vehementer admodum diſtrahit ſanguis plethoricus, tum quia extra chylus jam in Acidum mutatus pungit vellicatque: utravis enim de cauſa inferetur dolor: qui ſi intenſior ſit, ſtimulo ſuo muſculoſam ventriculi tunicam laceſſet, eaque adeo violentius contracta, Vomitum provocabit.

In corpore ſentitur Gravitas, quia ſolenni Menſium evacuatione inhibita, tum revera creſcit corporis pondus, tum imminuuntur etiam vires: quæ quandocunque deficiunt, corpus, etiamſi revera levius ſit, ſentienti tamen gravius videtur. Si enim dimidias ei, qui pondus ſuſtinere debet, vires detraxeris, idem eſt ac ſi duplum impoſueris. Suppreſſis vero Menſibus ſequitur virium imbecillitas, quia vaſa ſanguinea & in cerebro & in cæteris quibuſcunque corporis partibus ita ſupra modum intumeſcunt, ut nervos, quibus adjacent, premant admodum & conſtringant; adeo ut tum minor liquidi nervoſi fiat ſecretio; tum minor etiam, pro ratione liquidi ſecreti, in membra derivatio. Itaq; ſpiritibus ad hunc modum interceptis, oriuntur vires imbecilles. Ita ſuppreſſis Menſibus ſequuntur duo illa, quæ apud Authores ſtatuuntur Plethoræ genera; increſcente enim indies ad Vaſa Plethora, tandem ſuccedit etiam, quæ ad Vires dicitur.

Cum ad hunc modum canales inferciat ſanguis redundans, Glandulæ, utpote ex vaſculis tenuiſſimis convolutæ, & carne parum ſuffultæ, ſiquæ aliæ corporis partes, labem ſatis prompte excipient: inter quas nullæ quidem promptius, quam eæ, quæ ad internam Tracheæ tunicam inferuntur; quod ex Perſpiratione impedita, ſive ut vulgo loquimur, ſuſcepto Frigore, quotidie experimur. Perſpira-

tione

tione quippe impedita, Glandulæ Tracheales ideo tument, quia obſtructis poris cutaneis, major ad cæteras glandulas derivatur ſanguinis copia; unde major quantitas materiæ per ipſas ſecernitur; ita Tracheales hac majori humorum copia oppletæ turgeſcunt, atque infarciuntur. Viſcidus igitur humor cum Tracheæ Glandulis ſemel inhæſerit, nerveas propagines, quibus circum undique veſtiuntur glandulæ, ita premit & vellicat, ut neceſſario muſculi, quibus nervi inſerviunt, in contractionem excitentur: muſculis vero Tracheæ contractis, per os exprimitur aer, ſeu quod idem eſt, fit Tuſſis. Quam quidem, cum Dyſpnœam comitem non habeat, ab his glandulis potius, quam a Pulmonibus proficiſci credimus; quippe ſi in Pulmones inciderit materia redundans, Tuſſim excitare poſſe vix videtur, niſi & ſimul inferat ſpirandi moleſtiam: quæ ſane in ſuppreſſis menſibus perquam familiaris eſt. Sanguine enim in vaſis Pulmonum Capillaribus reſtitante, Veſiculæ Bronchiales, quæ arteriis ubique interjectæ ſunt, tum pondere nimio laborant, & quendam gravitatis ſeu anxietatis ſenſum excitant, tum in ſpatium anguſtius compreſſæ, ad aerem per vices intromittendum expellendumq; ineptiores fiunt: ita ut, ſanguine magis indies ſtagnante, non niſi difficulter admodum peragatur Reſpiratio. Ita a potu largiore dyſpnœam inferri ſcribit Hippocrates[a]. Quin gravius adhuc lædetur reſpiratio, ſi Thoracis muſculi, uti plerumque fit, vel ita peccante materia oppleti ſint, vel ſpiritibus, ſive ob Plethoram nimiam ſanguinis, ſive Lentorem, deſtituti, ut munere ſuo minus rite defungi queant, & coſtas nec valide ſatis ſurſum elevent, nec deorſum premant: unde parcior aeris ex Veſiculis expreſſio, & gravior in ſpirando Pulmonum labor. Etiam aliquando ab inflatis Utero & Hypochondriis oritur, aut ſaltem augetur, Dyſpnœa; quia, Diaphragmate ſurſum intra Thoracem protruſo, ita coarctatur Pectoris cavitas, ut debitæ pulmonum expanſioni deſit ſpatium; unde ſpirandi difficultas: cui malo maxime obnoxii ſunt ii, quibus Thorax anguſtior eſt, uti experiuntur Gibboſi. Quod ſi hoc Pulmonibus diutius incumbat malum, ſuccreſcet, quod gradu tantum a dyſpnœa diſcriminatur, Aſthma.

Et hæc quidem in Pulmonibus orientur ſymptomata, etiamſi adhuc intra canales ſanguineos coerceantur humores plethorici: qui ſi tandem extra vaſa profluant, & in Folliculis Bronchialibus, ſive potius in interſtitiis eorum, ſedem figant, eos multum undique diſtendent; unde paulatim increſcet Vomica: quod quidem vocabulum, ſi Vomicam a Phthiſi Pulmonari diſtinctam eſſe volumus, humoribus intra Pulmones quidem effuſis convenit, Veſicula tamen ſive Cyſti propria adhuc contentis; ita, quia nullum cum Bronchiis commercium habeat, aut profundius ſaltem deliteſcat Vomica, nulla etiam per Tuſſim fiet puris excretio. Nec interſtitiis ſolum, ſed & in Glandulis, quibus plurimum ſcatet interna Bronchiorum tunica, accreſcere poteſt Vomica: eæ quippe Glandulæ, quanquam in ſano corpore oculis vix percipi queant, accedente morbo diſtendi admodum

[a] Prædict. 2. 5.

poſſunt,

poſſunt, & grandeſcere: quod in reliquis Glandulis, Pericardii puta, Pleuræ, Peritonæi, &c. quæ extra morbum aciem oculorum fugiunt, frequenter obſervamus. Hujuſmodi ſane Veſiculas non ſemel vidi, nunquam tamen æque conſpicuas reperi, ac in fœmina quadam, quæ Tabe, Menſes ſuppreſſos inſecuta, interiit. Hujus in ſiniſtro latere univerſus Pulmo materia purulenta ita differtus eſt, ut ad Scirrhum pene accederet: immiſſo cultro exiit pus, non circumquaque diffluens, ſed diſtinctis Veſiculis, plurimum quidem turgentibus, non ruptis tamen, incluſum: qua de re ut certior fierem, Veſiculas quaſdam aqua tepida ita elui, ut omni tandem pure exhauſto, oculis integræ atque indivulſæ exhiberentur. Quod ſi demum hæ Veſiculæ inflammatæ & diſruptæ fuerint, facto Ulcere, ſuccedit Tabes. Cujus quidem cauſa frequentiſſima apud Authores ſtatuitur, aut evacuationis ſolennis ſuppreſſio[a], aut plenior alimenti ingurgitatio: utrinque ſcilicet ea, quam volumus, inducitur Plethora. Muliebrium vero Phthiſeon uſitatiſſimam originem agnoſcit Mortonus[b], Menſes obſtructos; quas quidem, quando ab hoc fonte derivantur, Lethales pronuntiat Hippocrates[c].

Nec ſua melius Cordi conſtat, ſuppreſſis Menſibus, Contractionis Remiſſioniſque norma: accumulatis enim intra vaſa pene ad ruptura uſque humoribus, ſanguis, qui univerſum fere Aortæ truncum obſidet, liquido, quod a Corde protruditur, validius multo renititur, quam cum minor eſſet in canalibus plenitudo: ſanguinis enim renitentia eſt, ut particularum copia. Ita liquidum, hoc impeditum obſtaculo quo minus libere foras profluat, majore quam conſueverat copia intra Cordis Ventriculos turgeſcit, & cor adeo nimio pondere laborat admodum & pene ſuffocatur: ſpiritus interim in fibris motricibus compreſſi, & quaſi ſtimulo quodam excitati, vires ſuas vividius exercent, ut ſanguinem forti ſatis impetu foras protrudant. Corde autem vehementius contracto, ad ſternum altius inſurgit conus, & in coſtas ictu quodam impingit, qui proinde dicitur Palpitatio. Ob hanc ſanguinis in arteriis renitentiam, neceſſe eſt ut vehementiore impetu contrahatur Cor, quia vis ea, qua ſanguinem projicere conatur, repercuſſa quaſi & reverberata in ipſum denuo recidit; ita ut impetus, qui in ſanguinem per arterias propellendum fieri conſuevit, in Cordis fibras exerceatur: unde Cordis violentior concuſſio, & altior ad coſtas inſultus. Ad hunc modum ſi uberius increverit Plethora, ſingulis arteriarum pulſibus palpitabit etiam Cor. Adhuc moleſtior fiet Palpitatio, ſi Plethoræ ſanguinis Lentor acceſſerit; quia globulis ſanguineis arctius inter ſe cohærentibus, major erit ea, quam in Aortæ trunco fieri diximus, renitentia. Igitur morbis iis, in quibus lentior reperitur ſanguis, ut Rheumatiſmo, Paſſioni Hyſtericæ, Chloroſi etiam, & Cachexiæ[d], comes fere aſſidua adeſt Palpitatio. Ulterius porro indies creſcente Plethora, Cor nimiæ ſanguinis copiæ ſuccumbit; deficiunt quippe quæ tanto ponderi mo-

a Willis Pharm. Rat. 82. b Phthiſiol. 3. 9. c Præd. 2. 13. Morb. Mul. 1. 6.
d Willis Phar. Rat. 263.

vendo pares ſint, vires. Motu adeo Cordis ſuſpenſo, intermittit Pulſus; & quia curſus ſanguinis in præſens ſiſtitur, nulla fit in cerebro ſpirituum ſecretio, unde Animi deliquium, ſive Syncope. Poteſt etiam prohiberi contractio Cordis a Preſſione, quæ in cerebro a vaſis plethoricis oritur, quæque ſpirituum iter per nervos intercipit. Ad hoc vaſa Cordis Coronaria, cum plurimum diſtenta ſint, nervos etiam vicinos comprimunt: unde influxu ſpirituum præcluſo, otiantur fibræ, & nulla fit e corde ſanguinis projectio.

Capitis dolorem quomodo inferat Plethora, alibi oſtendimus; ideo ſuppreſſis Menſibus neceſſarium eſſe dicit Celſus [a], ut in capite fiant dolores acerbiſſimi. Hi quidem Gravedinoſi erunt, propter ſolam, qua canales quaquaverſum urget Plethora, Preſſionem, præcipue ſi affuerit Lentor; Pulſantes etiam, quia cum in arteriis uberius coacervatur ſanguis, & impetu vehementiore propellitur, validior erit in latera humorum ictus, & major fibrarum diſtractio: unde dolor cum pulſu excitabitur. Ad ſinciput tamen & occiput ſentiri ſolent dolores, quia Dura Mater, in qua præcipua eſt doloris ſedes, Suturæ parietali & lamdoidali firme connectitur; ita vaſa, quæ per eam diſſeminantur, & intus plurimum diſtracta ſunt, & extra oſſibus compreſſa: in his igitur canalibus plenitudine admodum turgentibus, & ad ſolidum impactis, acrior erit doloris ſenſus. Multa etiam Duræ Matris vaſa, per tenues utriuſque Suturæ rimas, in integumenta capitis funduntur: adeo ut ab his forte, propter tunicas exuberante ſanguine dimotas, & foramina quæ pertranſeunt anguſtiora, haud exigua doloris pars oriatur. Itaque ii, quibus Suturarum juncturæ arcte nimis inter ſe coaluerint, cephalalgia utplurimum graviter laborant. Ab hujuſmodi dolore, ſi vehementior fuerit, ſatis patet, quomodo contumaces inferantur vigiliæ. Hic quidem Capitis in ſuppreſſione menſium dolor, utcunque familiaris ſit, non ab occulta aliqua cum Utero Sympathia, ſed ab ipſius Cerebri ſtructura oritur: quod cum ſit viſcus omnium tenerrimum, injurias minus, quam reliquæ partes, ſuſtinere poteſt. Hoc etiam de Capite & Pulmone annotari debet, quod in iis multo facilius atque altius, quam in reliquo corpore, ſuſcipitur ea, quæ a Menſibus ſuppreſſis oritur, labes; hæ quippe partes omnium ſunt molliſſimæ, & humorum incurſui minime renituntur. Itaque in omni fere morbo gravius plectuntur. Præcipue vero, ſi in ipſo fluxu reſtricti ſunt Menſes, ſequi frequenter ſolet Capitis dolor, & Hæmoptoe. Cerebro autem ſemel affecto, in mali conſortium ob viciniam facile trahuntur Oculi, & ſimili pondere ob canales nimium refertos laborant, nonnunquam etiam intumeſcunt: quemadmodum & eos gravari cernimus, ſimul ac in cerebro langueſcant ſpiritus, ſeu, quod idem eſt, obrepat ſomnus. Ulterius adhuc ſerpente malo, Oculi ita affecti ſunt, ut Vertiginem inducant; cujus quidem morbi rationem primus expoſuit Bellini. In ea enim quæcunque oculis obverſantur, utcunque quieſcentia & immota ſint, rotari ta-

[a] 2. 7.

men

men & circumagi videntur. Quippe cum motus rerum externarum non alia ratione ab oculis percipi ſoleat, quam per mutationem loci, in quem veniunt Species intra oculum perductæ, ſive imagines in Retina depictæ; quocunque modo Specierum diſtantia mutetur, objectum moveri videbitur. Mutari autem poteſt diſtantia vel quia objectum revera moveatur, vel quia oculus moveatur immoto objecto, vel denique quia Nervi Optici filamenta loco ſuo dimota ſint. Nervo enim Optico ſive Retina dimota, Radii ab objectis emiſſi non in eaſdem oculi partes incidunt, ſed pro vario Retinæ motu diverſas; ita ut, dum Imagines in Retina locum mutant, objecta tanquam locum perpetuo mutantia videantur. Cum itaque arteriæ, ad oculi fundum diſſeminatæ, ſanguine plethorico ſupra modum turgeſcant, Retina ſeu Nervi Optici expanſio, pulſantibus, quibus contigua eſt, arteriis, loco ſuo dimovebitur, adeoque Imago radiantis in ipſam incidens locum quoque immutabit: unde ipſum quoque moveri videbitur objectum, ſeu, quod idem eſt, ingruet Vertigo.

Diſtentis ad hunc modum cerebri vaſis, facile concipitur quomodo tandem ſuccedat Apoplexia, morbus Vertigini multum affinis. Hujus quidem plurimæ cauſæ apud Authores ſtatuuntur; quas tamen accuratiſſimus de hoc morbo ſcriptor Wepferus[a] ad duas claſſes redigit, eas ſcilicet, quæ vel Arteriolas obſtruere poſſunt, vel Spirituum per nervos effluxum intercipere. Suppreſſis igitur Menſibus ita paulatim increſcit Plethora, ut Lentorem, qualem modo deſcripſimus, inducat: qui ſi tenax nimium & compactus fuerit, ad minima cerebri vaſa adhæreſcit ſanguis. Canalibus igitur ſemel oppletis, augeſcit indies allabente lento ſanguine obſtructio, donec in eam tandem molem excreverit, ut Arteriolarum orificia penitus occludat: unde nulla ex arteriis fiet in Nervos liquidi trajectio, adeoque nullus in corpore relinquetur ſenſus. Ita brevi ſuccedet mors. Si tamen haud ita invaluerit obſtructio, ut omnes in Nervis aditus præcludat, ſed aliquid adhuc liquidi nervoſi per tubulos derivari ſinat, liquidum illud, utcunque imbecillius ſit, quam ut cæteris muſculis movendis ſufficiat, cor tamen & pectus ſatis vivide movebit: cor enim, uti & ex iis plurimi qui reſpirationis muneri inſerviunt muſculi, antagoniſtis deſtitutum eſt, ideoque minore multo ſpirituum copia in contractiones cietur, quia tollitur illa, quæ ab antagoniſtis oritur, contranitentia. It ut Arteriolis obſtructis, poteſt ſenſus omnis extingui, etiam fibrarum omnium, niſi in corde & thorace, motus, in quo quidem conſiſtit Apoplexiæ natura. Poteſt etiam inferri Apoplexia, etiamſi abſit ſanguinis lentor, ob interceptum nempe Spirituum per nervos effluxum: qui quomodo ab arteriis ultra modum dilatatis impediri poteſt, antea jam oſtenſum eſt. Eodem modo nervos comprimet ſpirituſque intercludet, ſanguis extra vaſa in cerebro effuſus; quod non raro in plethoricis accidere ſolet. Igitur ſanguineo temperamento prædítos, & poculis liberius uſos, Apoplexia frequentius corripi obſervamus.

a Apopl. p. 173.

Cum

Cum Insania sit delirium sine febre, quicquid poterit inferre delirium, excitabit etiam Insaniam. Delirium vero a motu spirituum vario & perturbato oritur, unde Species in cerebro nullo ordine cohærentes suscitantur. Spirituum vero perturbatio succedet, cum motus ipsorum nimium rapidus sit, quod in Plethora facile accidit, quia augetur moles sanguinis, & cordis impetus; unde vehementior globulorum in canalibus attritio: quæ cum in cerebro etiam fiat, & nervos nimis violente premat, tremores nervorum confusi erunt, adeoque & Species minus distinctæ. Ita ab evacuatione quacunque solenni inhibita [a] sæpe sequitur Insania, præsertim si æstas fuerit sicca, aut præcesserit potus calidior, a quibus omnibus inducitur Plethora; itaque etiam Evacuantibus curatur. Exemplum ad hanc rem satis appositum præbet Forestus, qui venæsectione mulierem, a suppressis Mensibus insanientem, saluti restituit [b]. Ita certum est illud Hippocratis effatum, Insanis si Varices vel Hæmorrhoides supervenerint, Insaniæ crisin fieri [c]; idem etiam de Mensibus erumpentibus dicendum.

Fluor Albus, cum ex uterinis glandulis feratur, facile erumpit, si glandularum orificia paulo laxius dehiscant: quæ quidem nihil promptius possit diducere, quam humorum plenitudo. Igitur quoties Menses denuo dimanent, semper subsistit Fluor; quia minuitur ad glandulas plethora: quibus quidem induciis dignoscitur, utrum morbus hic Idiopathicus sit, an Symptomaticus. Ita restrictis Mensibus, a sanguinis redundantia oritur Fluor Albus; quod non modo evincit ratio, sed & experientia confirmat: eæ quippe, quæ in Suppressione menstrua huic malo maxime obnoxiæ reperiuntur, habitus sunt admodum plethorici. Id etiam advertendum est, mulieres, quibus copia majore manaverit fluor albus, cæteris symptomatis, quæ a mensibus inhibitis sequi solent, minus conflictari. In nonnullis etiam Mensium prodromus, & quasi vicarius reperitur fluor albus.

Passionis Hystericæ pleraque symptomata cum sint Spasmodica, uti accuratissime commonstravit Cl. Willisius, quale illud certe est, quod a suppressis Mensibus oriri diximus, globi scilicet in Gutture, quasi ascensus, videamus quomodo a Plethora deduci queat Convulsio. Hujus quidem duas causas agnoscit Hippocrates [d], Repletionem nempe, & Inanitionem; quas si attentius scrutemur, morbi istius rationem melius explicabimus, quam si subtiles recentiorum hypotheses consulamus. Quippe ad hunc modum illustrari potest ea, quæ hujus loci est, ex Repletione Convulsio: quæ cum sit contractio inflatioque musculi involuntaria, oritur, quoties in musculum derivatur major liquidi copia, quam quæ imperante voluntate impediri possit: ita duobus antagonistis ad æquilibrium perductis, si alteri plus liquidi adjeceris, is in statu contractionis cotinuo permanebit, donec in istum, qui in opposito latere est, æqualem liquidi copiam deduxeris. Hujusmodi quidem major solito in musculum liquidi influxus fiet, cum

a Willis Path. Cereb. 445 & 493. b Lib. 10. obs. 24. c Aph. 6. 21. d Aph. 6. 39.

san-

ſanguinis craſis ita inæqualis ſit, ut antagoniſtæ vaſa lentis humoribus quodammodo obſtruantur: quo fit, ut in fibras alterius hujuſce muſculi major influat liquidi copia. Liquido igitur in vaſis ſupra modum redundante, poteſt eſſe ita valida muſculi contractio, quæ ab imperio voluntatis tolli nequeat: quod ſi lentor adſit, adhuc magis intra fibras motrices detinebitur liquidum, adeoque fortior fiet contractio. Ita ſi ad hunc modum infletur Tracheæ & Oeſophagi tunica muſculoſa, inferetur ſenſus quaſi Globi cujuſdam ad fauces aſcendentis: ſimul etiam ingruet Suffocationis metus, quod laryngis muſculi eodem modo intumeſcentes aeri introitum minus liberum concedant. Atque huic malo maxime ſunt obnoxiæ, quibus aut incertis periodis redeunt, aut guttatim fluunt Menſes. Pariter a Plethora deduci poſſunt cætera Paſſionis Hyſtericæ ſymptomata; quæ non modo a ſuppreſſis Menſibus ſequi ſolent, ſed etiam a Fontanellis & Ulceribus occluſis ſæpe excitantur: idem quoque in Viris, quibus periodica aliqua evacuatio reſtricta eſt, cap. 8, annotavimus.

Urinæ ſtillicidium, quod in Suppreſſione menſtrua ſæpe fieri notat Hippocrates[a], a Plethora facile deducitur. Vaſa enim ſanguinea, quæ Veſicæ inſeruntur, cum plurimum diſtenta ſint, nervos ita comprimunt, ut parcior & difficilior multo fiat in fibras motrices ſpirituum derivatio: unde muſculi ad urinam foras trudendam minor vis. Poſt aliquam vero moram ſpiritibus copia ſatis ubere congeſtis, eo momento in urinam nitetur muſculus, ut parvulam quandam illius portiunculam neceſſario propellat: hoc vero impetu exhauſtis iterum ſpiritibus motum ſuum ſuſpendere cogetur, donec novæ influant ſpirituum ſuppetiæ: ita, ſuperato ſenſim per vices obice, urinam guttatim demittit Veſica. Quod ſi vaſa intenſius intumuerint, ita ut ſpiritus prorſus intercipiant, etiam prorſus ſupprimetur Urina; quia non ſuppetit aliqua idonea vis, quæ eam ex veſica protrudat. Fiet etiam Urinæ ſuppreſſio, ſi Veſicæ Sphincter, Spaſmo correptus, exitum præcludat: vel ſi adeo lentus fuerit ſanguis, ut nulla inde fieri poſſit in ſubtiliſſimis Renum canalibus ſeri ſecretio.

Suppreſſis Menſibus Sanguis, per aliena loca erumpens, ſatis oſtendit eruptionem a Plethora ſuſcitari. Intra vaſa enim quietus ſubſiſteret, niſi copia ita redundaret, ut amplius ſibi ſpatium poſceret, quam quod largiri poſſit vaſorum capacitas. Aucto igitur momento, ita ut canalium impedimenta ſuperet, effluit ſanguis. Hæc per aliena loca eruptio in Virginibus magis, quam in iis quæ pepererunt familiaris eſt, uti obſervat Hippocrates[b]; in Virginibus enim anguſta admodum & conſtricta ſunt Uteri vaſa, ita ut citius per ea inhibeatur ſolennis menſium purgatio: adeoque ex aliis canalibus, qua data eſt porta, affluat ſanguis redundans. In iis vero, quæ pepererunt, Os Uteri[c], uti loquitur Hippocrates, ſanguini exeunti magis patet: hoc eſt, ipſo interprete, vaſa, quia Lochiorum fluxu multum ampliari & dehiſcere ſoleant, menſibus, quandocunque erupturi ſunt, liberiorem præbent exitum: itaque id etiam adjicit, eas minus frequenter

a Nat. Puer. 7. b Morb. Mul. 1. 9. c Ibid. 1. 1.

Suppreſſione menſtrua laborare; ſuppreſſionem vero, ſi quando inciderit, facilius ferre, tum quia Partus doloribus aſſueverint, tum quia Vaſa uteri multo ampliora habeant, quam Virgines[a]. Quod ſi in Virginibus per alia etiam loca ſanguinis exitus præcluſus ſit, oritur Febris alba, ſive Chloroſis; quæ nihil aliud eſt quam ſymptomatum, quæ jam deſcripſimus, congeries.

Ex his pleraque ſymptomata ab aliis rebus, quæ Plethoram ad Vaſa inferunt, ſæpe oriuntur, uti exercitio nimis violento, potu aut calore immodico, præſertim vero evacuatione aliqua inhibita[b]: quidni eadem etiam, ſuppreſſis Menſibus, Plethoræ tribuantur?

Plurima ex his, quæ expoſuimus ſymptomata a ſuppreſſis Menſibus ingruere notat accuratiſſimus Hiſtoriæ medicæ ſcriptor, Hippocrates; quæ etiam a plenitudine oriri paſſim docet[c], uti & ipſum Menſium profluvium. Satis ſingularis eſt ea, quam de Phaethuſa & Nymaſia narrat, hiſtoria; quibus, poſt diuturnam Menſium Suppreſſionem, corpus tandem Virile factum eſt, ita ut hirſutæ admodum & barbatæ evaderent[d]. Ea enim, Menſibus inhibitis, ſuccrevit ſanguinis redundantia, quæ in vaſis minime contineri potuit; poris igitur cutaneis humorum impetu ſenſim patefactis, in capillos migravit quod erat liquidi ſuperfluum. Nonnunquam etiam in Lac convertitur, quod in Virgine Suppreſſionis menſtruæ ſignum ſtatuit Hippocrates[e].

His ſymptomatis fœminæ omnes haud æque ſunt obnoxiæ; in his Caput, in illis Pulmo, in aliis denique Venter potiſſimum afficitur: quippe ea eſt fluidorum omnium indoles, ut ad eas partes decumbat humor redundans, quibus minor ſuppetit ad renitendum vis: unde in iis liberius materiæ affluenti hoſpitium. Hæc quidem partium imbecillitas in diverſis fœminis perinde varia eſt, ac ſunt animi mores; nec duas forte reperias, quibus, in Suppreſſione menſtrua, ſibi invicem accurate reſpondent ſymptomata. Quæ tamen ſymptomatum varietas huic morbo ita parum propria & peculiaris eſt, ut ei cum cæteris fere omnibus, Febre præſertim, ſit communis.

CAP. XI.

De Methodo in Suppreſſis Menſibus Therapeutica.

PErcurſis jam ſuppreſſorum Menſium Symptomatis, & ad Theoriæ noſtræ normam explicatis, non alienum erit rem paulo ulterius perſequi, medendique rationem expendere, nequid deſit quod ad Plethoram illuſtrandam afferri queat. Ea quippe medendi unica eſt intentio, ut inſtauretur denuo, quæ Menſes reſuſcitet, Plethora.

Antequam vero Methodum Therapeuticam aggrediar, notandum eſt non ſemper eſſe in ſuppreſſis Menſibus Medicinæ locum, cum

a Ibid. b Willis. Bellin. paſſim. c Nat. puer. ſ. 7. Morb. Virg 2. Morb. Mul. 1. 2.
d Epid. lib. 6. e Aph. 5. 39.

om-

omnis Suppreſſio non ſit morboſa; ideo neque provocandi ſunt, quia fluere non debent, Menſes. Ita in Gravidis & Lactantibus citra ſanitatis noxam deficiunt; aliquando etiam in Obeſis & Athleticis; in his enim per poros egeritur, in iis in pinguedinem migrat humidi redundantia. Pariter ſi per aliena loca erumpat ſanguis, ſaluti eſſe ſolet fluxus vicarius: qui ideo, ſi nullo gravi ſymptomate comitatus fuerit, vix temperari, nedum reſtringi debet. Denique ſi ſanguis deficiat, ſi evacuatio nimia, ſi morbus chronicus, aut inedia longa præceſſerit, neutiquam ciendi ſunt Menſes, donec refectæ fuerint vires. Hujuſmodi quippe fœminis ita parum nocet Suppreſſio, ut morbum potius accerſeret, ſi intempeſtive excitaretur fluxus.

Cum itaque omnis Suppreſſio morboſa, vel a Canalium, vel a Sanguinis vitio derivetur, duplex etiam erit curandi intentio; altera ad Canales recludendos, altera ad emendandum Sanguinem dirigenda.

I. Suppreſſionis, quæ a Canalium vitio oritur, ſigna in prioribus oſtenſa ſunt: quod quidem vitium facile in canalibus ſuccreſcit, ſi aut præ ſiccitate naturali nimis indureſcant, aut frigore ſubito ſint conſtricti, ita ut fibræ arctius jam inter ſe cohærentes renitentia ſua ſanguinis momentum exſuperent. Si igitur, qualitate ſanguinis illæſa, obſirmati ſint Canales, curatione adhibita, oportet aut impedimentum vaſorum imminui, aut vim ſanguinis intendi. 1, Igitur ut vaſorum impedimentum tollatur, relaxandæ ſunt fibræ. Ad hunc finem tepide adhibentur externa remedia, qualia ſunt ſuffitus, balnea, fomenta, ex herbis emollientibus, & penetrantibus conflata. Particulæ ex plantis, ſive aqua ſive igne elicitæ, & intra uterum ſuſceptæ, calore adjuvante & quaſi urgente, ita in vaſorum poros ſe inſinuant, ut fibras a ſe invicem ſeparent & diducant; contactu autem fibrarum inhibito, vaſorum latera laxius explicantur, & fluido impingenti debilius reſiſtunt: ita vi impedimenti debilitata, iter ſuum per vaſa expugnat ſanguis. Externis hiſce remediis plurimum uſus eſt Hippocrates: quæ certe locum habent, non modo cum a Vaſis ſupra modum rigentibus, ſed etiam cum ab ipſo Sanguine inducta ſit ſuppreſſio: quippe, ſi relaxatis canalibus impedimentum minuatur, idem eſt, ac ſi auctum fuerit ſanguinis momentum. Igitur, ſuppreſſis Menſibus, Fomenta purgationi eſſe præmittenda monet Hippocrates[a]. 2. Ne a Canalibus conſtrictis inhibeantur Menſes, vis ſanguinis augenda eſt. Huic vero intentioni cum eadem ſatisfaciat medendi norma, ac quæ in altero Suppreſſionis genere adhibetur, Methodum Therapeuticam Lector ex ſequentibus deducat. Suppreſſio hæc, quæ a Vaſorum vitio oritur, minus quidem frequenter accidit, curatu tamen eſt facillima: ea quippe, dum recens adhuc fuerit ſuppreſſio, Externis remediis plerumq; cedunt: nonnunquam etiam, æſtivo præſertim tempore, per ſe aperiuntur. Quod ſi diutius perſtiterit vaſorum durities, Plethora indies accreſcens ſanguini tandem vitium in-

[a] Morb. Mul. 1. 25.

ducit;

ducit; unde altera, eaque multo frequentior, ſuppreſſorum Menſium cauſa in prioribus deducta eſt.

II. Cum igitur a Sanguinis vitio, ſive Lentore, ortum ducat Suppreſſio, eo dirigenda eſt omnis medendi intentio, ut, ſublata partium cohærentia, is iterum ſanguini concilietur impetus, qui uterina vaſa perſringat. Quod ut aſſequerentur Medici, his potiſſimum uſi ſunt inſtrumentis, Venæſectione, adhibitis ad crura Cucurbitis & Frictionibus, Catharſi, Vomitu, Remediis denique, quæ, tanquam eſſent ad movendos Menſes Specifica, appellantur Emmenagoga.

1. Itaque ad tollendam Suppreſſionem, Venam, ſi nihil impediat, ſecari ſuadet Hippocrates[a]: quod etiam una fere voce præcipiunt, qui eum inſecuti ſunt, Scriptores; diſſentientes interim, quo potiſſimum tempore, & quo loco emitti debeat ſanguis. Alii quippe Venæſectionem præmittunt, alii contra non niſi poſt Purgantia & Emmenagoga, tribus vel quatuor ante periodum diebus, adminiſtrant; atque hi quidem in Brachio, illi autem in Talo inſtituendam eſſe cenſent. Utra potior ſit ſententia, ut melius intelligi queat, quærendum eſt, quomodo Intentioni Therapeuticæ reſpondeat Venæſectio, ſeu quod idem eſt, Momentum ſanguinis inſtauret. Momentum igitur ſanguinis, cum conſiſtat in ratione Copiæ & Velocitatis compoſita, Vena ſecta fit imbecillius, niſi eadem proportione increſcat Velocitas, qua diminuitur Copia: quod ſi major ſit Velocitatis auctæ, quam diminutæ Copiæ ratio, momentum increbreſcit validius. Perforata Vena, ſanguinis Velocitatem augeri probat, qui primus Phlebotomiam cum judicio aliquo illuſtravit, Bellini[b]; quia ſcilicet portione ſanguinis evacuata, imminuitur multum illius Impedimenti, quo præcedens ſanguis ſanguini continuo affluenti reſiſtens moram injicit; remoto itaque obſtaculo, ita ut minor ſit particularum inter ſe niſus, citatius per vaſa deferetur ſanguis. Ad quem vero gradum Velocitatem perducat Venæſectio, ſeu utrum ſanguinis momentum intendat an imminuat, ex varia partium Cohærentia colligendum eſſe monet Scriptor idem accuratiſſimus[c]. Quandocunque enim a Vena ſecta ſequitur intima ſanguinis dimotio, ſeu quando ita rareſcit ſanguinis compages, ut a contactu mutuo divellantur particulæ, ea increſcit Velocitas, quæ ſanguinis Momentum poſſit intendere; quia tum minor ſit in ipſo ſanguine partium reſiſtentia, tum uberius in cor traducantur ſpiritus: ita ſanguinis Craſi dimota, & arterias extrorſum magis trudente, excitabitur Pulſus. At ſi nulla fuerit ſanguinis dimotio, imminuta copia langueſcet ſanguinis Momentum, & quia non ita amplum ſpatium, ac prius, occupet ſanguis, minor erit etiam in arteriis Pulſus. Hæc fere de varia Momenti poſt Venæſectionem immutandi ratione differit Vir ſcientiſſimus; in eo unice Lectori minus ſatisfaciens, quod id argumentum citius quam par erat dimiſerit, nihilque plane ſuggeſſerit, quod tanquam ſignum haberi poſſit, qualis demum ſit illa ſanguinis Craſis, quæ a vena ſecta facile diſtrahitur, qualis iterum ea quæ dimoveri nequit. Hoc enim minus

a Morb. Virg. 2. b Sang. Miſſ. p. 89. 94. c P. 101. 112.

perſpecto,

perſpecto, Medenti parum conſtat, quonam modo ſanguinis impetum immutatura ſit Venæſectio; cujus remedii quandocunque anceps ſit fortuna, ab eo prorſus in ſuppreſſis Menſibus abſtinendum eſt, niſi forte ad Symptomatum vehementiam levandam inſtitutum ſit. Si enim copia detracta lentior fuerit ſanguinis compages, non modo minor erit ſpirituum ſecretio, adeoque cordis impetus imbecillior, ſed & increſcet etiam ea, quæ Capillaria jamdudum obſidet, obſtructio. Itaque Principio morbi cum ſanguis admodum lenteſcat, non videtur in uſum trahenda Venæſectio, niſi id etiam certo aliquo indicio innoteſcat, tolli poſſe ſanguinis cohærentiam, ſeu intendi impetum: quod ſi hoc innotuerit, ne tum quidem ad Menſes ciendos perite ſatis adhibetur Venæſectio, ſi alia quavis medendi methodo augeri queat Velocitas, etiamſi nihil de Quantitate detrahatur; diminuitur enim, quæ Momentum facilius adhuc excitare poſſet, Plethora. Ad hoc id etiam accedit, quod tam ſubitæ evacuationis nulla videatur neceſſitas, quia medicinæ moram concedat morbus. Neque hoc ſane prætermitti debet, quod in iis, quibus ſuppreſſi ſunt Menſes, ita fere vires imminutæ ſint, ut Sanguinis miſſionem, a qua adeo expedita inducitur humorum mutatio, minus ſuſtinere queant. Neque etiam fœminis remedium hoc facile perſuadeas, quibus, dum ſanæ ſunt, Venam circa Menſium tempus aperire religio eſt; eſt enim apud eas certum quoddam in medicina axioma, & ab omni retro antiquitate derivatum, Menſibus, ſi jam erupturi ſint, officere Phlebotomiam. Quanquam vero a Venæſectione, ſi remediis præmiſſa fuerit, tam incertum plerumque ſit levamen, quia non certo ſecuturum eſt impetus incrementum: nonnunquam tamen ſanguis ea de ſe præbet indicia, quibus ſi quis diligentius ſtuduerit, Venam haud inauſpicato poterit ſecare. Talis indicii exemplum ſit, Pulſus plenus, & imbecillis: qui, morbo nondum inveterato, aliquando obſervatur. Itaque ad hunc modum conſtituto Pulſu, Venæſectio, ſi adhibita ſit, ſanguinis Momentum intendet. Quippe cum ea ſit arteriarum plenitudo, ut in ſpatium amplius excurrant tunicæ, ſignum eſt non ita validam eſſe humorum Cohærentiam; ſi enim denſa admodum & conſtricta fuerit compages, in molem anguſtiorem coirent particulæ, nec arteriarum latera ita extenderent. Ita cum fluida ſatis ſit ſanguinis compages, turgent ob Plethoram arteriæ: at quia ſanguinis copia ſeu quantitas materiæ movendæ augetur, vis autem cordis contractilis ſive propellens non augetur, ſed forte diminuitur, ob Plethoram, neceſſe eſt ut, cum major quantitas materiæ æquali vel minore vi ſit movenda, minor ſit ſanguinis velocitas; adeoque ſi imminuatur quantitas movenda, eadem adhibita vi, vel etiam aucta, (quod poſt Venæſectionem, ſi inſignis fuerit Plethoræ gradus, fieri neceſſe eſt) augebitur Velocitas: unde vehementior cordis impetus, & Pulſus fortior. Ita in hoc caſu ſanguis miſſus Pulſus imbecillitatem tollit: ad quam quidem multum facit tonus arteriarum remiſſior; unde, tunicis ſanguini affluenti minus renitentibus, deficit ictus magnitudo. Detumeſcente vero in vaſis poſt ſanguinis miſſionem Ple-

thora, imminuitur ea, qua nervi ob arterias nimis turgentes coarctati ſunt, Preſſio: ita, ſpiritibus copioſius ad cor deductis, reviviſcit ſanguinis impetus, & vaſorum tonus; unde digitum fortius ferit Pulſus.

Vidimus jam, quid de hac methodo ſentiendum ſit, quæ ſuppreſſorum Menſium curationem a Phlebotomia auſpicatur: melius ſorte arridebit ea, quæ non niſi poſt Purgantia & Emmenagoga venam aperit. Ex iis quippe, quæ de augendi in Miſſione ſanguinis momenti cauſa diſſeruimus, ſatis patet, præmiſſis Purgantibus & Emmenagogis, venæſectionem felicius eſſe ceſſuram: in his enim cum ea ſit operandi ratio, ut humores viſcidos diſſocient & attenuent, uti ex ſequentibus patebit, ſanguis jam ante comminutus laxiuſque cohæreſcens, copia detracta facilius dimovetur, & fortius momentum concipit. Igitur triduo ante conſuetum periodi tempus ſecatur vena, ut tum præcipue novus ſanguini accreſcat impetus, cum augmenti ſummam attigerit Plethora.

Quo vero in loco inſtituenda ſit Venæſectio, magna eſt inter authores controverſia; potior tamen videtur Galeni[a] ſententia, qui venam in Talo incidi jubet. Facto enim orificio, non modo in inciſam Venam, ſed in alias omnes, quæ ab eodem Trunco proveniunt, uberior ſanguinis copia derivatur, uti fuſe ſatis demonſtravit Bellini; quia nempe ad eas partes, ubi aperitur vena, minor quam in reliquo corpore ſit reſiſtentia. Igitur ſi e Talo mittatur ſanguis, copioſior erit in vaſa Uterina, quæ a Vena Cava, pariter ac Saphæna, ducunt originem, ſanguinis derivatio: adeoque cum fluido largius influente major ſit vaſorum diſtenſio, facilior aperietur ſanguini menſtruo egreſſus. Ita Hirudinibus ad Hæmorrhoidas adhibitis, mirum & promptum effectum ſe vidiſſe teſtatur Mayernus[b]. Pariter cum citra Lentorem ſanguis exuberans, Vaſorum vitio, reſtrictus fuerit, ſecta Saphæna tum intenſius rareſcent humores, tum ad uterum copioſius confluent: ita utraque de cauſa increſcet ſanguinis ad Uterina vaſa momentum, perque ea Menſes demittet. Hinc haud difficulter colligi poteſt, quid de Lindani doctrina, apud Etmullerum[c] ita decantatâ, ſentiendum ſit, " qui tempora diſtinguit, in quibus vena ſe-
" canda ſit: ubi ſcilicet Menſes inſtant, nondum tamen fluunt, ve-
" nam ſecandam ſuadet in Brachio; ubi vero jam fluunt aut caſu
" ſubito reſtringuntur, tunc Saphænam aperiendam monet. In Pede
" vero nunquam ſecandam eſſe venam cenſet, niſi Menſtruatio actu
" fluat, aut ipſe fluxus ſuppreſſus fuerit." Hujuſce doctrinæ rationem ita explicat Etmullerus, " Quod nempe inſtantibus Menſibus,
" dum turgeſcit & rareſcit ſanguis, tum in eo omnis eſt naturæ cona-
" tus, ut deorſum verſus deducat ſanguinem: itaque viæ ſi ſint exiles,
" non ſtatim aperiri poſſunt, quia potius diſtentæ ſanguinis fluxum
" quodammodo ſiſtant. Quando itaque per Saphænam apertam in-
" ferius ſanguinis promovetur impetus, plus ad Uterum ducis, & ita
" malum auges; ſin aperta Brachii vena, ſurſum nonnihil revel-

a Curat. per V. S. cap. 11. 19. b Morb. Intern. cap. 22. c Tom. 1. 544.

" litur,

" litur, liberantur viæ ab oppreſſione, & ſanguis facilius fluit. " Nunquam certe Saphænæ ſectio Menſes provocabit, niſi aut actu " fluentes ex frigore aut pavore fuerint reſtricti." Quale ſit hoc argumentandi genus, per ſe ſatis patet; ſupponitur quippe ſanguinem ita turgidum & rarum eſſe, ut per vaſa ſatis expedite effluere poſſet, niſi deorſum verſus ducto ſanguine ipſa obeſſet Plenitudo: quod certe ita parum Medicæ Philoſophiæ congruit, ut ne communis quidem ſenſus ferret, vaſa, quo magis ſanguine diſtenta ſint, eo minus eſſe ad cedendum facilia. Quod ſi Menſes & jam fluentes promoveat, & in fluxu ſuppreſſos revocet Saphæna ſectio, quidni etiam & extra fluxum reſtrictos queat deducere? unde fit ut in altero caſu momentum ſanguinis inſtauret, in altero cum æque fortiter ſanguinem ad uterum ducat, imminuat? Secta Brachii vena cum nonnihil ſurſum revellitur, liberantur quidem ab oppreſſione viæ uterinæ; ſed impetu ob plethoram imminutam languente, haud ita facile diſſiliunt vaſa, quia minus ſunt diſtenta. Sed huic ipſius de Plenitudine ſententiæ Riverii[a] obſervationem multum favere ait Etmullerus: " In muliere qua- " dam, quoties ſecabatur Vena Malleoli, Menſtrua cohibita ſunt; " dum vero ex Vena Brachii miſſus eſt ſanguis, ea largius profluebant." Cujus rei ratio, quia vulgaribus Medicorum placitis adverſari videbatur, ita a Medicis Monſpelienſibus explicata eſt: " nempe cum mu- " lier illa plethorica eſſet, & Suppreſſionem Menſium pateretur, a " nimia ſanguinis copia Uteri vaſa ita diſtendente, ut comprimi ſuf- " ficienter non valerent, attracto ſanguine ad ea vaſa per venarum " inferiorum apertionem augebatur Obſtructio. Quando vero miſſo " ſanguine a Venis ſuperioribus, retractio fiebat a vaſis Uteri, eorum- " que plenitudo & diſtenſio minuebatur, tunc illa facilius ſeſe con- " trahebant ad expulſionem naturalem & ordinariam, quæ per Ute- " rum ſolet fieri." Jamdudum credo Lectori ſuboluit, minus adverti ſolere diſcrimen illud inter Plethoram Solitariam, & eam quæ cum Lentore ſanguinis conjungitur: ab ea quippe Menſes ſupprimi non poſſe oſtenſum eſt, adeoque nec Saphænæ ſectionem, quæ ad Uterina vaſa Plethoram auget, Menſium eruptioni officere; in hac vero quia fit ad uterum Obſtructio, hoc eſt, quia in vaſis capillaribus lentus ſanguis ſubſiſtit, deductis uberius per Saphænæ apertionem ad Uterum humoribus, & effluente paulo impetuoſius ſanguine, major fit ad vaſorum oſcula viſcidi adhæſio: quod tamen a ſecta Saphæna periculum non Plethoræ, ſed Lentori potius tribuendum eſt. Igitur in hac ſolum Plethora, quæ cum Lentore conjuncta eſt, locum habet Lindani cautio. Hujuſmodi Plethora laborabat mulier illa, cujus jam ex Riverio deprompta eſt hiſtoria. Itaque ea Medicis recte viſa eſt Indicatio, " ut larga Phlebotomia in Brachio celebrata immi- " nueretur Plethora (ſeu ſi magis proprie loqui volumus, ut detracta copia ſanguinis velocitas & momentum augeſceret) " poſtea vero " apertis Venis inferioribus ſanguis ad inferiora retraheretur, præ- " cipue circa tempus, quo prius laborans purgari conſueverat: ita

[a] Cent. 1. Hiſt. 2.

quippe

quippe ſanguis tum prima Venæſectione, tum Emmenagogis [a], quæ adhibita ſunt, comminutus magis & diviſus, per vaſa Capillaria facile excerni poterat, ſi ſub eruptionis tempus novum impetum a Saphæna ſecta acceperit. Ratio vero, cur præſtet venam in Brachio prius, & deinde in Malleolis aperire, hæc eſſe videtur: diminuta quippe per venam in Brachio ſectam ſanguinis copia, augetur Velocitas; poſtea vero aperta Saphæna, ſanguis ad inferiora ſe præcipitat, & auget eam, quæ ad vaſa uterina continuo increſcit, Plethoram; unde aucta Plethora & Velocitate, augetur etiam ad ipſorum latera ſanguinis Momentum. Huic argumento longius immoratus ſum, ut legenti innoteſcat, quam lubrica & dubii plena ſint præcepta in Medicina generalia, niſi fluidorum indolem, & varietates eas, in quas ſanguinis temperies improviſo ſæpe tranſit, accurate perſpexerit Practicus.

2. Frictionum & Cucurbitarum, quæ ad Crura adhibentur, eadem eſt ratio, ac inſtitutæ in talo Phlebotomiæ. Hæ quippe humores partim intra vaſa atterendo, partim per poros cutaneos educendo, ut velocius circuletur ſanguis; derivando autem deorſum verſus, ut in uterina vaſa validius impingat, efficiunt. Itaque Menſibus jam erupturis, in uſum vocari ſolent. De Scarificatione nihil dico, cum ea, quantum ad hanc rem attinet, tanquam Venæſectionis ſpecies habenda ſit. Etiam Menſes deducunt cruribus inuſta Cauteria: propter Stimulum enim & dolorem, majorem ſanguinis affluxum verſus inferiora trahunt.

3. Quo melius redintegretur ſanguinis impetus, inſtituenda eſt Purgatio; quam ideo in ſuppreſſis Menſibus neceſſarium eſſe ſcribit Hippocrates [b]. Cum vero Purgantium alia in Primis Viis, alia etiam in ipſo Sanguine vires ſuas exerceant, videndum eſt, quid commodi ad ſanguinem corrigendum alterutrinque redundare queat. Ea quidem, quorum actio intra Primas Vias circumſcripta eſt, ſola Stimuli virtute alvum ſubducunt; Stimulo enim inteſtina ita vellicant, & in contractiones cient, ut uberius, quicquid in Peyerii Glandulis hæret, exprimatur; unde, fæcibus effluente muco ſolutis, deſcendit alvus. Ita Cathartici Stimulus, cum Lympham ex Glandulis copioſius evocet, facit, ut ſanguis majore paulo copia ad inteſtina confluat: Lympha quippe per glandulas liberius effuſa, minor eſt ad eas partes renitentia. Sanguinis adeo renitentia imminuta, increſcit aliquatenus Velocitas. Ex hac Purgantium claſſe ſunt Manna, Caſſia, Electuarium Lenitivum, cæteraque, quæ alvum leniter movent. Quorum tamen fere omnis virtus in eo conſiſtit, ut Primas Vias excrementorum onere liberent; ea quippe, quam Derivatione iſta ſanguini inducunt, mutatio ita perpuſilla eſt, ut ſenſum omnem pene effugiat.

Ut igitur humorum vitio ſuccurratur, adhibenda ſunt Purgantia, quæ non modo Stimulo pollent, ſed intra Circulationis ambitum ſeſe ingerunt, ſanguiniſque Craſin immutant. Et hanc quidem fortioribus Catharticis ineſſe vim ſatis manifeſtum eſt. Quippe cum in

a Ibid.

b Aph. V. 36. Nat. Mul. 20.

Sali-

Salibus potiſſimum conſiſtere videatur medicamentorum omnium energia, Purgantia certe, quæ Sale acri imprimis & vivido abundant, humores vehementius agitabunt. Eorum igitur Sales, in canales deducti, ſanguinem lentum ita ſolvunt & diſtrahunt, ut minor ſit particularum inter ſe contactus: unde uberior ſpirituum ſecretio. Ideo poſt fortiora Purgantia Pulſus ſemper increbreſcit. Ita duplici de cauſa ad Menſes ciendos prodeſt Purgatio, tum quia Velocitatis impetum intendit, tum quia Sanguinis compagem ita attenuat, ut Uterina vaſa latius diſtendat. Hujuſce familiæ ſunt Cathartica ex Aloe, Jalappa, Scammonio, Elaterio, &c. conflata. Quibus ſi adjecta ſit aliqua Mercurii præparatio, fortius adhuc excitabitur ſanguinis impetus: nihil enim aut Lentorem efficacius tollit, aut Vaſa obſtructa citius recludit, quam Mercurius; uti, cum de Remediorum viribus dicturi ſumus, plenius explicabitur. Nequa vero ſit Purgantium ſuſpicio, id obiter notandum eſt, mulieres, quibus ſuppreſſa ſunt Menſtrua, utcunque imbecilles fuerint, Catharſin ſatis validam ſuſtinere poſſe: præſertim ſi, operatione peracta, exhibeatur Paregoricum.

4. Alii Vomitum in ſuppreſſis Menſibus ſuadent: qui quidem, ſi Ventriculi gratia inſtituatur, plurimum prodeſt; Chyloſin enim reſtituit, & Lentori, ſi non vim ejus imminuit, ſuppetias certe præcidit: ſin ad morbi Cauſam dirigatur, huic intentioni rarius reſpondet. Utcunque enim inter operandum ſanguinis Momentum augeat, & viſcera omnia vehementius ſuccutiat Emeticum, craſſa materia ita oppleti ſunt capillares Uterini, ut quocunque impetu inſtructus ſit ſanguis, per eos nequeat ſibi viam aperire, donec attenuatis humoribus tollatur Arteriolarum obſtructio. Ita ſi ad expellendos Menſes uti volumus Emeticis, tum præcipue adhibenda ſunt, cum ſanguis, vitio licet omni immunis, præ Vaſorum duritie nequeat excerni: in hoc enim caſu, ſanguinis impetus, Emeticis excitatus, vaſorum renitentiam facilius pervincet.

5. Ut ad medendi ſcopum felicius perveniri queat, perpetuo in uſu ſunt Emmenagoga; quæ quibus viribus ſanguinis impetum inſtaurent, mox paulo diſtinctius erit differendi locus.

Inveſtigata ad hunc modum, tum Symptomatum, tum Remediorum natura, & ad rationem aliqualem exacta, non forte alienum erit ſuppreſſorum Menſium Hiſtorias quaſdam adjicere: quo plenius innoteſcat hanc de Menſibus Theoriam non domi eſſe fictam & concinnatam, ſed Experientiæ, unde deducta eſt, conſentire. In quibus etſi multa forte deſiderari poſſint, id Lectori ſpondeo in meque recipio, nuſquam iis deeſſe, quæ Hiſtoriam imprimis commendare debet, Fidem.

HISTORIA I.

Oct. 26, 1700.

PUella quædam, octodecim annos nata, & Menſium adhuc expers, de acri circa lumbos, genua, & malleolos dolore querebatur. Laborabat etiam dyſpnœa, nauſea, & torminibus ventriculi. Deambulatione quamvis leniſſima palpitabat cor. Color facici floridus. Pulſus debilis, & tardus. Hæc fere a ſex menſibus graviter invaluerant ſymptomata; quæ quoniam a ſanguine lenteſcente, uti Pulſus admonuit, proficiſci exiſtimabam, hanc morbi Indicationem eſſe arbitratus ſum, ut attenuaretur Sanguinis compages: ita enim Velocitate aucta, Momento ſatis valido inſtrui poſſe videbatur ſanguis, quo Uterina vaſa perumperet. Hoc igitur ut efficerem, methodo ſequenti uſus ſum. Et primo quidem Catharticum adhibui, quod humorum Cohærentiam tolleret, & faciliorem per Vaſa Capillaria tranſitum ſanguini conciliaret.

℞ Calomelan. ℈ 1. Reſin. Jalap. gr. 5. Tartar. Vitr. gr. 4. M. F. Pulv. Cap. mane in Conſerv. Roſ. unde Dejectiones tantum binæ: a quibus tamen aliquod doloris levamen ſenſit.

Neque ideo de hac Pulveris, quem præſcripſimus, efficacia dubitet quiſpiam, quod parcius mota fuerit alvus: quippe ex Dejectionum numero male judicantur Catharticorum vires, uti in Mercurialibus præſertim ſæpius comperi: quæ utcunque alvum aliquando minus ſubducant, non tamen Medici conſilium fallunt. Ea enim præcipua eſt, in hujuſmodi ſaltem caſu, Purgandi intentio, ut ſanguinis particulæ arcte minus inter ſe cohæreant: id vero a Purgantibus effici poſſe ſuperiora ſatis evincunt, licet haud ita copioſa fiat per alvum evacuatio. Cum autem alvus a Catharticis ſubducitur, non modo quia Velocitate aucta major ſit in glandulis humorum ſecretio, ſed etiam quia Stimulo irritantur inteſtinorum tunicæ; ſi ſtimulus iſte quovis modo imminuatur, alvus minus ſolvetur. Stimulus vero poteſt deficere, cum Catharticum omne intra vaſa Lactea traducitur: ita, cum in ipſo ſanguine vires ſuas exerceant Purgantia, propter auctam velocitatem, copioſior ſolito erit in Glandulis qubuſcunque ſecretio; in Inteſtinalibus tamen, quam in cæteris, ob defectum Stimuli, nequaquam uberior. Quod ſi pauculæ Cathartici particulæ in inteſtinis reſtitent, eæ Stimulo ſuo vaſa irritabunt, ut largior fiat ex glandulis inteſtinalibus, quam ex reliquis, liquidi profuſio: quod tamen eadem ratione per inteſtina minus profluet, qua imminuitur Stimulus. Si vero parcius purgatur alvus, reliquas ſecretiones auget Catharticum: quod cum faciat, ſanguinem æque attenuat & expurgat, ac ſi feceſſum crebrius moveret. Cujus rei argumentum eſſe poteſt, quod ab his Purgantibus, ſi alvum minus ſubduxerint, rariſſime ſequitur noxa. Atque hinc forte haud inepte deduci poteſt varia

illa

illa in diverſis corporibus Catharticorum efficacia, quæ hos uberius, illos rurſum parcius, per Inferiora purgant: in iis ſcilicet, quibus patentiora ſunt Lacteorum oſcula, ſive id a natura ſive vitio aliquo provenerit, ita ut medicamentum omne in ſanguinem facile tranſmittant, alvus minus movetur: in iis vero, quibus arctius coaleſcunt aut obſtruuntur Lactea, ita ut pars Cathartici maxima in Inteſtinis ſubſiſtat, ſtimulus ad tunicas validior eſt, & proinde crebrior alvi dejectio.

Ut vero efficacius tolleretur ſanguinis Lentor, atque invaleſceret Momentum, hæc, quæ viribus idoneis pollere docet experientia, præſcripta ſunt remedia.

℞ Conſerv. Abſinth. Rom. ʒ 3. Æthiop. Min. ʒ 1. Chalyb. cum Sulph. pp. ʒ ſs. Rad. Gentian. Curcum. pulv. ā ā ʒ 2. Syr. Caryoph. q. ſ. M. F. Elect. Cap. q. n. m. ter in die hor. Med. ſuperb. Cochl. 5. Infuſi ſeq.

℞ Limatur. Chalyb. ʒ 1 ſs. Infund. in Cereviſiæ tenuis Lib. 3. per triduum. Deinde add. Rad. Gentian. inciſ. ʒ ſs. Rub. Tinct. Curcum. ā ā ʒ ij. Summitat. Abſinth. Vulg. Centaur. min. ā ā M. j. Bacc. Junip. ʒ ſs. Sem. Cardamom. min. Cubeb. ā ā ʒ j. M. Fiat Infuſ. per diem. In Colaturæ quolibet hauſtu cap. gt. xx. Mixtur. ſeq.

℞ Spir. Sal. Armon. Elix. pp. ā ā ʒ ij.

Venæſectionem conſulto omiſi, tum quia evacuationem ita celerem puella, cum eſſet imbecilla, ægre pati poterat, tum quia vena ſecta ſanguinis impetum diminutum potius, quam auctum iri verebar.

Oct. 28. Temp. Pom. De ventriculo minus queſta eſt. Pulſus fortior. Vires etiam multum inſtauratæ.

Oct. 30. Eruperunt Menſes, coloris optimi. Dolor ad lumbos, & malleolos ſtatim evanuit. Ad octo dies perſtitit fluxus; eo durante, præſcriptis interdictum eſt: quibus tamen poſt alteram hebdomadem repetitis, proxima periodo rite denuo fluxerunt Menſes, & puella ſanitati reſtituta eſt.

***

Indicationes Curatoriæ videbantur tres.

1. Ut reſtitueretur Ventriculi concoctio.

2. Ut Sanguinis impetus fieret intenſior.

3. Ut Vaſa Uterina relaxarentur. In iis enim, æque ac in ſanguine, vitium eſſe indicabat narium hæmorrhagia.

Ut doloribus & virium imbecillitati occurrerem, uſus ſum ſequenti Cardiaco.

℞ Spir. Sal. Armon. Tinct. Croc. Laud. Liq. ā ā ʒj. M. Cap. gt. xxx. ſæpius in quovis vehiculo.

His dolor plurimum ſedatus eſt, & refectæ vires.

Nov. 2. Cepit Catharticum in priori Hiſtoria præſcriptum; unde ſexies deſcendit alvus, & remiſit dyſpnœa.

Nov. 3. Uſa eſt Electuario & Infuſione in Hiſt. 1. deſcriptis: non neglecta interim mixtura Cardiaca, quæ non modo dolori profuit, ſed ſanguinis etiam impetum inſtauravit. Ignorant certe, quid efficere poſſint Opiata, qui ea hora decubitus pro ſomno tantum conciliando adhibent, quaſi nihil emolumenti præſtaret, niſi ſtuporem induceret, Papaver. Quod ſi doſibus minoribus, & pro morbi ratione ſæpius iteratis exhiberetur Opium, remedio ita leni atque efficaci adjutus ſanguis, iis ſenſim inſtrueretur viribus, quæ ab aliis forte Attenuantibus fruſtra poterant ſperari: quam quidem methodum non modo periculo omni vacare, ſed raro infeliciter adhiberi expertus ſum. Opio enim aſſumpto ſanguinem comminui admodum, & rareſcere oſtendent ſequentia.

Ut vero Vaſa facilius dehiſcerent, Fomento emollita eſt Regio Uterina.

℞ Rad. Althæ. Lil. Alb. ā ā ʒij. Sem. Lin. Fœnugræc. ā ā ʒiij. Fl. Chamæmel. Aneth. ā ā P. j. Majoran. M. j. Bulliant ex Vin. & Aq. part. æq.

Liquor ſit pro Fomentatione bis in die tepide applicanda.

Nov. 8. Pulſus paulo validior; in ſymptomatis nulla fere mutatio.

Nov. 15. Nihil novi, niſi quod redire videretur appetitus, & evaneſceret nocturnus ſudor.

Nov. 22. Profluxit ex utero humor ſubalbidus, qui poſt quinque dies tandem ſubſtitit. Humorem hunc, utcunque albeſcentem, Menſium nomine inſigniri debere arbitror, tum quia ad ſolenne fere tempus duravit, nulliſque adhibitis remediis ſponte deſiit fluxus, tum quia facta hac evacuatione omnia in melius mutata ſunt ſymptomata: quæ, ſi Fluor Albus fuiſſet, potius exacerbeſcerent. De Menſibus etiam Pallidis frequens eſt apud Authores mentio.

Dec. 1. Symptomata, etſi multo mitiora, nondum tamen ſublata ſunt. Præſcriptum eſt Catharticum, quod erat hujuſmodi.

℞ Pil. Ruff. ʒſs. Reſin. Jalap. gr. iij. Ol. Saſſafr. gt. j. Balſ. Peruv. q. ſ. M. F. Pil. Mediocr. Rediit etiam ad Electuarii, Infuſi, & Mixtnræ uſum; quibus rite aſſumptis, pulſus fortius increbuit, & refocillatæ ſunt vires.

Dec.

Dec. 19. Deducti ſunt Menſes colore ſatis rubicundo, qui ad triduum fluxerunt. His erumpentibus ita ſublevata ſunt ſymptomata, ut ſolum de exigua quadam ſpirandi moleſtia, & capitis dolore quereretur. Infuſione vero repetita, poſt exactum menſem, rediit cum Catameniis ſanitas.

HISTORIA III.

VIrgo quædam Lotrix, temperamenti ſanguinei, Annos 24 nata, dum Menſes fluerent, inter lavandum frigus ſuſcepit: crura etiam Frigida perluebat. Ita ante tempus conſuetum ſubito reſtricti Menſes, anni integri decurſu penitus ſubſtiterunt, citra tamen inſigne aliquod ſanitatis diſpendium: quod inde proficiſci puto, quoniam laboribus & exercitiis multum aſſueverit. Anno autem elapſo, hæc tandem ingruebant ſymptomata, corporis gravitas & imbecillitas, ventriculi concoctio læſa, membrorum pene omnium dolor, tuſſis, dyſpnœa, pallor: intumeſcebant etiam crura; in tibia adeo durus excrevit tumor, ut nullis Cataplaſmatis & Emplaſtris molliri, aut ſuppurari potuerit. Pulſus languidus & ſegnis.

Indicationes Curatoriæ eædem prorſus, ac in Hiſtoria ſecunda.

Ad Tumorem autem leniendum, inſtituta eſt Oct. 20, 1702, in brachio Venæſectio: quæ tamen voto parum reſpondit. Igitur ut tumori, & Menſium ſuppreſſioni ſimul proſpicerem, Oct. 22, adhibui Pilulas Purgantes.

℞ Pil. Coch. maj. ʒ ſs. Calomel. ʒ j. Reſin. Jalap. gr. vj. Syr. e Chalyb. q. ſ. M. F. Pil. Eo die alvus ne ſemel quidem mota eſt; mane autem poſtero, bis larga ſatis copia dejecit.

Oct. 23. Adhuc parum levaminis perſenſit. Itaque ut ſanguinis Momentum excitaretur, data eſt ſequens Infuſio.

℞ Limatur. Chalyb. ℥ j. ſs. Rad. Zedoar. ℥ j. Fol. Abſinth. Centaur. Min. ā ā M. j. Infund. tepide in Cereviſiæ tenuis lib. iij. per biduum. Colaturæ add. Tinct. Croc. ℥ ij. Cap. hauſtum ter in die. Uſa eſt etiam Fomento in Hiſt. 2. deſcripto.

Oct. 28. Levata eſt paululum virium imbecillitas: cætera nihil remiſere ſymptomata. Repetito autem Cathartico, miteſcebat Tumor.

Nov. 6. Cum viribus increvit pulſus. Itaque ſanguine ad hunc modum vividius circumacto, ut in vaſa uterina impetu fortiore impingeret, adeoque Menſes provocaret, ſecta eſt Saphæna.

Nov. 11. Menſes, quamvis haud ita ubere copia, fluxere. Rediit virgini color floridus, evanuitque cum cæteris ſymptomatis Tumor.

HISTORIA IV.

Dec. 2.

MUlier boni habitus, cui, per annos quatuor aut ultra, bimeſtri Periodo redierant Menſes, de ſanitate amiſſa graviter querebatur. Eam quippe vexabat ſitis continua, frequens oſcitatio, dyſpnœa, ad interiora frigoris ſenſus, ventriculi aliquando & inteſtinorum tormina, capitis dolor acerrimus, laſſitudo & languor, ad dorſum genua & brachia dolor ſatis vehemens, tumor vero nullus; cordis palpitatio, quæ cum iſto circa articulos dolore a ſex menſibus increverat. Pulſus tardus, debilis, & inæqualis. Vena ſecta exiit ſanguis pallidus admodum, & aquoſus.

Intentio igitur medendi præcipua ea eſſe viſa eſt, ut canalibus recluſis & expurgatis, ſua ſanguini reſtitueretur craſis, & uſitatis periodis excitaretur fluxus menſtruus. Deinde etiam Symptomatis levandis aliqua impendi debuit cura.

Ut canales a lentis humoribus liberarentur, adhibita eſt Purgatio.

℞ Pil. Stomach. cum Gum. Succin. ā ā ʒ j. Calomelan. gr. xvj. Reſin. Jalap. gr. v. Caſtor. gr. ij. Syr. e Spin. Cerv. q. ſ. M. F. Pil. v. intra quatriduum ad quatuor vices repetend.

Ad ſanguinem porro excitandum, ita ut velocius circulari, rectiuſque commiſceri poſſet, præſcripſi ſequentia.

℞ Conſerv. Fumar. ℥ ij. Æthiop. Miner. ℥ j. Syr. e Bacc. Samb. q. ſ. M. F. Elect. de quo cap. q. n. c. bis in die ſuperbib. Cochl. v. Tinct. ſeq.

℞ Tinct. Chalyb. Lower. lib. ij. cui add. Tinct. Caſtor. ℥ j.

Symptomatis relevandis ſic proſpexi. Ad dolores ſcilicet ſedandos dedi Paregoricum.

℞ Aq. Paralyſ. Cinnamom. Hordeat. ā ā ℥ iij. Diacodii ℥ iv. Laud. Liq. gt. 100. Cap. Coch. 6. hor. decub. etiam & interdiu, quoties atrocius ſævierit dolor.

Pro viribus reficiendis Cap. ſæpius Sal. Volat. Oleoſ. gt. xxx. in Vin. Canarin. & Aq. part. æqual.

Ingruente Oſcitatione cap. 40 vel 50 Tinct. Caſtor.

Ut pacaretur denique Capitis dolor, Veſicatorium largum Nuchæ applicatum eſt.

Cum Ventriculi tormina gravius invaleſcerent, hujuſmodi potum uſurpavit.

℞ Rad. Gentian. inciſ. ℥ j. Fl. Chamæmel. Summit. Marrhub. Centaur. Min. Abſinth. Vulg. ā ā M. j. Sabin. M. ſs. Coq. in Aq. Font. lib. 4 ad conſumpt. lib. 1. Colatura ſit pro potu communi.

Morbi

Morbi hiſtoriam, quia rure vixit mulier, per ſingulos dies haud ita accurate perſecutus ſum. His tamen uſa remediis, plurimum ſublevata eſt, & vires ita recuperavit, ut poſt dierum 45 intervallum redirent Menſes; quibus rite fluentibus, remiſerunt ſymptomata. Iteratis denuo Electuario & Infuſione, fluxus intra dies triginta quinque redintegratus eſt, qui quidem ægrotæ multum profuit. Eadem medendi methodo adhibita, idem fuit proximæ Periodi intervallum. Deinde ut integra valetudine frueretur, ad Aquas Aſtropenſes amandata eſt: quorum uſu tandem ad conſuetas periodos reducti Menſes mulierem ægritudine omni liberabant.

HISTORIA V.

Feb. 28, 1702.

MUlier quadragenaria, & paulo quam par erat habitior, novem abhinc menſibus, tuſſi forte laborans, venam ſecuit: Secta vena Menſes, quibus ea ſemper parcius purgata eſt, ad duas, quæ inſecutæ ſunt, Periodos penitus ſubſtiterunt. Poſtea vero ſtatis temporibus regreſſi, imminuta admodum copia, effluxerunt. Ita cum minor ſolito eſſet evacuatio menſtrua, adverſa valetudine uſa eſt, præſertim a tribus proxime elapſis menſibus. Symptomata, cum curæ meæ ſe commiſit, ita ſe habebant. Sæviit in univerſo corpore dolor acerrimus, tumore quodam comitatus: remittente dolore, ita tenera erat cutis, ut tactum refugeret. Maxime vero queſta eſt de abdomine: in inteſtinis quippe ſenſit tormina quaſi colica, in ventriculo gravitatem, inflationem, & nauſeam; ita ut pituitoſa ſæpius evomeret. Ad coxendicem fixus quidam decubuit dolor. Virium ea fuit imbecillitas, ut a motu quamvis leniſſimo abhorreret. In hypochondriis ſæpius exorta ſunt tubercula, per vices rurſus evaneſcentia. Urinæ, uti & coloris, nullum vitium. Pulſus piger, & debilis. Hebdomade proxime prægreſſa, acceſſit menſtrua periodus; guttis vero pauculis demiſſis, ſubſtitit fluxus.

Hujuſce morbi duplex potiſſimum fuit Indicatio,

I. Nempe, ut ſedarentur, quibus graviter conflictata eſt mulier, Symptomata.

II. Ut, pacata quodammodo ſymptomatum ferocia, ad legitimam normam redigeretur fluxus Menſtruus.

Primæ igitur Intentioni ut ſatisfacerem, quia præcipue affecta eſt Regio Epigaſtrica, Emplaſtrum ſuaſi, quod humores reſolveret, & doloris vehementiam ſopiret.

℞ Emplaſtr. Hyſter. de Galban. ā ā q. ſ. Opii, Camphoræ ā ā ʒ ij.
M. F. Emplaſtr. largum abdomini applicand.

Adjeci Opium & Camphoram, ut in vaſa abdominis penitus ſe ingereret Emplaſtri virtus: horum quippe particulæ, cum tenues admodum & ſubtiles ſint, penetrandi vi maxima pollent. Hæc Emplaſtris

plaſtris ſuis admiſcuit, vir in Pharmacis concinnandis non felix minus quam elegans Bateus, cum humores vellet diſcutere[a]: cujus quidem methodi, uti eo primum authore uſum aggreſſus ſum, ita miram ſæpius comperi efficaciam.

Hoc igitur Emplaſtro ſub noctem abhibito, poſt aliquot horas vehementer incaleſcebat mulier, & humorum quandam quaſi inter ſe luctam ſibi viſa eſt ſentire: poſtero vero mane, prorſus evanuit in abdomine dolor, & diſſipata ſunt tubercula. Cujus rei ratio explicatu parum difficilis eſt. Ingredientium quippe, Camphoræ præſertim & Opii, particulæ, tenuitate ſua intra vaſorum poros ſe inſinuant; ibique lentis humoribus, quorum vitio oriuntur dolores & tubercula, commixtæ, eos ita incidunt & exagitant, ut ſanguinis globuli non ultra ad oſcula arteriolarum hæreant, ſed jam in minima diviſi, vel in venas trajici queant, vel perſpiratione foras extrudi. Ita penetrans reperitur Opii & Camphoræ vis, ut nullum fere ſit (ſi Cantharidas excipias) remedium, quod, externe adhibitum, cutim promptius pertranſit, & viam ſibi in ſanguinem aperit: adeo parum ſe oſtendit ignava illa & frigida qualitas, quam iis plerique ſolent affingere.

Mart. 1. Ut ventriculi & inteſtinorum aliqua haberetur cura, data eſt in Aq. Bathon. lib. 2 Sal Epſom. ʒj. quæ ſaburram in primis viis hæreſcentem per alvum abduxit. Noctu ſomnus longior ſolito, & pacatior.

Mart. 2. Viſa eſt ſibi aliquanto vividior; & de membrorum doloribus minus querebatur.

Igitur cum ſecundæ, quam retulimus, Intentioni locus eſſe videretur, præſcripta ſunt ea, quæ ſanguinis impetum ita ſuſcitare poterant, ut uſitata per uterum efflueret ſanguinis menſura.

℞ Æthiop. Min. ʒj. Cap. ℈ij. in Syr. Viol. bis in die ſuperb. Coch. 6. Decoct. ſeq.

℞ Cortic. Peruv. Rad. Gentian. āā ʒſs. Sem. Cardamom. Cubeb. āā ʒij. Bacc. Juniper. ʒj. Coq. in Aq. Font. lib. 3. ad conſumpt. lib. 1. add. ſub finem decoctionis Vin. Alb. lib. 1. Colaturæ add. Tinct. Caſtor. Mart. Mynſicth. āā ʒj.

Mart. 4. Melius ſe habuit, quanquam aliquando ad breve tempus recrudeſceret dolor. Hora decubitus, quoniam ſomnus ultimis noctibus parcior fuerat, aſſumptum eſt Hypnoticum.

℞ Tinct. Croc. Laud. Liq. Sydenh. āā ʒ j. Cepit gt. 40. ex Ther. Venet. quas & ſingulis noctibus repetiit. Unde ſemper placidus ſucceſſit ſomnus, & mane virium refectio.

Mart. 6. Pulſus multo validior. Adhuc ſubinde rediit ventriculi nauſea, interdum etiam & vomitus. Igitur ad humores ex Primis Viis educendos, iterum adhibitæ ſunt Aquæ Purgantes.

[a] Vide Emplaſtr. Camphor. & Podagr.

Mart.

Mart. 7. In dies auctæ ſunt vires, & Pulſus fortior increbuit. Hauſto Decocto multum incaluit. Doloris nulla veſtigia. Ventriculi inflatio nulla: quanquam ſæpe adhuc per vices rediret nauſea. Ab ambulatione vix ulla fere laſſitudo.

Mart. 8. Repetitæ ſunt Aquæ Purgantes, non modo ut ſordibus liberentur Primæ Viæ ſed ut tenuior fiat ſanguinis compages. His tamen cum nauſea & vomitus parum ceſſerint, Mart. 9, ad Emetica confugi; quibus antea, dum vires admodum langueſcerent, abſtinendum duxi. Adhibitis igitur Sal. Vitriol. 3 ij, multum craſſæ & viſcidæ materiæ excrevit ventriculus; qua ita foras ejecta, nullam fere moleſtiam ſenſit.

Mart. 11. Igitur ut utrique Indicationi ulterius proſpectum ſit, præſcripſi, uti in Hiſtoria 3, Catharticum, quod & primas Vias, & ipſum ſanguinem purgaret. Unde ſexies deſcendit alvus, & ventriculus ita deterſus eſt, ut, quicquid alimenti ſuſceperit, retinere poſſet.

Mart. 13. Vires fere in totum inſtauratæ ſunt. Pulſus quotidie validior. Ad coxas aliquando acceſſit ſubitus quidam doloris inſultus, qui tamen brevi evanuit.

Mart. 15. Repetitum eſt Catharticum, deinde etiam Pulvis, & Decoctum.

Ap. 2. Nulla, niſi de gravitate quadam circa ventriculum, querimonia.

Ap. 10. Menſes majore copia, quam ab annis quatuor aut quinque conſueverant, fluxerunt: quibus ad quatriduum demiſſis, ſubſedit omnis illa ventriculi gravitas.

HISTORIA VI.

Oct. 20, 1702.

Mulieri annos 25 natæ & viro nuptæ, Menſes per annum fere minore copia fluxerant; a tribus vero, quæ proxime antegreſſæ ſunt, Periodis penitus ſubſtiterant: unde venarum omnium tumor, dorſi & capitis dolor acerrimus, ventriculi nauſea, & appetitus languor, globi quaſi in gutture aſcenſus, virium maxima debilitas, dyſpnœa vehemens; de quo quidem ſymptomate acerbius, quam de cæteris, queſta eſt. Color haud multum vitiatus; erat enim mulier temperamenti ſanguinei. Pulſus plenus, & debilis. Aniculæ, quæ juxta habitabant, omnes uno ore clamitant eam utero geſtare: quod ut minus crederem, his potiſſimum argumentis inductus ſum. 1. Quia Cibi faſtidium perpetuo ad tertium menſem, & ultra indies increbuit; quod tamen gravidas ſub initium magis infeſtare ſolet, tertio vero menſe paulatim evaneſcere. 2. Quia Capitis dolor continuus, & gravis ſpirandi moleſtia, in deterius ibant; quæ quidem ſymptomata, cum ultra modum exacerbeſcant, Menſtruæ Suppreſſioni potius, quam Graviditati congruere videntur. 3. Quia

in ventre nec motum ullum, nec tumorem perſenſit; quorum tamen alteruter ſaltem, ſi in utero ſit infans, elapſo tertio menſe percipi ſolet.

Igitur in curandis ſymptomatis, quæ a morboſa Menſium Suppreſſione oriri arbitratus ſum, id unice agendum videbatur, ut ſuus ſanguini reſtitueretur impetus.

Quoniam vero Venæſectionem indicabat Pulſus plenitudo, ſanguis ad ʒ xij miſſus eſt.

Feb. 12. ℞ Merc. Dulc. ϑj. Reſin. Scammon. gr. vj. M. Unde decies ſubducta eſt alvus, & nauſea minus laborabat ventriculus.

Diebus a Purgatione liberis, uſa eſt Pilulis ſequentibus.

℞ Chalyb. cum Sulph. pp. ʒ ij. Rad. Gentian. Ariſtoloch. Rotund. ā ā ʒjſs. Caſtor. Pulv. Ari comp. ā ā ʒj. Extract. Abſinth. q. ſ. M. F. Pil. mediocr. Cap. 4. bis in die, ſuperb. hauſtum Cereviſiæ tenuis, in cujus lib. 3 incoq. Limatur. Chalyb. ʒj. Rad. Rub. Tinctor. Curcum. ā ā ʒ iij. Bacc. Juniper. ʒ ſs. Sabin. M. 1. In quolibet hauſtu cap. Tinctur. Croc. gt. 15.

Feb. 28. Nulla fere in ſymptomatis mutatio. Pulſus tamen multo fortior. Repetitum eſt itaque Catharticum, unde ad duos aut tres dies plurimum levata eſt.

Mart. 6. Cum vix quicquam levaminis ſentiret, tertio adhibita eſt Purgatio.

Mart. 12. Miteſcebat aliquantulum capitis dolor, & dyſpnœa.

Poſt Infuſionem repetitam, Apr. 8, Menſes, quanquam exigua nimis copia, fluxerunt: quibus erumpentibus, evanuit ea, quam hactenus ſecum tacite foverat, Graviditatis ſuſpicio.

Reſtitutis Menſibus, rediit ſimul valetudo; niſi quod ad motum & laborem, ſi paulo diuturnior fuerit, rediret ſubinde dyſpnœa.

CAP. XII.

De Symptomatis, quæ a Menſium Fluxu immodico oriuntur.

ALterum Uterini fluxus vitium eſt, nimia Sanguinis Profuſio; quæ duobus modis accidere ſolet, cum vel ſtatis Periodis nimis copioſe erumpat ſanguis, vel Periodi frequenter nimis recurrant. Hic quidem morbus inter mulieres haud æque familiaris eſt, ac Suppreſſio; paucioribus etiam ſtipatur ſymptomatis: quæ tamen uti numero deficiunt, ita vehementia ſua invaleſcunt, ut gravius multo ſit a Menſibus ultra modum fluentibus, quam retentis periculum. Sanguinis enim defectus difficilius reſarcitur, quam detrahitur copia; uti & obeſis corporis habitudo facilius deteri ſolet, quam apponi macilentis. Solidæ quippe partes, ſi paulo laxius diſtendantur, diminuta

minuta fluidi copia, tonum ſatis prompte recolligunt: ſin præ fluidi inopia arctius ſemel coaleſcant, quomodocunque humida & mollientia adhibueris, meatus obthurati non niſi ægre admodum recluduntur.

Menſibus adeo immodice profluentibus inſequi ſolent, Virium imbecillitas, Cordis anxietas, Syncope, Extremorum frigus, Pallor, Convulſio, Suffocatio; quæ quidem, recente adhuc morbo, ſeſe exerunt ſymptomata: inveteraſcente profluvio etiam hæc tandem accreſcunt, Tumores, Cachexia, Hydrops, Fluor Albus, Febris Hectica, Atrophia. Atque hic quidem morbus uti Suppreſſioni menſtruæ eſt contrarius, ita ea, quæ fœminis infert, ſymptomata contrariam prorſus agnoſcunt cauſam, ſanguinis ſcilicet inopiam.

Sanguine enim libere nimis profuſo, multum iſtius liquidi una effluit, quod in Spirituum Animalium ſuppetias cedere debuit: unde promptuario exhauſto, parcius in nervos traducuntur Spiritus; quibus adeo imminutis, langueſcunt, quæ a Spirituum copia derivantur, vires. Atque hæ quidem decreſcunt in Ratione ſanguinis diminuti Triplicata: cum enim ad motum muſcularem requiratur Liquidi nervoſi, Fibrarum muſcularium, & ipſius demum Sanguinis unita actio, ſatis patet muſculorum vires ſive animalis robur eſſe in proportione horum trium Compoſita: quæ cum a maſſa ſanguinea ita pendeant, ut ei ſemper proportionalis ſit ipſorum quantitas, erunt vires in ratione ſanguinis triplicata; uti demonſtravit D. Cheyneus[a]. Si igitur Menſium fluxu immodico profundatur pars ſanguinis dimidia, virium ⅞ deperdet mulier. Hinc & ratio elucet diverſi iſtius effectus, qui diſſimiles inter ſe evacuationes ſequi ſolet: ab ingentibus ſcilicet & ſubitis, propter ſanguinem exhauſtum, labefactantur admodum vires; eædem ſatis conſtant, ſi lente & gradatim peragatur evacuatio, uti in Diaphoreſi, Diureſi &c fit.

Deficiente ad hunc modum ſatis ubere ſpirituum copia, Cor, ſiqua alia corporis pars, propter aſſidua in propellendo ſanguine virium diſpendia, brevi deficiet: ſpiritibus enim deſtitutum, minorem multo ſanguinis molem foras pellit: qui ideo in ventriculis ejus diutius ſubſiſtens laboris quendam & anxietatis ſenſum ad præcordia inducit. Quod ſi exhauſtis ſpiritibus ita tandem deficiat Cordis robur, ut ſanguinis ponderi prorſus impar ſit, ſuſpendetur contractio, & ceſſante ſanguinis motu ſuccedet Animi deliquium; donec Cor iis ſpirituum ſupplementis inſtructum fuerit, ut ſanguinis momento præpollens, circuitum denuo integrare valeat. Vacillante porro Cordis motu, debilius erit ſanguinis Momentum: tum quia Menſibus profluentibus detrahitur Copia, tum quia, Corde vim ſuam imbecillius exerente, minuitur etiam Velocitas. Igitur cum langueſcat admodum ſanguinis jam in arterias protruſi Momentum, haud ita facile pervincet eam, quæ ab arteriarum tunicis, & præcedente ſanguine continuo oritur, renitentiam. Saltem cum ad minutiora vaſa devenerit ſanguis, motu adeo languido feretur, ut tenacius inter ſe cohæ-

a De Hectica.

reant

reant particulæ, quam quæ per Capillarium orificia ſatis expedite traduci queant: ita ad extremitates vaſorum aut ſubſiſtet penitus, aut ſegniter admodum perlabetur ſanguis: cujus impetu ad hunc modum fracto & debilitato, in extremis orietur frigus, in facie pallor. Poteſt etiam non a Lentore modo, ſed ex ipſo ſanguinis defectu derivari extremorum frigus; calor quippe partis cujuſcunque, eſt ut cauſa, quæ ipſum producit: ea vero cauſa nihil aliud eſt, niſi ipſe ſanguis calidus ad partes perveniens: ideoque, ſi ex defectu ſanguinis extrema corporis aut parcius aut non omnino irrigantur, neceſſe eſt, ut in iis ſentiatur frigus. Eodem modo & pallor in facie, ob copiam ſanguinis deficientem, orietur; certum enim eſt puellas, quo magis ſanguine rite circumacto abundent, eo intenſius rubeſcere.

Convulſio, uti Menſibus ſuppreſſis a Repletione proficiſcitur, ita iiſdem immodice profluentibus, ab Inanitione, quæ apud Hippocratem eſt altera Convulſionis cauſa, deduci poteſt. Si enim in muſculum quemvis derivetur liquidi copia minor, quam in oppoſitum, orietur muſculi oppoſiti contractio, uti ex iis, quæ de Convulſione paulo ante diximus, patebit. Ita ſi muſculos laryngis & œſophagi corripiat Spaſmus, ſuffocationem quandam patietur fœmina: quam tum maxime in mulieribus reperiri ſcribit Hippocrates [a], cum Menſes ſupra modum profluxerint. Idem quoque hanc, quæ immodicis [b] Menſibus ſupervenit, Convulſionem periculoſam pronuntiat: quia, cum hoc ſemel acceſſerit ſymptoma, ſignum eſt plus ſanguinis effluxiſſe, quam quod vires corporis citra noxam pati queant: ita ut ſolidarum partium tono vehementer labefactato, vix ulla ſalutis ſpes ſuperſit.

Hæc quidem, quibus hactenus immorati ſumus, ſymptomata, non tantum a Menſibus immodicis ſequi ſolent, ſed a quocunque fere nimio ſanguinis [c], ſive id natura, ſive arte fiat, profluvio.

Imminuta vero evacuatione nimia ſanguinis copia Qualitatem etiam vitiabit, inferetque Cachexiam. Quippe tum demum rite temperatur ſanguis, & ſua corpori conſtat ſanitas, cum legitima fiat humorum omnium, qui ſecerni debent, Secretio: ea vero debite peragi non poteſt, niſi intra certos limites conſtiterit Velocitas. Datis quippe vaſorum orificiis, in ratione Velocitatis eſt Secretio. Cum itaque profuſis Menſibus, propter ſpirituum inopiam, cordis contractio, adeoque fluidi circulantis Velocitas, remittatur admodum & langueſcat, minus debita erit particularum Secretio; ita multi intra vaſa retinentur, quos eliminari oportuit, humores: Craſinque naturalem amittit ſanguis. Hanc ſanguinis Cachexiam multum promovet Chylus in Primis Viis minus rite elaboratus: ſpiritibus enim imminutis, deſunt ventriculo & inteſtinis vires, ita ut alimentum non ſatis valide comminuere queant: quod cum imperfectius conteritur, in ſanguinis naturam difficilius migrat. Nec Cachexia ſolum a Chylo minus comminuto, ſed Lentor etiam ſuccedet: qui tamen, quamvis nullum in Chylo fuerit vitium, a velocitate ſanguinis im-

a Morb. Mul. 1. 16. b Aph 5. 56. c Vid. Willis. & Bellin. paſſim.

minuta

minuta orietur. Cum enim ſegnius moveatur ſanguis, deficit illa particularum attritio, quæ cohærentiam prohibet: ita, cum minor ſit globulorum in ſe invicem actio, facilior erit unio, & compages denſior. Sanguine adeo ad Lentorem perducto, & canalium fibris propter ſpirituum defectum debilitatis & pene flacceſcentibus, orientur Tumores ſimili prorſus modo, ac in Suppreſſione Menſtrua explicatum eſt: quia, cum eadem utrobique ſit cauſa, eundem etiam effectum poteſt producere: aliquando etiam ſuccedet Hydrops. Quanquam Hydrops quidem Menſium ſuppreſſorum comes frequentior ſit, redundantium vero Hectica.

Hecticæ rationem nuper expoſuit Vir[a] in Theoria Medica verſatiſſimus, ejuſque ſymptomata a Canalibus Secretoriis ſupra modum dilatatis haud abſurde deduxit: hanc igitur Hecticæ cauſam nos non diſcutiemus denuo, ſed pro certa atque conceſſa habebimus; oſtenſuri tantum, quomodo a Menſibus immodicis hujuſmodi ſuccedat Canalium diſtenſio. Et ea quidem duobus potiſſimum modis efficitur. 1. Menſibus nimium profluentibus, uti deficit quod in corpore detineri debet fluidum, ita ſolidæ etiam partes ſenſim aboleſcunt: pabulo enim ſuo defraudatæ, a mole priſtina multum recedunt contractioreſque fiunt, ita ut canales, quos undiquaque ambiunt, minus jam premere & conſtringere queant: remoto igitur hoc ad latera canalium obſtaculo, ſanguis intus decurrens fortiore impetu in fibras arietat, quas proinde facilius diſtrahit: unde major vaſorum amplitudo. 2. Vaſa laxius explicari patitur Tonus Fibrarum labefactus. Sanguine enim evacuatione nimia exhauſto, deficiunt tandem ſpiritus, qui fibras canalium contractiles vivide ſatis animent, ut motum tonicum exerceant, & debita vi in ſanguinem circulantem reciproce nitantur: viribus adeo fibrarum imminutis, ſanguini impingenti cum imbecillius reſiſtant canales, ipſius momento cedunt, & ſpatium amplius largiuntur. Sequetur etiam Hectica, ſi, immutata Canalium amplitudine, minuatur certa ratione ſanguinis copia; humorum enim reſpectu nimis ſpatioſi ſunt canales: unde eadem oriuntur ſymptomata, ac ſi, cum nulla eſſet in ſanguine molis mutatio, revera ampliaretur vaſorum capacitas. Quippe ſi, ſanguinis quantitate dimidio imminuta, eadem ac olim fuerint vaſorum orificia, idem eſt, ac ſi conſueta ſanguinis quantitas in vaſis circuletur, vaſa vero dimidio ampliora fiant. Cum vero ſpiritus, quibus fibrarum Tonus conſervatur, eadem proportione ac ſanguis deficiant, erit Toni diminutio in ratione fluidi imminuti duplicata. Ita, cum utraque concurrat cauſa, Canalium nempe laxitas, Sanguiniſq; imminutio, gravius invaleſcet, in eadem ſcilicet ratione, Febris Hectica. Ad hunc modum naſcetur Hectica, ſi Canalium omnium, Cutaneorum præſertim, labaſcat tonus; ſin Vaſa Secretoria in particulari aliquo viſcere Tonum amiſerint, Hecticæ producendæ licet impar ſi iſta meatuum ampliatio, id efficiet tamen, ut per eos fiat uberior liquidi ſecretio: quæ data ſanguinis velocitate, eſt in ratione orificii. Ita ſi Uteri Tonus vacillet,

[a] Theory of Fevers.

Glandularum, quæ internæ ipſius tunicæ interſeruntur, adeo dehiſcent oſcula, ut lympham ſuam in Uterum copioſius effundant: ea vero continuo foras ſtillante, orietur morbus ille, qui appellatur Fluor Albus: quo ſemper fere laborant eæ, quas Menſium fluxus nimius exhauſit.

Succedit tandem Atrophia, quia tum deficit qui in corporis nutrimentum cedat Sanguis, tum Chylus propter ventriculi imbecillitatem minus rite comminutus eſt, tum denique quia ita debilitatur ſanguinis Momentum, ut non ictu ſatis valido ſuccum nutritium in ſolidarum partium poros impellere atque adigere queat: ita impetu ſanguinis infracto, coaleſcunt penitus & occluduntur, qui nutrimentum excipere ſolent, meatus. Nutritio quippe nihil aliud eſt, quam ſucci alicujus appoſitio, ſive perpetua in fibrarum poros alimenti ſucceſſio.

Hoc nimio Menſium profluvio non æque laborant omnes: Virginibus enim, uti frequentius multo reſtricti ſunt, ita rarius immodice fluunt Menſes; in iis nempe, propter vaſa conſtrictiora, non ita facilis ſanguini patet exitus, ac in puerperium expertis.

CAP. XIII.

De Methodo in Fluxu Menſium immodico Therapeutica.

HUjuſce morbi curatio pro ratione cauſarum diverſa eſt; duplici enim modo provocatur Fluxus immodicus, nempe vel Vaſorum, vel Sanguinis vitio. Vaſa quippe in vitio ſunt, cum flacceſcunt nimium & dehiſcunt, hoc eſt, cum ipſorum fibræ ita laxe inter ſe cohærent, ut ſanguinis momento cedant: Sanguis vero, cum ita redundans, aut tenuis ſit, aut rapide circumactus, ut intra vaſa uberius feratur.

Id vero ſemper advertendum eſt, Fluxus immodici judicium fieri debere, collatione habita ad priores circuitus, ad incommoda, ad victum præcedentem, ad ſanguinis ſtatum: nimios vero eſſe Menſes præ cæteris ſignis indicat virium imbecillitas, ita ut virium regula unice metienda ſit Fluxus redundantia. Quippe, quibus diu ſubſtiterint, vel ipſi Menſes, vel evacuationes aliæ ſolennes, in iis longius citra noxam durat fluxus; ideo Critica eruptio, quamvis diuturnior ſit, nunquam ſubito ſiſtenda eſt. Pariter mollibus fœminis & aquoſis, otioſis etiam & victui indulgentibus, diutius fluunt Menſtrua; quia in his omnibus uberior ſit, quæ fluxum temperat, Plethora. Igitur eas, quibus ſanguis aquoſus, & habitus ſucculentus fuerit, Fluxui nimio magis obnoxias eſſe recte pronuntiat Etmullerus[a].

I. Itaque Vaſis flacceſcentibus, in eo præcipue enitendum eſſe videtur, ut redintegretur, quocunque modo labefactus fuerit, Tonus: qui quidem facile reſtitui ſolet, ſi externe adhibeantur remedia, quæ

[a] Tom. 1. 552.

Fibras

Fibras roborant & conſtringunt. Hæc facile ex Aſtringentium familia depromi poſſunt, quorum ſane ratio, ſi operandi modum ſpectes, ita videtur explicanda. Scilicet cum Aſtringentium ea ſit vis, ut humoribus coagulum quoddam inducant, quemadmodum mox probaturi ſumus, particulæ Stypticæ ſanguini effluenti commixtæ intimiuſque unitæ quaſi gluten effingunt, quo coaleſcant & compingantur vaſorum lacunæ. Præter hanc coagulandi vim, alia etiam in externis remediis virtus concipi poteſt, quæ vaſa dehiſcentia reſtringat, Stimulus nempe Aſtringentium; qui cum acriter fibras pungat & velicet, vaſa adeo irritantur ut ſe validius contrahant, & motum quem vocant Tonicum recolligant. Ita Urticæ ſuccus naribus admotus, Stimuli virtute; Spiritus Vitrioli, tum ſtimulando, tum coagulando, Hæmorrhagiam ſiſtere videtur. Poſſunt etiam in uſum vocari interna remedia; quæ tamen ad fluxum nimium, tum cum a ſanguinis vitio oritur, quaſi jure quodam pertinere videntur.

Quod ſi Vaſorum Tonus ultra modum debilitatus fuerit, cohibito fluxu, interne adhibenda ſunt remedia, quæ Fibras roborant; ne proxima forte periodo, cum ſanguinis plethorici momentum increverit, vaſa adhuc imbecillia plus ſanguinis quam par eſt emitti ſinant. Fibras itaque maxime roborant Analeptica, ſive ea quæ nutrimentum corpori largius ſufficiunt, & ſolidarum partium robur inſtaurant.

II. Cum a ſanguinis vitio ortum traxerint Menſes immodici, curatio expoſcit duo medicamentorum genera, vel Revellentia ſcilicet, vel Aſtringentia.

1. Quippe Revellentia, cum ad partes, qua inſtituitur Revulſio, humores uberius trahant, efficiunt ut ſanguis minore impetu ad Uterum, unde derivatur, profluat: ita momento fluidi debilitato, vaſa minus jam diſtenta in ſtatum contractilem redeunt, & ſanguinem intra latera ſua coercent. Ita Menſium fluxum cohibet facta in Brachio Revulſio, ſive per Venæſectionem ea fiat, ſive per Frictiones, ſive per Cucurbitulas; quas & Mammis admoveri ſuadet Hippocrates[a]. Ita ſi Revulſione quadam naturali excitetur ſanguinis Vomitus, mulier profuſis Menſibus liberatur[b]: quia ſanguine tum imminuto, tum uberius ſurſum ducto, vaſa uterina minus premuntur. Hæc tamen naturæ methodus non ea eſſe videtur, quam ars imitari debeat; Emetica enim, cum abdomen vehementer ſuccutiant, Menſes promovent potius, quam reſtringunt. Idem de fortioribus Purgantibus, quæ ſanguinem agitant & rarefaciunt, dicendum eſt: poſſunt tamen adhiberi mitiora, ut ſubducta alvo, aliqua, qualiſcunq; ea ſit, ab Utero fiat humorum Revulſio: quæ ideo Practici Aſtringentibus ſemper fere præmittunt. Hiſce Revellentibus ſæpe compeſcitur fluxus Menſtruus: cum ex eo ortum duxerit, quod ſanguis, aut redundans fuerit, aut nimis rapide circumactus. His Revulſionum generibus rejectis, Diaphoretica ſuadet Etmullerus, quæ ſerum copioſum una cum acrioribus ſalibus per cutim eliminant[c]: quod ta-

a Aph. 5. 50. Epid. 2. 6. b Aph. 5. 32. c Tom. 1. 553.

men

men medendi conſilium rationi parum congruere videtur. Quamvis enim copiam ſanguinis imminuant Diaphoretica, ipſius tamen compagem ita ſolvunt & attenuant, ut augeatur plurimum, quæ ad Vaſa eſt, Plethora: ita ſub ipſo fluxu ſi adhibeantur Diaphoretica, periculum eſt, ne uberius prorumpant Menſes.

2. Ad compeſcendum Fluxum adhibentur Aſtringentia: quæ cum Coagulum & Lentorem humoribus inducant, ſanguinis impetum ita imminuunt & infringunt, ut vaſorum impedimentum nequeat pervincere, uti in ſequentibus fuſius oſtendetur. Ad Fluxum ſiſtendum aliquid forte conferre poteſt & Stimulus ille, quo pollent Aſtringentia, etiam cum interne adhibeantur: qui cum fibras vaſorum vellicet, ea ſtringere quodammodo & contrahere poſſe videtur: licet fatendum ſit non magni æſtimandam eſſe hanc, quæ a Stimulo derivatur, Aſtringentium internorum virtutem. Aſtringentibus annumeranda ſunt Glutinantia, inter quæ præcipuum locum obtinent Balſamica; quippe hæc etiam, gradu licet remiſſiore, ſanguinem incraſſant, partiumque craſin compactiorem reddunt: ideo non modo ſanguinis momentum imminuunt, ſed & vaſis dehiſcentibus gluten quoddam affingunt. Quia vero imbecillioris efficaciæ ſint Balſamica, iis non niſi poſt Aſtringentia videtur eſſe in praxi locus. Quo vero Fluxus facilius ſiſti queat, adhibenda ſunt non interna modo, ſed & externa etiam, quæ jam in altero fluxus genere deſcripſimus, Aſtringentia; tardius quippe ſuccedit curatio, ſi dum ſanguini temperando opera impenditur, vaſorum conglutinatio negligatur. Cohibito fluxu, canalibuſque ſatis obfirmatis, ſi, uti plerumque fit, defecerint vires, ad ea confugiendum eſt remedia, quæ ſanguinem inſtaurant, ſpirituumque copiam ſufficiunt: & ea quidem non ex officina modo, ſed etiam ex culina depromenda ſunt. Et hic demum locum habent ea, quæ etiam ſuppreſſis Menſibus proſunt, remedia: quod libentius noto, quia hoc minus habito temporum diſcrimine, multos forte fefellerit Materia Medica, quæ, uti ab Authoribus ordinatur, in utroque Menſium vitio fere eadem eſt [a].

HISTORIA I.

Feb. 1, 1702.

MUlier quædam poſt Partum Fluxu Menſium immodico correpta eſt, qui ad ſex annos perſtitit: ultimo biennio quotidie fere profluxit ſanguis, interdum in grumos, ovi magnitudinem æquantes, concretus. Siti & ſumma virium imbecillitate laborabat, nonnunquam & febricitabat. Dolor in abdomine & regione uterina vehemens & continuus. Cordis anxietas, aliquando etiam ſyncope invaſit. Pulſus digito vix percipiendus.

Intentio Curatoria videbatur, ut fluxu cohibito, reficerentur, quæ admodum langueſcebant, vires.

[a] Blaſii Mat. Med. p. 565.

In

In Fluxu igitur coercendo, cum Revellentibus abſtinendum duxerim, quia eorum uſum prohibere videbantur vires ſupra modum imbecilles, Aſtringentibus unice confiſus ſum: atque ea quidem tam interne, quam externe adhibenda curavi.

℞ Cortic. Granat. ʒſs. Rad. Tormentill. ʒj. Fl. Roſ. Rubr. Balauſtior. ā ā M. j. Coq. in Aq. Ferrar. lib. 3 ad conſumpt. lib. 1. Colatura ſit pro Fomentatione, bis in die parti affectæ tepide applicand.

Pro potu communi utebatur Decocto Albo, in cujus lib. 2 incoctæ ſunt Cinnamomi ʒ ij.

Interne adhibita eſt Tinctura illa Antiphthiſica, quam tantopere commendat Etmullerus[a], ex Saccharo Saturni, & Martis Vitriolo, cum Sp. Vin. conflata. Hujus Tinct. gt. xx. in Aq. Plantag. cepit ſæpius in die. Urgente dolore, vel vigiliis, ſumpſit Laud. liq. gt. xx.

Feb. 3. Subſtitit fluxus; qui ne poſtea forte redire poſſet, indies adhuc, uſque ad Feb. 6, repetebatur Fomentatio.

Reſtricto autem ad hunc modum profluvio, doloris & imbecillitatis habenda videbatur cura. Deſumpſi igitur ex Medicina Diætetica juſcula & cibos boni nutrimenti, ex Pharmaceutica mixturam ſequentem.

℞ Tinct. Croc. Laudan. Liq. Sydenh. ā ā ʒ ij. Camphor. in Spir. Vin. ʒſs. diſſolut. ʒj. M. Cap. gt. 30. ſexies in die in Aq. Cinnam. Fort. & Hord. ā ā p. æq. unde plurimum refectæ ſunt vires, & remiſit dolor.

Feb. 8. Ex labiis Pudendi quaſi ſacculus quidam membranoſus prominuit: qui tamen verſus uterum ita firmiter adhæſit, ut ex Vagina extrahi nequiret. Graviter inſuper fœtebat. Et prima quidem fronte interna Vaginæ tunica procidiſſe videbatur: Placentæ quippe reliquias eſſe minus ſuſpicabar, quod mulier ſe a ſex annis puerperam eſſe negarat. Cum vero fœtoris doloriſque ratione habita, incideret mihi aliqua de Placenta ſuſpicio, rem paulo altius inveſtigandam duxi; mulieremque percunctatus ſum, num poſt ultimum illud Puerperium Abortum fecerit: Illa ſe circiter abhinc biennio Gravidam fuiſſe aiebat, & terrore exanimatam, dum noctu per compita domum reverteretur, in via abortiiſſe; reverſam vero non uſam eſſe obſtetrice, quæ, utrum aliquid in utero relictum fuerit necne, inſpiceret. Ab eo etiam tempore doloris origo ducta eſt. Morbo igitur ſub examen hoc vocato, ea viſa eſt Indicatio, ut Uteri & Muſculorum Abdominalium ita inſtauraretur vis, quæ Placentæ reliquias foras expelleret. Ad quem finem quia plurimum conduceret præſcripta Mixtura, illius gt. 40. indies ſæpe aſſumptæ ſunt: Quo remedio ita Spiritus refecti ſunt, ut

Feb. 10. Aliqua Placentæ portiuncula foras excluderetur, non graveolens modo, ſed plane putrida.

a Schrœdar. dilucidat. p. 253.

Feb. 11. Excluſa eſt & altera fœtore ſimili portio. Deinde nulla ſubſtantiæ iſtius membranaceæ intra Vaginam veſtigia: etiam omnis illico ſopitus eſt dolor.

Feb. 13. Vires ita redierunt, ut lecto, cui per menſem fere affixa fuerat, jam per horas aliquot abeſſe poſſet. Nulla niſi de virium imbecillitate, & appetitus remiſſione querimonia. Uſa eſt indies Mixtura, unde ſemper ſe plurimum levari ſenſit.

Feb. 17. Rediit Fluxus: quem, quoniam mediocrem valde & nullo gravi ſymptomate ſtipatum eſſe conſpexerim, nolui compeſcere; videbatur enim evacuatio menſium naturalis & ordinaria: quæ itaque quatriduo terminata eſt.

Feb. 23. Ut viribus ulterius proſpectum ſit, præſcripta ſunt ſequentia.

℞ Tinctur. Cortic. Peruv. (in Vin. Alb.) lib. 1. ſs. Tinct. Croc. Spec. Diambr. ā ā ʒ ſs. M. Cap. Coch 6. ter. in die.

Feb. 25. Appetitus ad ſe rediit. Nihil niſi virium robur ſanitati defuit; quod etiam, Decocto ad duas vices repetito, intra menſem feliciter inſtauratum eſt.

HISTORIA II.

Sept. 10, 1701.

MUlier pleni habitus, & Menſibus paulo copioſius purgari ſolita, ab exercitio immodico in Fluxum nimium incidit; ita ut primo quidem ad ſex, deinde ad duodecim dies larga copia demitterentur Menſes. Hoc malo cum per æſtatem omnem laboraſſet, vires admodum dejectæ ſunt: invaſit ſæpe ſyncope, & ſpaſmus; intumeſcebant pedes. Facies pene hippocratica. Sanguis tenuis valde, non guttatim, ſed continuo quaſi flumine profluxit. Cum eam primo inviſerem, quatriduo jam perſtiterat fluxus.

Poſtulabat igitur morbi indicatio, ut quamprimum cohiberetur profluvium. Hoc ut effici poſſet, adhibita eſt, uti in Hiſtor. 1. Fomentatio. Hora decubitus, uſa eſt Hypnotico ſequenti.

℞ Trochiſc. Gordon. ʒſs. Laudan. Londin. gr. ij. Mucilag. Gum. Arab. q. ſ. M. F. Pil. exiguæ. Cap. 3. Quibus aſſumptis, ſatis placide dormiebat.

Sept. 11. Menſibus etiamnum profluentibus, præſcriptum eſt hujuſmodi Electuarium.

℞ Conſerv. Roſ. Rubr. ʒ j. Bol. Armen. Croc. Mart. Aſtring. ā ā ʒ j. Maſtich. Terr. Japan. ā ā ℈ ij. Spec. Diatrion Santal. ℈ iv. Syr. e Symphyt. q. ſ. M. F. Elect. Cap. q. n. m. 4ta quaque hor. ſuperb. Coch. 5. Julap. ſeq.

℞ Aq.

℞ Aq. Sperm. Ranar. Plantagin. Cinnam. Hord. ā ā lib. ſs. Syr. e Corall. q. ſ. M. F. Julap. Cap. etiam ter in die Spir. Vitriol. gt. 40. in quovis Vehiculo. Repet. Foment. & Pilul. præſcript.

Sept. 13. Manavit adhuc, ſed non niſi guttatim, Fluxus: qui tamen remediis rite aſſumptis, Sept. 15, omnino ceſſit.

Igitur in eo jam omnis medendi cura verſari debuit, ut firmarentur vaſa, & prohiberetur illa ſanguinis raritas. Primæ Intentioni ut ſatisfieret, quotidie repetita eſt Fomentatio; ſecundæ par eſſe videbatur Glutinantium, & Balſamicorum uſus. Poſtpoſitis itaque Aſtringentibus, inſtituta eſt ſequens methodus.

℞ Decoct. Alb. ℔ ij. Aq. Cinnam. Hord. ʒiij. Sacch. Alb. q. ſ. M. Cap. ʒ iv. quater in die.

℞ Balſam. Capiv. Polychreſt. ā ā ʒij. Cap. gt. 25. hora decubitus in Conſerv. Roſ. Rubr.

His adhibitis remediis, poſt trium fere hebdomadum intervallum, Oct. 5, redierunt Menſes: & ad ſex quidem dies demiſſi ſunt. Repetitis vero iis quæ ultimo præſcripta ſunt, periodo proxima quatriduo terminatus eſt fluxus: qui, eundem intra terminum etiamnum ſubſiſtens, mulieri ſanitatem reſtituit.

HISTORIA III.

Maij 21, 1703.

Mulieri, annos 36 natæ, poſt Abortum ad tres periodos per dies quatuordecim manarunt Menſes; deinde per trimeſtre fere ſpatium, quotidie eruperunt. Quo profluvio ita labefactatæ ſunt vires, ut vix ſtare, nedum ambulare potuerit. Spiritum ita graviter duxit, ut pene in ſuffocationis periculum incideret. Invaſit aliquando ſyncope, aliquando hyſterica paſſio: ita ut per horam unam aut alteram quaſi animæ expers jaceret. Pallor & macies, qualis in Phthiſicis. Pulſus debilis, frequenter etiam intermittens.

Indicatio Curatoria primo ad fluxum compeſcendum, deinde ad vires inſtaurandas reſpicere viſa eſt. Uſa eſt igitur Fomento, in Hiſtor. 1, deſcripto: cujus quidem vim ſemper fere efficaciſſimam comperi. Interne adhibitæ ſunt, in Decocto Tormentillæ Spir. Sal. dulc. gt. 20 quater in die.

Maij 25. Fluxus paulo imminutus, quotidie licet recrudeſcens. In potus communis locum ſuffecta eſt ſequens Emulſio.

℞ Amygdal. Dulc. excortic. ʒj. Sem. 4 Frig. Maj. ā ā ʒij. quibus in mortario contuſis affund. Aq. Hord. lib. 2. Colaturæ add. Sal. Prunell. ʒ ij. Syr. Althæ. q. ſ. M.

Maij 30. Subſtitit fluxus; poſtero tamen veſpere, denuo erupit. Uſu vero præſcriptorum continuo ita temperatum eſt profluvium, ut a Jun. 3 ad 9 penitus ſiſteretur; deinde, poſt menſem exactum, ad ſolennes periodos rediret. Cohibito igitur fluxu, & canalibus ſatis obſirmatis, alterius Indicationis ad hunc modum habita eſt ratio.

℞ Cortic. Peruv. ℥j. Ra. Zedoar. ℥ſs. Cochinell. ʒij. Digerantur cum Vin. Alb. lib. 2 tepide per triduum. Liquoris filtrati cap. ter in die ℥ij. In quolibet hauſtu inſtillentur Tinct. Serpentar. Virgin. gt. 20.

Noctu, quia frequenter inſomnis fuerit, nonnunquam etiam & Hyſterica, uſa eſt Pilulis Paregoricis.

℞ Galban. col. ʒj. Spec. Diambr. Caſtor. Camphor. ää ℈ſs. Laud. Londin. ℈j. M. F. Pil. 20. Cap. 2 ante decubitum, ſuperb. Tinct. præſcript. Coch. 4.

Diæta ſit ex cibis ad nutriendum maxime idoneis.

Julij 19. Ventriculus, qui hactenus male ſe habuit, multum refectus eſt. Vires etiam aliquatenus roboratæ. Ineunte Auguſto, mulier, methodi præſcriptæ uſu, integre convaluit.

CAP. XIV.

De remediorum viribus, & Operatione.

ILluſtrata jam variis ratiociniis Plethora, & per omnem Phænomenorum ſeriem deducta, Remediorum, quæ interne adhibita Menſibus vitiatis mederi ſolent, Vires, tanquam ultimum Theoriæ noſtræ argumentum, expendamus: his quippe rite inveſtigatis, facile patebit, Emmenagoga, ſive ea quæ Menſes ſuppreſſos cient, Plethoram ad Vaſa intendere; eandem vero ab Aſtringentibus, ſive ab iis quæ fluentes ſiſtunt, imminui.

Hæc quidem Remedia, tanquam Utero Specifica, a pleriſque prædicantur; cum ſolummodo humorum Craſin ita immutant, ut pro varia ſanguinis textura aut provocetur, aut ſiſtatur per Uterinas vias profluvium: ita ut hæc ſenſibilis operatio nihil aliud ſit, niſi alterius cujuſdam, quæ in ſanguine peragitur, operationis effectus neceſſarius: qui quidem non tam peculiari alicui Remediorum efficaciæ, quam ipſius Uteri fabricæ debetur. Hoc ſane a ſcriptoribus parum animadverſum eſt, qui, cum de remediorum viribus differant, pro actione interna operationem ſenſibilem ſubſtituunt; ita apud eos alia Diuretica, alia Diaphoretica, alia Emmenagoga appellantur, cum tamen de agendi modo nihil inde innoteſcat: quæ quidem medicamentorum operatio non modo non eſt primaria, ſed fallax etiam, & incerta. Exempli gratia, ſi exhibeatur Diaphoreticum, nemo ignorat

norat id pro voto minime ceſſurum, niſi aperiantur Pori: iis enim occluſis, quamcunque in ſanguine virtutem exerat remedium, ad ſudorem provocandum eſt prorſus inefficax. Sive tamen ſudor ſuccedat, necne, eodem modo in ſanguinem agit Diaphoreticum; ſanguinem enim ad certos quoſdam gradus attenuat & reſolvit, ut ejus tenuior pars per Poros cutaneos, niſi præcludatur via, elabi poſſit: ipſa tamen Diaphoreſis non eſt actio medicamenti primaria, ſed ab humoribus ita attenuatis, niſi pori prohibeant, neceſſario fluit; ſi enim pori occluſi fuerint, ita ſanguinem rarefacit Diaphoreticum, ut ardorem, nonnunquam & febrem inducat. Ita ut propria medicamenti virtus non in humorum Diaphoreſi, ſed Reſolutione conſiſtat. Par eſt in Emmenagogis ratio; ea quippe perpetua & immutabili quadam agendi norma Plethoram exſuſcitant, ut per Uterina vaſa erumpat ſanguis. Poteſt vero talis eſſe ad Uterum obſtructio, ſive canalium, ſive ſanguinis vitio, quæ a nullis Emmenagogis pervinci queat; cum tamen Emmenagogi eadem ſit, ac ſi Menſes cieret, in molem ſanguineam operatio. Ita ejuſdem remedii varia eſſe poteſt ſenſibilis operatio, uti recte argumentatur Cl. Cockburnus; vis vero, quam in humores exercet, unica ſibique perpetuo conſtans.

Hinc eſt, quod illa de Remediorum viribus diſquiſitio inter Medicinæ deſiderata poni ſoleat; cum ſi ſimplex & primaria accurate obſervetur operatio, explicationem non ita difficilem exigant Remediorum virtutes. Quippe adhibita hac ratiocinandi methodo, concideret omnis illa, quæ pharmacorum viribus immerito objicitur, ancipitis efficaciæ querela. Queruntur enim Medici nullum dari remedium, quod certam aliquam agendi normam perſequitur, imo quod non potius ita incertum & fallax eſt, ut ſæpe variam, nonnunquam etiam contrariam, nec in diverſis modo, ſed & in eodem corpore, vim exerceat. Ita delirantibus Medicis, innocua plectuntur Pharmaca. Hæc enim, quam Medicinæ exprobrant, operationis varietas, non ex mutabili Remediorum virtute, ſed ex multiplici Corporis ſtatu deduci debet. Eorum quippe actio eadem ſemper eſt ſibique conſentiens; cum vero corporis, in quod agunt, diſſimillima ſit indoles, adhibitis remediis, ratio poſtulat, ut non diverſus modo, ſed & contrarius aliquando oriatur effectus. Ita, verbi gratia, detur medicamentum, quod humores viſcidos reſolvat: id quidem ſua attenuandi vi operatur, licet pro vario lentoris genio diverſe; ita ut in alio, qui minoris eſt cohærentiæ, reſolutio ſit major; in alio, qui majoris eſt, minor; in alio denique, qui firmius compingitur, nulla: ita varia quidem medicamenti ad medendum vis, non varia tamen in agendo norma. Quomodo enim eadem vis diverſa longe momenta queat pervincere? quomodo ſimilis ſemper eſſe poſſet agentis energia, cum ita diſſimilis prorſus ſit corporis, in quod agitur, natura? Conſtantem hanc a medicamentis ſperare efficaciam ita ridiculum eſt, ut nihil mirum ſit, ſi etiam ab eodem medicamento educi poſſit effectus contrarius. Concipiamus enim eam eſſe ſanguinis craſin, ut pars ejus longe maxima inſigniter lenteſcat, cohærentiæque in ea mo-

mentum validius ſit, quam quæ ab attenuantium viribus reſolvi queat: in hoc caſu ſi adhibeatur medicamentum reſolvens, eam quidem ſanguinis partem, quæ minus lenteſcit, ita fundit & attenuat, ut per Glandulas ſecretorias uberius extrudatur; ita, medicamenti vi eliminatis particulis tenuioribus, craſſior erit reliqui ſanguinis compages. Ad hunc modum, uti & docet experientia, Lentorem aliquando augent Diaphoretica. Igitur Opium, quod ad reſerandam ſanguinis compagem, & ſudores movendos maxime efficax agnoſcit Williſius, nullo alio modo ſanguinem incraſſare poſſe arbitratur, niſi quatenus ſeroſitates copioſe ſecerni & amandari faciat; proinde ut liquor reſiduus ſpiſſior, & compactior evadat[a]. Neque id ſane medicamento imputandum; (hoc enim eam agendi normam, quam ipſi præſcripſerit natura, conſtanter fideliterque obſervat) ſed humoribus potius, qui variæ hujuſce efficaciæ neceſſitatem inducunt. Ita corpora quædam emollit, quædam rurſus indurat ignis; cum tamen in ipſo igne nulla ſit agendi varietas. Ita Febris, ſi tenuior ſit ſanguis, pulſum excitat; ſi craſſior, deprimit. Etiam Chalybs, qui, ſi vaſa lenteſcente ſanguine oppleta ulterius ſe diſtendi ſinant, vi ſua obſtructionem tollit, eandem iis renitentibus auget. Quod in Hyſtericis affectibus ſæpius compertum habui. Pari modo Emetica, ſi ventriculus robuſtior ſit, alvum movent: contra, ſi tenerior fuerit, Vomitum cient Cathartica. Ita denique Syrupus Violarum, cum Acidis admixtus, colorem rubrum: cum Alcalicis, viridem exhibet: quæ tamen coloris diverſitas non variæ Violarum virtuti, ſed corporum, quibus commiſcentur, diſſimili ingenio aſcribenda eſt. Etenim unica eaque leviſſima nonnunquam circumſtantia, ſi immutata ſit, id efficere poteſt, ut medicamenta non variis modo, ſed & contrariis etiam viribus pollere videantur: uti in Speculis concavis, multiformem objecti imaginem exhibet ſola diſtantiæ mutatio.

Ut vero res omnis exemplo clarius pateſcat, ſub examen revocetur Opii in ſanguinem operatio: a quo certe, ſi ab alio quopiam remedio, excitantur Phænomena, non modo inter ſe disjuncta maxime, ſed & repugnantia. Supponatur igitur, id quod mox oſtenſuri ſumus, actionem Opii primariam in ſanguine attenuando conſiſtere. Attenuato ſanguine, neceſſario ſequitur, ut uberior ſpirituum copia ſecerni debeat; hinc animus alacer, vegetus, pacatus, vigil, vires corporis inſtauratæ; quod præcipue experiuntur ii, qui Opium interdiu parciore doſi aſſumunt: animo ita refecto, obrepit ſenſim doloris oblivio; viribus vero roboratis nonnumquam fit, ut fœtum, & calculum expellant opiata. Cum vero ſanguinis particulas ita attenuat Opium, facit, ut ſiquid in arteriolis hæſerit, jam in venas trajici queat: unde remota omni obſtructione, ceſſat ille, qui ab humoribus ſtagnantibus frequenter oritur, dolor. Eodem modo ſolvitur Febris Intermittens; quam a Lentore ſupra deduximus. Viis igitur recluſis, ita ut conſueti ſpiritibus ſanguiniq; pateant aditus, ſopitur, quæ a nervis obſtructis provenit, Convulſio. Ita Opio frequenter cedit Co-

[a] Pharm. Rat. p. 1. 301.

lica

lica Convulſiva, & Singultus; quibus etiam annumerari poteſt Vomitus, & Purgatio enormis. Spiritibus Opio refectis, validius ſe contrahit cor, unde vividior ſanguinis circuitus: ſanguine autem attenuato, & velocius quam conſuevit ad cutaneas Glandulas delato, ſuccedit libera perſpiratio, & ſudor; quia tum ob rariorem ſanguinis texturam facilior ſit per poros ſecretio, tum ob velocitatem auctam etiam uberior. Hujuſmodi perſpiratio largius provocata, ſanguinis, & ventris profluvia ſedat; quia humoribus per poros evacuatis, fit a parte affecta Revulſio: eadem quoque Tuſſim, & Catarrhos ſolvit. Humoribus vero ad hunc modum reſolutis, & in exteriora protruſis, efflorescit cutis, nonnunquam & prurit. Cum vero, ſanguine attenuato, non modo ſit uberior ſpirituum copia, & proinde impetus cordis fortior, ſed augeatur etiam ad vaſa humorum plenitudo, utraque de cauſa pulſum excitabit, Menſes etiam, & Lochia provocabit Opium.

Ita fere corpus afficiunt modica doſi aſſumpta Opiata, cum adhuc intra debitos limites conſtiterit ea, quæ ad vaſa inducitur, plenitudo: quæ tamen ſi, Opio libere nimis adhibito, ulterius increſcat, alia prorſus, eaque multum diverſa, exhibet Phænomena. Sanguine enim ita attenuato, ut arteriæ cerebri latius quam par eſt diſtendantur, nervorum, qui iis ubiq; interſeruntur, non poteſt non valida eſſe compreſſio: compreſſione vero neceſſe eſt aut intercipi penitus, aut ſaltem copia minore ſecerni ſpiritus: ita ut ingruat dyſpnœa, obruatur animi vigor, & pro ratione momenti illius, quo nervos premunt arteriæ, ſuccedat aut ſtupor, aut ſomnolentia, aut ipſe ſomnus; eodem modo ac a vino liberius epoto ſequi ſolet. Interceptis adeo ſpiritibus, imminuuntur vires; quibus deficientibus, langueſcit pulſus, nonnunquam & concidit inferior maxilla: tonuſq; partium ita vacillat, ut relaxentur admodum fibræ; inde pupillæ dilatatio, iſchuria, & membrorum quædam quaſi paralyſis. Ad eandem normam facile illuſtrari poſſunt reliqui Opiatorum effectus, qui utcunq; inter ſe diſſimiles ſint, unicam tamen agnoſcunt cauſam, ſanguinis ſcilicet, quæ ab Opio inducitur, attenuationem: quæ cum arteriarum carotidum capacitatem ampliet, a ſola diametri mutatione pendet omnis illa operationis diſcrepantia. Et hæc quidem inſequuntur mala, non modo cum manu nimis libera, ſed cum alieno tempore, & corporis cui adhibetur parum ſpectata conditione, detur Opium: nimia enim doſis non tam officinali menſura, quam corporis ratione dijudicanda eſt. In alio quippe humorum ſtatu deſideratur larga doſis, in alio ſufficiet mediocris, in alio etiam nocebit minima. Siquid vero hujuſmodi acciderit, id medenti potius, quam remedio imputandum eſt.

Hæc paulo fuſius explicata ſunt, ut manifeſtum fiat, quam iniqua ſit medicamentorum accuſatio, quaſi in iis fuerit agendi modus multiformis & tanquam deſultorius. Ita ut quicquid incerti fuerit, id non tam inſtrumentis medicinæ, quam ſubjecto aſcribi; non tam ad vires pharmacorum inconſtantes, quam ad humorum craſin ignotam

referri

referri debeat. Itaque cum Medicina nihil aliud ſit, quam morbi & medicamenti comparatio, niſi illius indoles probe intellecta ſit, hujus vires fruſtra explorantur. In eo quippe præcipuus eſſe debet Medici labor, ut humorum variam temperiem inclinationeſque omnes perſpiciat; ſic enim, quid eos excitet, quid compeſcat, felicius dignoſcet: quorum momenta cum ita varia ſint, ut non tantum ob numerum minus accurate animadverti, ſed ob ſimilitudinem etiam minus diſtingui ſoleant, is certe, qui illorum morem acutius inſpexerit, aptiſſima utetur medicina. Qua quidem in re ab Empirico maxime diſcernitur Rationalis Medicus; qui non tantum remedii, quod adhibet, ſed mali etiam, cui id adhibetur, vires explorat.

Sed ut eo unde digreſſi ſumus redeamus, inquirendum reſtat, quænam ſit Medicamentorum, quæ Menſibus vitiatis proſunt, operatio primaria. Ordiamur itaque ab Emmenagogis, mox ad Aſtringentia perventuri. Emmenagoga fere omnia ſunt etiam Alterantia, aliter ac cenſet Etmullerus[a]; craſin enim ſanguinis immutant. Eorum vero operatio a vi quadam Attenuatrice potiſſimum deducitur. Quippe, cum partium tenuium ſint & maxime penetrantium Emmenagoga, molem ſanguineam ita incidunt & comminuunt, ut minor ſit globulorum inter ſe contactus, & proinde compages rarior: ſanguis vero ad hunc modum attenuatus, non modo ſpatium amplius intra canales occupat, ſed ſpiritus nervis uberiores ſufficit; unde iterum corde vehementius contracto, fortiore impetu per arterias circulatur. Ita cum adhibitis Emmenagogis non modo ad Vaſa increſcat plenitudo, ſed & cordis augeatur vis, ſanguis canales uterinos præ cæteris validius feriens & diſtendens, quemadmodum ſupra ſatis oſtenſum eſt, per eos viam ſibi patefacit. Cum vero frequentior Menſium ſuppreſſorum cauſa a Lentore, qui Capillaria obſtruit, oriatur, ab Emmenagogis ita attenuantur humores, ut illa ipſa ſanguinis portio, quæ vaſorum lateribus adhæſit, jam per minima orificia ſatis prompte traduci queat; ita aditu patefacto, ſanguis ſolenni more vim ſuam in canalium latera exercet, quæ ad Capillaria, dum obſtructa eſſent, minus potuit pertingere. Ita Emmenagogis inſtaurantur ſpiritus, & vis cordis augeſcit; quia iis adhibitis attenuatur ſanguis. Id vero notandum volo, non ſolum ab hac attenuatrice virtute deduci ſpirituum incrementum. Hoc enim conceſſo ſequitur, ut quicquid potentius attenuat, id etiam maxime eſſet Cardiacum; ſecus ac teſtatur experientia. Exempli gratia, Cortex Peruvianus multo magis attenuat, quam Chalybs; ad Pulſum tamen excitandum longe ineptior. Igitur in Remediis Cardiacis, & proinde Menſes moventibus, duplex eſt operandi ratio: alia enim attenuando ſanguinem ſpiritus reficiunt, alia rurſus, etiamſi humores non attenuent, ſpirituum ſecretionem promovent. De illis ſupra dictum eſt. Ad hæc quantum attinet dicendum eſt, nonnullis remediis ineſſe particulas in ſpiritus facilius mutabiles, iiſque quaſi cognatas & congeneres, uti & quibuſdam alimentis inſunt ſucci ad nutriendum magis idonei: ita ut, imminuta

[a] Tom. 1. 547.

ſangui-

ſanguinis cohærentia, ex ipſo medicamento hauriri queant Spiritus. Spiritibus ad hunc modum refectis, vehementius contrahitur cor, & ſanguis velocius circumagitur; increbreſcente adeo ſanguinis motu, cum calor etiam increſcat, quod capite 8° ſatis probavimus, aeris particulæ, quæ globulis ſanguineis immixtæ ſunt, calore, uti in Thermometro fit, rarefactæ, ſeſe undique expandunt, canaliumque tunicas diſtendunt: ita poteſt eſſe ſanguinis rareſcentia, cum minime interim attenuetur compages. Quod in Febribus ſæpe fit, licet parum obſervetur. Hæc tamen rareſcentia, cum ad Vaſa Plethoram augeat, Menſes æque potenter provocat, ac ſi attenuaretur ſanguis. Cum itaque a Vaſorum duritie oriatur ſuppreſſio, cum fructu adhiberi poſſunt ea, quæ humores rarefaciunt; cum vero ſanguis in vitio ſit, ea etiam quæ attenuant in uſum ſunt vocanda. Emmenagoga vero his attenuandi viribus præcipue inſtructa eſſe, tum ratio ſuadet, tum experimenta confirmant. Argumentorum igitur capita erunt quatuor: Remediorum ſcilicet, 1. Effectus ſenſibiles. 2. Cum ſanguine adhuc tepente, & 3. etiam cum ſyrupo Violarum commixtio: 4. denique, Injectiones in vivo Animali per ſyringa inſtitutæ.

I. Itaque Emmenagogis hanc attenuandi virtutem ineſſe probant eorundem Effectus ſenſibiles; ex quibus ſatis erit ſequentes tantum expandere.

1. Saporem; qui, cum in Emmenagogis plerumq; acris & amarus ſit, indicat partes eſſe tenues, & ad motum excitandum idoneas: igitur hujuſmodi ſapor in iis præcipue obſervatur, quæ Sale Volatili abundant; Salis vero Volatilis ea eſt efficacia, ut ſanguinem plurimum attenuet, ſpirituſq; inſtauret. Ita ſapore vires ſuas produnt, Opium, Gentiana, Myrrha, Arum, Abſinthium, Sabina, Ruta, Pulegium, Centaureum &c. calida omnia, & odorata: quibus adjici poteſt Cortex Peruvianus, qui licet nondum inter Emmenagoga locum obtineat, iis tamen, propter egregiam illam, quam in attenuando ſanguine exercet vim, annumerari debet.

2. Odorem; qui, ſi vividior ſit, Salis Volatilis æque ingenuus eſt index, ac ſapor. Tali odore pollent ex Amaris pleraque, item Aromatica omnia, quæ itaq; univerſa Emmenagogis aſcribi ſolent, & apud Heurnium[a] Utero ſtudere perhibentur. Ex quibus tamen primas merito obtinet Crocus, & Cinnamomum. Inter ea quæ odorem acrem præ ſe ferunt, reponenda ſunt Urinoſa, verbi gratia, Sal Armoniacus, Sal Corn. Cerv. &c. quæ ideo Menſes potenter cient.

3. Pulſus incitationem: qui, cum fortius increbreſcat, ſatis oſtendit ſanguinem ita attenuari & rareſcere, ut copioſior fiat ſpirituum ſecretio; unde cordis impetus, qui pulſum regit, validior. Hoc præ cæteris Emmenagogis efficiunt Chalybs, & Hydrargyrum, calida, & cardiaca omnia; quorum uſus ad movendos Menſes plurimum ſemper valuit.

4. Calorem. Cum enim calor nihil aliud ſit, niſi partium motus vividior, hoc inter ſe invicem attritu ſit, ut ſanguinis globuli divel-

[a] Meth. ad. Prax. 306.

lantur plurimum, & rareſcant. Ita uti nullum fere eſt Emmenagogum, quod calorem non excitet, ſic etiam quicquid calorem inducit, Menſibus etiam ciendis prodeſt: quemadmodum ſatis oſtendunt Cardiaca, & Stomachica.

5. Diaphoreſin; quam quæ provocare poſſunt pharmaca, ea certe ſanguinis cohærentiam ita reſolvunt, ut facilius per poros ſecerni queat. Igitur inter Emmenagoga utramque paginam faciunt Diaphoretica; ex quibus fere cum nullum ſit Opio potentius, ſatis conſtat id etiam Menſibus movendis haud inepte adhiberi.

II. Attenuatricem hanc, quam Emmenagogis aſcripſimus, virtutem probat ipſorum cum ſanguine adhuc tepente commixtio. Neque hoc, quod ab hujuſmodi Experimentis deducitur, futile videtur argumentum. Quippe ſi ſanguini ſtagnanti, & jam ſponte in Lentorem abeunti, admiſta Emmenagoga prohibeant, quo minus coaguletur, & concreſcat; certe ſi motus acceſſerit & valida ſatis partium inter ſe agitatio, quemadmodum in corpore fit, Emmenagogis adhibitis facilius rareſcet ſanguinis cohærentia; uti ratio non Analogica modo, ſed & Mathematica poſtulat. Idem enim utrobique agendi modus, licet vis gradu multum diverſa; quod qui negant, iidem etiam ſenſuum teſtimonia redarguent.

Sanguinis igitur ex arteria Canis recenter extracti ſequentibuſque admixti, ita ſe habuerunt Phænomena, Feb. 12, 1702.

1. Cum Spir. Salis Armoniaci. Floridus admodum color, & compages fluida: quod etiam fit, ſi in ſubſtantia adhibeatur ipſe Sal. Feb. 18. fluorem retinuit ſanguis, quoad colorem tamen paululem nigreſcens. Cum Spiritu Salis Armon. Succinati eadem exhibuit, niſi quod citius nigreſceret.

2. Cum Decocto Sabinæ. Rubedo intenſior, & major tenuitas, quam cum Spir. Sal. Armon. Feb. 13. eadem phænomena. Pari modo ſe habuit Decoctum Marrhubii.

3. Cum Laudano liq. Sydenham. Sanguis rutilantior, quamvis non multo tenuior, quam cum Decocto Sabinæ. Feb. 13. Color paulo ſubfuſcior. Idem quoque admiſto Spir. Corn. Cerv. apparuit, uti etiam & ſucco Salviæ, Lavendulæ, Imperatoriæ, Pulegii, Abſinthii.

4. Cum Panacea Opii liq. D. Jones. Eadem præbuit ac Laudanum liq. Syd. niſi quod Feb. 13. color nihil de nitore amiſerit.

5. Cum Aqua Rutæ ſtill. Fluiditas ſumma, nec Feb. 13, quicquam immutata. Idem præbuit Aqua Abſinthii.

6. Cum Spiritu Vini Rectif. ſanguis coagulatus admodum, & inſtar viſci lenteſcens. Feb. 13, Conſervam Cynosbati tam colore, quam craſſitie referebat. Idem exhibuit Spiritus Vini Camphoratus, niſi quod imbecillius eſſet coagulum. Idem quoque effecit & Tinctura Opii cum Spir. Vini Camphorato extracta.

7. Cum Tinctura Corticis Peruviani Spir. Vin. extract. ſanguis craſſus valde, & obſcurus. Feb. 13. paulo ſplendidior, tamen fortius adhuc concretus. Idem Cortex Vino ad ſaturitatem infuſus ſummam ſanguini fluiditatem, & colorem elegantiſſimum conciliabat.

8. Cum

8. Cum Tinctura Jalapii. Color vividus & rutilus, compages denſa. Feb. 13. Utrumque intenſius. Eadem præbuit Tinct. Scammonii, & Spir. Lavend. Comp.

9. Cum Tinct. Succini. Color ſubfuſcus. Maſſa in grumos abiit. Feb. 13. Satis forte coagulum. Pari modo ſanguinem immutavit Tartari Tinctura.

10. Cum Calomelan. Rubedo vivida. Fluor etiam factus intenſior. Supernatabat plurimum ſeri.

11. Cum Æthiop. Min. Ad fundum demiſſa eſt maſſa nigra: pars reliqua ſatis attenuata.

12. Cum Sal. Geniſt. Color vividus: fluiditas, quam in ipſo ſanguine, major.

13. Cum Sal. Abſinth. Rubedo & fluiditas ſumma.

14. Cum Sal. Tartar. Color idem, compages tamen paulo denſior, quam in Sal. Abſinth.

15. Cum Tinct. Chalyb. Lower. Sanguis tenuior multo factus, & rubicundior. Supernatabat ſpuma quaſi oleoſa.

Cum Sero Sanguinis humani admixta ſunt ſequentia.

1. Tinct. Aloes cum Aq. Menth. extract. Decoctum Sabinæ. Aqua Sabinæ ſtill. Aq. Fontan. Decoctum Gentianæ. Ari. Sarzæ. Chinæ. Spir. Sal. Armon. cum Cin. Clavell. cum Calce viva. Succinatus. Spir. Tartari. Ol. Semin. Carui. Panacea Liq. D. Jones. Laudan. Liq. Sydenh. Spir. Croci. Spir. Terebinth. Tinctura martis tartari. Spir. Guaiaci. Spir. Corn. Cerv. Ol. Tereb. Guaiac. Lav. Caryophyl. Color pro liquoris ratione varius, ſeri tamen compages aliquanto tenuior facta; quæ, ad diem unum aut alterum, immutata perſtitit.

2. Decoctum Corticis Peruviani. Serum multo magis, quam a prioribus, in fluorem redactum.

3. Spir. Vini Camphorat. Fortiter coagulabatur. Phialæ inditum cum aliquamdiu remanſerit, in fundo apparuit hypoſtaſis ſatis copioſa: liquoris pars ſuperior clara, & pellucens.

4. Spir. Vin. rectif. Phiala pariter incluſum, ſine ulla præcipitatione turbidum permanſit.

5. Tinctura Scammonii.
Caſtorei.
Succini ſimpl.
Sulphuris.
Corticis Peruv.
} Serum mediocriter coagulabatur. Eadem exhibuit. Spir. Vini tartaris. & Ratafia.

6. Tinctura Croci.
Metallorum.
Poteſtates Succini.
Sal Volatilis Oleoſus.
} Leve aliquod coagulum.

7. Tinctura Martis Mynſichti. Coagulum forte. Ad fundum demiſſa eſt maſſa, inſtar gummi, concreta.

8. Tinctura Antimonii Diaphor. Turbatum & aliquatenus concretum.

9. Tinctura Jalapii.
Succini cum Sal. Armon. pp.
} tantum turbidius.

10. Tinctura

10. Tinctura coccinea, ex Spec. Diambræ & Cochinella cum Spir. Vini extracta. Nullum fere coagulu.

Annotabit Lector, omnia hæc, quæ Sanguini & Sero admixta sunt, eorum compagem attenuare & dissolvere, præter Tincturas eas, quæ Spiritu Vini extrahuntur. Sed hæc quæ ab hujusmodi Tincturis oritur concretio, non rei solutæ, sed Menstruo ascribenda est. Spiritus enim ardentes, quodcunque fere in iis medicamentum dissolveris, sanguini coagulum inducunt. Quod tum alias, tum re ipsa probari potest. Spiritus quippe Vini simplex coagulum multo fortius intulit, quam Tinctura quævis eodem Spiritu extracta; ideo etiam pro varia rerum in eo solutarum indole diversa est concretio; levior scilicet, si adjiciatur medicamentum attenuans, quale est Sal Armoniacus, Opium, Crocus, & Aroma quodvis. Ita ex experimentis constat, a Potestat. Succini, Sale Volatili Oleoso, Spir. Vin. Camphorato, Tinctur. Opii cum Sp. Vin. Camphorato, Tinctur. Croci admixtis, sanguinem imbecillius concrescere; a Tinctura coccinea, propter aromatum virtutem, vix quicquam coaguli suscipere. Pari modo Serum a Tinctura Succini simpl. fortiter concretum est; ab eadem Tinctura, cui Sal Armoniacus adjectus est, solummodo turbidius evasit. Cujus quidem varietatis hæc est ratio, quod attenuantibus infusis impeditur, aut saltem imminuitur ea, quæ a Spiritu Vini semper inducitur, concretio. Hæc quippe remedia, quorum Tincturas cum Spiritu Vini extractas recensuimus, vi attenuatrice instructa esse facile sentiet, qui ea aliis Menstruis accommodarit. Ita Opium, sive aqua sive vino dissolutum, sanguinem potenter attenuat, uti satis probat Laudanum liq. Syd. & Panacea D. Jones; cum tamen Spir. Vin. extractum, cohærentiam minus prohibeat. Pariter Cortex Peruvianus, Spiritu Vini in Tincturam redactus, sanguinem satis fortiter coagulat; idem interim aquæ incoctus, præ cæteris attenuantibus sanguinis raritatem promovet. Quanquam vero Tincturis hisce cum Spir. Vini extractis minime attenuetur sanguis, eæ tamen jure optimo inter Emmenagoga recensentur; nam ut nihil dicam de rebus iis, unde educitur Tinctura, ipse Spir. Vini eas in se continet particulas, quæ in Spiritus Animales facile migrare possunt; quemadmodum satis ostendit repentina illa, assumptis hujusmodi spiritibus, virium refectio. Spiritibus vero in cor uberius profluentibus, inducitur illa sanguini rarescentia, quam ad ciendos Menses satis instructam esse jam paulo ante monstravimus. Ita ut hujusmodi Tincturæ, Spiritu Vini elicitæ, Mensibus ciendis prosint, cum a Vasis præduris nimiumque renitentibus ortum duxerit suppressio. Sin a sanguinis vitio inhibeantur Menses, ita ut in attenuandis humoribus unice consistat curatio, Tincturis hisce Emmenagogis alia longe aptiora videntur esse Menstrua, puta Aqua aut Vinum, quam spiritus ardentes.

III. Emmenagogis sanguinis cohærentiam dimoveri & attenuari, indicat ipsorum cum Syr. Violarum commixtio. Cujus argumenti ratio inde deducitur, quod in confesso sit, quicquid fere Syrupo Violarum colorem viridem aut viridi affinem conciliat, id inter Alkalica

referri

referri debere[a]. Alkalicorum vero eas esse vires fatentur omnes, quæ coagulum sanguinis resolvant. Igitur utrum Emmenagoga sint Alkalica, seu quod idem est attenuantia, experimentis innotescet.

Syrup. Violarum commixt.

1. Cum Ol. Succini Color subviridis.

2. Cum Chalybe in Aceto solut. Viridis, sed obscurus admodum color. Eadem præbuit Chalybis cum Sulph. pp. tum in Aceto, tum in Spiritu Nitri solutio; eadem etiam, Tinctura Martis cum Sale Armoniaco præparata.

3. Cum Chalybe in Spir. Salis solut. Coloris nulla mutatio, nisi quæ a sola commixtione provenerit.

4. Cum Chalybe in Sp. Salis Armon. solut. Viriditas nitidissima. Eadem exhibuit Tinctura Tartari, Metallorum, & Potestat. Succini.

5. Cum Chalybe in Aq. Fontan. solut. Color aliquantum viresens.

6. Cum Spir. Sal. Armon. Succinat. Color inter viridem & subfuscum medius.

7. Cum Spir. Sal. Armon. cum Calce viva pp. Viriditas, qualis in stagno, aut palude observatur.

8. Cum Spir. Sal. Armon. cum Sale Tartari pp. Color ad saturitatem viridis, & pellucens. Idem præbuit Sp. C. C. & Tinct. Lower.

9. Cum Cupro in Spir. Sal. Armon. solut. Viriditas, qualem exhibet ampulla vitrea.

10. Cum Tinctura Succini cum Sal. Armon. pp. Viriditas paulo imbecillior. Eadem exhibuit Sp. Lavend. comp.

11. Cum Panacea Opii liq. Color ad viridem accedens.

12. Cum Tinctur. Antimonii. Color Tincturæ in aqueum conversus. Idem etiam cum Tinctura Corticis Peruviani, Castorei, Jalapii apparuit.

13. Cum Elix. pp. cum Sale Volatili pp. Color viridi appropinquans, sed obscurus paululum.

14. Cum Spiritu Vini. Nulla fere coloris mutatio. Pariter etiam cum Spir. Succini, & Cochleariæ.

15. Cum Spir. Tartari. Color viridis quidem, sed omnium maxime imbecillis.

16. Cum Sale Volat. Oleoso. Viriditas herbacea. Idem præbuit Sal Tartari; huic cum affusus esset Sp. Vitrioli, orta est ebullitio, & color rubicundus.

17. Cum Testis Ostreorum in Aq. Forti solut. Color ex pallido & viridi compositus.

Ita colorem Syrupi cœruleum in viridem commutant Emmenagoga; ex quibus nonnulla ea virtute pollent, ut Acidorum vim omnem retundant, nonnunquam etiam & plane superent. Ita Chalybs in Spiritu Salis solutus rubrum colorem destruit, qui alias a Spiritu Salis Syrup. Viol. commixto induci solet: idem Chalybs in Spiritu Nitri dissolutus, non modo rubedinem, quam Syrupo Spiritus Nitri largi-

a Boyle de Color. p. 3. 98.

tur, extinguit, ſed & viriditatem evocat. Pari modo Teſtæ Oſtreorum Aquæ Fortis aculeos ita habetant, ut quemadmodum docet experimentum, non purpureus, ſed vireſcens oriatur color. Eodem modo dignoſci poſſunt Alkalica, ſi affundatur Sublimat. Corroſiv. ſolutio: ex hac enim cum Alkalicis commixta colorem oriri ſubflavum docent experimenta Tornefortii[a].

IV. Vim Emmenagogorum attenuatricem declarant Injectiones in vivo animali per ſyringa inſtitutæ: ita ut ſi qui ſint fidei nimis religioſæ, quibus priorum experimentorum ratio minus ſatisfecerit, eos hujuſce autopſia coarguat. Horum quidem experimentorum hiſtoriam non minute deſcriptam, ſed quantum ad hoc argumentum ſufficiat, perſtrictam damus.

1. Igitur in venam canis jugularem injectæ ſunt Panaceæ Opii liq. ʒ ij ſs. Intra quatuor horæ minuta animal mortuum eſt; artubus diu poſt mortem minime rigeſcentibus. Apertis Vena Cava & Aorta deſcendente effluxit ſanguis tenuis admodum & rutilus; pulmones ſanguine turgido rubeſcebant. In corde ſummus ſanguinis fluor; cujus quidem ventriculi coagulo omni ita immunes erant, quaſi aqua calida eſſent eluti.

2. Alteri itidem cani propinatæ ſunt Laudan. Lond. in Aq. Cinn. ſolut. ʒ vj. Brevi tempore ingruebat tremor & ſpaſmus, deinde immanis oborta eſt ſalivatio. Poſt horæ quadrantem canis obiit. Aperto cadavere, in ventriculo & inteſtinis reperta eſt chyloſa materia, Laudano intime miſta & intincta. Arteriæ, uti & venæ omnes, inſigniter diſtentæ ſunt; ſanguis in univerſo corpore, ſupra quam credibile eſt, tenuis & rarus.

3. In venam canis jugularem per ſyringa immiſi Sp. Vin. ʒ ij. Cadavere poſt horæ ſemiquadrantem aperto, ſanguis in venis & arteriis omnibus in grumos fortiter concretus eſt; quæ tamen ſanguinis concretio in cordis ventriculis erat compactior. Hanc a Spiritu Vini coagulandi vim obſervat Bohnius; cujus ideo uſum externum ad hæmorrhagiam ſiſtendam haud infeliciter tentavit[b].

Ad eundem modum injectæ ſunt Tincturæ Sp. Vin. extractæ, Croci nempe, Caſtorei, Spec. Diambræ, Myrrh. &c. a quibus quidem omnibus ſanguini inducta eſt concretio, pro Tincturæ genio diverſa. Eadem quippe a Tincturis hiſce infuſis exorta ſunt Phænomena, quæ ſupra, iiſdem ſanguine admixtis, recenſuimus.

4. Venæ canis jugulari leniter immiſſæ ſunt Spir. Sal. Armon. cum Calce viva pp. circiter ʒ vj. Poſt horæ quadrantem, tremoribus per univerſum corpus ſpaſmodicis, tendinumque ſubſultibus correptus eſt. Aperta primo vena crurali, deinde jugulari, effluxit ſanguis liquidiſſimus, odore ſpiritus urinoſi fœtus: bullis etiam aeris refertus. Durante injectione, cor frequenter admodum, & fortiter ſe contraxit. Injecta iterum Spir. Sal. Armon. ʒ ſs, intra minuta aliquot mortuus eſt canis. Aperto thorace, pulmones rubicundi admodum, & quaſi inflammati: in arteriis veniſque omnibus, uti & corde, ſan-

a Pref. Hiſtoire des Plantes aux environs de Paris. b Act. Lipſ. Ann. 1683. p. 154.

guis

guis admodum tenuis & rarefactus. In ſolo Venæ Cavæ deſcendentis trunco, ab hepate uſque ad cor, repertus eſt ſpiſſus & compactus; qualis, cum extra vaſa miſſus pauliſper refrixerit. Quæ quidem craſſitudo ſine dubio inde provenit, quod dum ſpiritus a jugulari in Auriculam Cordis dextram continuo protruſus ſit, ſanguis in Vena Cava deſcendente non potuerit in cor deduci; ibique adeo cohibitus & ſtagnans craſſitiem iſtam contraxerit. Atque hoc ſemper fere accidit, ſi inſtituatur per jugularem injectio.

5. In venam canis jugularem injecta eſt Corticis Peruviani decoctio fortis ad ʒj ſs. Poſt horæ quadrantem canis valida & crebra cordis pulſatione, deinde ſpaſmis frequentibus correptus eſt. Injecta ulterius ʒſs, obiit tetanodes. Secta poſt mortem vena crurali & axillari, exiit ſanguis rutilans & liqueſcens. Poſtero die, apertus eſt thorax; pulmones rubicundi admodum & turgentes; ſanguis in dextro cordis ventriculo plurimum accumulatus, & proinde compactus; in ſiniſtro tamen paucus, iſque ſatis fluidus. Pariter e Vena Porta, & jugulari, liquidus effluxit & ultra naturalem ſtatum rarus.

6. Cani propinatæ ſunt hor. 9. Mat. Tinctur. Chalybeat. Lower. ʒij. Nulla fere mutatio, niſi quod tanquam ebrius titubaret. Hor. 12, dati ſunt morſuli ex butyro & Chalyb. cum Sulph. pp. ʒj. qui etiam hor. 3. Pom. repetebantur. Hor. 6, Injecta eſt in jugularem Tinctura prædicta ad ʒij. Mox expiratio fortis, cordis labor & pulſatio vehementiſſima; quæ ad horam fere perſtitit. Aperto poſt mortem abdomine, diu duravit motus inteſtinorum periſtalticus. In ventriculo & inteſtinis omnibus reperta eſt maſſa Chalybeata; quorum interna tunica colore ferrugineo tincta. Vaſa omnia ſanguinea, uti & lactea, multum diſtenta. Secta vena iliaca, exiit qualis ex vivo animali, liquidus cruor: idem ex corde vulnerato cum impetu quodam proſiluit, intenſe rarus & rubicundus. Hor. 12, In corde & canalibus appenſis multum ſanguinis adhuc floridi innatabat, minus tamen, quam in priore experimento, liqueſcentis.

7. A cane devorata eſt Sublimat. Corroſiv. ʒj. Intra horæ quadrantem, vomitus invaſit & ſpaſmus enormis; deinde poſt horam elapſam, ſuperveniente catharſi, interiit canis. Aperto abdomine, viſcera omnia rubeſcentia admodum, multis etiam in locis inflammata: plurimum ſanguinis circa pancreas extra vaſa effuſi; ita ut glandulæ diſtinctæ & quaſi disjunctæ cernerentur. Canales ita diſtenti, ut oculis ſe exhiberent etiam ea, quæ per tunicas arteriarum & venarum reptant, vaſcula. Renes, uti & lien, ſanguine liquido repleti. Thorace inſpecto, pulmones turgidi & rubicundi; in corde plurimum ſanguinis fluidi, & coagulo prorſus immunis, diffluebat. Ita etiam ex arteriis & venis omnibus liquidiſſimus exiit ſanguis.

Hoc experimento facile innoteſcit egregia illa vis, quam in attenuando ſanguine exerit Mercurius. Reliqua quippe quæ Sublimat. Corroſiv. conſtituunt corpora, viz. Sal communis, Vitriolum, & Nitrum, ſanguinem fortiter coagulant: quod ſi iis admixtus Mercurius ſanguinis non modo coagulum omne tollat, ſed raritatem etiam intendat,

tendat, vehementius certe humores reſolvet, ſi ſine Salibus iſtis Acidis per ſe exhibeatur. Itaque Calomelas, quem major ingreditur Mercurii proportio, ſanguinem adhuc intenſius attenuat. Idem de Mercurio obſervat vir in experimentali Anatomia fidus & diligens Wepferus[a]; uti etiam de Helleboro Albo, Hyoſcyamo, Amygdalis Amaris, &c.

Ad hunc modum de Emmenagogis primariis inſtituta ſunt experimenta: plura adjicere tum argumento eſſet minus neceſſarium, tum lectori nimis moleſtum.

Ita compage ſanguinis ſive rarefacta ſive attenuata, momentum ipſius intendunt Emmenagoga. Dantur & nonnulla, quæ proprio etiam momento inſtructa, Menſes provocant. Ex quibus præcipua ſunt Hydrargyrus & Chalybs. Cum enim ea ſit Hydrargyri gravitas, ut globulis ſanguineis pondere pluſquam decies præpolleat, eadem ratione Hydrargyri momentum eo, quod ſanguis obtinet, erit validius: unde ſanguis aſſumpto Hydrargyro impetum fortiorem nactus, tum humores lentos per obſtructa Capillaria facilius protrudet, tum vehementius in Uterina vaſa impinget: in quibus quidem efficiendis verſatur omnis Emmenagogorum virtus. Neque hoc impetu ſolum pollet Hydrargyrus, ſed partium tum gravitate tum tenuitate cohærentiam ſanguinis ita diffringit & ſegregat, ut humoribus plurimum attenuatis major fiat ſpirituum ſecretio, & vis cordis fortior; unde & velocitatis ratione, adhibitis Mercurialibus, increſcit ſanguinis momentum. Hæc ſatis confirmat Salivatio; in qua pulſus ita frequens & validus obſervatur, ut ad febrilem pene accedat. Etiam peracta Salivatione, ſanguinem tenuem admodum & rarum relinqui teſtatur experientia. Itaque reſtrictis Menſibus nunquam felicius ſuccurritur, quam cum alterantibus per vices interpoſita ſint purgantia Mercurialia. Etiam continuum Æthiopis Mineralis uſum non modo tutum, ſed & efficacem ſemper comperi; qui cæteris exMercurio præparatis ideo ſolum poſtponi ſolet, quia ſit omnium facillime parabilis. Ita ſe perpetuo habet Hydrargyri operatio; quæ utcunque conſtans ſit, minime tamen vetat, quin & aliis etiam viribus inſtrui poſſit Hydrargyrus: quippe non modo obſtructa vaſa aperit, ſed & Acidorum aculeos æque conſtanter retundit.

Chalybs etiam vi momenti ſui vaſa potenter aperit; quippe qui corpus valde ponderoſum ſit, licet dimidiatam tantum Hydrargyri gravitatem ſortitus ſit. Humores etiam attenuat, uti ex experimentis & effectibus conſtat, unde & alio nomine Menſibus ciendis prodeſt. Ex iis præterea eſt Chalybs, quæ ſpiritibus quaſi cognata eſſe diximus, in eoſque mutari facilia; quod ſatis oſtendit pulſus, Chalybeatorum uſu vehementer increbreſcens. Ita triplici modo ad Menſes provocandos conducit Chalybs; ex quibus quidem operandi principiis deduci poſſunt omnia ea, quæ Chalybs excitare ſolet, phænomena. Exempli gratia, hinc facile innoteſcit quomodo, uti vulgo fertur, & vaſa obſtructa aperiat, & nimis laxa aſtringat: quæ quidem in agendo

[a] Cicut. Aquat.

vires

vires pleriſque non contrariæ modo, ſed & inexplicabiles videntur. Nemini quippe obſcurum eſſe arbitror Chalybem tum gravitatis ſuæ momento, tum attenuandi vi, obſtructa vaſa poſſe aperire; hinc enim ſanguinis lenteſcentis, unde oritur obſtructio, cohærentiam tollit; inde humores impetu quodam per Capillaria propellit. Vaſis igitur obſtructione liberatis, eorum latera aſtringi, ſive contrahi neceſſe eſt. Fibræ enim quæ dum ſanguis ſtagnaret relaxatæ ſunt, nunc remoto omni obſtaculo vim ſuam naturalem exercent, hoc eſt, Elaſticitate forti ſeſe tono ſuo reſtituunt, & ſtatum contractilem recuperant; unde & aſtringi perhibentur. Et tonum quidem roborat Chalybs, non modo quia vaſa obſtructione expediat, ſed quia ſpiritus etiam, uti dictum eſt, uberius ſufficiat; a quibus pendet omnis fibrarum contractio.

Perluſtratis Emmenagogis, ſub examen revocanda ſunt Aſtringentia. Quorum virtus, cum non modo in fibris vellicandis & contrahendis, ſed & in humoribus coagulandis incraſſandiſq; ſita ſit, ad hunc modum Menſes immodicos reſtringere poſſe concipitur. Sanguinis quippe particulis condenſatis & arctius inter ſe cohærentibus, imminuitur velocitas; non modo quia parcior fiat ſpirituum ſecretio, ſed quia ea ſit humorum reſiſtentia, ut difficilius a corde protrudi queant. Velocitate vero languente, ita deficit ſanguinis momentum, ut canales minus jam diſtrahat, eorumq; viribus contrariis impar evadat. Ita vi ſanguinis debilitata, tonum ſuum recolligunt, & coaleſcunt vaſa. Quem tamen ſi minus rite recuperent, paululumque adhuc dehiſcant, non ideo tamen perſiſtit fluxus. Globuli enim ſanguinei, cum compactiores ſint, & mole admodum excreſcant, vaſorum rimis ita tandem adhæreſcunt, ut hiatum omnem quaſi cuneo quodam infarciant, & occludant. Has Aſtringentium eſſe virtutes probabimus eodem ratiocinandi modo, quo in Emmenagogis explicandis uſi ſumus. Loci igitur argumentorum proferentur quatuor, Remediorum ſcilicet, 1. Effectus ſenſibiles. 2. Cum Sanguine adhuc tepente, & 3. Cum Syrupo Violarum commixtio. 4. Injectiones in vivo animali per ſyringa inſtitutæ.

I. Aſtringentium operationem indicat duplex potiſſimum Effectus ſenſibilis; quorum alter vellicandi, alter etiam coagulandi vim declarat.

1. Sapor ſubacidus, acerbus, auſterus, ſtypticus; quorum unus ſaltem in Aſtringentibus omnibus reperitur. Ita ſubacido ſapore pollent plantago, anagallis, ſal marinum, ſpiritus nitri, & ſalis dulcis; acerbo, herbæ acetoſæ, acetum, ſal tartari fixus, tartarus vitriolatus, ſpiritus ſulphuris, nitri, ſalis, & vitrioli: Auſtero & ſtyptico, alumen, vitriolum, cortex granatorum, tormentilla, biſtorta, balauſtia, bolus armena, &c. Quod ſi medicamenta hæc linguam pungant admodum & vellicent, quidni etiam & in canales delata fibras ſtimulent, & in ſtatum contractilem reducant? quam ſane contrahendi vim, cum externe adhibeantur Aſtringentia, facile agnoſcunt oculi.

2. Pulſus depreſſus; uti ſit, ſi invaluerit uſus Aſtringentium. Pulſus vero imminutio indicat ſanguinem, qui antea ſpatium ſatis amplum intra arterias occupabat, nunc in anguſtius cogi, ſeu concretione quadam inducta arctius multo cohæreſcere; unde non modo parcior ſpirituum ſecretio, & proinde impetus cordis imbecillior, ſed minor canalium diſtenſio. Ita ſæpe in Scorbuto calido, adhibitis Aſtringentibus, remiſſior obſervatur pulſus. Eodem modo ſanguinem, Salivatione peracta nimis rareſcentem, incraſſant & quaſi compingunt, adeoque & pulſum deprimunt Aſtringentia.

II. Humores Aſtringentibus coagulari & concreſcere, oſtendit ipſorum cum Sanguine & Sero commixtio. Feb. 12. Sanguini igitur canis arterioſo admixta ſunt ſequentia;

1. Spiritus Nitri Dulc. Sanguis illico nigredinem contraxit, & in maſſam admodum ſpiſſam abiit. Feb. 13. Nigredo & craſſities major.

2. Spir. Salis Dul. Color admodum fuſcus. Compages craſſa quidem, ſed non æque ac cum Spir. Nitr. Dulc. concreſcens.

3. Spir. Nitr. Bezoartic. Cito & fortiter coagulabatur ſanguis. Maſſa inſtar ſanguinis putridi concreta. Feb. 13. Perpuſilla pars tenuis adhuc, ſed ſubfuſca.

4. Oleum Vitrioli. Subiit ſtatim cum fermentatione concretio. Color ad nigredinem acceſſit. Feb. 13. Coagulum minus forte, quam in cæteris. Serum quippe ſeparatum eſt.

5. Spir. Nitri. Fermenteſcebat, & coagulatus eſt ſanguis. Colorem induit ſubfuſcum. Feb. 13. Supernatabat plurimum ſeri leviuſcule concreti.

6. Aqua Fortis. Fermentatio & coagulatio ſatis valida. Color ſubfuſco affinis. Feb. 13. Maſſa nigra, ſpiſſa, & in grumos concreta. Seroſa tamen pars minus, quam cum Spiritu Nitri, craſſeſcens. Eadem fere exhibuit Biſtortæ ſuccus.

7. Spir. Salis. Color multo magis, quam cum Spir. Salis dulcis, nigreſcens. Maſſa ad Syrupi craſſitiem acceſſit. Feb. 13. Eadem exhibuit.

8. Spir. Vitrioli Philoſoph. Orta eſt Fermentatio. Coagulum erat coloris cinerei.

9. Acetum diſtillatum. Coagulum leviſſimum. Color, quam in ſanguine puro, obſcurior. Feb. 13. Coagulum fortius, & ad nigredinem propius accedens.

10. Tinctura Antiphthiſica. Maſſa fere omnis in grumos concreta. Color ſatis obſcurus. Feb. 13. Eadem phænomena.

11. Spir. Vitriol. Maſſa ſpiſſa admodum, & quoad colorem quaſi limoſa.

12. Balſam. Gilead. Sanguis inſpiſſatus valde, & quaſi in putridum converſus.

13. Sal. Chalyb. Coagulabatur ſanguis, aliqua tamen ex parte adhuc fluidus. Eadem omnino præbuit Sal. Vitriol.

14. Sacchar.

14. Sacchar. Saturn. Concretio mediocris; color tamen ſatis vividus.

15. Sal Prunell. Maſſa aliquatenus grumeſcens.

16. Succus Alchimillæ. Præcipitata eſt maſſa nigra, & grumeſcens; reliqua pars ſatis fluida.

Cum Sero etiam ſanguinis humani inſtituta ſunt Experimenta ſequentia: cui admiſtum fuit,

1. Decoctum Corticis Granatorum. Serum aliquanto concretius. Eadem exhibuit Tormentillæ, & Biſtortæ Decoct.

2. Tinctura Corallii. Coagulabatur ſerum.

3. Spir. Salis. Seri portiuncula concreta; reliquum tenue, & liqueſcens.

4. Spir. Nitri. Coagulum forte. Seri tamen dimidia pars fluida permanſit. Idem præbuit Spir. Nitri Bezoartic.

5. Oleum Vitrioli. In fundo ſubſedit coagulum. Liquoris maxima pars haudquaquam concreta.

6. Spir. Nitri Dulc. Nulla mutatio, niſi quod ſerum albeſceret.

7. Spir. Salis Dulc. Coagulabatur ſerum; aliqua tamen ex parte adhuc liqueſcens.

8. Tinctura Antiphthiſica. Serum turbidius factum, aliquatenus etiam concretum.

9. Aqua Fortis. Coagulum albeſcens. Idem a Spir. Vitrioli Philoſoph. admixto.

10. Aqua Styptica. Fortiſſime concrevit ſerum.

11. Tinct. Terræ Japonicæ. Coagulum rubrum.

12. Solutio Salis in Aq. Com. Maſſa concreta coloris albi. Idem exhibuit Nitri in Aqua ſolutio.

Hiſce experimentis elucet ratio, quare Aſtringentia, qualia ſunt omnia ex Nitro præcipue & Sale elicita, Diureſin promoveant, cum enim ſanguinem ita coagulent, ut magnam interea Seri partem intactam relinquant, fit ut, coagulo hoc globulis ſanguineis inducto, facilius ab iis ſecedat, perque renes tranſeat latex ſeroſus. Pariter ac Lacti ſi ab Acidis inferatur coagulum, partes ſeroſæ, quæ prius cum oleoſis promiſcue temperatæ ſunt, facto divortio diſcedunt, & ſeparantur.

III. Aſtringentia ſi Syrupo Violarum admixta ſint, ulterius ſuas coagulandi vires indicabunt. Uti enim ea, quæ Syrupo Violarum colorem viridem inducunt, in Alkalicorum claſſem reponi debent; ita etiam quicquid rubrum communicat[a], Acidis annumerandum eſt. Idem affuſis Acidis emergit color, ſi loco Syr. Violarum adhibeatur Heliotropii ſolutio, ſeu charta tinctura Heliotropii cœrulea fucata, quemadmodum oſtendit D. Tournefort[b]. Acidis vero admixtis humores concreſcere ſatis oſtendunt ea, quæ jam inſtituimus, experimenta. Aſtringentibus igitur Syrupo Violarum commixtis, ad hunc modum exorti ſunt colores.

a Boyle de Color. p. 3. 95.

1. Ol. Vitrioli. Color ruber, & rutilus.

2. Spir. Nitri. Color adhuc ſplendidior.

3. Spir. Salis. Rubedo adhuc rutilantior, & veluti ignea. Idem exhibuit Sp. Salis Dulc.

4. Spir. Nitri Bezoart. Color ruber, ſed non æque ac in prioribus ſaturatus.

5. Spir. Nitri Dulc. Color purpureus. Idem præbuit Tartar. Vitriolat.

6. Spir. Vitrioli Philoſoph. Color, qualis in Caryophyllo ſylveſtri. Idem exhibuit Hydrargyri in Aqua Fort. ſolutio.

7. Aq. Fort. Color primo pallido-purpureus & pellucens, deinde ruberrimus. A Tartaro autem in Aqua Forti ſoluto, emerſit color elegans, qualis in ceraſis conſpicitur.

8. Tinctura Antiphthiſica. Color paulum a cœruleo abhorrentior.

9. Æris in Spiritu Salis ſolut. Color ruber, languidus tamen & obſcurus.

10. Æris in Aqua Fort. ſolut. Color flavus, ſed obſcurus.

11. Plumbi in Ol. Vitrioli ſolut. Rubedo languidior.

12. Plumbi in Aq. Forti ſolut. Rubedo ſatis rutila.

13. Spir. Vitriol. Color occineus. Eadem exhibuit Elix. Vitriol. Mynſicth.

Ita cæteris Aſtringentibus admixtis, ſi modo aliqua fuerit in Syrupo coloris mutatio, ea omnis ad rubedinem inclinavit. Rubris mixturis inſtillatæ guttulæ aliquot Olei Tartar. per deliquium Fermentationem excitabant; qua peracta, color in viridem mutatus eſt: qui quidem tanto erat viridior, quanto ante Oleum Tartari admiſtum intenſior fuerat rubedo. Ita Oleo Vitrioli cum Ol. Corn. Cervi, Lavendulæ, Carui, Caryophylli, Nucis Moſchatæ, Roris marini &c. admixto, color emicuit rubicundus, & ſanguineus: qui tamen affuſo Oleo Tartari aut Tartaro in acet. ſolut. rubeſcere omnino deſiit, licet interim ad viriditatem parum accedens.

IV. Aſtringentibus ſanguinem coagulari docent, quæ per Syringa fiunt, experimenta.

1. In venam canis jugularem immiſſa eſt Spirit. Vitriol. ℥j ſs. Brevi tempore ingruebat dyſpnœa; deinde pulmonibus admodum laborantibus, canis obiit ſpaſmodicus. In venis ſanguis ſpiſſatus admodum & concretus, ita tamen inæqualiter, ut multum ſeri coagulo immune videretur. Cordis ventriculos infarciebat maſſa grumeſcens, & quaſi polypoſa. In pulmonibus ſtagnavit ſanguis ater, qui etiam lobis nonnullis extra vaſa effuſus adhæſit. Idem Vitrioli Spiritus cani, qui paulo ante Laudani liq. ℥ij. aſſumpſerat, infuſus ita humorum craſin immutavit, ut, qui modo ex inciſa vena liquidiſſimus effluxerat, jam in grumos concretus eſſet ſanguis.

Eadem exhibuit Spir. Nitri & Salis, niſi quod grumi minus inter ſe cohæſerint.

b Pref. a l'Hiſtoire des Plantes aux environs de Paris.

2. In

2. In venam canis minuſculi jugularem injeci Sacchar. Saturni, in Decocto Cortic. Granat. ʒſs. ſoluti, ℈ij. Extemplo fere cor langueſcere cœpit, ita ut admota ad thoracem manu pulſatio illius vix percipi poſſet: reſpiratio gravis & anheloſa; deinde ſpaſmis ingruentibus, intra horæ minuta quinque ſucceſſit mors. Aperta vena jugulari & iliaca, exiit ſanguis partim fluidus, partim grumeſcens tenaciterque concretus: ſupernatabat quaſi oleum quoddam, quod & Saccharum Saturni ſapore referebat. In aorta ſanguis ita concrevit, ut pene fibroſus evaderet. Pulmones coagulato ſanguine repleti, nonnullis etiam in locis inflammati. In corde ſanguis univerſus ita concretus eſt, ut ventriculorum columnis quaſi adnaſci videretur.

3. In venam canis grandiuſculi jugularem injecta eſt, duplici vice, Sanguinis Dracon. in Aqua tepida ſoluti ʒſs. Cordis ſyſtole, & reſpiratio frequentior; deinde ſine ullo gravi ſymptomate, canis ſubito concidebat mortuus. Mox muſculi thoracis ita ſpaſmis correpti ſunt, ut tum ad viſum tum ad tactum ſe per vices conſtringere & remittere deprehenderentur. Aperta vena verſus caput jugulari, exiit ſanguis ſpumoſus, & dimidia fere parte in grumos ſeparatus. Secta iliaca, totus in maſſam ſolidam concrevit, & portiunculæ illius admodum compactæ ſunt, quaſi cera fuiſſet injecta, venæ cavitati accurate reſpondens; vaſcula tenuia, quæ renum tunicam externam perçurrunt, oculis valde conſpicua. Pulmones concreto ſanguine intumeſcebant. Cor ſanguine ſupra modum diſtentum eſt: qui quidem in dextro ventriculo Gelatinæ craſſitiem æquabat, in ſiniſtro firmius concrevit.

4. In jugularem canis injeci Aceti ʒij. Cordis contractio paulo frequentior; quoad cætera, nulla in cane mutatio. Deinde iterata injectione ad uncias itidem duas, reſpiratio difficilis, & laborioſa: quæ tamen, ſecta arteria iliaca (unde exiit plurimum ſanguinis nonnihil grumoſi) ad conſuetam normam redacta eſt. Injectis tandem ulterius ʒij, expiravit animal. Aperta vena iliaca, erupit ſanguis craſſiſſimus, & in maſſam denſatus: in venis cæteris, uti & arteriis, leviter concretus; in corde, præſertim in ſiniſtro ventriculo, aliqua ex parte fortiter coagulatus.

5. Venæ canis jugulari immiſſa eſt Spir. Salis Dulc. ʒſs. unde reſpiratio fortis & ſublimis, quæ tandem ita ſenſim defecit, ut nondum peracta injectione canis moreretur. Muſculis abdominis tranſverſim ſectis, ſubſilierunt fibræ. In arteriis veniſque omnibus, ſanguis admodum concretus. Pulmones inflammati. Cor ſanguine oppletum, & quaſi tenſum. Ex ventriculo dextro extractæ ſunt ſanguinis ʒiv inſtar Gelatinæ concreti. In ſiniſtro, ſanguis paucus, ſed fortiter coagulatus: ex aorta prodiit quaſi polypoſus. Eadem prorſus exhibuit in altero cane Ol. Terebinth. ʒj. niſi quod pulmones fuerint coloris atro-rubei, qualis in jecore frixo conſpicitur.

6. In jugularem canis injecta eſt Sal. Chalyb. in Aquæ ʒij ſoluti, ʒſs. Poſt palpitationem cordis & dyſpnœam vehementiſſimam, obiit animal. Secta vena iliaca, ſanguis non concretus quidem, ſed non-

nihil grumeſcens. Ita in corde & aorta ſanguis coagulum quoddam contraxit, licet, quam in cæteris experimentis, imbecillius.

Ut vero clarius adhuc eluceſcant, quas Emmenagogis & Aſtringentibus aſcripſimus, virtutes, attenuandi ſcilicet & coagulandi, non abs re erit experimenta depromere, unde ſatis conſtabit ea, modo a nobis expoſito, in ſe invicem reciproce operari medicamenta. Igitur iis Mixturis, quas ex Sanguine & Emmenagogis confecimus Sect. 2, affuſa ſunt hujuſmodi Aſtringentia.

1. Mixturæ (ex Sanguine & Sp. Salis Armon.) affuſus eſt Spiritus Salis. Maſſa omnis coagulata. Color, inſtar cœni, lutulentus.

2. Mixtur. (ex Sang. & Decoct. Sabin.) Spir. Nitri Bezoartic. Liquoris pars dimidia in maſſam duriuſculam concrevit; reliqua fluida quidem permanſit: videbatur vero nihil aliud eſſe, niſi Spiritus affuſi quædam portio, quæ poſt coagulationem ſuperfuit.

3. Mixtur. (ex Sang. & Laudan. liq. Syd.) Ol. Vitrioli. in maſſam admodum ſpiſſam evaſit; color fuſcus, & ſubobſcurus.

4. Mixtur. (ex Sang. & Panacea Opii liq.) Spir. Salis. Fortiter concrevit. Color atro-rubeus.

5. Mixtur. (ex Sang. & Aq. Rutæ) Spir. Salis Dulc. Liquor coagulatus, & in grumos concretus. Color pullus.

6. Mixtur. (ex Sang. & Sp. Sal. Armon. Succinat.) Spir. Salis. Cocta eſt fermentatio. Liquor partim in grumos abiit, partim fluidus perſtitit.

7. Mixtur. (ex Sang. & Aq. Abſynth.) Spir. Salis. Statim in coagulum nigerrimum concrevit.

8. Mixtur. (ex Sang. & Spir. Corn. Cerv.) Ol. Vitrioli. Fermentatio, & concretio ſatis valida.

9. Mixtur. (ex Sang. & Marrhubii Decoct. Spir. Salis. Idem exhibuit, ac mixtura prior cum Ol. Vitrioli.

Ad eandem normam Mixtturis, quas ex Sanguine & Aſtringentibus Sect. 2, compoſuimus, experimenti gratia, affuſa ſunt Emmenagoga.

1. Mixt. (ex Sang. & Spir. Nitri Dulc.) Panacea Opii liq. Maſſa in fluorem denuo redacta eſt. Idem etiam effecit Panacea

2. Mixt. (ex Sang. & Spir. Nitri Bezoart.) affuſa.

3. Mixt. (ex Sang. & Oleo Vitrioli) Spir. Sal. Armon. Fermenteſcebat. Maſſa multo tenuior, quanquam de nigredine nihil amiſerit.

4. Mixt. (ex Sang. & Aqua Forti) Aqua Rutæ. Tota liqueſcebat.

5. Mixt. (ex Sang. & Spir. Sal.) Panacea Opii. Craſſities penitus ſublata eſt, & color floridus evaſit.

6. Mixt. (ex Sang. & Spir. Vitrioli Philoſoph.) Spir. Sal. Armoniaci. Compages admodum fluida. Color atro-rubeus.

7. Mixt. (ex Sang. & Aceto deſtillato) Sp. Sal. Armon. Texturæ raritas, & coloris vigor, qualis in ſanguine naturali. Eadem quoque præbuit Spir. Sal. Armoniaci

8. Mixt. (ex Sang. & Tinctura Antiphthiſic.) admixtus.

Satis

Satis jam perſpicuum eſſe arbitror, ſanguinis cohærentiam ab Emmenagogis, & Aſtringentibus varie mutari; ab his ſcilicet tenaciorem, ab illis rariorem fieri. In qua quidem cohærentiæ mutatione conſiſtit unice, quantum ego concipio, omnis illa Alterantium virtus; licet gradibus ad ſenſum minime expoſitis fiat iſte in compages varias humorum tranſitus. Cohærentiæ Fluiditatiſque cauſas exponere, uti eſſet opus prolixum admodum & laborioſum, ita etiam meo inſtituto ſatis alienum: ea quippe provincia ad Philoſophos potius pertinet; Medico ſatis eſt proximas cauſas poſſe animo concipere & complecti, ultimas rimari minime neceſſarium.

ITA tandem abſoluta eſt hæc de Menſium natura, Remediiſq; diſquiſitio; in qua ſane id mihi parum arrogo, non poſſe ſubtilius perveſtigari Menſes, aliis interim Principiis eſſe minime explicandos confiſus. Quantum meus poterat Philoſophiæ modulus, Theoriam veram atque perſpicuam tradere ſum agreſſus: cujus quidem fabrica ſi anguſtior ſit, iſti tamen, qui mihi ſuppeteret, materiæ reſpondet. Eos, qui eruditione Mechanica plenius imbuti ſunt, in qua me ne quidem ſatis mediocriter eſſe verſatum fateor, multa his poſſe aſtruere facile ſentio, non modo ad ornamentum operis, ſed etiam firmitatem.

Erunt tamen fortaſſe quamplurimi, qui quod cauſas morborum inveſtigare, ſive non conſueſſent, ſive non vellent, ſive non poſſent, omnem rerum Medicarum Theoriam in Praxi prorſus inutilem exiſtimabunt; nonnulli etiam periculoſam arguent.

Fieri quidem poteſt, quod & nonnunquam eveniſſe non diffiteor, ut iis demum Praxis haud ita feliciter ceſſerit, qui Theoriam multa cum laude excoluerunt; dum in hanc totis viribus intenti, illam ſorte neglexerint: ita enim alterius altera opem poſcit, ut nemo de Medicina egregie mereri queat, qui utramque non conjunxerit. Quid vero abſurdius eſſe poteſt, quam ut, quo melius morbum intellexerit Medicus, eo infelicior fore cenſeatur in adhibenda medicina? ut, qui in malæ valetudinis origine ita acutum cernit, ad Remedia rite applicanda ineptior videatur? Quaſi impedimento eſſet uberior rerum cognitio; aut ille demum feliciſſimam medendi methodum inſtituat, qui, quare hæc potius quam illa inſtitui debeat, omnino neſcit. Sane ſiquis ad morbos tollendos præ cæteris inſtructior ſit, is huic operi plenius ſatisfaciet, qui eorum fontes optime norit, qui variam humorum, unde profluunt, indolem perſpexerit; qui denique normam illam, qua ſanguinis craſin aut conſervat aut vitiat natura, penitus inveſtigarit. In eo enim præcipue ſpectatur Medici ſagacitas, ut de Morbi ingenio acute judicet; Curationis formulas deſcribere, cujuſvis fere eſt in medicina operarii.

At

At morbis, inquiunt, feliciter etiam medentur, qui nulla Theoria imbuti ſunt, qui nec corporis fabricam, nec modum quo intra corpus operantur remedia, intelligunt. Sed ſiquis horum inſpecta Praxi animadvertat, quam pleraque importune adhibentur, quam multa, eaque inter ſe plurimum diverſa, ad nauſeam uſque porriguntur remedia, agnoſcet multum iis gratiæ habere Pharmacopolas, parum interim debere ægrotos. Cum enim nec morbi rationem, nec certam aliquam medendi methodum ſatis exploratam habeant, omnem fere Materiam Medicam percurrunt, haud ignari ſcilicet pluribus eſſe aggrediendum viis, ne una forte minus ſuccedat. Qui vero ita in Staticis atque Anatomia verſatus eſt, ut humani corporis penetralia intime pernorit, fluidi circulantis naturam & vires explorarit, diſpiciet facile quæ vera ſit morbi indicatio, & qualis potiſſimum adhiberi debeat medendi ratio: nullum huic dubium injicit varia illa pharmacorum ſupellex, quo minus certa quædam ad rem ſuam aptiſſima deligat; & ordinem, quem in iis præcipiendis ſecuturus ſit, ſecum multo ante conſtituat.

Ii quidem, qui in Praxi diu elaborarunt, Experientia ita ſunt inſtructi, ut morbis ſatis feliciter occurrant, quanquam Rationalis Pharmaceutices penitus ignari: neque id ſane mirum, cum iidem quaſi in orbem ſæpius recurrant morbi. Quod ſi novus aliquis morbus, nec a Practico antea viſus exurgat, multum hærebit vir experiens, & commentarios veteres fruſtra diu verſabit, unde nihil lucis mutuari queat, quod ad recens hoc ſymptoma illuſtrandum traducat. Contra qui morborum cauſas naturæque vim penitus inſpexit, ſiquid inſolitum acciderit, id non tanquam aliquid monſtri ſuſpiciet; ſed idea illa, quam de morbis in animo jam ante formatam & deſcriptam tenet, ad hanc rem accomodata, facilius intelliget, quænam ſit iſtius mali origo, quænam adhiberi debeat curatio.

Etenim qui Theoriæ Medicæ omnino rudis eſt, non tam ipſos morbos, quam morborum vocabula diſtinguit; qui certe error, uti in medicis non raro deprehenditur, ita medicinæ plurimum nocet. In Febre, verbi gratia, eadem ſæpe reperiuntur ſymptomata, cum morbi cauſa ſit multiplex, & diſſimillimus humorum ſtatus: alia enim ex Redundantia, alia ex rareſcentia, alia ex Lentore ſanguinis oritur Febris; ita ut medendi methodum poſtulet pro cauſarum varietate diverſam. Accerſitus vero iſte quaſi nominalis medicus, ſi morbum hunc Febrem dici debere judicat, eandem curationis normam perſequitur, quæcunque ſit in ſymptomatum cauſa diverſitas: quam quidem qui inſiſtit viam, ſi medetur, felix certe erit, ſed in arte ſua haud nimium peritus. Rationalis vero medicus, non tam appellationem morbi, quam naturam explorat; in hoc præcipue laborat, ut ſtatum ſanguinis accurate perſpiciat; unde etiam non vana remediorum quærit indicia.

Aliud etiam eſt in quo deficit Theoriæ expers Practicus, viz. Remediorum applicatio. Quia enim nec quo morbi oriuntur, nec quo in ſanguinem agunt pharmaca, modum intelligit, morbis ea ſolum adhibet remedia,

remedia, quæ longa experientia prodeſſe compererit. Cum vero id potius in medicina deſideretur, ut præſtantiſſima quæque remedia aliis etiam morbis, ac vulgo ſolent, applicentur, quam ut exquirantur nova; defectum hunc ſolus tollet Rationalis medicus, qui tum morbi, tum medicamenti vires adeo callet, ut utriuſque ad ſe invicem habitudinem clare perſpiciat: ita novo quodam artificio ad multos alios morbos ea extendet remedia, quæ uni forte aut alteri quaſi Specifica ſatis pro arbitrio dicavit uſus.

Contra Theoriam acriter contendent nonnulli, dicentque eam in morbis explicandis parum proficere, quia ad omnes accommodari minime queat. Sed hoc certe eſt imperite diſputantis argumentum, quaſi quod non in omnibus morbis, ideo in nullis obtinere poſſit Theoria. Aliquid eſt eam quadantenus prodiiſſe; in nonnullis ſane illuſtrandis ita feliciter proceſſit, ut ulterius facile progredi poſſe videatur, ſi ingenio par fuerit medicorum induſtria. Fatemur quidem hanc, qualem volumus, Theoriam in medicina parum prodeſſe, niſi frequens etiam accedat Praxis; quæ tamen ſi hac duce dirigatur, erroribus, quos alias fruſtra cavet, minus erit obnoxia.

Hæc quidem omnia & norunt, & fecerunt Veteres; neque aliis æque Principiis morborum & medendi rationem illuſtrare poſſe arbitratur, Practicorum certe feliciſſimus, Hippocrates; igitur Theſſalo ſuo, medicinæ ſtudioſo, id præcipue commendat, ut Figurarum proprietates, & Numerorum ſcientiam cognoſceret; & diſciplinæ iſti, quæ illas edocet, & magnitudines quaſcunque metitur, multum ſtudii adhiberet[a]. Eos nempe fontes unice agnoſcit, unde vera fluere queat rerum medicarum cognitio. Atque hæc quidem Elementa, ad quæ perdiſcenda ita vehementer hortatur filium, ipſi penitus perſpecta fuiſſe credibile eſt. Audiit enim, uti accepimus, & ſectatus eſt Democritum, qui temporibus illis eam docuit Philoſophiam, quæ hodie dicitur Mechanica; quæque ita parum recens eſt, quod vulgo fertur, ut ſit omnium longe vetuſtiſſima. Hac adeo inſtitutus diſciplina Hippocrates, naturam & obſervavit & intellexit acutiſſime: & quia naturæ ſunt maxime conſentaneæ, ideo præſtantiſſimæ etiam habentur, quas de morbis conſcripſit, hiſtoriæ. Itaque non leve præſidium operi huic acceſſiſſe exiſtimo, quod ubique fere ſententiæ meæ vindicem & patronum adduxerim, Hippocratem.

a Epiſt. ad Theſſal.

INDEX RERUM.

A.

Acria Menſes cient Pag. 135
Æthiops minerale Menſes ciet 142
Affectus Animi quomodo cient Menſes 88
Alkalica attenuant Sanguinem 139
Cum Syrupo Violarum mixta colorem viridem excitant ibid.
Cum Sublimat. Corroſiv. ſubflavum 140
Alterantia quomodo operantur 149
Alvus dura a ſuppreſſis Menſibus 97
Amara Menſes cient 135
Analeptica poſt Menſes nimios exhibenda 125
Aniculæ ficciores 83
Anni Tempeſtates periodicæ 77
Non conſtantes ibid.
Anxietas Præcordiorum a ſuppreſſis Menſibus ibid.
Aortæ Truncus deſcendens major in Fœminis 68
Apoplexia a ſuppreſſis Menſibus 101
Quot modis efficitur ibid.
Apoplexiæ cauſa ibid.
Appetitus quare Menſtruis inſtantibus dejicitur 82
Aquæ Aſtropenſes in ſuppreſſis Menſibus utiles 117
Aquæ Potatio Perſpirationem impedit 67
Argumenta contra Plethoram 73, &c.
Aromatica Menſes cient 135
Articulorum dolor a ſuppreſſis Menſibus quomodo oriatur 95
Aſthma a ſuppreſſis Menſibus 98, 130
Aſtringentia cum Syrupo Viol. mixta colorem Rubrum excitant 145
Cum Emmenagogis mixta 148
Menſes imminuunt 90
In Fluxu nimio adhibenda 125, 126
Aſtr. Interna an Stimulo agant ibid.
Sanguinem coagulant 143
Quomodo Menſes ſiſtunt ibid.
Pulſum deprimunt 144
Quomodo Urinam moveant 145
Aſtringentium effectus ſenſibiles 143, 144
Cum Sanguine commixtio 144
Itidem cum Sero 145
Cum Syr. Viol. commixtio ibid.
Injectiones 146
Aſtringentium externorum operatio 125
Internorum operatio 126
Athletarum Habitus periculoſus 92
Atrophia a Menſibus nimiis 124, 129
Quot modis fiat 124
Attenuantia quomodo Menſes cient 134
Quando adhibenda 135

B.

Balnea Menſes retardant 89
Balnea ad ſuppreſſos Menſes 105
Balſamica in Menſibus nimiis adhibenda 126
Quo tempore ibid.
Quomodo operantur ibid.
Barba a ſuppreſſis Menſibus 104
Bibaces Hydropi obnoxii 96
Et Apoplexiæ 101
Biliоſis maturius fluunt Menſes 59
Et quare 79
Biliоſum Temperamentum quale ibid.
Bruta cur Menſibus immunia 65, 71
Quomodo utero gerunt, cum non habeant Menſes 75
Prægnantia voraciora ibid

C.

Cachexia a Menſibus nimiis 122
Calida Menſes cient 135, 136
Calor quid 81, 122
Camphoræ externe adhibitæ vis 118
Cantatrices Menſibus immunes 67
Caput quare afficitur ſuppreſſis Menſibus 100
Cardiaca Pulſum excitant 135
Cauteria quomodo cient Menſes 110
Cephalalgia a ſuppreſſis Menſibus 100
A Suturis nimis arctis ibid
Cephalalgia, inſtantibus Menſibus 59
Et quare 82
In Virginibus frequentior ibid.
Non a Sympathia 100
Chalybs aliquando Obſtructiones auget 132
Pulſum excitat 134, 135
Spiritus inſtaurat 142
Triplici modo Menſes ciet ibid.
Quomodo fit deobſtruens & aſtringens 143
Sanguinem attenuat 135, 142
Chloroſis a ſuppreſſis Menſibus 82, 104
Chyli cruditas a Plethora 96
A Lentore ibid.
Cachexiam parit 122
Coitus quomodo ciet Menſes 87
Suppreſſionis menſtruæ Remedium ibid.
Colica a ſuppreſſis Menſibus 97
Colorum Experimenta 138, 139, 145
Convulſio a Repletione 102
Quid ibid.
Ab Inanitione 122
A Menſibus nimiis periculoſa 122
Corpus quando idem manet 64
Cortex Peruvianus potenter attenuat 134, 135
Crurum Laſſitudo quare a Plethora 82
In Gravidis ibid.
Cucurbita ad Crura in ſuppreſſis Menſibus 110
Ad Mammas in Menſibus nimiis 125
Curvitas Canalium quid efficiat 69, 70

D.

Delirium quid 102
Deſidia Perſpirationem imminuit 67
Diaphoreſis non eſt actio Medicamenti primaria 131
Ideo neque certa 130
A Poris pendet 131
Diaphoretica in Menſibus nimiis vix adhibenda 126
Menſes cient 136
Sanguinem attenuant 131
Quomodo Lentorem augeant 132
Diſtenſio Vaſorum in Plethora 92
Dolor quare inſtantibus Menſtruis ad Coxas 82
Dolor Capitis a ſuppreſſis Menſibus, & quare 81, 82, 100
Pulſans 100
Gravedinoſus ibid.
Quare ad Sinciput & Occiput ibid.
Dyſpnœa in ſuppreſſis Menſibus 98
A Veſiculis Bronchialibus ibid.
A Muſculis Thoracis ibid.
Ab Hypochondriis inflatis ibid.

E.

Emetica quando in ſuppreſſis Menſibus adhibenda 111
In Fluxu nimio vitanda 105
Emmenagoga Plethoram excitant 130, 131
Eodem modo agunt, licet Menſes non cient 131
Sanguinem attenuant 134
Quomodo Menſes cient ibid.
Nonnulla Sanguinem rarefaciunt ibid.
Emmenagoga Pulſum excitant 135
Pleraque Alkalica 139
Cum Aſtringentibus mixta 148
Emmenagogorum effectus ſenſibiles 135, 136
Cum Sanguine commixtio 136, 137
Cum ſero commixtio 137
Cum Syrupo Violarum commixtio 138
Injectiones 140
Emplaſtrum reſolvens 117
Evacuatio inhibita quomodo Menſes provocat 88
Nimia quomodo retardet 89
Evacuatio Additione minor in Plethora 64
Evacuationes ſenſibiles in Senectute augentur 84
Evacuationibus ſubitis & ingentibus quomodo imminuuntur Vires 121
Evacuationis additioniſq; eadem proportio in Brutis 65
In Fœminis impar ibid.
Experimenta cum Sanguine 144
Cum Sero 145
Cum Syrupo Violarum ibid.
Per Injectiones 146
Per Mixturas 148
Externa Remedia in utroq; Suppreſſionis genere adhibenda 105, 106
In utroque Fluxus nimii genere 126
Extremorum Frigus a Fluxu nimio 122
Quot modis ibid.

F.

Febres pleræque a Plethora 88, 89
Febricula a Menſibus inſtantibus 81
A Suppreſſis 95
Febris intermittentis Periodus explicatur 78
Paroxyſmus varius ibid.
Febris quomodo ciet Menſes 87
Fermenta Circulationi repugnant 62
Nulla in Viſceribus 63
Neque in Sanguine ibid.
Fermentum non eſt Menſium cauſa 62, 63, 79
Fibrarum duritiei Plethoræ cauſa 83
Fluidorum Preſſio qualis 69
Fluor Albus a ſuppreſſis Menſibus 102, 104
Ex Glandulis Uteri ibid.
Quando ſymptomaticus ibid.
Menſibus erumpentibus ceſſat ibid.
A Menſibus nimiis 124
Fluxus Menſium nimius quot modis efficitur 120
Non ita familiaris ac Suppreſſio ibid.
Periculoſior tamen ibid.
Et quare 121
In puerperium expertis frequentior 124

Fluxus menſtruus quibus diu durat 60, 124
Et quare 80
Quibus citius terminatur 60
Fluxus nimii Symptomata 121
Cauſa ibid
Fluxus nimius vel a Vaſorum vel a Sanguinis vitio 124
Quando a Vaſis ibid
Quando a Sanguine ibid.
A Virium Imbecillitate judicandus ibid.
In quibus ſiſtendus 124, 125
Fluxus nimii Hiſtoriæ 126

G.

Galeni de Cauſis Menſium Sententia 60, 62, 63
Gibboſi Dyſpnœæ obnoxii 98
Glandulæ a ſuppreſſis Menſibus oppletæ 97
A Frigore ibid.
Globus ad Fauces a ſuppreſſis Menſibus 91, 102, 119
Quare 103
Glutinantia in Menſibus nimiis adhibenda 126
Gravidæ a Coitu abortiunt 88
Gravidis deficiunt Menſes 59, 60
Et quare 84
Graviditatis Symptomata quomodo a ſuppreſſorum Menſium Symptomatis dignoſcenda 119, 120
Gravitas Corporis a deſidia 67
A ſuppreſſis Menſibus 97
Gravitas Pectoris a ſuppreſſis Menſibus 98
Guloſi Hydropi obnoxii 96
Guloſis diu fluunt Menſes 60
Et quare 80

H.

Hæmoptoe a ſuppreſſis Menſibus 100
Hæmorrhagiia a ſuppreſſis Menſibus 103
Præcipue in Virginibus ibid.
Hæmorrhoides inciſæ calleſcunt 84
Solvunt Inſaniam 102
Hectica a Menſibus nimiis 123
Quot modis efficitur ibid.
A dilatatis Canalibus ibid.
A Sanguine imminuto ib.
Quando gravior ibid.
Humida Corpora minus perſpirant 66
Humidæ, ſuppreſſis Menſibus, citius intumeſcunt 96
Humidis Menſes copioſius fluunt 80, 124
Humorum Craſis ignota, eſt cauſa cur accuſentur Medicamenta 133
Humorum Temperies a Medico perſpicienda 134
Hydrops imminuit Menſes 90
A ſuppreſſis Menſibus 96
Ab aliis Evacuationibus inhibitis ibid.
A Menſibus nimiis 123
Hyſterica Paſſio ciet Menſes 87, 88
Spaſmi ſpecies 102
A ſuppreſſis Menſibus 102
A Fontanellis occluſis 103
In Viris 82, 83, 103
A Menſibus nimiis 122

I.

Ictus major in curvis Canalibus 70
Fortior Preſſione ibid.
Ictus magnitudo quomodo eſtimanda ibid.
Inſania quid 102
A ſuppreſſis Menſibus ib.
Evacuantibus curatur ib.
Iſchuria quomodo a Veſicæ nimis diſtentia 74

L.

Lac ab Aquis frigidis vitiatur 90
A ſuppreſſis Menſibus 104
Lactantibus Menſes deficiunt 60
Et quare 85
Macilentis fluunt 74
Lacteorum Oſcula quid ad Catharſin faciant 113
Lactis uſus imminuit Menſes 90
Languor quare Menſtruis inſtantibus mulieres invadat 82
Laſſitudo Crurum unde ib.
Lentor a Frigore 89
Menſes ſupprimit 75
A Plethora 92
A Motu Cordis imminuto 93
Qualem Pulſum efficiat ib.
Plethoræ cauſa 96
A Chylo craſſo 97, 122
Palpitationem efficit 99
A Velocitate imminuta 122, 123
Aliquando a Diaphoreticis 132
Febris intermittentis cauſa 78
Lindani Doctrina de Venæſectione examinata 108
Lumborum Dolor quomodo a Plethora 82
Luna non eſt Menſium cauſa 62, 79

M.

Macilenti plus Sanguinis habent 73
Ideo Venæſectionem melius ferunt ibid.
Macilentis copioſius fluunt Menſes 80
Mammarum Tumor inſtante Fluxu 83
Materia medica poſt Menſes nimios qualis 125
Materiæ quantitas ex ponderе dignoſcitur 64
Medendi Methodus in ſuppreſſione Menſtrua 104
Intentio ibid.
Duplex 105
Qualis cum a Vaſis oriatur Suppreſſio ibid.
Qualis cum a Sanguine 106
In fluxu Menſium nimio 124
Qualis cum a Vaſis oriatur fluxus ibid.
Qualis cum a Sanguine 125
Melancholicorum Pulſus rarus 89
Menſes quando incipiunt 59
Quando deſinunt ibid.
Et quare 83, 84
Quibus maturius fluunt 59
Qua vi evacuantur 69
Quare per Uterum 69, 70, 71
Et ab Utero & a Vagina fluunt 68, 69
Ex capillaribus Vaſis 72
In Puellis perquam modici 83
Menſes ad Conceptum non neceſſarii 60, 75
Ad concipiendum aptiores faciunt 80
Poſt Morbum chronicum ſuppreſſi 60, 80
A quibus maturius cientur 87
A quibus retardantur 89
Menſes critici 87
Quot modis imminuti 91
Quomodo a Saphænæ ſectione inhibiti 109
Pallidi 114
Menſium quantitas 64
Pro ratione Ætatis diverſa, & quare 80, 81, 83
Qualitas 59
Periodi ibid.
Cauſa finalis 81
Fœtus nutritio 61
Cauſa efficiens Plethora 62, 63, 76
Suppreſſio non a Plethora 74
A Lentore 75
Per aliena Loca Eruptio 85
Mercurii Gravitas 142
Mercurius lentorem tollit 111
Purgantibus admiſcenda ibid.
Attenuat Sanguinem 142
Acida retundit ibid.
Quomodo Menſes ciet 142
Mœſtitia quomodo Menſes retardat 89
Momentum Sanguinis quomodo augetur 68, 69
Augetur in Plethora 69
Quando a Venæſectione augetur 106, 107
Motus violentus quomodo ciet Menſes 88
Inteſtinus in Sanguine non datur 63
Rerum externarum quomodo percipitur 101
Motus imminutio in Vaſis uterinis 69
Mulieres Viris imbecilliores 66
Humidiores ibid.
Habent plus Sanguinis quam Viri ibid.
Concipiunt, etiam ſine Menſibus 60
Sanæ in eodem Statu permanent 65
Citius adoleſcunt quam Viri 66
Menſtruis ceſſantibus pingueſcunt 84
Mulierum Textura mollior 65

N.

Narium Hæmorrhagia a Vino 75
A ſuppreſſis Menſibus 114
A Terrore reſtincta 89
In Pueris pubeſcentibus 83
Nutritio quid 124

O.

Obeſæ plerumque ſteriles 80
Obeſi minus ſanguinei 73, 80
Obeſis Menſes parcius fluunt 80
Citius ceſſant 80
Supprimuntur ſine noxa ibid.
Objecta quomodo moveri videantur immoto Oculo 100, 101
Occipitis Dolor a ſuppreſſis Menſibus 100
Et Tumor ibid.
Odorata Menſes cient 135
Opiata remittunt Appetitum 82
Vires inſtaurant 114
Quomodo adhibenda ib.
Opii externe adhibiti vis 118
Operatio primaria 132
Effectus 132, 133
Quomodo omnes ab attenuatrice vi oriantur ibid.
Opium Animum exhilarat 132
Vires inſtaurat ibid.
Calculum & Fœtum expellit ibid.
Dolorem quomodo tollit ibid.
Dyſpnœam & Stuporem infert 133
Febrem intermittentem ſolvit 131
Menſes & Lochia provocat 133, 136
Profluvia ſiſtit 133
Pruritum ciet ibid.
Pupillam dilatat ibid.
Singultum, Vomitum, & Hypercatharſin ſiſtit ib.
Somnum conciliat ibid.
Tuſſim ſedat ibid.
Iſchuriam inducit & Paralyſin ibid.
Quomodo Sanguinem incraſſare dicatur 132
Sanguinem attenuat 132, 133, 135
Sudorem movet 132, 133 136
Otioſa Vita quid faciat 67, 80, 83

P.

Pallor a Lentore 97, 122
A Fluxu nimio 118
A defectu Sanguinis ib.
Palpitatio Cordis quomodo fit 99
A ſuppreſſis Menſibus ib.
In quibus Morbis frequentior ibid.
Partus Menſes retardat 89
Periodi ab Authoribus parum explicatæ 76
Et quare 79
Quomodo a Plethora pendent 76, 77, 79
Quare ad definitum tempus redeunt 77, 78
Aliarum rerum explicantur 78
Quare variæ in diverſis Fœminis 79
Diſcrepant pro ratione Ætatis 80, 81
Victus ibid.
Temperamenti 79
Soli ibid.
Periodus Menſium bimeſtris 116
Perſpiratio in Fœminis quare minor 65, 66
Differt a Sudore 67
Exercitio promovetur ib.
A Sudore minuitur ib.
Phthiſis a ſuppreſſis Menſibus 99

Placenta in Utero per biennium retenta 127
Quomodo excluſa ibid.
Plethora in Fœminis demonſtratur 65
Quando accumulatur 64
Non accumulatur in Brutis 65
Quomodo accumuletur 76, 77
Quomodo Menſes moveat 69, &c.
Contra Charletonum defenditur 73
Non poteſt Menſes ſupprimere 74, 109
Regit Periodos 80
In Provectioribus deficit 83
Excitatur iis omnibus quæ Menſes cient 87, 88
Plethora ad Vaſa a Rarefactione 88, 89
Ad Vires a ſuppreſſis Menſibus 95, 96
Plethora Lentoris cauſa 92
Qualem Pulſum efficiat ib.
Plethoræ Cauſæ tres 65, 66, 67
Effectus & Periculum 91, 92
Origo 83
Potatio ciet Menſes 88
Prægnantibus deficiunt Menſes 59, 60
Pudendi Situs in Fœminis 68
Quid ad Menſes faciat 71
Pulſatio Arteriarum a ſuppreſſis Menſibus 86
Quando definit ibid.
Pulſus plenus & imbecillis venæſectionem indicat 107
Poſt purgationem fortior 111
In Salivatione vehemens 142
Pulſus roboris index 66
In Fœminis imbecillior ib.
Qualis in Plethora 92
Quomodo creber, ibid
validus ibid.
plenus ibid.
Qualis a Lentore 93
Quomodo imbecillis ibid.
Rarus ibid.
Inæqualis a Chylo craſſo ibid.
A Craſi Sanguinis 94
Intermittens a ſuppreſſis Menſibus 100
Quando excitatus a venæſectione 106, 107
Purgantia aliquando alvum non ſubducunt 112
Et quare ibid.
Quomodo cient Menſes 110
Qualia adhibenda in ſuppreſſis Menſibus 111
Attenuant Sanguinem ib.
Purgantium duo genera 110
Vel primas vias, vel Sanguinem afficiunt ibid.
Virtus a Salibus 111
Vires non ex dejectionibus judicandæ 112
Varia efficacia unde 112, 113
Mitiora tantum in Menſibus nimiis adhibenda 125

R.

Rarefacientia quando adhibenda 135, 138
Rareſcentia humorum unde 135
Menſes ciet ibid.
Poteſt eſſe ſine attenuatione 135
Remedia Utero non ſpecifica 130
In Sanguinem agunt ibid.
Remediis Incertitudo falſo exprobratur 131, 133
Effectus aliquando varius 131
Aliquando contrarius ibid.
Quare 132
Remediorum Vires 130
Operatio ſenſibilis non certa ibid.
Primaria eſt certa & uniformis 131
Varius effectus unde ibid.
Revellentia in Menſibus nimiis adhibenda 125
Et qualia ibid.
Robur quid 66
Quomodo æſtimandum 121
In ratione Sanguinis triplicata ibid.
Ruſticis parcius fluunt Menſes 80

S.

Salivatio attenuat Sanguinem 142
Menſes imminuit 90
Saltatrices Menſibus immunes 67
Sanguinis ex Digitis profluvium 86
Periodica evacuatio in Viris 116
A Plethora ibid.
Motus inteſtinus non datur 63
Sanguis pallidus 116
Menſtruus non impurus 59, 60
Sanitas quid 122
Saphæna in ſuppreſſis Menſibus ſecanda 108
Quando ibid.
Quare 108, 109
Sapor Acris quid indicet 135
Acidus quid 143
Secretiones in ratione velocitatis & orificii 66
Quomodo a velocitate pendent 122
Sincipitis Dolor a Suppreſſis Menſibus 100
Solidæ partes exhauſtæ difficulter reſarciuntur 121
Sphincter Veſicæ Iſchuriam adjuvat 74
In Iſchuria contractus ib.
Spinæ Dolor a ſuppreſſis Menſibus 95
Variolarum imminentium ſignum ibid.
Spiritus vini Sanguinem coagulat 138, 140
Quomodo Menſes ciet 138
Quando in ſuppreſſis Menſibus adhibenda ibid.
Spiritus quomodo inſtaurantur 134
Sternutatio ciet Menſes 88
Stomachica Menſes cient 136
Sublimati corroſivi experimentum 141
Siffitus ad ſuppreſſos Menſes 105
Suffocatio a ſuppreſſis Menſibus 103
A Menſibus nimiis 122
Suppreſſio vel a vaſorum vel a Sanguinis vitio 91
Quando a Vaſis 92
A Lentore 93, 96
Quænam morboſa 105
Quomodo a Vaſorum vitio ibid.
A vaſis curatu facilior ib.
A frigore 115
A venæ ſectione 117
Suppreſſionis menſtruæ ſymptomata 91
Curatio 104
Suppreſſorum Menſium hiſtoriæ 112
Symptomata inſtante fluxu Menſium 59
A Plethora deducuntur 81
Menſium ſuppreſſorum 91
Quænam a Plethora 92
Quænam a Lentore 93
Varia in diverſis fœminis 104
Fluxus nimii 121
Syncope a ſuppreſſis Menſibus 100
Quot modis fit ibid.
A Fluxu nimio 121

T.

Temperamentum humidum perſpirationi officit 67
A partium mollitie ibid.
Theæ potu Menſes imminuti 89, 90
Tinctura antiphthiſica ad Menſes nimios prodeſt 127
Tincturæ Spiritu Vini extractæ quid faciant 138
Tumor in Tibia a ſuppreſſis Menſibus 115
Tumores a ſuppreſſis Menſibus 95
Etiam & tubercula 96
In Humidis citius fiunt ibid.
A Menſibus nimiis 123
Tuſſis a ſuppreſſis Menſibus 98
A glandulis Tracheæ ib.

U.

Ulcera ſubito ſiccata periculoſa 86
Urinæ ſtillicidium a ſuppreſſis Menſibus 103
Suppreſſio quot modis ib.
Urinoſa Menſes cient 135
Urticæ ſuccus quomodo narium hæmorrhagiam ſiſtit 125
Uteri & Vaginæ interna tunica qualis 68
Structura ibid.
Quid ad Menſes ibi evacuandos conferat 69, 70
Arteriæ & Venæ per Anaſtomoſin conjunctæ 68
Inflammatio quomodo a ſuppreſſis Menſibus 94
Gangræna ibid.

V.

Valvularum uſus 71
Defectus in Utero quid faciat 72
Varices a ſuppreſſis Menſibus 95
Quomodo formentur ib.
Quare ad partes inferiores ibid.
Solvunt Inſaniam 102
Variolæ cient Menſes 87
Vaſa Uteri in Virginibus anguſtiora 103
Et quare ibid.
Contorta 68
Quomodo Menſibus evacuandis inſerviunt 69, 70
Quare facilius rumpantur ibid.
Relaxanda in ſuppreſſione menſtrua 105
Vaſorum tumor & pulſatio a Plethora 92
Umbilicalium & uterinorum anaſtomoſis 61
Velocitas Sanguinis augetur in Plethora 69
Eſt in ratione Copiæ 91
A venæſectione 106
Venæſectio ad ſuppreſſos Menſes ibid.
Quo tempore inſtituenda 106, 107, 108, 110
Quo loco 106, 108
Quare in Talo 108
Velocitatem Sanguinis intendit 106
Et quare 106, 107
Vix præmitti debet 107
Menſes imminuit 80, 85
Abortum præcavet 85
Venæſectionis indicatio 107
Venis uterinis deſunt Valvulæ 68
Ventriculi inflatio & tormina a ſuppreſſis Menſibus 96
Ventris tumor inſtante fluxu 83
Vertiginis ratio explicatur 101
Vertigo a ſuppreſſis Menſibus 100
Victus incraſſans quomodo Menſes retardat 90
Acris ciet 88
Viragines Menſibus immunes 67
Viraginum pulſus fortior ib.
Vires imbecilles quomodo perſpirationem imminuunt 66
Quomodo accumulant Plethoram ibid.
Quomodo poſt fluxum inhibitum inſtaurandæ 126
Virgines Menſibus nimiis rarius laborant 124
Suppreſſioni maxime obnoxiæ, 90, 91
Et hæmorrhagiæ a ſuppreſſione 103
Viri habent menſtruam evacuationem 78
Et quare ibid.
Ante Criſin quomodo affecti 82
Hyſterici evadunt reſtricta evacuatione Sanguinis periodica 86
Virium imbecillitas a Plethora 97
Grave efficit Corpus ibid.
A nimio fluxu Menſium 121
Quomodo creſcit ibid.
Quare ab evacuationibus magnis ibid.
Fluxus nimii regula 124
Vitrioli ſpiritus quomodo hæmorrhagiam ſiſtit 125
Vomica Pulmonum quid 98
Quomodo a ſuppreſſis Menſibus ibid.
In glandulis Bronchiorum ibid.
Vomitus ciet Menſes 88
Sanguinis Menſes nimios ſiſtit 125

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΕΠΙΔΗΜΙΩΝ

ΤΟ ΠΡΩΤΟΝ, καὶ ΤΟ ΤΡΙΤΟΝ.

HIPPOCRATIS

DE

MORBIS POPULARIBUS

LIBER PRIMUS, & TERTIUS.

His accommodavit Novem

De FEBRIBUS

COMMENTARIOS

JOHANNES FREIND, M.D.

Coll. Med. Londin. & Soc. Reg. Socius.

Eſtne qui miſſus petat aſtra pennis,
Eſtne Dircæum ſuperans olorem,
Ales? hunc Coo properet Parenti
Tradere Librum.
Freindus hunc dicat, Tibi mittit Auctor,
Proximus poſt Te Genius; tuere
Tu Tui Nati, tueatur Orbis
Ille ſalutem. A. ALSOP.

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ

ΕΠΙΔΗΜΙΩΝ

HIPPOCRATIS

DE

MORBIS POPULARIBUS

LIBER Primus, & Tertius.

DE FEBRIBUS

COMMENTARIOS

JOANNES FREIND, M.D.



RICARDO FREWIN, M.D.

OXONIENSI,

JOHANNES FREIND

S. P. D.

CUM in otio jucundiſſimo, Domicilioque & ingeniis & literis florente, communia utriuſque noſtrum ſtudia coleremus, perſæpe inter nos (quod Tu probe, Vir Amiciſſime, meminiſti) uti de univerſa Medicinæ ratione, ita præcipue de Veterum in hac re Scriptorum præſtantia, collocuti ſumus. Qui quidem non in ſua modo arte verſatiſſimi, ſed omni doctrinæ genere eruditi atque exculti fuiſſe videbantur; & tum intelligendi, tum ſcribendi Auctores graviſſimi ac Magiſtri extitiſſe. Ii autem cum omnia præclare dixerint, hoc tamen in argumento, in quo medicum exercitatiſſimum eſſe oportet, potiſſimum elaborarunt, ut morborum Hiſtorias accurate deſcriberent, Signorumque diſcrimen omne & ipſi diligenter notarent, & aliis diſerte diſtincteque explicarent. Quare ii demum, qui diuturno uſu atque obſervatione morbis medendis operam dederunt, hæc Veterum monumenta & intelligunt facillime, & maxime admirantur.

In hoc ſcriptionis genere excellere ſatis noſti, principem inter Latinos, Celſum, virum haud mediocris ingenii; quem ſiquis ex Rhetorum Scholis profectum, & dicendi potius quam medendi artificem putaverit, næ is in re Medica parum ſe eſſe intelligentem arguit: qui enim artem hanc noſtram penitius callent, illum non ſermonis elegantia magis, quam curandi peritia inſignem ſentiunt. Vellem quidem Cœlium Aurelianum libros ſuos non ea loquendi barbarie

barbarie inquinaſſe, quæ medicinæ ſtudioſos fere a legendo deterreat; nam, præterquam quod multa Veterum ſcripta, quæ haud alibi uſpiam extant, ei tanquam conſervatori debeamus, in notis morborum enarrandis diſcernendiſque & copioſus eſt & accuratus; inque opere ſuo diſponendo non ordinem ſolum, ſed judicium adhibuit: certe, cum Latinè ſcribere præ ſe tulerit, ſi linguæ Romanæ vim tenuiſſet, jure inter primos haberetur. Græcorum viam eandem inſiſtentium, licet ætate fere ex ultimis unum, (inter Aetii ſcilicet atque Pauli tempora interjectum) hac tamen in laude haud infimum poſueris, Alexandrum Trallianum; qui, ſi ei, utpote longe lateque peregrinato, verba quædam extranea condonaveris, ſermone ſatis brevi ac luculento, quemadmodum de ſe ipſe pollicetur [a], uſus eſſe videbitur: fortaſſe quædam in eo Empirica, quædam etiam ſuperſtitioſa, ne dicam Magica, reprehendes; ſed utcunque in Remediis tradendis fuerit longior, quippe qui emeritus atque admodum " ſenex experimenta, quæ multo uſu atque exercitatione " didiciſſet, in commentarios redegerit," ea tamen, quæ ad morbos internoſcendos pertinent, & diligenter perſecutus eſt, & dilucide enarravit. Neſcio an in hoc numero recenſendus ſit, de re quidem Medica optime meritus, Galenus: nam ille, cum pleraque veterum, Hippocratis præſertim, more quodam profeſſorio (ornato illo quidem, &, ſubtili licet, tamen minime jejuno) auditoribus ſuis exponere inſtituerit, non eo ad ſcribendum animo videtur acceſſiſſe, ut hunc de morbis pertractandis locum uno aliquo opere abſolveret: tamen in his, quæ apud illum diſperſa atque confuſa habentur, Sylvam reliquit, unde maxima ex parte volumina ſua ſatis operoſe contexuerunt, primum Oribaſius, mox deinde Aetius, & tandem, utriſque junior, Paulus. Horum vero ſive diligentiam, ſive ſubtilitatem longe ſuperavit, licet in doctorum manibus rarior ſit, Vir & peracuti ingenii & in arte medica haud inexercitatus, Aretæus: qui, nullius ſcrinia compilans, morbi cujuſque tam acuti, quam diuturni ſigna primus literis prodidit; eaque ſtylo concinno & enucleato imprimis, utpote Hippocratis elegantia tinctus, ita diſerte ac vivide deſcripſit, ut eum jam prope audeas perfectum ſcriptorem dicere. Nam plane perfectum, & cui nihil admodum deſit, omnium, quotquot ſecuti ſunt, parentem unicum, Hippocratem facile dixeris; eundem & perbrevem, & perornatum. Horum in monumentis illa, quæ Antiquiſſimis quibuſcunque in ſuo genere Auctoribus fere propria eſt, elucet ſcribendi divina quædam cum ſimplicitate conjuncta vis; quam poſterorum plerique ita non attigere, ut ne perſpexerint quidem. Itaque intelligentium omnium judicio inter ſcriptores Medicos eundem, quem Poetas inter Homerus & Virgilius, aut inter Oratores Cicero & Demoſthenes, locum obtinent.

Quare cum in Veterum Medicorum ſcriptis verſati, quanto ſæpius & diligentius ea pervolvimus, tanto magis eorum præſtantiam ſuſpi-

[a] Præf. lib. 12.

ceremus,

ceremus, tanto vehementiore legendi ſtudio ac delectatione teneremur, (quo potiſſimum experimento veriſſimum ſit de optimis, quavis in ſcientia, ſcriptoribus judicium) mirari inter nos ſolebamus, quæ nobis adeo placuerint, illa a multis neglecta eſſe; imò & præ Recentiorum quorundam libris omnino videri contemnenda, utpote ad medicinæ ſtudioſos parum opis allatura. Quaſi vero ii, quorum laus eſt non modo fundamenta artis noſtræ jeciſſe, ſed exædificaſſe id opus quod inſtituerant, ædificandi rationem nullam tenerent; iique, e quorum fontibus cuncta medentium gens ſuam, quæcunque ſit, hauſit ſcientiam, ipſi interim nihil ſcirent.

Enimvero ex ipſis Recentioribus, qui accuratiſſime morborum enarrationem tradiderunt, veterum fere veſtigia perſecuti ſunt; quemadmodum magno cum judicio fecit, in hoc ſcribendi genere facile princeps, &, ſi unum excipias Celſum, auctor Latinus maxime, Lommius. Cæterorum, qui hos viæ duces atque auctores relinquere, novamque & a priſcis minime tritam ſemitam inire voluerunt, alii argumentum ipſum, de quo ſcribunt, haud ſatis percipiunt; alii id, quod uſu aſſecuti ſunt, literis tamen illuſtrare neſciunt: ita ut iis vel medendi facultatem, vel ſcribendi defuiſſe plane intelligas. Nec aliam cauſam reperio, cur in infinito pene ſcriptorum numero, qui his duobus proximis ſeculis hunc de morbis locum attigerunt, tanta ſit bene ſcribentium paucitas; niſi quòd veterum ſcripta minus verſaverint, ſtylumque vel ad nullam, vel ad Recentiorum quorundam normam effinxerint. Ad quæ ſane exempla quicunque ſe nimium ſtudioſe componit, multa inde vitia, tum in ſcribendo, tum in judicando contrahet; priſcamque illam ſcriptionis Medicæ ſanitatem haud unquam aſſequetur.

Neque enim ſermonem ſolummodo inquinatum, & verborum quaſi monſtra Recentiores intulere; ſed morborum explicationem omnem ita commentis Philoſophicis referſere, ut fabulas potius Medicas, quam Hiſtorias concinnaſſe videantur. Hinc fit, ut, ſi medendi ſcientiam ſpectes, vel futilia tradant præcepta, vel etiam, quod legentibus magis fraudi eſt, vitioſa: quippe quæ ut plurimum ad ipſorum Hypotheſes, ita quippe loqui amant, accommodata ſint & conficta. Multos, qui hoc vitio inſigniter laborant, facile eſſet recenſere: Unus omnium inſtar ſit, prægrandis libri auctor, Sylvius De le Boe, quem quidem ut unicum, qui Febrium rationem recte tradiderit, Scriptorem deprædicat Etmullerus. Quid tamen ex Sylvii lectione ad nos fructus redundavit, quàm ut, quæ juvenes fortaſſe ſatis avide arripuimus, nunc dediſcenda perdendaque eſſe fateamur? Scilicet omnibus Medicinæ ſtudia colentibus id fere accidit incommodi, ut longum tempus in hoc vel illo Auctore legendo ſæpe conteramus, priuſquam id ſatis odorati ſimus, nos fruſtra legiſſe. Ex hac eadem vel tolerabilium ſcriptorum penuria fit, ut poſt renatas literas, licet innumerabiles fere rei Medicæ excolendæ incubuerint Scriptores, curandi tamen artem non æquis paſſibus provectam eſſe jure queramur.

Sed neque ſuam Recentioribus laudem detrahere velim; qui quidem in duabus rebus, ad medendi facultatem maxime pertinentibus, feliciter verſati ſunt: nam & Artem Anatomicam ſubtiliſſime excoluerunt, inventiſque compluribus locupletarunt; & Medicamentorum vim omnem varietatemque incredibili induſtria perſecuti ſunt. Tamen his ipſis etiam in rebus eſt forte, quod requiras; neque enim adhuc, poſtquam Harveus id jam tunc meditans fato ceſſerit, repertus eſt ſcriptor, qui ſatis aperuerit, quantum Medicinæ inſervire poſſint (& certe plurimum poſſunt) rationes ex Anatomiæ fontibus depromptæ: neque ingens illa Remediorum ſylva ita diſpoſita eſt atque diſtincta, ut non medicum aliquando implicitum teneat, ipſaque in medendo officiat ſupellectilis medicæ copia. Quam multi cum ita uberem viderint, & ſemel hiſce medicamentorum formulis ſeſe ſatis inſtruxerint, protinus ad morbi genus omne pellendum ſibi videntur idonei accedere: cum tamen longe aliud ſit in materia medica exercitatum eſſe, aliud mederi.

Quantum interim Veteres artis noſtræ Auctores in ſcribendo excelluerint, haud alias clarius patet, quam ex his, quos quaſi munuſculum aliquod ad Te jam mitto, Epidemiorum libris: in quibus preſſe licet, ita plene explicatur Febrium Hiſtoria, ut ſint qui, brevi hoc commentariolo paululum immutato inque diffuſius volumen traducto, magnum ſibi nomen quæſiverint: ita tamen pure atque luculenter, ut hihil hic affectatum, nihil abſtruſum, nihil a communi ſenſu longius remotum invenias. Scripſit nimirum Hippocrates non inani famæ inhians, ſed humani generis utilitati conſulens: non tam eum ut admirentur legentes, quam ut intelligant. Tantum abfuit ab obſcura multorum diligentia, ut ſcriptor ille ſimplicitatis amantiſſimus, quæ ad Signa Febrium Curationemque pertinent ſatis habens ediſſerere, de morbi Cauſis, quæ fortaſſe nos latent latebuntque ſemper, ne verbum quidem fecerit. Itaque ſermone eleganti admodum atque ad rei naturam appoſito (quamvis contracto plurimum, ac conciſo) uſus, variam Cœli temperiem expoſuit, febriumque tum diverſitatem & multiplicem ſeriem, tum quendam inter ſe nexum & quaſi conſpirationem notavit; deinde vias, quibus eæ abigi ſolent, recenſuit: Ultimo in loco, ut melius dirigi poſſet medentis judicium, ægrotantium hiſtorias ſubjunxit. "Obſervationes [b] quidem particulares in lucem datas non ita mag- "nam, ſe judice, afferre utilitatem" exiſtimat Sydenhamus: quam tamen ſententiam a Te ita parum probari ſcio, ut facile animadvertas "conſummatam illam & fixam medendi methodum," pro qua ille tantopere contendit, ex hac ipſa caſuum, ut aiunt, Singularium accurata conſideratione fuiſſe conſtructam. Certe ægrotantium Hiſtoriæ ſigillatim enarratæ, ſi cum fide & judicio pertractentur, id commodi habent, ut minutiſſima quæque morbi diſcrimina, in quibus internoſcendis maxime perſpicitur medici acumen, ob oculos nobis dilucide ponant, certamque medendi rationem quaſi

[b] Præf. Morb. Acut.

digito

digito commonſtrent. Has ſumma arte deſignavit Hippocrates; & iis tantum, in quibus totius rei cardo vertebatur, immoratus, morbi formam & lineamenta in ægroto quolibet iis coloribus expreſſit, ut, quanquam ipſe de curandi via conticeſcat, qualis demum ea debeat eſſe via, intelligenti haud difficiliter appareat.

Vides, ut ſimplex omnino ac perſpicua ſit illa, quam Hippocrates ſecutus eſt, ſcribendi ratio: perpendamus paululum, quam demum tenuerint, qui ſe omnem de Febribus doctrinam expoliviſſe jactitant, Recentiores. Quorum hoc eſſe vitium commune advertis, quod ita ſuo ingenio indulgent; ita commentitiam quandam philoſophiam ſectantur, ut ad quamcunque ſunt Hypotheſin quaſi tempeſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcant; ad eam tum Signorum omnium, tum Remediorum rationem detorqueant. Itaque apud eos cauſam Febrium deductam legimus, "ab humo-"morum putredine; ab Archæi accenſione; a ſanguinis Fermenta-"tione, ebullitione, efferveſcentia; a ſulphuris & nitri incendio; "a turbata ſanguinis mixtione, & Spirituum ἀταξίᾳ; a ſucci Pan-"creatici acore; a globulis rubris in motum excitatis; a Spirituum "vitalium expanſione; a miaſmate quodam deleterio, quod Spiri-"tus Animales contaminat, inque eorum Syſtemate deliteſcit." Horum ego nihil quicquam me intelligere poſſe plane profiteor, neque Tu, credo, intelligis. Etiam ipſe Sydenhamus, Vir in Philoſophando perparcus, dum rebus ſe philoſophicis immiſcet, in quandam quaſi obſcuritatis latebram delapſus eſſe videtur; neque enim ſatis aſſequor, quid illa velint, "maligna aura, humorum deſpu-"matio, ſanguinis commotio ob materiam quandam Heterogene-"am, ſuccorum ſpecifica exaltatio, ſive ſpecificatio," neque fortaſſe ipſe aſſecutus eſt. At, inquies, condonanda eſt hæc in Cauſis Febrium tradendis obſcuritas, de quibus forte nulla ratio inſtitui poteſt, niſi commentitia & obſcura. Fateor; neque ſuas iis Hypotheſes inviderem, modo intra hos limites conſiſterent, & in curatione morborum explicanda ſibi temperarent. Sed in hac etiam re ſimiliter peccant; itaque ſi quonam modo tractari oporteat febres, quæſiveris, hæc oraculorum more prolata reportabis; "Mineram "morbi eſſe eradicandam; confuſionem Archæi eſſe ſedandam, "quod unice facit Mercurius Diaphoreticus; Deflagrationem rite "eſſe peragendam, ſupprimendam flammam, ſulphur extinguen-"dum, in quo quidem præ cæteris valet Diaceltateſſon: particulas ſalino-ſulphureas ſudoriferis excutiendas eſſe; Aciditatem medica-"mentis Aromaticis, Saleque Volatili præditis, corrigendam; Va-"pores noxios, quibus ſpiritus ſuffocantur, eliminandos; Antido-"tum fermento venenato, pro varia veneni indole, eſſe adhibendum. Vellem, qui Febrium originem Microſcopiis detexit, curationem aliquando oculis ſubjiceret. Indignor fere hiſce fabulis, ſeu potius ineptiis enumerandis immorari: vides certe, Vir optime, tecumque omnes, qui quidem ſapiunt, facile ſentiunt, quem exitum habitura

ſit

ſit eorum de Febribus aut explicandis, aut ſanandis commentatio, qui ita in ipſo limine delirant.

Pergant hi Novatores ab antiquorum veſtigiis abhorrere, ſeque majorem inventionis & ingenii gloriam habituros putent, ſi vetuſtatem contemnere, & cum oratore Antonio ne noſſe quidem Græcos videantur. Nos eorum caſtra, quorum ſub ſignis Tirones militavimus, ne temere deſeramus; præſertim cum majores noſtros, qui in hac Inſula inclaruerint, Medicos omnium ubicunque terrarum & gentium celeberrimos, memoria recolamus. Horum enim ut erat quiſque ſuæ artis ſcientiſſimus, ita maxime ſolebat Veterum exemplaria reſpicere, & ſeſe ad eorum tum medendi tum ſcribendi normam diligentius conformare. Hinc ex ævi ſui obſcuritate emerſerunt, quaſi nova orbis noſtri lumina, Linacrus & Caius; qui, Græcis & Latinis literis eruditi, ad perlegenda Veterum monumenta viam nobis aperuerunt, artemque Medicam jacentem tum & prope intermortuam inſtauraverunt denuo, & ſcriptis illuſtrarunt. Id Galeno, rem Anatomicam tractanti, debet Harveus: id Hippocrati, Febrium Hiſtoriam explicanti, Sydenhamus; quod, dum ab illo deſcriptas corporis humani partes percurrimus, eas oculis ipſis uſurpare; dum ab hoc enarratos morborum proceſſus legimus, ipſis ægrotis præſentes aſſidere videamur. Eadem etiam & nobis tenenda eſt via, ſi anteceſſorum exemplis adjuti atque accenſi, aut famæ noſtræ, aut noſtratium ſaluti conſulere avemus.

Quare Tu, Vir Integerrime ac Doctiſſime, qui apud Academicos multa jamdiu cum laude verſaris, ab iiſque merito coleris, pro ea, qua vales, gratia atque authoritate, Juvenes & Medicinæ & Tui ſtudioſos hortabere, ne, ut fieri ſolet, ad ediſcendum grande aliquod & univerſale rei Medicæ corpus præpropere ſeſe applicent, ſed Artis ſuæ magiſtris optimis & principibus ſtatim aſſueſcant; nec prius ſitim ſuam rivis expleri ſinant, quam fontes ipſos deguſtaverint. His adjumentis inſtructi Academici, magnum olim ornamentum noſtro apud Londinenſes Collegio allaturi ſunt. In quo id jam a Præſide eruditiſſimo & celeberrimis Sociis ſtrenue agitur, ut recaleſcere poſſint antiquæ laudis ſtudia, & ſuus utiliſſimæ ſcientiæ honos conſtare. Dum hæc præclara meditantur Viri, in omni doctrinæ genere exercitati, eorum conſiliis haudquaquam obeſſe videor, ſi poſſim forte meis hiſce conatibus ad eadem ſtudia Juniorum animos commovere. Tu, Amice Cariſſime, inceptis meis, ut ſoles, favebis, eaque, ut potes, plurimum adjuvabis, & Hippocratis, & humaniorum literarum, &, ſi id adjicere liceat, mei, ut & ego viciſſim Tui, amantiſſimus.

Hæc ego, occupatior paulo, quam par eſt ei qui legentibus ſatisfacere velit, fortaſſe ſcripſi. Si cui interim ad rem Medicam uſui futura ſint, hoc quicquid erit commodi inde profectum eſſe lubens agnoſcam, quod intra Ædis Chriſti parietes, domeſtica ſecutus exempla, Veterum ſcriptis perlegendis tempus maxime impende-

rim:

rim: ſtudiorumque rationem eam, quam jam optimam eſſe expertus didici, feliciter a primis tenuerim. Quare id temporis, quod in illa politioris literaturæ arce Tecum una ſuaviſſime traduxi, nunquam ſine voluptate maxima in memoriam revoco. Quam cogitationem & Tibi eſſe ſcio pariter jucundam, licet iſtis a mœnibus propius cum abſis, hanc oblectandi animi viam minus requiras.

Jamque vale, & Matris ſerva communis amorem.

Dabam Cal.
Dec. 1726.

LECTORIS.

QUID in hoc Hippocratis opuſculo a me præſtitum ſit, Lector benevole, paucis accipe. Hujus ſcripta, prout hactenus edita ſunt, mendis atque erroribus per omnes fere paginas ſcatere comperi. Quippe Veneta Aldi Editio, antiquiſſima quidem, ſed cum manca imprimis, tum etiam in iis, quæ eduntur, admodum vitioſa eſt: caſtigatior paulo Froebeniana; quam Hieronymus Mercurialis ita in pleriſque ſecutus eſt, ut aliquando errores ipſos exſcripſerit; Foeſiana, vitio licet haud immunis, eſt tamen caſtigatiſſima. Nam Lindanus, uti multa ſuopte ingenio novavit, ita quædam ſatis pro imperio aut repudiavit, aut ſaltem omiſit: Charterius vero ad id, quod ſuſceperat muneris, ita parum attendiſſe videtur, ut ſpecioſum illud quod exhibuit Hippocratis exemplar, ſit omnium, Editoris non inſcitia fortaſſe, ſed incuria ſaltem mendoſiſſimum. Id obiter animadvertere liceat, in his maxime Epidemiorum libris, Charterii operam deſiderari: nam neque notulas, neque variantes lectiones, ſicuti in cæteris Hippocratis ſcriptis, neſcio quam ob cauſam, attexuit.

Quid in hac re auxilii a Manuſcriptis peti poſſit, haud ſatis ſcio: certe qui in Anglia unicus eſt, quantum intelligo, Epidemiorum Codex Baroccianus non multum nos adjuvat; nam licet ſatis antiquus ſit, & cum libris quibuſcunque Chartaceis vetuſtate contendat, in pluribus locis tum mutilus eſt, tum vitioſus; eaſdemque fere lectiones, quæ aut in Manuſcriptis a Foeſio memoratis, aut in vulgatis Editionibus, Aldina præſertim, habentur, repræſentat. Etiam ea, quæ in Aldina deſunt, in hoc itidem Codice deſiderantur, uti pag. 178. ẏ 9. p. 180. ẏ 15. p. 181. ẏ 21. p. 189. ẏ 17. p. 205. ẏ 15. Quicquid vero novi ſuggerat, quod ex re ſit, a cæteris prætermiſſum, ad finem hujus opuſculi curioſus Lector reperiet.

Igitur, cum in unius cujuſcunque Editionis veſtigiis minime mihi inſiſtendum eſſe ſentirem, id potius legentibus ex re fore arbitrabar, ut quid in quaque accuratius videretur, excerperem: relicta enim aliis divinandi peritia, nihil, niſi præeunte auctore aliquo, immutandum decrevi. Qualem in hac re delectum adhibuerim, judicent ii,

qui

qui ſtyli Hippocratici guſtum habent, quibuſque otium eſt variantes Lectiones penſitare. Sit hoc pro omnibus exemplum, Περιεσηκὸς, *lib.* 1. 22. *quam lectionem unus Charterius exhibuit; cæteri, vel* Περιεσικὸν, *vel* Περιεχλικὸν, *MS. Baroccianus etiam* Περιεσηκὸν, *nullo prorſus ſenſu legunt. Foeſius quidem, tam in Notis quàm in Hippocratis Oeconomia,* Περιεσηκὸς *legendum eſſe docet; in ſuæ interim Editionis Textu* Περιεσικὸν *retinet. Id autem Foeſii conſilium ſæpe mirari ſoleo, quod etiam ea, quæ ipſe non modo corrigi debere, ſed a ſe eſſe correcta typiſque commiſſa dicat, nequaquam tamen mutata ediderit. Itaque quicquid in Doctiſſimi Viri illius Notis emendatius occurreret, in Textum haud dubitanter recepi. Ejuſdem quoque Foeſii Interpretationem Latinam, utpote ad Hippocratis mentem præ aliis accommodatam, pauciſſimis mutatis, exhibui.*

Hippocratem lingua Ionica ſcripſiſſe inter omnes conſtat: quare, cum hos Epidemiorum libros edendos ſuſceperam, id tentare volui, num Textus ad Dialecti iſtius regulam recudi poſſet. Sed tentanti conſilium illud uti fortaſſe non parum confidentiæ, ita & plurimum difficultatis habiturum videbatur. Id quod Græcarum literarum callentiſſimum percepiſſe video, Wintertonum. De Hippocrate enim locutus, hæc ſubjicit. " [a] *Conſultis variis Exemplaribus nullum inveni, in* " *quod ſive Tranſcriptorum Atticorum incuria, ſive Typographorum* " *oſcitantia, multis in locis lingua communis, aut Dialectus Attica* " *in locum Ionicæ, id eſt, Hippocraticæ non irrepſerat; ut in hujuſ-* " *modi exemplis, (niſi me fallit mea conjectura)* ξυμφέρει, ξυμπλώσιας, " ξυγνοσέει, *&c. pro* συμ συν---χρῆσθαι, δεῖται, ἀποχωρέσαι, κινεῖν, ἦρ, " ἦρος, *&c. pro forma incontracta* χρέεσθαι, *&c. ut patet in plurimis* " *locis:* τοῖς, ταῖς, *pro* τοῖσι, τῇσι, *per Proſchematiſmum Ionicum.* " *Longum eſſet omnia enumerare. Quid agerem? Solus ego meo u-* " *nius judicio confiſus omnium authoritati refragarer? Scribendi ra-* " *tionem immutarem? Typis ederem? Sunt fortaſſe, quibus id arro-* " *gantis, & novis rebus ſtudentis, videri poſſet.*

Neque aut communi aut Attica ſolum, ſed & Dorica interdum locutione, Patria ſcilicet, uſus eſt (ut vulgo editur) Hippocrates; ut ne ad cætera ſcripta provocemus, in voce νοσεῦντα *lib.* 1. 11. φθίνευσιν *lib.* 1. 21. σκοπεύμενον *lib.* 1. 21. ἰδρῶντες *lib.* 3. 15. ἡγεῦμαι *lib.* 3. 21. δωδέκατος *lib.* 1 & 3. *quam quidem poſtremam voculam, ſi non Doricam, certe Atticam, in textum Herodoti, ſcriptoris maxime Ionici, loco* δυωδέκατος [b], *a Gronovio receptam eſſe video.*

Lindanus, contra Exemplarium omnium fidem, fere ubique ξυν *pro* συν, *quamvis id ſit Atticorum, ponit. In cæteris, magis quam Editores reliqui, Ionicæ linguæ tenorem eſt ſecutus. Nam præterquam quod* α *per* η *plerumque efferat, inque quamplurimis formam incontractam eamque Ionicam ſervet (ut* κρίσιος, δύσιος, *non* κρίσεως, δύσεως, *quemadmodum Editores cæteri) Dativos plurales in* οισι & ῃσι *more Ionum, neſcio an ex Manuſcriptorum fide, an ſua auctoritate, format. Atque eum quidem, quantum ad hæc attinet, ſequi non dubitabam.*

[a] Præfat. in Hippoc. Aphor. [b] Lib. 3. p. 197.

Sed

Sed hæc Dialectorum confusio, non ad unicum Hippocratem, sed ad omnes fere, qui Sermone Ionico *scripserunt, pertingit. De Exemplaribus loquor, quæ ad manus nostras pervenerunt. Idque verum esse sentiet, quicunque vel Aretæum, vel Arriani Indica, vel Herodotum ipsum diligentius excusserit. Hac ipsa de re olim questus est Henricus Stephanus*[c], *hancque in voculis scribendis inconstantiam, quæ apud Herodotum sæpius occurrit, notavit: quam tamen non scriptori, sed Librariis imputat. Etiam novissima Herodoti Editio Ionicam locutionem haud semper æque sectatur: etenim, utcunque Græcismum remolliverit atque Ionismos bis mille restituerit Vir Cl. Gronovius, multa tamen vocabula, quæ plane ad Ionum normam expressa retinuerunt Editiones reliquæ, ab eo rejecta esse video; aliaque in eorum locum substituta, quæ tamen Dialecto Ionicæ minus respondent. Id fortasse satis cum judicio factum: si modo id verum sit, quod*[d] *Æmilius Portus notavit, "Herodotum non semper, nec in omnibus, ac "iisdem nominibus, verbis, aut locutionibus, eodem Ἰωνισμῷ constan"ter uti; sed modo Ionicam, eamque variatam, modo Atticam, mo"do communem, Doricam etiam linguam liberius usurpare, ita ta"men ut in ejus scriptis Ionica inter alias Dialectos palam emineat & "dominetur. Unde factum, ut Ionice locutus censeatur.*

Notulas sive Characteras, qui in libro tertio leguntur Historiis subscripti, de industria omisi, utpote non ineptos minus, quam explicatu difficiles: quod si cui libeat in Græculorum nugis, aut Ænigmatis potius, retexendis operam perdere, Galenum is & Foesium adeat, qui has otiosorum hominum ineptias fusius, atque etiam nimium patienter, enarrare dignati sunt. Eodem consilio in Textum minime recipienda duxi, quæ tanquam morborum indicaturæ sub Historiarum fine occurrunt, πυρετὸς καῦσος, *lib.* 3. *s.* 1. 10. καῦσος, *lib.* 3. *s.* 2. 9. φρενιτιῶία, 10. φρενιτικὸς, 13. φρενῖτις, 14, 15, 16. *quippe quæ sine dubio supposita sint.*

Sed de his fortasse nimis multa. Neque enim æquum est, Lectorem, ad res utiles maxime & salutares properantem, hujusmodi minutiis recensendis morari. Ea autem, quæ ad rem Medicam propius spectant, ad calcem hujus opusculi collocanda arbitrabar: utpote quæ Hippocrate jam perlecto, melius intelligentur.

[c] Præf. in Herodot. [d] Præf. Lex. Ionic.

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΕΠΙΔΗΜΙΩΝ

Τὸ ΠΡΩΤΟΝ.

HIPPOCRATIS DE MORBIS VULGARIBUS LIBER PRIMUS.

ΤΜΗΜΑ ΠΡΩΤΟΝ.

Καλάσασις Πρώτη.

1. ΕΝ Θάσῳ, φθινοπώρου, πρὸς ἰσημερίην ἢ ὑπὸ Πλειάδα, ὕδατα πολλὰ, ξυνεχέα, μαλθακὰ, ὡς ἐν νοτίοισι. Χειμὼν νότιος· σμικρὰ πνεύματα βόρεια· αὐχμοί. τὸ σμόλον εἰς γε χειμῶνα, οἷον ἦς γίνεται. Ἦρ ὃ νότιον, ψυχινόν· μικρὰ ὕσματα. Θέρος ὡς τὸ πολὺ ὑπανέφελον· ἀνυδρίαι. Ετησίαι, ὀλίγαι, σμικραὶ, διεσπασ-

SECTIO PRIMA.

Status Primus.

1. IN Thaſo ad autumnum, circiter Æquinoctium & ſub Virgiliarum occaſum, pluviæ multæ, continentes, & leves fuerunt, non ſecus ac ſpirantibus auſtris. Hyems auſtrina, quæ flatus aquilonares parvos, & juſto majores ſiccitates habuit: atque etiam in totum veri ſimilis fuit. Ver autem auſtrinum, frigidum, parvas habens pluvias. Æſtas ut plurimum nubila, in qua ab imbribus ceſſatio fuit. Anniverſarii venti, (qui Eteſiæ dicuntur) parum, tenuiter, disjunctim, ſegregatimque ſpirayere. Exiſtente

διεπασμῴως ἔπνευσαν. Γενομῴης δ᾽ τ᾽ ἀγωγῆς ὅλης ἐπὶ τὰ νότια, κ᾽ μ᾽ αὐχμῴ, περὶ μὲν τὸ ἦρ ὑπ᾽ τ᾽ πρόσθεν καλασάσι ὑπεναντίης κ᾽ βορείᾳ γρομῴης, ὀλίγοισιν ἐγρύοντο Καῦσοι· καὶ τετέοισι πάνυ ὀξαθεῖς· ὃ ὀλίγοισιν ἡμορράγεεν· οὐδ᾽ ἀπέθνησκον ὑπ᾽ τετέων. Επάρμαλα δ᾽ κ᾽ τὰ ὦτα, πολλοῖσιν ἑτερόρροπα· καὶ ἐξ ἀμφοτέρων τοῖσι πλείοισιν ἀπύρησιν ὀρθοσάδιω· ἔσι δ᾽ οἷσι κ᾽ μικρὰ ἐπεθερμαίνοντο· καλέσθη πᾶσιν ἀσινέως· οὐδ᾽ ἐξεπύησεν οὐδενί, ὥσπερ τὰ ἐξ ἄλλων περφασίων. Ην δ᾽ ὁ τρόπος αὐτέων, χαῦνα, μεγάλα, κεχυμῴα, ὑ μ᾽ φλεγμονῆς, ἀνώδυνα, πᾶσιν ἀσήμως ἠφανίσθη. Εγρύετο δ᾽ ταῦτα μειρακίοισι, νέοισιν, ἀκμάζουσι· καὶ τούτων τοῖσι περὶ παλαίσρω κ᾽ γυμνάσια πλείοισι· γυναιξὶ δ᾽ ὀλίγῃσιν ἐγρύετο. Πλείοισι δ᾽ βῆχες ξηραί· βήσσουσι, κ᾽ ὀδὲν ἀνάγουσι· κ᾽ φωναὶ βραγχώδεες, ὑ μ᾽ πολύ. Τοῖσι δ᾽ κ᾽ μ᾽ χρόνον φλεγμοναὶ μετ᾽ ὀδυνῆς ἐς ὄρχιν ἑτερόρροπαι· τοῖσι δ᾽ ἐπ᾽ ἀμφοτέρους. Πυρετοὶ, τοῖσι μὲν, τοῖσι δ᾽ οὔ· ἐπιπόνως ταῦτα τοῖσι πλείοισι· τὰ δ᾽ ἄλλα, ὁκόσα κατ᾽ ἰητρεῖον, ἀνόσως διῆγον.

2. Περὶ δ᾽ τὸ θέρεος ἀρξαμῴου, καὶ διὰ θέρεος κ᾽ κ᾽ χειμῴα, πολλοὶ τῷ ἤδη πολλῳ χρόνον ὑποφθειρομῴων, φθινώδεες καλεκλίθησαν· ἐπεὶ κ᾽ τοῖσιν ἐνδοιασῶς ἔχουσι, πολλοῖσιν ἐβεβαίωσε τότε. Εσι δ᾽ ὅσιν ἥξαλο πρῶτον, τελέοισιν ἔρρεπεν ἡ φύσις ἐπὶ τὸ φθινώδες. Απέθανον δ᾽ πολλοὶ κ᾽ πλεῖσοι τελέων· κ᾽ τῶν καλαχλιθέντων οὐκ οἶδ᾽, εἴ τις κ᾽ μέτριον χρόνον διεγρύετο. Απέθνησκον δ᾽ ὀξυτέρως, ἢ ὡς εἰθισαι διάγειν τὰ τοιαῦτα· ὡς τά γε ἄλλα κ᾽ μακρότερα ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἐόντα ὀφόρως ἤνεγκαν, κ᾽ οὐκ ἀπέθνησκον, περὶ ὧν γεγράφε). Μόνον γὰ δ᾽ μέγιστον τῶν τότε γρομῴων νουσημάτων, τὸς πολλὸς τὸ Φθινώδες ἔλειπεν.

3. Ην

ſtente igitur toto nos ambientis aeris ſtatu auſtrino & ad magnas ſiccitates vergente, ante ver quidem, quod ſuperior ſtatus ſubcontrarius & aquilonius factus fuerit, paucis febres ardentes contigerunt, eæque valde mites & facillime conſiſtentes, quæ neque ſanguinis ex naribus profuſionem niſi paucis, neque mortem attulerunt. Multis vero aurium tumores ſubnaſcebantur, qui in alteram partem vergebant, pleriſque etiam in utramque, iiſque febre vacuis & in erectum ſtantibus nec decumbentibus, etſi nonnullis pauliſper incaleſcerent; omnibus abſque noxa extincti ſunt, neque cuiquam, velut ii, qui alias ſui ortus cauſas habent, ſuppurationem fecerunt. Horum autem ea fuit natura, ut molles & laxi eſſent, magni, diffuſi aut ſparſi, ſine inflammatione & dolore, omnibuſque ſenſim & ſine ulla ſignificatione evaneſcerent. Fiebant iſta quidem adoleſcentibus, juvenibus, ætate florentibus, atque horum plurimis, qui in palæſtra & gymnaſiis exercebantur; mulieribus vero paucis contingebant. Multis tuſſes aridæ & inanes, quibus cum tuſſi nihil educebatur, nec ita multo poſt voces rauceſcebant. Quibuſdam vero ex temporis intervallo inflammationes cum dolore in alterum teſtem erumpebant, quibuſdam etiam in utroſque. Alii quidem febribus corripiebantur, nonnulli verò ſine febre perſiſtebant. Atque adeo hæc ipſa plurimis gravia & moleſta fuere. De reliquo autem quod ad ea attinet, quæ ad Chirurgiam ſpectant, in his inculpate habebant.

2. Ante vero æſtatis initium, & per ipſam æſtatem, atque etiam ad hyemem, eorum multi, qui jam longo intervallo conſumpti erant, tabefacti decubuerunt, ſiquidem & multis de tabe in dubium venientibus, ipſa tunc eſt confirmata. Eſt ubi etiam eos, qui natura erant ad tabem prompte comparata, tum primum occupavit. Ex his multi atque etiam plurimi interierunt; atque haud ſcio, ſi quis ex decumbentibus etiam modico tempore ſuperfuit. Celerius vero interierunt, quam talia tranſigi ſoleant, præſertim cum alios & diuturniores & cum febribus conjunctos pertulerunt, nec interierunt, de quibus paulo poſt ſcribetur. Solus namque & eorum qui tunc viguerunt maximus morbus, multos Tabes ipſa peremit.

3. Eorum

3. Ην ὴ τοῖσι πλείσοισιν αὐτέων τὰ παθήμαθα τοιάδε· φεικώδεες πυρετοὶ, ξυνεχέες, ὀξέες· τὸ μὴν ὅλον ȣ̓ διαλείποντες. ὁ ὴ τρόπος, ἡμιτριταῖος· τιὼ μιὼ κεφολέρῳ, τῇ δ' ἑτέρῃ ἐπιπαροξυνόμενοι· κὴ τὸ ὅλον ἐπὶ τὸ ὀξύτερον ἐπιδιδόντες. Ιδρῶτες ὴ αἰεὶ, ȣ̓ δι' ὅλȣ· ψύξις ἀκρέων πολλὴ, καὶ μόλις ἀναθερμαινόμενα. Κοιλίαι ταραχώδεες, χολώδεσιν, ὀλίγοισιν, ἀκρήτοισι, λεπτοῖσι, δακνώδεσι· πυκνὰ ἀνίσανθο. Οὖρα ὴ ὠὴ λεπτὰ κὴ ἄχρα κὴ ἄπεπτα κὴ ὀλίγα, ἢ πάχος ἔχοντα κὴ μικρὼ ὑποσάσιν, ȣ̓ καλῶς καθισάμενα, ἀλλ' ὠμῇ τινι κὴ ἀκαίρῳ ὑποσάσει. Εθνοσον ὴ μικρὰ, καὶ πυκνά· πέπονα, κατ' ὀλίγον, μόλις ἀνάγοντες. Οἵσι ὴ τὰ βιαιόταθα ξυμπίπτοι, ȣ̓δ' ἐς ὀλίγον πεπασμὸς ὠὴ, ἀλλὰ διετέλεον ὠμὰ πίνοντες. Φάρυγγες ὴ πλείσοισι τȣ́των, ἐξ ἀρχῆς κὴ διὰ τέλεος, ἐπώδυνον εἶχον, ἔχοντες ἐρυθρὸν μὴ φλεγμονῆς· ῥόμβαθα σμικρὰ, λεπτὰ, δεμέα· ταχὺ τηκόμενοι, κὴ κακόμενοι· ἀπόσιοι πάντων γȣμάτων διὰ τέλεος, ἄδιψοι· κὴ ἁλῶναι πολλοὶ ἐπὶ θάνατον. Περὶ μὴν τὰ Φθινώδεα, ταῦτα.

4. Καθὰ ὴ θέρος ἤδη κὴ φθινόπωρον, πυρετοὶ πολλοὶ, κὴ ξυνεχέες, ȣ̓ βίαιοι· μακρὰ ὴ νοσέȣσιν, ȣ̓ ὴ ἐπὶ τὰ ἄλλα δυσφόρως διάγȣσιν, ἐγχρόνιο. Κοιλίαι ταραχώδεες τοῖσι πλείσοισι πάνυ δυσφόρως, κὴ ȣ̓δὲν ἄξιον λόγȣ περιέβλαπτον. Οὖρά τε τοῖσι πλείσοισιν, εὔχροα μὴν, κὴ καθαρά· λεπτὰ ὴ, κὴ μὴ χρόνον, ἐπὶ κείσιν πεπαινόμενα. Βηχώδεες ȣ̓ λίην, ȣ̓δὲ τὰ βησσόμενα δυσκόλως· ȣ̓δ' ἀπόσιοι, ἀλλὰ κὴ διδόναι πάνυ ἐνεδέχετο. Τὸ μὴν ἓν ὅλον, ὑπενόσεον ⓓ Φθινώδεες, ȣ̓ τὸν φθινώδεα τρόπον· πυρετοῖσι φεικώδεσι σμικρὸν ἐφιδρῶντες, ἀλλοτε ἄλλοι ὡς παροξυνόμενοι πεπλανημένως· τὸ μὴν ὅλον, ȣ̓κ ἐκλείποντες· παροξυνόμενοι ὴ, τελαιοφυέα τρόπον. Ἐκεῖνο ὴ τȣ́των, οἵσι τὰ βραχύταθα γίνοιτο, ἐπὶ εἰκοσιὼ ἡμέρῃσι· τοῖσι ὴ πλείσοισι, ἐπὶ

3. Eorum autem plurimis hujuſmodi affectus aderant, febres horroris ſenſu inſignes, aſſiduæ & acutæ, in totum quidem non deſinentes, ſed quæ erant ex ſemitertianarum genere, uno die leviores, altero vero inſuper ingraveſcentes, omninoque vehementius increſcentes. Sudores autem perpetui, non tamen per totum corpus diffuſi, extremorum refrigeratio multa, quæ vix quidem incaleſcebant. Alvi conturbatæ biliosa, pauca, ſincera, tenuia, mordacia egeſſerunt, crebroque aſſurrexerunt. Urinæ tenues, crudæ, decolores atque paucæ, aut craſſitudinem & paucum quod deſideret habentes, neque probe conſiſtentes, ſed in quibus ea, quæ ſubſidebant, cruda & intempeſtiva erant. Tuſſiendo vero pauca, denſa, concocta rejiciebant, & quæ paulatim, ac non niſi ægre educerentur. Qui autem violentiſſime conflictabantur, iis ne parva quidem concoctio adfuit, ſed perpetuo cruda expuebant. Horum etiam plurimis fauces ſtatim & ad extremum uſque rubore & inflammatione affectæ doluerunt, fluxionibuſque parvis, tenuibus & acribus tentati, cito conſumpti, maleque vexati ſunt, perpetuo cibos omnes averſabantur, neque ſiti capiebantur, multique circa mortem delirabant. Atque iſta quidem Tabidis contigerunt.

4. Jam vero ad æſtatem & autumnum febres multæ, aſſiduæ, neque violentæ prehendebant, iſtaque diu laborantibus, non his, qui cætera moleſte habebant, contigerunt. Alvi plurimis valde placide conturbatæ ſunt, nihilque effatu dignæ noxæ attulerunt. Urinæque plurimis boni quidem coloris & puræ aderant, ſed tenues, & quæ tandem judicationis tempore concoquebantur. Hi non admodum tuſſiculoſi erant, neque ea quæ tuſſi rejiciuntur negotium exhibebant, neque cibum non averſabantur modo, verum etiam exhibendi illius facilem faciebant copiam. In ſumma igitur, afficiebantur qui tabeſcebant, non quomodo cæteri tabidi ſolent; ſed febribus cum horroris ſenſu correpti parum inſudabant, interdum alii vagas quodammodo & errabundas acceſſiones habebant, neque in totum febres deſinebant, ſed quæ in ſpeciem tertianarum inſultus facerent. Inter eos autem, quibus erant breviſſimi morbi, ii ad vigeſimum diem judica-

tione

περὶ τεσσαρακοστὸν· πολλοῖσι δ', περὶ ὀγδοηκοστὸν· ἔστι δ' οἷσιν, ἐς δ' ἔτως, ἀλλὰ πεπλανημένως τε καὶ ἀκρίτως ἐξέλιπον. Τελέων δὲ τοῖσι πλείστοισιν, ἐς πολλὸν διαλείπουσες χρόνον, ὑπέστρεψαν ἡ πυρετοὶ πάλιν· ἐπὶ δὲ τῶν ὑποστροφέων ἐν τῆσιν αὐτῆσι περιόδοισιν ἐκείνουτο. Πολλοὶ δὲ αὐτέων ἀνήγαγον, ὥστε καὶ ὑπὸ χειμῶνα νοσέειν. Ἐκ πάντων δὲ τῶν ὑπογεγραμμένων ἐν τῇ καλιασάσει ταύτῃ, μένοισι τοῖσι Φθινώδεσι θανατώδεα ξυνέπεσεν· ἐπὶ τοῖσι δ' ἄλλοισι πυρετοῖσιν ἐκ ἐγίνετο.

ΤΜΗΜΑ ΔΕΥΤΕΡΟΝ.

Καλίασις Δευτέρα.

5. ΕΝ Θάσῳ, πρωὶ τὸ φθινοπώρου, χειμῶνες ἐ κατὰ καιρόν· ἀλλ' ἐξαίφνης, ἐν βορείοισι καὶ νοτίοισι πολλοῖσιν, ὑγροὶ καὶ πρόσκαιροι. Ταῦτα δὴ ἐγίνετο τοιαῦτα, μέχρι Πλειάδος δύσιος, καὶ ὑπὸ Πλειάδα. Χειμὼν δὲ βόρειος· ὕδατα πολλὰ, λαῦρα, μεγάλα· χιόνες· μιξαίθρια τὰ πλεῖστα. Ταῦτα δὲ ἐγίνετο μὴ πάντα, ἐ λίην δὲ ἀκαίρως τὰ τῶν ψυχέων. Ἡδὴ δὲ μετ' ἠλίου τροπὰς χειμερινὰς, ἐς νίκα Ζέφυρος πνέειν ἄρχει, ὀπισθοχειμῶνες μεγάλοι· βόρεια πολλά· χιὼν, καὶ ὕδατα ξυνεχῶς πολλά· καὶ ἀρτιος λαιλαπώδης, ἐς ἐπινέφελος· ταῦτα δὲ ξυνέτεινε, καὶ ἐκ ἀνίει μέχρις ἰσημερίης. Ἦρ δὲ ψυχρὸν, βόρειον, ὑδατῶδες, ἐπινέφελον· θέρος ἐ λίην καυματῶδες ἐγίνετο. Ἐτησίαι ξυνεχῶς ἔπνευσαν· ταχὺ δὲ περὶ Ἀρκτοῦρον, ἐν βορείοισι πολλὰ πάλιν ὕδατα. Γενομένου δὲ τοῦ ἔτεος ὅλου ὑγροῦ, καὶ ψυχροῦ, καὶ βορείου, καὶ χειμῶνα μὴ ὑγιηρῶς εἶχον τὰ πλεῖστα· πρωὶ δὲ τοῦ ἦρος, πολλοί τινες ἐς καὶ πλεῖστοι διῆγον ἐπινόσως.

6. Ἡξαντο μὲν ἔν τὸ πρῶτον ὀφθαλμίαι ῥοώδεες, ὀδυνώδεες, ὑγραὶ,

tione ſolvebantur; pleriſque vero ad quadrageſimum, nonnullis etiam ad octogeſimum. Eſt ubi ne ſic quidem, ſed errabunde & nulla obſervata judicatione, quibuſdam deſinerent. Horum quoque plurimis, quæ non longo poſt intervallo remiſerant febres reverſiones fecerunt, iiſdemque dierum ambitibus poſt ipſas reverſiones judicabantur. Earumque nonnullæ ægros ita produxerunt, ut ſub hyemem affligerentur. Ex his autem omnibus, qui in hac ſtatus conditione deſcripti ſunt, ſolis tabidis lethalia contigerunt, in aliis vero febribus nequaquam obvenere.

SECTIO SECUNDA.

Status Secundus.

5. ANTE Autumnum in Thaſo tempeſtates non tempeſtivæ, ſed cum multis auſtris & aquilonibus repentinæ & humidæ prorupere. Tuliaque ad Vergiliarum occaſum uſque, & ſub Vergilias ipſas extitere. Hyems autem aquilonia, aquæ multæ, vehementes, magnæ, nives, hiſque intermixta ut plurimum aeris ſerenitas. Atque iſta omnia contingebant, nec certe admodum inopportuna erant frigora. Jam vero poſt brumale ſolſtitium, eoque tempore quo ſpirare incipit Favonius, extremæ hyemis frigora magna fuere, aquilones multi, nives & pluviæ continenter multæ, cœlumque cum ventorum turbine nimboſum & nubilum, eaque ipſa non remiſerunt, ſed ſe ad æquinoctium extenderunt. Ver autem frigidum, aquilonium, pluvioſum nubilumque: neque admodum æſtuans æſtas fuit. Venti anniverſarii continenter ſpiravere, ſtatimque ad Arcturum perflantibus Aquilonibus aquæ admodum multæ. Exiſtente igitur anno toto humido, frigido & aquilonio, ad hyemem quidem ut plurimum bene valuerunt, ante ver autem plerique omnes moleſte & graviter vitam traduxerunt.

6. Primum itaque Lippitudines fluentes, cum dolore, humentes & crudæ obortæ ſunt, ſordes

ὑγραὶ, ἄπεπτοι· ζμικραὶ λημίαι πολλοῖσι δυσκόλως ἐρρηγνυμέναι, τοῖσι πλείοσιν ὑπέστρεφον· ἀπέλιπον, οὐδὲ πρὸς τὸ φθινόπωρον. Κατὰ δὲ θέρος ἤδη καὶ τὸ φθινόπωρον, δυσεντερώδεες, καὶ τεινεσμοὶ, καὶ λειεντερώδεες, καὶ διάῤῥοιαι χολώδεες, λεπτοῖσι, πολλοῖσιν, ὠμοῖσι, καὶ δακνώδεσιν· ἔσι δ' ὅτε καὶ ὑδαλώδεες. Πολλοῖσι δὲ καὶ περιῤῥοιαι μὴ πόνε χολώδεες, ὑδαλώδεες, ξυσμαλώδεες, πυώδεες, σφαγεδαινώδεες· οὐ νεφελικαὶ, ἀλλὰ τετέοισιν ἀντ' ἄλλων ἄλλα. Ἐμέλοι χολώδεες, φλεγμαλώδεες· καὶ ζιτίων ἀπέπτων ἀναγωγαί. Ἰδρῶτες· πᾶσι πάντοθεν πυκνὸς ὁ πλάθος. Ἐγίνετο δὲ ταῦτα πυκνοῖσιν, ὀρθοσάδην ἀπύρεξισι· πολλοῖσι δὲ πυρέτοισι, περὶ ὧν γεγράφεται. Ἐν οἷσι δέ τε ἐπεφαίνοντο πάντα τὰ ὑπογεγραμμένα, μὴ πόνε φθινώδεες. Ἤδη δὲ φθινοπώρε καὶ ὑπὸ χειμῶνα πυρετοὶ ξυνεχέες· καὶ τοῖσιν αὐτέων ὀλίγοισι καυσώδεες· ἡμερινοὶ, νυκτερινοὶ, ἡμιτριταῖοι, τριταῖοι ἀκριβέες, τεταρταῖοι, πλάνητες.

7. Ἑκασοι δὲ τῶν ὑπογεγραμμένων πυρετῶν πολλοῖσιν ἐγίνοντο. Οἱ μὲν ἔν καῦσοι, ἐλαχίσοισί τε ἐγίνοντο, καὶ ἧκισα τῶν καμνόντων ἔτοι ἐπόνησαν· ὅτε γὰρ αἱμορραγίαι, εἰ μὴ πάνυ ζμικραὶ, καὶ ὀλίγοισιν, ὅτε ⊕ παράληροι· τάτε ἄλλα πάντα διάφορος. Ἐκείνετο δὲ τετέοισι πάνυ διτάκτως· τοῖσι πλείοσι ξυὺ τῇσι διαλιπούσῃσιν ἐν ἑπταικαίδεκα ἡμέρῃσιν. Οὐδὲ ἀποθανόντα οὐδένα οἶδα τότε ἐν καύσῳ· οὐδὲ φρενιτικὰ τότε γινόμενα. Οἱ δὲ τεταῖοι, πλείες μὲν τῶν καύσων καὶ ἀπονώτεροι· διτάκτως δὲ τέτοισι πᾶσιν ἀπὸ τῆ πρώτης λήψιος, τέσσαρας παροξύνε· ἐν ἑπτὰ δὲ τελέως ἐκείνοντο· οὐδ' ὑπέστρεψαν οὐδενὶ τέτων. Οἱ δὲ τεταρταῖοι, πολλοῖσι μὲν ἐξ ἀρχῆς, ἐν τάξει τεταρταίε, ἤρξαντο· ἔσι δ' οἷσιν οὐκ ὀλίγοισιν ἐξ ἄλλων πυρετῶν καὶ νουσημάτων ἀποστάσιες ἐς τεταρταίους

in oculis concretæ (quas lemias vocant) parvæ, nec sine difficultate multis erumpebant, quæ cum plurimis revertissent, tandem ad autumnum reliquerunt. Jam vero per æstatem & autumnum, ex intestinorum lævitate & torminibus; continuaque & inani egerendi cupiditate laborarunt: alvique fluidæ, biliosa, tenuia multa cruda & mordacia, nonnunquam etiam aquosa dejecerunt. Plerisque etiam circumflui, non sine dolore, humorum affluxus contigere; biliosi, aquosi, strigmentosi, purulenti, & qui urinæ difficultatem facerent, non ex proprio aliquo renum vitio, sed quod istis alia in aliorum vicem succederent. Vomitiones pituitosæ, biliosæ, & crudorum ciborum eductiones. Ac sudores aderant, atque omnibus undequaque diffluebat humiditas multa. Multis autem hæc fiebant, qui erecti & stantes a febribus erant vacui, plerisque etiam febre correptis, de quibus mox scribetur. In quibus vero descripta omnia deprehendebantur, ii non sine labore tabidi evadebant. Jam quidem ad autumnum & sub hyemem febres erant assiduæ, atque eorum paucis quibusdam ardentes, diurnæ, nocturnæ, semitertianæ, tertianæ exquisitæ, quartanæ, erraticæ.

7. Atque enumeratarum febrium singulæ multis oboriebantur, ardentes vero omnino paucis, iisque ex ægrotantibus minimum laborarunt; nam neque sanguis ex naribus nisi paucus admodum, iisque paucis profluxit, neque delirarunt, cæteraque omnia placide tulere. Horum plurimis bene admodum constituto & composito judicationis ordine, febris ardens cum intermissione in septendecim diebus solvebatur. Atque haud scio an quisquam tunc ex hac ipsa interierit, aut ad phrenitim devenerit. At vero tertianæ plures quidem quam ardentes & laboriosiores fuerunt, atque in his omnibus rite & ordine a primo insultu ad quaternos circuitus processere, in septem vero absolute judicabantur, neque horum cuiquam reverterunt. Quartanæ autem multis per initia certo & fato quartanæ tenore cœperunt, quibusdam vero non paucis, ex aliis febribus & morbis, secessus in quartanas fiebant, longæque his pro consuetudine, atque etiam interdum longiores contingebant. Sed & quotidi-

ταξιαίως ἐγκύπλο· μακρὰ δὲ καὶ ὡς εἰθισαι τετέοισι, καὶ ἔτι μακρότερα ξυνέπιπλεν. Ἀμφημερινοὶ δὲ καὶ νυκτερινοὶ, καὶ πλάνητες πολλοῖσι πολλοὶ, καὶ πυκνὼ χρόνον παρέμβυον· ὀρθοσάδιν τε, καὶ κατακειμβύοισι. Τοῖσι πλείοισι τελέων ὑπὸ πληϊάδα καὶ μέχει χειμῶνος ὁ πυρετοὶ παρείπονλο. Σπασμοὶ δὲ πυκνοῖσι, μᾶλλον δὲ παιδίοισιν ἐξ ἀρχῆς· καὶ ἐπύρεσσον, καὶ ἐπὶ πυρετοῖσιν ἐγίνονλο σπασμοί. Χρόνια μὲν τοῖσι πλείοισι τελέων, ἀβλαβέα δὲ, εἰ μὴ τοῖσι καὶ ἐκ τῶν ἄλλων πάντων ὀλεθρίως ἔχουσιν.

8. Οἱ δὲ ξυνεχέες μὲν τὸ ὅλον, καὶ ὐδὲν ἐκλείπονλες, παροξυνόμενοι δὲ πᾶσι τελαιοφυέα τρόπον· μίκρ ὑποκαθίζονλες, καὶ μίκρ παροξυνόμενοι, πάντων βιαιόταλοι τῷ τότε χρονίων καὶ μακρόταλοι, καὶ μὴ πόνων μεγίσων χρόνιοι· πρηέως δεχόμενοι, τὸ ὅλον ἐπιδιδόντες αἰεὶ, ἐς παροξυνόμενοι ἐν κρισίμοισι, καὶ ἀνάγοντες ἐπὶ τὸ κάκιον· ὀλιγὰ διακαθίζονλες· καὶ ταχὺ πάλιν ἐξ ἐπιδέσιος, βιαιοτέρως παροξυνόμενοι ἐν κρισίμοισιν, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ κακόμενοι. Ῥίγεα δὲ πᾶσι μὲν ἀτάκτως καὶ πεπλανημένως ἐγίνετο· ἐλάχιστα δ' καὶ ἥκιστα τετέοισιν, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ἄλλων πυρετῷ μείζω. Ἰδρῶτες πολλοί· τετέοισι δ' ἐλάχιστοι, καθίζονλες ὐδὲν, ἀλλ' ὑπεναντίον, βλάβας φέρονλες. Φύξις πολλὴ τετέοισιν ἀκρέων, ὀλίγη ἀναθερμαινόμενα· ὐδὲ ἄχρυπνοι τὸ ὀλίγον· μάλιστα δ' ἔτοι ὀλίγον πάλιν κωμαλώδεες. Κοιλίαι πᾶσι μὲν ταραχώδεες καὶ κακαὶ, πολὺ δ' τετέοισι κάκισαι. Οὖρα δ' τοῖσι πλείοσοι τετέων, ἢ λεπτὰ, ὀλίγα, καὶ ἄχρα, καὶ μὴ χρόνον ὀλίγον πεπαινόμενα κρισίμως· ἢ πάχει μὲν ἔχονλα, θολερὰ δ' καὶ ὐδὲν καθιζάνονλα, ὐδ' ὑφιζάνονλα, ὐδὲ πεπαινόμενα· ἢ ὀλίγα, καὶ κακὰ, καὶ ὠμὰ τὰ ὑφιζάνονλα· κάκιστα δ' ταῦτα πάντα. Βῆχες μὲν παρείπονλο τοῖσι πυρετοῖσι· γράψαι δ' οὐκ ἔχω βλάβην, ὐδ' ὠφελείην

anæ nocturnæque & errantes multæ diuque plerisque perseveravere, tum erectis, tum decumbentibus. Horumque plurimos febres sub Vergilias & in hyemem usque comitabantur. Multos autem statim ab initio præcipueque pueros convulsiones cum febre tentabant, quæ etiam febribus succedebant. Erantque hæc plurimis diuturna quidem, innoxia tamen, nisi si quibus cætera omnia perniciem adferrent.

8. At vero continuæ quidem omnino febres erant nihilque intermittebant, sed omnes invadebant earum febrium more, quæ ad tertianarum naturam propius accederent; uno quidem die leviores, altero vero vehementiores, omnium quæ tunc contingerent violentissimæ, longissimæ & laboriosissimæ; per initia leves & in totum perpetuo increscentes diebus judicatoriis insultus habebant, & in deterius procedebant; quæ etiam cum parum allevassent, celeriter rursus ex intermissione vehementius invadebant, & diebus judicatoriis magna ex parte deterius affligebant.

In his omnibus rigores incompositi & errabunde contingebant, pauciſſimique & minimi, verum in cæteris febribus majores. Ut & sudores multi, his vero perpauci nihilque allevantes, sed contra noxiam afferentes. His magna extremorum perfrictio, quæ vix etiam recalescerent. Neque penitus pervigiles erant, maxime vero hi etiam viciſſim sopore gravabantur. Alvi omnibus quidem conturbatæ erant maleque affectæ, istis vero multo pessime. Horum autem plurimis urinæ aut tenues erant crudæque & decolores, aliquantoque post intervallo nonnihil concoctæ, non sine judicatoriis signis: aut crassitudine quidem præditæ, verum turbidæ, nihil consistentes aut subsidentes, neque concoctæ: aut paucæ, vitiosæ, crudæ, subsidentes, & in summa pessimæ omnes. Tusses quidem febres comitabantur, sed neque quam utilitatem aut noxam tunc tussis attulerit, licet scribere. Diuturna itaque & difficilia hæc erant, valdeque incomposite & errabunde atque

citra

ὠφελείω γιγνόμενον διὰ βηχὸς τότε. Χρόνια μὲν ἂν ᾖ δυσχερέα, ᾖ πάνυ ἀτάκτως ᾖ πεπλανημένως, ᾖ ἀκρίτως τὰ πλεῖστα τετέων διετέλει γινόμενα, ᾖ τοῖσι πάνυ ὀλεθρίως ἔχουσι, ᾖ τοῖσι μή. Εἰ γάρ τινας αὐτέων διαλίποιεν ὀλιγοχρόνιον, ταχὺ πάλιν ὑπέστρεφον· ἔστι δ' οἷσιν ἕκαστον αὐτέων ὀλίγοισιν, οἷσι τὰ βραχύτατα γίνοιτο, ἐς δὲ ὀγδοηκοστὸν ἔβαν, ᾖ τετέων ἐνίοισιν ὑπέστρεφον, ὥστε μὴ χαλεπὸν εἶναι πλείους αὐτέων ἔτι νοσέειν· τοῖσι δὲ πλείστοισιν ἀκρίτως ἐξέλιπον. Ὁμοίως δὲ ταῦτα ξυνέπιπτε τοῖσι ἐξεγινομένοισι, ᾖ τοῖσιν ἔπειτα.

9. Πολλῆς δέ τινος γινομένης ἀκρισίης, ᾖ ποικίλης ἐν τοῖσι νοσημάτων, καὶ μεγίστου μὲν ξυμπτώματος ᾖ κακίστου διὰ τέλεος παρεπομένου, τοῖσι πλείστοισιν, ἀποσίτους εἶναι πάντων γευμάτων, μάλιστα δὲ τετέων, ὅσοι ᾖ τ' ἄλλα ὀλεθρίως ἔχοι. Διψώδεες δὲ λίην ἀκαίρως ἦσαν ἐπὶ πυρετοῖσι τούτοισι. Γενομένων δὲ χρόνων μακρῶν, ᾖ πόνων πολλῶν, ᾖ κακῆς ξυντήξιος, ἐπὶ τετέοισιν ἀποσάσιες ἐγίνοντο, ἢ μείζους, ὥστε ὑποφέρειν μὴ δυνάσθαι, ἢ μείους, ὥστε μηδὲν ὠφελέειν· ἀλλὰ ταχὺ παλινδρομέειν, καὶ ξυνεπείγειν ἐπὶ τὸ κάκιον. Ἦν δὲ τετέοισι τὰ γινόμενα δυσεντερικώδεα, ᾖ τεινεσμοὶ, ᾖ λειεντερίαι, ᾖ ῥοώδεες· ἔστι δ' οἷσι ᾖ ὕδρωπες, μετὰ τούτων καὶ ἄνευ τούτων· ἄσαι. Ὅ, τι δὲ ξυναγείροιτο τούτων βιαίως, ταχὺ ξυνήγειρε, ἢ πάλιν ἐπὶ τὸ μηδὲν ὠφελέειν. Ἐξανθήματα μικρὰ, ᾖ οὐκ ἀξίως τῆς ἐπιβολῆς τοῦ νοσημάτων, ἐς ταχὺ πάλιν ἀφανιζόμενα· ἢ ἀπὸ τὰ ὦτα οἰδήματα μωλυόμενα, ᾖ οὐδὲν ἀποσημαίνοντα. Ἔστι δ' ὅτε ἐς ἄρθρα, μάλιστα δὲ ᾖ τὸ ἰσχίον, ὀλίγοισι κατὰ μῆνα ἀπολιπόντα· καὶ ταχὺ πάλιν ἐπικαθιζόμενα ἐπὶ τὸν ἔξ ἀρχῆς ἔξιν.

10. Ἐθνικὸν δὲ, ἐκ πάντων μὲν, πλεῖστοι δὲ ἐκ τετέων παιδία, ὅσα ἀπὸ γάλακτος ἤδη, ᾖ πρεσβύτερα ὀκταετέα ᾖ δεκαετέα, ἐς ὅσα περὶ ἥβης. Ἐγίνετο δὲ τούτοισι ταῦτα, οὐκ ἄνευ τῆς

πρώτων

citra ſolutionem horum plurima, tum his qui exitialiter valde, tum his qui nequaquam ita ſe haberent, permanebant. Si quibus enim aliquantulum intermitterent, in iis celeriter reverſiones faciebant; eſt ubi quibuſdam iiſque paucis, ad octogeſimum diem cum breviſſime judicatione ſolverentur, nonnullis repeterent, ut etiam in hyemem eorum plurimi ægrotarent. Pleroſque vero omnes abſque judicatione deſerebant. Hæc autem tum his qui ſuperſtites erant, tum iis qui moriebantur, ex æquo contigerunt.

9. Cumque multa eaque varia eſſet in morbis judicationis ceſſatio, maximum ſane & peſſimum ſignum pleroſque omnes ad extremum uſque proſecutum eſt, quod cibos omnes averſarentur, iique maxime qui cætera quoque exitialiter haberent. In his vero febribus non admodum inopportune ſiticuloſi erant. Longo autem progreſſu temporis, cum & labores multi malaque corporis extenuatio fieret, his humorum ſucceſſus aut viribus ſuperiores, aut minores quam ut prodeſſent quicquam, ſuccedebant, ſed qui confeſtim intro recurrerent & in deterius contenderent. Atque his aderant inteſtinorum tormina, crebræ & inanes egerendi cupidines, inteſtinorum lævores & alvi fluentes, nonnullis etiam aqua inter cutem cum ejuſmodi enumeratis caſibus, aut ſine his contingebat: ſtomachi faſtidia. Ex his vero quicquid violenter urgebat, aut ſtatim e medio tollebat, aut prorſus nihil conferebat. Papulæ parvæ, quæ nec ſatis pro dignitate morborum excretioni reſpondebant, ſed contra celeriter diſparebant, aut aurium tumores oboriebantur qui ſenſim, & ſine ulla ſignificatione evaneſcebant. Nonnullis ad articulos præcipueque ad coxendicem decumbebant, paucis decretorie deſinebant, ſed celeriter rurſus priſtinum habitum aſſequebantur.

10. Ex quovis autem hominum genere interibant quidem, atque ex his plurimi pueri jam a lacte depulſi, iique quibus ætas paulum proceſſerat, octennes aut decennes, nec dum etiam puberes. Atque iſta quidem his non ſine ſuperius deſcriptis, multis vero ſuperiora abſque his contingebant.

πρώτων γεγραμμένων· τὰ δὲ πρῶτα πολλοῖσιν, ἄνθρωπε τετέων. Μέγιστον δὲ χρηστὸν καὶ μέγιστον τῶν γινομένων σημείων, καὶ πλείστους ἐρρύσατο τῶν ὄντων ὑπὸ τοῖσι μεγίστοισι κινδυνώδεσιν, ὅσιν ἐπὶ τὸ σφαγειῶδες ἐτράπετο, καὶ ἐς τοῦτο ἀποστάσιες ἐγίνοντο. Ξυνέπιπτε δὲ καὶ ἐν τοῖσι πλείστοισι τὸ σφαγειῶδες τῆσιν ἡλικίῃσι ταύτῃσι γίνεσθαι μάλιστα. Ἐγίνετο δὲ καὶ τῶν ἄλλων πολλοῖσιν ὀρθοστάδιον, καὶ ἐπὶ τῶν νουσημάτων. Ταχὺ δὲ καὶ μεγάλη τις ἡ μεταβολὴ τούτοισι πάντων ἐγίνετο· κοιλίαι τε γὰρ, εἰ καὶ τύχοιεν ἐφυγραινόμεναι, καχοήθεα τρόπον ταχὺ ξυνίστανται· γούμασί τε πᾶσιν ἡδέως εἶχον· οὔτε πυρετοὶ πρηέες μὴ ταῦτα. Χρόνια δὲ τετέοισι τὰ ἀεὶ τοῦ σφαγείου, καὶ ἐπίπονα λῶ. Οὖρα δὲ τετέοισιν ἦεν πολλὰ, παχέα, καὶ ποικίλα, καὶ ἐρυθρὰ, μιξόπυα μετ' ὀδυνέων. Περιεγρήγορτο δὲ πάντες ὅτοι, καὶ ὀδύνεα τετέων οἶδα ἀποθανόντα.

11. Ὁκόσα δὲ ἀκινδύνως, πεπασμὸς τῶν ἀπιόντων πάντας πάντοθεν ἐπικαίρους, ἢ καλὰς καὶ κρισίμους ἀποστάσιας, σκοπέειν. Πεπασμοὶ ταχύτητα κρίσιος καὶ ἀσφαλείῃ ὑγιεινῇ σημαίνουσιν· ὠμὰ δὲ καὶ ἄπεπτα, καὶ ἐς κακὰς ἀποστάσιας τρεπόμενα, ἀκρισίας, ἢ πόνους, ἢ χρόνους, ἢ θανάτους, ἢ τῶν αὐτῶν ὑποστροφάς. Ὅ, τι δὲ τετέων ἔσαι μάλιστα, σκεπτέον ἐξ ἄλλων. Λέγειν τὰ παρεόντα, γινώσκειν τὰ παρεόντα, προλέγειν τὰ ἐσόμενα, μελετᾶν ταῦτα. Ἀσκεῖν περὶ τὰ νουσήματα δύο· ὠφελέειν, ἢ μὴ βλάπτειν. Ἡ τέχνη διὰ τριῶν, τὸ νόσημα, ὁ νοσέων, καὶ ὁ ἰητρός· ὁ ἰητρὸς ὑπηρέτης τῆς τέχνης· ὑπεναντιοῦσθαι τῷ νοσήματι, τὸν νοσεῦντα μετὰ τοῦ ἰητροῦ χρή.

12. Τὰ περὶ κεφαλὴν καὶ τράχηλον ἀλγήματα καὶ βάρεα μετ' ὀδυνέων, ἄνθρωπε πυρετῶν, καὶ ἄνευ πυρετοῖσι. Φρενιτικοῖσι μὲν ἀσασμοί· καὶ ἰώδεα ἐπανεμέουσιν· ἔνιοι ταχυθάνατοι τούτων. Ἐν καύσοισι

tingebant. Quibus autem ad urinæ difficultatem res tota se converterat, in eamque humorum secessus fierent, iis hoc unum utile omniumque efficacissimum signum fuit, quod etiam plerosque omnes ab imminenti maximo discrimine vindicavit. Accidit vero plurimis urinæ difficultatem potissimumque his ætatibus fieri, itemque aliis multis, qui etiam in morbis erecti obambulabant. Hic quoque subita quædam & magna omnium mutatio aderat; alvos namque si contigisset suas fuisse, eæ confestim pessime cogebantur, & ad omnes cibos alacres erant, posteaque placidæ febres tentabant. Verum quæ ad urinæ difficultatem spectabant, ea his diuturna & molesta fuere, urinæque copiosæ, crassiæ, & variantes & rubræ, partimque cum dolore purulentæ. Atque hi omnes superstites evasere, neque eorum quenquam interiisse cognovi.

11. In quibus vero casibus nullum periculum suspectum est, eorum quæ exeunt maturationes omnes, num undique tempestive procedant, considerandæ sunt; in quibus etiam num absessus bono sint, aut cum judicatione fiant, videndum est. Concoctiones judicationem brevi fore, & certam salubritatem portendunt; cruda vero & incocta, quæque in malos absessus vertunt, aut judicationis cessationem, aut dolorem, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorundem reversiones significant. Horum autem quodcunque maxime futurum sit, ex aliis considerandum. Summa cura anniti oportet, ut præterita enarres, præsentia cognoscas, & futura prædicas. Duoque ista elaboranda sunt, ut in morbis commodes, aut ne quid offendas. Artem tria ista circumscribunt, morbus, æger, & medicus, qui artis est administer: ægrumque oportet una cum medico morbo reluctari.

12. Capitis & cervicis dolores & gravitates, si febres comitentur, aut sine iis accidant, phrenitide quidem laborantibus ad convulsiones desinunt, præsertim ubi æruginosa vomitione refuderint: sed & eorum nonnulli celeriter intereunt.

σοισι

σοισι δὲ καὶ τοῖσιν ἄλλοισι πυρετοῖσιν, ὅσοι μὴ τραχήλου πόνος, καὶ κραταίφων βάρος, καὶ χολώδεα περὶ τὰς ὄψιας, ἢ καὶ ὑποχονδρίου ξυνάσις ἢ μετ' ὀδυνέων γίγνεται, τετέοισιν αἱμορραγέει διὰ ῥινῶν. Οἷσι δὲ βάρεα μὴ ὅλης τῆς κεφαλῆς, καρδιωγμοὶ δὲ καὶ ἀσωδέες εἰσὶν, ἐπανεμέουσι χολώδεα καὶ φλεγματώδεα· τὸ πολὺ δὲ παιδίοισιν· ἐν τετέοισι γὰρ οἱ σπασμοὶ μάλιστα. Γυναιξὶ δὲ καὶ ταῦτα, καὶ ἀπὸ ὑστερέων πόνοι. Πρεσβυτέροισι δὲ, καὶ ὅσοισιν ἤδη τὸ θερμὸν κρατέει, παραπληκτικὰ, ἢ μανικὰ, ἢ τρηχύτητες ὀφθαλμῶν.

Κατάστασις Τρίτη.

Morborum in genere deſcriptio, ampla utcunque ſit & accurata, conjecturis de medendi ratione formandis eo minus inſervit, quod neque in una aliqua ægrotatione univerſa reperiatur notarum congeries, neque in diverſis eadem conjunctio: id inſuper in hac re judicandi difficultatem auget, quod ipſæ illæ notæ, quæ in altero minime periculoſæ ſunt, in altero ſæpius mortem prænuntient. Inde fit, ut præcepta, quæ generatim de morbis hiſce curandis traduntur, mederi volentem aliquando vel non dirigant, vel etiam fallant. In ægrotantium vero Hiſtoriis, quæ ſigillatim enarrantur, ſecus accidit: hinc quippe non modo variam mali ipſius naturam, ſed tum affectionis cujuſque vim atque tempora, tum quo medicinæ genere in toto morbi decurſu utendum ſit, perdiſcimus.

Id abunde probat in his Commentariis Hippocrates: quem in hoc ſcribendi genere authorem ut antiquiſſimum, ita & accuratiſſimum agnoſcimus. Nam erat Vir ille, Celſo judice, [a] non arte modo, ſed & facundia inſignis. Galenus quidem hæc de Morbis Popularibus ad memoriam notaſſe Hippocratem ratus [b], fatetur interim eo animo compoſita fuiſſe, ut ederentur. Fuerunt certe, quæ ederentur, digniſſima. Sunt fortaſſe nonnulla, uti notat idem Galenus [c], quæ non attigit Hippocrates, utpote ad propoſitum ſuum minus ſpectantia: qui autem opus hoc cum aliqua judicandi ſolertia legerit, nihil unde vel morborum ſigna dignoſci, vel curandi ratio duci poſſit, intactum reperiet. Scripſit nimirum ut artifex artificibus, brevi quidem ſubtilique dicendi genere uſus, ſed expolito atque intelligentibus noto.

Itaque hoc nomine Primus & Tertius Epidemiorum Liber, qui ex Septem ſoli pro germanis habentur, nunquam ſatis prædicari queunt. Hos ſimul jungi volebam, non modo quod pulchre unoque ſtyli acumine ſint ſcripti, ſed quod, in eodem argumento verſati, unum quod-

a Præfat. b Gal. in 6. Epid. c Ibid.

dam

dam idque perfectum opus conficiant. Nam qui duodecim ægrotantium Hiſtorias in principio Tertii expoſitas ratione animoque luſtrarit, facile perſpiciet eos eodem plane morbo, ac illos qui in Primo memorati ſunt, laboraſſe; adeoque ad cœli conſtitutionem eam, quæ illic deſcribitur, referri oportere. Ita ut hi libri, ſubmonente Galeno, ob argumenti cognationem, mutuo inter ſe connecti debeant.

Eſt & alia ratio, quæ medicinæ curioſis hos libros præcipue commendet, quod in Febribus enarrandis toti ſint. Hoc etenim morbi genus, uti præ cæteris vulgare eſt, ita propter atrocitatem caſuum artem medicam impenſius deſiderat. Morborum nonnulli peculiari vel loco vel etiam ſeculo ingraveſcunt: Febres fere ſolæ ſunt omnibus æque terrarum partibus, omnibus æque ſeculorum ætatibus communes. Ita ut Hippocrates huic de Febribus ſermoni, veriſſimo ſenſu, Epidemiorum nomen indiderit. Etiam id obſervatu dignum eſt, quod ubi anni conſtitutio eſſet admodum diverſa, ut in Libro Primo & Tertio notatur, eadem prope fuerit Febrium ſpecies, eandemque tractandi rationem ſuggeſſerit.

Febres his, quas delineat Hippocrates, nequaquam abſimiles, & ortæ ſunt omni tempore, &, credo, orientur: quod ex omnium Authorum, præſertim e Sydenhami ſcriptis evincitur. Hic multa cum ſua laude, morem Hippocraticum ſecutus, Febres, quæ in quoque Annorum ſtatu increbuerint, diligenter atque enucleate deſcripſit; de quo tamen opere liceat mihi dicere, quod utcunque, ſive loci poſitione, ſive conſtitutione aeris, ab Anglia longiſſime diſcrepet Thaſos, inter Febres & ab illo & ab Hippocrate adumbratas minimum interſit diſcriminis. Id quoque vere mihi videor eſſe dicturus, Febres ipſas, quas pro varia annorum temperatione in diſtinctas ſpecies digerit Sydenhamus, non multum a ſe invicem abhorrere. Etenim, ſi forte Petechialem[a] exceperis, gradu potius, quam genere ſunt diſſimiles. Nulla quippe unquam, in quacunque tempeſtate, apparuit Febris, ubi ita conſtanter ſibi invicem reſponderint notæ, ut, quas in uno homine ſimul colligatas inveneris, eædem pariter in altero convenirent: nec tamen ideo non eodem illos morbo affici dixeris. Hæc ita ſe habere argumenti loco ſit, ipſa horum morborum tractatio: nam ad univerſas Octo, quas Clariſſimus vir diſtinguit, Febrium ſpecies ſimilem plane medendi rationem accommodatam video. Tantum abfuit, ut in diverſas curandi vias proceſſerit. Scribit quidem, "Febres continuas ita toto, quod aiunt, cœlo differre, "ut qua methodo, currente anno, ægrotos liberaveris, eadem ipſa, "anno jam vergente, forſitan e medio tollas:[b]" ſed ſi methodum, qua uſus eſt idem Scriptor in hiſce Febribus generis (ut vult) diſſimillimi curandis, quaque ille maxime excelluit, contemplemur, nullum omnio hujus rei reperiemus veſtigium. Ita fere ſupervacua eſt omnis, quæ nimis curioſe fit, diſtinctio: & præſertim medicinæ ſtudioſos adeo parum juvat, ut potius in errorem agat; falſo nimirum opinantes,

a De Morb. Acut. 216.

b De Morb. Epid. cap. 2.

opinantes, cum certam quandam morbo cuilibet proprietatis notam affictam viderint, propriam itidem esse omnino suam cuique medendi normam.

Hæc ideo a me dicta existimari velim, nequis ea, quæ de Febribus divine scripsit Hippocrates, ad nos minime pertinere arbitretur, veluti alio in cœlo alioque hominum genere concluſa.

Ut itaque ille his præcipue in scriptis, quantus Medicinæ sit Magister, ostendit; ita ego in iisdem explicandis, non inanem mihi operam posuisse videbor, si quam late pateant in omni Febrium Acutarum tractatione, quamque facillime in usus nostratium deduci possint exempla hæc Hippocratica, paucis indicavero. Neque enim Hippocratis Interpretem me profiteor; maneat sua gravi hoc opere perfunctis laus: multi sane ingenio atque eruditione præstantes viri verba & sententias non satis habuerunt fideliter exponere, nisi & cum cæteris Hippocratis locis diligenter contulissent: inter quos primas sibi merito vendicat Foesius. Galenus quidem de his Epidemiorum Libris integra confecit commentaria; in quibus tamen id sibi unice propoſuisse videtur, ut Dierum, quos Græci vocant κρισίμους, doctrinam traderet, atque hac potissimum Authoritate confirmaret. Etiam in Libris, quos de difficili Respiratione contexuit, omnes ægrotantium historias e Primo & Tertio Hippocratis recensuit atque illustravit; ita tamen, ut ea tantum, quæ ad spirandi rationem pertinerent, attingeret.

Alium longe mihi finem constituo, atque aliam insisto viam: id nempe unum mihi ob oculos habens, quod a cæteris plane præteritum video, ut ostendam, ex hoc ipso fonte hauriri posse, quæ desiderantur adeo in Febribus Acutis, medendi indicia. Quadraginta duas Febre acuta laborantium Historias nobis exhibet Hippocrates: ex his mortui sunt Viginti quinque; ex reliquis, qui salvi evaserunt, nemo, nisi Evacuatione aliqua interveniente, ad sanitatem perductus est. Perspicue hinc liquet, quid in hisce morbis depellendis moliatur Natura, & qua demum via Ars, quæ ad Naturæ regulam dirigenda est, debeat incedere.

Igitur ut rem omnem brevi expediam, liceat mihi Evacuationes illas, quibus hæ Febres solutæ sunt, percurrere: & deinde, quæ de præcipuis evacuandi generibus, qua potissimum ad curandi artem spectant, usu atque observatione explorata sunt, subjicere. Evacuationum, quas in his ægrotis recenset Hippocrates, modi sunt Septem. Fiunt enim

1. Per Sanguinis eruptionem; uti Lib. 1. Ægr. 7. Lib. 3. Sect. 2. Ægr. 7, 11, 12.

2. Per Sudores, uti Lib. 1. Ægr. 3, 6, 7, 13, 14. Lib. 3. Ægr. 3. Sect. 2. Ægr. 6, 7, 8, 10, 12.

3. Per Vomitum, Lib. 1. Ægr. 13.

4. Per Abscessum, Lib. 3. Ægr. 1.

5. Per Sputorum Exscreationum, Lib. 3. Ægr. 1. Sect. 2. Ægr. 8.

6. Per Urinæ profluvium, Lib. 1. Ægr. 6. Lib. 3. Ægr. 1, 5. Sect. 2. Ægr. 6, 9, 10.

7. Per Alvi fluxionem, Lib. 1. Ægr. 10. Lib. 3. Ægr. 3. Sect. 2. Ægr. 9.

Illud hic obſervatione dignum videtur, quod ſæpius notat [a] Hippocrates, quodque ex eo, aliud agens, haurit intelligentiſſimus Author Lommius [b], " Morbi liberationem pluribus vacuationibus, non " ſemper unica, perfici conſueſſe; ut ſi ea forte per Febrem fieri Ar- " dentem, ſanguine e naribus fuſo, cœperit, quam mox effuſi ſudo- " res complent abſolvuntque," ut Lib. 1. Ægr. 7. Lib. 3. Sect. 2. Ægr. 3, 7, 11, 12.

Sed antequam aggrediar ad ea quæ propoſita ſunt, haud alienum erit de curandi ratione, qua his in Febribus uſus eſt Hippocrates, pauca præfari. Remediorum ſane apud eum mentio occurrit rariſſima: in Lib. 1. Ægr. 1. Lib. 3. Ægr. 7. Sect. 2. Ægr. 3. præſcriptum eſſe legimus Clyſterem: in Lib. 1. Ægr. 1, 4, 5. Lib. 3. Ægr. 3, 7. Balanum: in Lib. 1. Ægr. 7. Capitis lotionem: in Lib. 3. Sect. 2. Ægr. 8. adhibita Fomenta, & Venam Sectam invenimus. In cæteris quonam medicinæ genere uſus ſit, omnino tacet Hippocrates: niſi fortaſſe Lib. 1. Ægr. 2, 12. dejectiones, quæ irritatione prodierunt, non naturali humorum acrimonia, ſed medicamenti ope factas cum Hieronymo Mercuriali intelligimus. Sane quod ad par illud ægrotantium attinet, quibus crapula febrim induxerit, materiæque paulum fluens alvus quotidie fere expreſſerit, medicinæ quæ ventrem duceret locus fuiſſe videtur.

Hoc Hippocratis ſilentio inducti, aliqui eum nullis curandi inſtrumentis, niſi quæ in ſingulis ægrotis recenſentur, uſum eſſe contendunt, & proinde Epidemiorum Commentarios ſcripſiſſe, ut eos tanquam ſui in Febribus tractandis inſtituti exemplar, relinqueret. Sed ſententiam hanc refellit ipſe Hippocrates, qui, etiam ubi de medendi genere conticeat, medicamenta fuiſſe exhibita diſerte doceat, veluti cum Lib. 3. Ægr. 9. & Sect. 2. Ægr. 5. ut in re deſperata, nulla profeciſſe ſcribit. Igitur ſi ſcire volumus, qualem in quoque morborum genere curationem inſtituerit, ex cæteris ſcriptis diſcendum eſt.

Sed ut huic argumento plenius ſatisfiat, Galeni, in Hippocratis medicina verſatiſſimi, judicium afferamus.

" [c] Quia vero non in Pythione tantum, ſed & in aliis ægris multis, " qui Sanguinis miſſionem, quantum nos ex ipſius ſcriptis conjicimus, " videbantur requirere, non invenitur aſcribere eam, alterutrum " neceſſe eſt cogitemus, aut non detractum illis hominibus ſangui- " nem, aut hoc eum auxilii in narratione omiſiſſe. Atqui nemini " eorum, qui id requirebant, miſſum fuiſſe eſt improbabile, cum " ille Vir remedium illud amaret: ut in germaniſſimis ſuis libris ſig- " nificavit, in Aphoriſmis, in Libro de Victu in Morbis Acutis, in Li- " bro de Articulis, ipſoque adeo in hoc Tertio de Vulgaribus morbis " Libro, ubi de quodam ægro in hunc modum ſcripſit: Octavo die cu-

a Lib. 1. 17. b Lib. 1. 39. c Comm. in Epid. 3. 1.

" bitum

" bitum ſecui; multum, ut debeat, fluebat. Nam cum octavo die " ſanguinem illi detraxerit, multo ſane prioribus diebus magis hoc " uſum præſidio cenſeas. Quod autem ſingulis non aſcripſerit, qui- " bus hoc adhibuit remedium ægris, cum meminerit eo minorum, " ipſiuſque adeo ſuppoſitionis Balani, improbabile eſt. Ergo ſiquan- " do utrinque eſt oratio abſurda, minus abſurdum eligendum eſt. " Cenſeo equidem auxilium in multis eſſe aſſumptum, quod præter- " miſſum in oratione ut clarum. Quo me adducit potiſſimum, " quod in iis prædictum eſt, quibus octavo die miſſus eſt ſanguis. " Etenim hoc ut rarum ſcripſit; & ſanguinis ante octavum diem " miſſionem ut conſuetam præteriit. Quod ſi in veris ſuis operibus, " magnis infeſtantibus morbis, ſemper ſanguinis miſſione utitur, ſimul " cum ea duo hæc reſpiciens, ætatem pariter & ægri vires: & his ip- " ſis in Libris de Vulgaribus morbis octavo die cuidam ait miſſum eſſe " ſanguinem, nihil aliud excogitare poſſumus, quam quod in ægris " quidem non præteritum fuerit hoc remedium, in narratione vero ut " clarum præteritum fuerit. Quare de Sanguinis miſſione, quia " oratio ad ægros ſpectat omnes, ſemel dixiſſe ſufficiat, ut & cætera " quæ ſunt communia." [a] Planiuſque alio loco idem, " In hoc uno " ægrorum primo & tertio libro deſcriptorum de Sanguinis miſſione " Hippocrates fecit mentionem, non ut ſolo cui ſanguinem miſiſſet, " ſed ut octavo die ſolo. Nam tum etiam Medici quaſi lege certa " ultra quartum diem venam non ſecabant. Quando igitur huic " octavo die miſſus eſt Sanguis, multo certe plures cenſeas Sanguinis " miſſionem requirentes, ſecundo, tertio, quarto die auxilio hoc " eſſe uſos. Reticuit autem Hippocrates, ſicut remedia alia omnia; " tamen neceſſe interdum habuit ſcribere, nihil eos ab iis quæ offere- " bantur adjutos fuiſſe, ut malignitatem ſuggereret morbi: neque " enim lucubrationem hic Curationis inſtituit, ſed Præſagitionis con- " ſcribere."

Hæc Galenus. Quibus id unum adjiciam, mihi nunquam perſuaderi poſſe, ut credam in muliere illa v. gr. Lib. 3. Ægr. 7. ad quintum uſque diem Anginam paſſa, neglectam fuiſſe ab Hippocrate Venæ ſectionem, qui in hoc morbo [b] ægrum cito ſuffocatum iri pronuntiat, niſi quis ſtatim auxilium ferat, venaſque & in brachiis & ſub lingua aperiat. Quid in Febribus Ardentibus, Phreniticiſque affectionibus, quarum utraque omnem fere hic implet paginam, feciſſe eum veriſimile eſt, qui, ubicunque acceſſerit Inflammatio, millies edicit, quam nulla ſpes ſine ſanguinis detractione ſit? In [c] Pleuritico item, qui non ante triceſimum quintum diem febre ſolutus eſt, an nihil niſi venam ſemel ſecuerit: Aut in [d] Puerpera, quam ad diem uſque octogeſimum Febricula detentam legimus, nihil niſi Balanum injecerit? Aut in eo denique, qui [e] Febre Ardente conflictatus eſt, quique ad diem 120 traxit, nihil quicquam exhibuerit Medicinæ Parens, qui in reliquis ſcriptis tam varia medendi genera per-

a Comm. in Epid. lib. 3. ſect. 3. 8. b Vict. Acut. 39. c Lib. 3. ſect. 2. Ægr. 8. d 1. 5. e 3. 1.

ſecutus

ſecutus eſt? Id potius arbitremur, Hippocratem, qui rei medicæ vim penitus intellexit, eam, ubi profutura eſſet, minime omiſiſſe: Naturam quidem magiſtram eſſe ſecutum, ſed tamen ita ſecutum, ut pro morbi neceſſitate Artis ſubſidia adſciſceret. Quid enim opus eſt Medico, ſi omnia Naturæ permitti debeant? Aut quid cauſæ eſt, cur hæc Ars ſalutis humanæ præſes audiat, ſi ſua ſemper ſponte morbi ſaneſcant? Febres ſunt quidem, quæ per ſe nullo modo finiri poſſunt, quæque curantis conſilium omnino exigunt: etiam in iis, quæ interdum ipſo temporis tractu ſolent evaneſcere, hoc efficit artis curatio, ut & breviores evadant, & exitu tranquilliore terminentur. Igitur de præſidiis in hoc morborum genere maxime illuſtribus, quæ vel a Natura indicata, vel ab Arte exculta ſunt, ſingulatim pauca diſſeram: neque enim mei eſt inſtituti de medicina integrum volumen conſcribere, ſed ea tantum, quæ apud alios aut intacta aut non ſatis explicata reperio, perſtringere.

COMMENTARIUS II.

De Sanguinis Miſſione: præſertim de Venarum Jugularium Sectione.

SIT adeo primus de Sanguinis detractione ſermo. Quatuor egrotos, ſponte facta ſanguinis eruptione, ſanari ſcribit Hippocrates: quorum quidem Hiſtoriæ ita ab eo contextæ ſunt, ut ſiquando ſimile inciderit morbi genus, clariſſima inde patefiant ſanguinis mittendi indicia. In prima quippe ſignata ſunt hæc; [a] Febris vehemens, lumborum gravitas & dolor, delirium. In ſecunda, [b] Febris ardens, inquietudo, rubor, ſurditas, vigiliæ, delirium. In tertia, [c] Febris, inquietudo, vigiliæ, convulſiones, dolor, coma, delirium. In quarta, [d] Febris ardens, acuta, vigiliæ, capitis gravitas, dolor, faciei rubor, delirium.

Hæc cum ita ſe prodiderint notæ, nemo eſt in medicina vel mediocriter verſatus, cui non Sanguis illico mitti debere videatur, ſi modo vires ſinant. Intereſt enim unice, ſiquid ſanguinis in hiſce morbis detrahendum ſit, quantum ſit virium: quarum etſi multiplex ſit nota, tamen, an validæ exiſtant, certiſſimus index eſt Pulſus. Adeo verum eſt quod Celſus notavit [e], vim corporis melius ex Venis, quam ex ipſa ſpecie æſtimari.

Signa ex Pulſibus ſumpta Hippocrates, licet primus nomen Pulſus literis prodiderit, vel quia non calluit, vel quia non magni uſus exiſtimavit, prorſus neglexit: [f] quam tandem ſcientiam, eamque fere

a 1. 7. b 3. ſ. 2. Ægr. 7. c 3. ſ. 2. Ægr. 11. d 3. ſ. 2. Ægr. 12.
e 2. 10. f Gal. de Crit. 4.

ſolam,

ſolam, medicinæ Hippocraticæ ſe adjeciſſe perhibet Galenus. [a] Certe ad Sanguinis miſſionem plurimum momenti in hac Pulſuum diſtinctione poſitum eſt. Itaque in hujuſmodi Febribus, qui ſanguinis pulſum ſatis valentem, addo etiam & plenum, perceperit, abjecta omni cunctatione venam aperiat. Acri ſæpius judicio opus eſſe fateor, quando in Febribus acutis ſanguinem educere oporteat, quando ſecus: habet enim ea res multas cautiones; hoc unum videtur perpetuum Venæſectionis indicium, ſi ad cæteras, quæ modo deſcriptæ ſunt, notas acceſſerit Pulſuum robur. Et venam quidem in Acutis circa initia maxime ſecari præſtat, cum vires adhuc integræ ſint: nam alias ſæpe, aut inclinante jam morbo nihil proficit, aut inveteraſcente mortem maturat.

Cætera de Venæſectione, quæ latius fuſa ſunt, præcepta ex aliis petantur: mihi ſatis erit digitum ad fontes intendere. Id potius quæſiverim, num peculiarem aliquam ſanguinis mittendi rationem Hiſtoriæ hæ Hippocraticæ ſubjiciant. Quatuor iſtorum, qui ægrotaverint, caput & cerebrum ita affecta eſſe conſtat, ut in delirium omnes inciderint; ejectoque demum per Narium venas ſanguine, morbo fuerint liberati. Et ſane ſanguinis hac ex parte eruptio, uti maxime naturale, ita & aliquando præſentiſſimum eſt vitæ præſidium. Artis igitur cum ſit naturæ ductum ſequi, in iiſdem rerum anguſtiis eaſdem venas, vel ex eodem ſaltem alveo derivatas aperiri ſane convenit. Quænam autem ſcalpello tam opportunæ ſunt, quam ipſæ, (unde cæteræ omnes per caput diſpertitæ oriuntur) Jugulares? Id adeo nequeo non advertere, vix unum aut alterum, quos his Febribus correptos ſcribit Hippocrates, Delirio liberum fuiſſe: in qua quidem cerebri affectione, quoties ad febrim acceſſerit, quoniam ex Jugularium ſectione ſingulare levamentum deprehendiſſe viſus ſum, liceat de harum aperiendarum ratione paulo fuſius diſſerere, &, ut dilucidior ſit eorum quæ dicenda ſunt explicatio, ex Anatomicis pauca aſſumere.

Vena Jugularis, eſt vel Externa, vel Interna: quarum hæc multo grandior, uti eam poſt Nicolaum Maſſam [b] accuratiſſime deſcripſit Fallopius [c]; licet in Brutis, a quibus Venarum harum figuras apud Veſalium [d] expreſſas habemus, contrarium prorſus reperiatur. Externæ ramuſculi extremi ab ore, a faucibus, a facie, ab oculorum tunicis, ab univerſa denique capitis cute atque muſculis naſcuntur. Interna, quæ multo altius deliteſcit, quanquam aliquando partibus jam memoratis ſurculos aliquos, authore Fallopio, impertiat, ad imum cranii recta aſſurgit, inque Duræ Matris ſinus laterales immergitur. Ita ut Jugularis Externæ propagines extremæ, Arteriæ Carotidis Externæ ramis inſerantur: Interna itidem Jugularis ac Carotis Interna, vaſculis Duræ Matris intervenientibus, conjungantur ac confluant. Cujus quidem fabricæ artificio ſanguis per cerebrum ac caput ultro citroque commeat. Structuram hanc diſtributionemque venarum ſi penitius contemplari libeat, facile aſſequemur, cui demum funda-

a Præcog. 13. b Introd. Anat. 62. c Obſerv. Anat. d Lib. 3. 7.

mento nitatur facta, in capitis ac cerebri morbis, Jugularium sectio.

Sanguinis ex hoc loco mittendi mos est satis antiquus, utcunque inter paucos obtinuerit: de quo si perbrevis historia præmissa sit, & lucem aliquam huic argumento afferet, neque erit legenti forsan injucunda. Sunt qui Galenum secuisse Jugulares tradunt: ille tamen, ni fallor, non sectionem ipsam imperare videtur, sed, si casu aliquo secentur, curationis modum præscribere. [a]In Vivorum Anatome[b], "Jugulares aperiri jubentur, in principio lepræ & anginæ angustique "anhelitus, in asthmate acuto, in raucedine vocis, in abscessu pul- "monis, in spirandi difficultate, & in splenis & laterum morbis." Sed perperam iste liber, qui sane perridiculus est, & ab Arabe quodam ut videtur confictus, Galeno ascribitur. Eadem prope memorat Sorani Ephesii Introductio: sed, cum hoc itidem opusculum plane commentitium sit; cumque Cælius Aurelianus, qui se in omnibus fere Soranum sequi profitetur, de hac re omnino sileat; nihil hinc, quod hujusmodi medicinæ antiquitatem probet, colligendum est. Sufficiet itaque has venas secandi originem ab Alexandri Tralliani temporibus repetere, qui [c]Jugulares a se sectas esse scribit, maximeque profuisse. Hanc ut quibusdam familiarem ævo suo curationem refert [d]Actuarius, quam itaque in Catoche & Phrenitide deprædicat. Eam in omnibus capitis morbis adhiberi jubent Arabes; neque in iis solum, sed in lepra acutisque thoracis affectibus: unde forte consuetudo illa ad Ægyptios manavit, quam apud eos etiam tum, cum Alexandriæ esset, viguisse perhibet, oculatus testis, Alpinus[e]. Post Arabum tempora, nisi in Bertrucio[f] & Arnoldo Villanovano[g], (qui hoc ex iis ad verbum exprimunt, uti fere ex Græcis Arabes) vix ulla est de hujusmodi venæsectione mentio: donec anno circiter 1500 Anatomes studium pæne intermortuum revocavit Jacobus Carpensis, modumque incidendi [h]Jugulares fusius descripsit. Quo quidem seculo a pluribus pleno ore laudatur hoc curandi genus: sed longe abfuit, ut in consuetudinem venerit. Quippe Botallus, qui circa annum 1570 scripsit, diserte dicit se neque hoc unquam a medico præscriptum, neque a Chirurgo tentatum vidisse; adeoque aut nunquam in usu fuisse, aut esse tum penitus exoletum: & quanquam ipse primus Venæsectionis usum in Galliam induxerit, venamque quamlibet in quocunque fere morbo secuerit, fatetur quod in [i]Jugularibus id experiri minime ausus sit, "reformidans ne, propter illius magnitu- "dinem & magni trunci vicinitatem, non satis cito neque tuto san- "guis cohiberi possit." Imo Riolanus pater, qui recens a Botalli ætate fuit, de Apoplexia locutus, in hæc verba prorumpit: "Jugu- "lares ausi sunt quidam secare pro extremo remedio." Etiam Fabricius Hildanus, qui Opthalmiis, Hemicraniis, Cerebrique inflammationibus hanc a se medicinam cum efficacissimo subsidio sæpius adhibitam esse prædicat, in Epistola quam ad [k]Doringium 1614

a Method. Med. 31. Art. & ven. dissect. c. 7. b 25. c Lib. 4. d Lib. 3. cap. 1.
e Medic. Ægypt. f Cap. 4. de Phrenit. g Reg. San. cap. 37. h Isagog. Anat.
i Curat. per V. S. cap. 40. k Cent. 4. 14.

exaravit

exaravit, " perpaucos tamen medicos, qui ſectionem harum venarum " approbarunt, hactenus ſibi innotuiſſe ſcribit, eamque periculoſam " agnoſcit, niſi expertus affuerit Chirurgus[a]." Quinimo in ſcriptis eodem anno editis Julius Guaſtavinus, Profeſſor Piſanus, has venas non ſine periculo ſecari poſſe pronuntiat. Ita pleroſque ab hoc auxilii genere deterritos fuiſſe conſtat, ſive quod Jugularium vulnera aliquando lethalia eſſe obſervaverint, perperamque perſuaſerint ſibi idem ex earum ſectione eventurum; ſive potius quod, ut ſæpe fit, facta hæc a manu imperita ſectio parum feliciter ceſſerit, notamque infamiæ experimento inuſſerit. Hoc nimirum uſu frequenter venit, ut, quod remedii genus ignominia ſemel notaverit unius inſcitia, dignitati ſuæ vix reſtituere queat ſcientium univerſa conſenſio.

Utcunque vero ea res ſe habuerit, nullum eſt in Hiſtoria Medica exemplum, ubi rite peracta ſectio aliquid mali attulerit: imo ſæpiſſime uſus oſtendit morbis compluribus, iis præſertim qui caput attingunt, nullo modo melius ſuccurri. Certe in Phrenitide quæ Febribus ſupervenit, medicinam hanc quam maxime efficacem eſſe expertus ſum, cum alia remedia minus commode reſponderint: neque efficacem tantummodo, ſed & adeo tutam, ut valde mirer aliquid de efficiendi difficultate, nedum periculo, apud ſcriptores inveniri. Nam hæc vena, uti nullo fere labore ſecatur, ita & ſecta facillime omnium ſaneſcit. Haud itaque opinor erravero, ſi quam demum in morbos vim exerceat Jugularium ſectio, paulo altius inveſtigare conatus ſim, quo certius & rationes & tempora ſecandi intelligantur.

Jugularis adeo vel derivandi vel revellendi gratia inciditur; ut copia majore in partes affectas veniat ſanguis, facit Derivatio: ut minore, Revulſio. Quæ quidem vocabula, licet ſatis antiqua ſint, tamen nemo unquam intelligere poterit, nec proinde ſecandi leges in alterutro genere recte ſtatuere, niſi acceſſerit accurata de vaſorum ſtructura motuque ſanguinis cognitio. Hocque veriſſimum eſſe facile agnoſcet, qui ſcriptorem qualemcunque, Harveii ætate ſuperiorem, perlegerit. De qua re qui dubitat, evolvat unum inſtar omnium librum Renati Morelli de vena ſecanda in Pleuritide, qui omnes omnium authorum ſententias de hac derivandi revellendique doctrina congeſſit.

Itaque in morbis, qui partes illas, unde Jugularis extimæ ramuli oriuntur, afficiunt, v. gr. in Angina, Ophthalmia, & faciei Tumoribus, quando hujuſce venæ truncum incidimus, Derivationis cauſa nos hac facere manifeſtum eſt, ſi modo quid hac vocula intelligi velimus, quod a Revulſione ſit diſtinctum. Hoc enim aditu patefacto cum tollatur renixus, quem ſanguis in extremis venulis poſitus ab eo, qui in Jugularium trunco concluſus eſt, ſuſtinuit; ſanguis ex arteria Carotide, quam hujuſce venæ ſummis verticibus committi diximus, liberius fluit, perque affectam partem velocius decurrit: ita ut in eam, ſub ipſo ſectionis articulo, major copia ſanguinis derivetur, quam vena nondum inciſa. Igitur in hujuſmodi re apertis Ju-

[a] Combuſt. cap. 13.

gularibus,

gularibus, eas a celeritate vires acquirit ſanguis, ut materiam aliquam in minimis ramuſculis hærentem arteriolaſque obſtruentem perpellere atque abigere poſſit: eodem plane modo, ac Saphænæ ſectio Menſes deducit.

Ex quo illud intelligitur, Derivationis effectum ſubitum eſſe & maxime expeditum: in quo ſtatu id advertere profuerit, ſi quando hoc conſilium bene ceſſerit, in recenti obſtructione valiturum: alioqui, ſi ea obfirmata atque inveterata ſit, ſanguis graviore impetu incurſans vaſa fortius premit, facitque ut humores in iis pertinacius ſubſiſtentes iter penitus claudant. Idem frequenter accidit ex Saphænæ ſectione, quæ aliquando inconſultius facta Menſes potenter ſupprimit: pari ratione ac medicamenti Diſcutientia, quæ tempeſtivius adhibita tumorem prorſus diſſipant, ſerius admota excitant atque attollunt, & in Pus demum reſolvunt. Unde fit, ut in Angina, v. gr. Venæſectionem vel ſcalpello, vel cucurbitis, vel hirudine factam in lingua, in mento, in faucibus atque cervice, apud Cælium Aurelianum exoriente jam morbo imperari videamus, vigente prorſus prohiberi: idemque Author qui Sectæ ſuæ, hoc eſt Methodicæ, veſtigiis inſiſtens in morbis quibuſcunque venam non niſi ſemel ſecuit, in hoc poſt quartum diem incidi vetat; quanquam ante [a] tertium diem, contra præſcriptam ab omnibus quos ſequitur in omni morborum genere formulam, id fieri licere concedat.

Recentiores itaque Medici, ut Tumoribus hujuſmodi cum Inflammatione ſubortis melius occurratur, ordiendum eſſe a Revellentibus præcipiunt; ut ſcilicet humorum impetu atque ardore jam elangueſcente, obſtructio his auxiliis labefactata leviore tandem negotio a Derivantibus funditus tolli queat. Eadem gubernari ratione, ad eandemque plane regulam dirigi debet curantis conſilium, cum deriventur humores ex Jugulari, a qua veluti radice omnes iſtæ venulæ propagantur. Hinc in illuſtri illa Hiſtoria, quam de gravi oculi dextri inflammatione ad hunc modum ſanata narrat Fabricius Hildanus, primo die vena in brachio dextro ſecta dicitur, proximo exhibitum Catharticum, tertio demum Jugularis aperta. Eodem fundamento nititur conſuetudo illa, qua, ingraveſcente Angina, poſt Revellentia feliciſſimo ſucceſſu Jugularem Internam, circa inferioris maxillæ angulum, incidimus: nam quicquid contradicendi ſtudio oppoſuerit Riolanus [b], coram Chirurgis Londinenſibus in Theatro Anatomico haud ita pridem demonſtravimus hujuſce venæ ramum ad maxillæ glandulas, & ad fauces exporrigi: qui quidem non modo cum Arteria Extima Carotide, ſed etiam cum Externa Jugulari concurſat: adeoque cum premente, uti diximus, Angina, pertunditur, idem efficit, ac ſi revera eſſet Externæ Jugularis propago. Quod de Venis etiam Mammariis in eodem morbo ſecandis ſcribit Hippocrates [c], haud utique irriſione tam dignum eſt, quam Cælio Aureliano videtur [d]. Nam & iſtæ, quemadmodum primus docuit Fallopius [e], originem aliquando a Jugularibus ducunt.

a Lib. 3. 3. b Animad. in C. Bauhin. Anatom. c De Morb. 3. 11. d Lib. 3. 4. e Obſ. Anat.

Hæc

Hæc ex Jugulari Externa Sanguinis miſſio non modo obſtructiones atque inflammationes extra Cranium obortas tollit, ſed iis etiam, quæ Cerebrum membranaſque ejus corripiunt, optime medetur. Et ſane in his tutius multo adhibetur, illi utpote periculo minime obnoxia, quod nonnunquam a Derivatione metuendum notavimus. Quippe in Cerebri morbis cum evacuentur Jugulares, fit a parte affecta Revulſio: quam rem paulo diſtinctius explicabo, quoniam nonnulla contra diſputari audio; quaſi Cerebrum hac evacuandi via non omnino levari poſſit, quia ſcilicet Externa Jugularis nihil inde deferat, nec cum Interna Carotide, quæ cerebrum irrigat, quicquam habeat commercii. Argumentum ſane ſpecioſum! Sed Anatomes perito facile oſtendam, utut ratio illa, quæ a vaſorum ſtructura petitur, ſit veriſſima, tamen quod inde colligunt ita longiſſime a veritate eſſe alienum, ut ob ipſiſſimam hanc rationem concluſio in contrarium duci debeat.

Hoc ut clarius eluceat, ex antedictis repetendum eſt, Carotidem Arteriam in duas dividi propagines, Externam Internamque: quarum hæc cum Interna Jugulari, illa itidem cum Externa ſumma ora conjungit. Cum itaque Internæ Carotidis ramuſculos obſederit Inflammatio, niſus ſanguinis, viſque vaſorum Elaſtica, tanquam paribus examinentur ponderibus, in æquilibritate quadam quieſcunt: diminuto altero, alterum augeſcit: quod ſi venam ſecando, ſanguinis, qui in cerebri vaſa illabi conſuevit, portionem aliquam detrahimus, vis illa, qua moles ſanguinea arteriolas premit, minuetur, & proinde calor, quæque eum ſequitur raritas, decreſcent; ita ut Vaſorum Tunicæ, quaſi in libertatem vindicatæ, fortius ſe contrahere valeant, & ſi quid minutiſſimis anguſtiis inhæſerit, exprimere.

Id etiam hac via conſequimur, ut evacuatione ex Jugularibus facta, debilitetur illa, qua ſibi invicem humores adhæreſcunt, tenacitas: ita ut ſanguis fluentior factus per vaſa more ſolito facilius deferatur. In quibus quidem duabus rebus potiſſimum poſita eſt Revellentium omnium virtus.

Sed, quo melius ea quæ dicta ſunt huic argumento ſatisfaciant, rationem ſic ineamus. Arteriæ Carotidis Externæ Internæque, ſi inter ſe conferantur, fere æqualis eſt capacitas; itaque a trunco par ſanguinis menſura in utramque immittitur: Carotidis porro tam dextræ quam ſiniſtræ truncus, ſi res ad calculum exigatur, horæ parte qualibet ſexageſima accipiet uterque ſanguinis uncias 6½, cum in Aortam, ut plerumque fit, influant unciæ 66. Quantitas autem ſanguinis in vas quodvis derivata hoc modo definitur. Scilicet Momento ſanguinis, ſi renixum omnem excluſeris, reſpondet. Unde cum Exterior Jugularis, quæ cum Externæ Carotidis ramo coit, ſecatur, Renixus qui ſanguini obſiſtit in Interna Carotide major eſt, quam in Externa; viſque Tunicarum Elaſtica impedit, quo minus in hanc propaginem ſanguis libere defluat, qui ideo in alteram, nempe Externam, propellitur. Ita ut hac ratione, cum ad ora Internæ Carotidis minuatur ſanguinis preſſio, fibrarum motrix facultas

vim ſanguinis, qua unice diſtenduntur vaſa, excedat, & reſeratis arctioribus viis amotaque materia obſtructionem expediat.

Hoc verum eſſe clarius patebit, ſi modo exquiſitius de hac re ratiocinari libeat. Itaque ſanguinis Momentum, ſi ad Renixum conferatur, ſit ut 5 ad 1; quæ ſane, ut parciſſime dicam, minima reperietur proportio: in hoc ſtatu ſi aperiatur Jugularis, copia ſanguinis in Interna Carotide fluentis, ad illam, quæ Externæ illabitur, eandem rationem obtinebit, quam 4 ad 5. Quocirca aperto foramine, ſi, cum pars horæ triceſima effluxerit, ab Externa Carotide in Jugularem Externam deriventur unciæ 13, eodem ſpatio interna Carotis recipiet uncias 10½. Tantillo temporis intervallo erit differentia unciarum 2½. Hinc ſatis liquet eam eſſe Revulſionum omnium non modo maxime compendioſam atque expeditam, ſed earum etiam quæ a Cerebro fiunt fortiſſimam. Si quid ergo auxilii alia quævis venæſectio latura ſit, id hæc præ cæteris pollicetur.

Infirmiſſimum itaque eſt illud argumentum, quo contendunt nonnulli, hoc ſectionis genere caput minime levari poſſe, quod cum Externa Jugulari nulla Internæ Carotidi intercedat conjunctio: quod longe ſecus eſt; nam ſi quid illæ commercii haberent, nulla prorſus in hujuſmodi re efficeretur Revulſio. Concedamus enim Internam Jugularem, quæ cum illa Arteria copulatur, aperiri poſſe: ex calculo, quo jam uſi ſumus, plane liquet, plus ſanguinis, (uncias nempe 2½) in Internam Carotidem fluxurum, quam qui vena nondum ſecta ſe ingeſſerat: inde vis ille, qua ſanguis cerebri vaſa comprimit, ad uncias 5 pertinget, ſi loco Externæ Jugularis Interna inciditur.

Supervacaneum videtur pluribus docere, quantum ſit in hoc auxilii genere momentum, quoties quid a Cerebro retrahendum eſt. Id ratio ſatis, uſuſque oſtendunt. Etenim quod in cane omni accidit ſuſpendium paſſo, Anatomes perito ſatis indicat, quantum opis in his Cerebri affectibus latura ſit libera ſanguinis ex Jugulari Externa eductio: hujus quippe venæ interclusio cerebri canini vaſa ſanguine obruit, mortemque more Apoplectico infert. Ita facile ab his experimentis, uti primum tracta eſt, ſic & in majus provehi poteſt medendi via. Id tantummodo adjiciam, unum hinc idque illuſtre exemplum depromi poſſe, quam longe medicam artem promovere queat de Sanguinis Circuitu doctrina, ſi modo lucem illam, quam immortale hoc inventum largitur, in medendi uſum accommodare velimus. Nam apud eos, qui antea vixerunt ſcripſeruntve, nulla certa aut vera de hoc medicinæ genere poterat eſſe cognitio. Illos quippe latuit omnino, cur in aliis Capitis affectibus humores derivet, in aliis autem revellat Jugularium ſectio: quod niſi penitus perſpectum fuerit, vix fieri poteſt, ut in alterutris vel tuto ſanguis mitti queat, vel tempeſtive. Itaque Marcus Gatinaria, ſectioni huic maxime infenſus, qui anno circiter 1440 ſcripſit, quemque centum fere poſt annis exſcripſit Jacobus Sylvius, eam omni quidem in morbo,

in

in Apoplexia[a] præſertim, prohibet: hoc potiſſimum argumento fretus, quod ſanguinem in cerebrum uberius transfundat. Hollerius autem, qui in eodem morbo Jugularem ſecari jubet, in eum opinionis errorem incidit, ut derivandi cauſa id eſſe faciendum dicat. Etiam Horatius Augenius, qui grandi volumine omnes Venæſectionis vias explicavit, diſerte pronuntiat fieri nunquam poſſe, ut eadem vena ſimul & Revellendis humoribus & Derivandis inſerviat.

Ita late in omnem univerſæ medicinæ ambitum Anatomica notitia pertinet: ſine qua illa aut nulla omnino eſt, aut Empirica. Perpetuo quippe fluctat Artificis ſententia, niſi artis fundamenta exquiſite percipiat: & ſi cui caſu aliquo res bene ceſſerit, nulla alia is laude dignus eſt, quam quod omne conſilium in fortuna poſuerit.

Liceat hæc, quæ de Jugularibus ſecandis dicta ſunt, Exemplo illuſtrare; quod e multis ideo ſumendum duxi, quoniam, experimento altera vice repetito, morbus tandem modo plane ſingulari abactus eſt. Hippocratis itaque ut inſtitutum ſequar, morbi formam paucis complectar.

Anno 1705 in ea, quæ ad Hiſpaniam facta eſt, Expeditione tam claſſem quam caſtra Britannica invaſit Febris, continua quidem, fere tamen interdiu remittens: & ad Stationariam, quam annis 1685 & 1686 adumbravit Sydenhamus, proxime viſa eſt accedere; niſi quod in illa frigus calorem per vices exceperit, hæc caloris tantum remiſſione deferbuerit. Ineunte Julio, potiſſimum increbuit; neſcio an in cauſa fuerit præcalida illa, quæ modo præceſſerat, tempeſtas. Acceſſio morbi ſubita & atrox: nam præter vulgares notas, uti ſitim, inquietudinem, oculorum & præcordiorum gravitatem, linguæ ſcabritiem, artuum dolorem, corporis imbecillitatem, alvi deſidiam, cerebrum etiam ingruentis mali indicia ferebat; neque quemquam novi febre hac laborantem, qui vel capitis dolore, vel vertigine vacaret. In quamplurimis etiam ventriculus male ſe habuit. Nonnullis lumbi, quaſi inſtantibus Variolis, dolebant. Interdum levi quodam horrore febris acceſſit. Quando ad ſtatum pervenerat, ſpirandi moleſtiam, tendinum ſubſultus, & deliria fere ſemper intulit, niſi arte tempeſtive coercita. Increſcente morbo, frequentes ſingultus, qui aliquando ad biduum durarunt citra ægroti periculum. Athletici præ aliis & acerbius affecti ſunt, & perempti citius: cæteri fere lenta morte ſublati. Nonnulli, cum ceſſaſſe penitus videretur febris, dies quatuor vel quinque ſine dolore aut ægrotatione, licet imbecilli, jacuerunt: deinde diſtentionibus nervorum repente obortis, brevi expirabant. Atque hoc quidem, neglectis Veſicatoriis, præſertim obtigit. Convaleſcentibus aliquando ſupervenit ventris fluxus: qui tamen perraro, niſi torminibus intervenientibus, mortem attulit. Alias, vires perquam ægerrime redierunt, præcipue Pituitoſis; quibus etiam diutius incubit morbus. In perpaucis Parotides, aut Abſceſſus circa Inguen orti morbum ſolverunt; quod ſane, quantum advertere licebat, unicum erat morbi remedium, quod natura ſub-

[a] Method. Practic. Apoplex.

miniſtra-

miniſtravit: ſed ne hoc quidem, niſi Evacuantibus parcius adhibitis, accidere ſolebat.

Hujuſmodi Febre correptus eſt D. Pool, in nave Barfleur Præfecti Vicarius, cui D. Cooper Chirurgus pro Pharmacopœo fuit.

1. Die queſtus eſt, de artuum doloribus, de æſtu, & capitis gravitate. Pulſus velox & validus; nulla alvi dejectio. Itaque ſanguis ex brachio miſſus eſt ad ℥xij.

2. Doloribus aliquatenus mitigatis, cætera fere eadem. Acceſſit & nauſea. Quare veſperi datum eſt Vomitorium, a quo non modo alvus dejecta eſt, ſed & capitis levamen eſt ſubſecutum, caloriſque remiſſio.

3. Nox inquieta. Ventriculus melius ſe habuit. Sub noctem vehementer incaleſcebat. Pulſus celer, & inæqualis. In facie rubor maximus, & in capite dolor. Sitis intenſa. Adhibitum eſt Nuchæ Veſicatorium. Temperatis medicamentis uſus eſt; a calidioribus prorſus abſtinuit.

4. Mane pulſus paulo pacatior. Sed poſt meridiem recrudeſcebant omnia. Rediit capitis moleſtia, aliquando & delirabat. Urina pallidior, nec quicquam in ea ſubſedit. Applicata ſunt Veſicatoria ampla utrique brachio.

5. Per noctem multa corporis jactatio. Mane fere eadem. Pulſus valens, velox, duriuſculus. Itaque cum fruſtra fuerint Veſicatoria, miſſus eſt ſanguis ex Jugulari: unde caput maxime recreatum eſt, menſque ſibi conſiſtit. Æſtus remiſſior, ſiti utcunque permanente. Ita fere ad horas ſedecim agebat.

6. Poſt mediam noctem iterum delirabat, aliena multa locutus. Febris, nulla interpoſita remiſſione, admodum ingraveſcebat. Injectus eſt Clyſter, & admotum capiti raſo Veſicatorium.

7. Eadem omnia. Nulla delirandi intermiſſio. In manibus inſuper tendines ſubſiliebant. Spiratio nonnihil difficilis. Adhibebatur alterum Enema.

8. Calor vehementius excanduit. Major etiam tendinum ſubſultus. Lingua aliquando hæſit. Scintillabant oculi. Urina haud male colorata, nihil tamen depoſuit. Aptabantur utrique femori Veſicatoria.

9. Nihil omnino intellexit. Lecti fimbrias diduxit, & floccos vellicabat, cum antea intra verba deſipuerat. Per vices aliquando ſingultu correptus eſt.

10. Quia omnia, etiam Veſicatoriis toties adhibitis, in pejus ruere viſa ſunt, & quia Pulſus adhuc ſatis valenter ſe habuit, iterum ex Jugulari eductæ ſunt ſanguinis ℥xij. A quo quidem tempore ſtatim fere ceſſavit delirium, & cætera ſigna paulatim in melius mutata ſunt, ita ut ex toto tandem ſecuta ſit integritas.

Hæc, quæ de Venis Jugularibus dicta ſunt, ad Arteriæ Temporalis ſectionem perinde, & quidem propius, ſpectant. Hac quippe aperta, propter eum quo ſanguis effunditur impetum, ſi modo pleno flumine exiliat, expeditiſſima omnium fit Revulſio. Arterias ſatis frequenter

ſecuerunt

ſecuerunt Medici veteres; conſuetudinemque eam ita apud Ægyptios invaluiſſe ſcribit Alpinus [a], ut has illi haud rarius quam venas ſcinderent. Cæterum hæc ſectio, ut feliciter cedat, nonnihil difficultatis habet; etiam aliquando cum periculo fit: quare nolo in hoc argumento longus eſſe, præſertim cum minime futurum videtur, ut noſtri unquam homines huic medicinæ generi aſſueſcant.

COMMENTARIUS III.

De Sudoribus.

NOnnullos, Sudore primum perfuſos, dein Febre liberatos memorat Hippocrates: ſive Sudor ille revera morbum finiebat, ſive potius ſub fine morbi obortus eſt, quod Lib. 1, 6, 7. Lib. 2, Sect. 2, 7, 11, 12, contigiſſe conſtat. In quibus quidem ægrotis erumpente magis Sanguine, quam Sudoris vi, terminari videtur Febris. Etenim Sudor perpetuo apud Hippocratem, quantum ego percipio, non ut curandi inſtrumentum, ſed tantum ut præſagii nota proponitur. Igitur Ille in Libris, qui germani habentur, remedii, quod Sudores provocet, nuſquam meminit: etiam in iis, qui Hippocrati falſo ſunt aſcripti, ſemel tantum facta eſt hujus, qui medicamentis perficitur, ſudoris mentio. Author quippe Libri ſecundi Epidemiorum [b] hoc imperat: at qua demum medendi via ſudores ciet? Cubantem ſcilicet ſtragulis prudenter operit, deinde farinam coctam vinumque meracum exhibet. Neque etiam hæc dari ſuadet, niſi in illis Febribus, quæ a Laſſitudine, aut ſimili quapiam cauſa proveniunt, quales fere ſunt quæ vocantur Diariæ.

Adeo parum in uſu apud Veteres fuit intro ſumpta ad Sudores eliciendos medicina, ut de ea verbum aliquod ne quidem apud Latinum Hippocratem reperias. Siquid ergo adverſum has Febres auxilii attulerint Sudores, id omne a Natura profectum eſſe videtur. In quibus forte materia ſuperans facilius per cutim diſſipari poterat, vel propter cœli temperationem, vel propter bonos ægrotantium mores, quos neque deſidia neque luxuria vitiaverat. Certe, ut nunc eſt hominum vita, fruſtra vel a natura, vel ab arte hanc morbi ſolvendi viam expectamus: & ſiqua acerbior inciderit Febris, vere mihi videor eſſe affirmaturus, rariſſime per Sudores ſolos ad integritatem veniri.

Sed tamen ab Arabum uſque temporibus cœpit in immenſum ſerpere remediorum Sudores moventium varietas: ut vix ulla ſit Febris, adverſus quam vel Chymicorum aliquis, vel Anicula paulo curioſior, nulla morbi habita ratione, ſingulare Antidotum non adinvenerit.

a Medic. Ægypt. p. 60.

b Sub fine.

Hinc consuetudo illa ad nos etiam defluxit, ut febricitantes Cardiacis maxime, utpote jucundam curationem promittentibus, uterentur. Ita facile voluptatis causa in errorem incidimus; qui nusquam periculosior est, quam ubi de salute agitur.

Hanc medendi institutionem, ut nimium in Calidioribus remediis positam, jure repudiavit Sydenhamus: quæ tamen ex hodierna medicina non videtur penitus, uti debuit, exulasse. Quid enim hac curandi ratione assequuntur Medici, nisi ut calidissima quæque exhibendo, sudoresque affatim provocando, rapidior fiat sanguinis circuitus, quod & fatentur ipsi: unde, Febre paulatim invalescente, & cerebrum tandem occupante, deliria nervorumque distentiones, si non accersi, saltem haud arceri videmus. Idque constanter experiuntur ii, qui in Febribus acutis nihil nisi Serpentariæ radicem, Salemque de Cornu Cervino expressum, & similia amant ingerere. Idem accidere solet, ubi in Febribus Remittentibus Corticem Peruvianum importunius adhiberi contigerit: cujus hunc fere exitum percipiunt medentes, ut quæ antea paululum subsederat Febris, jam, nulla interposita mora, vehementius excandescat. Sed in hoc rerum statu quid demum consilii capiunt? Scilicet metu exterriti, inque maxima inconstantia versati, ultro citroque se agere necesse habent: & continuo aut ad Vomitoria, aut ad Sanguinis missionem, aut ad Vesicantia, tanquam ad extrema remedia, confugiunt. Hunc adeo fructum habet præposterа hæc medendi ratio, ut, unde incipere debuerint, ibi morbo jam consistente desinant; & ea salutis præsidia alieno tempore frustra sæpius tentent, quæ Artis periti inter initia valetudinis magno cubantium commodo præcipiunt.

Est & alia huic diversa insania, quam insaniunt nonnulli, quorum in Acidis posita est omnis curatio; quique spem nullam nisi in Aceto, aut Pomorum agrestium succo collocant: quasi, quia nefas sit ægrotum comburere, ideo protinus frigore enecare oporteat.

Nollem hæc, quæ hactenus dicta sunt, ita accipi, quasi nulla in Febribus curandis remedia, quæ sudores eliciant, suaderem. Etenim quæ mediæ materiæ sunt, & temperata habentur, multo cum emolumento adhiberi & posse & debere haud inficior. Ista, de quibus antea dictum est, cum utrinque a mediocritate nimium absint, tanquam plane pernicioſa, ex medentis supellectile penitus rejicienda sunt: his etiam, quæ blandiora sunt, si iis solis rem totam committimus, parum tuto creditur. Sin præcesserint Evacuantia, & Febri melius succurrunt, & sudores evocant expeditius. Quod & de Opiatis verissimum est: quibus quidem nulla est medicina ad aperienda cutis spiracula efficacior.

COMMEN-

COMMENTARIUS IV.

De Vomitione.

UNica eſt apud Hippocratem Hiſtoria Lib. 1, 13. in qua, ubi præceſſerat Vomitio, morbus ſolvi dicitur. Quod quidem obſervatum, in communem medendi uſum traxerunt artis noſtræ principes. Neque enim ullum eſt remedium ſub initiis Febrium æque ſalutare; ſæpenumero & neceſſarium eſt, ſiquando, quod plerumque fit, vel nauſea, vel ventriculi gravitas, vel etiam capitis dolor invaſerit. Quod medicinæ genus & apud vetuſtiſſimos Græcos haud infrequens fuit, & Celſi temporibus Romæ perquam familiare. Hac quippe evacuandi ratione non modo primæ purgantur viæ, crudæque materiæ redundantia compeſcitur; ſed cum viſcera muſculique corporis vehementiore motu agitentur, ipſæque medicamenti particulæ in ſanguinem ſeſe inſinuent, ita demum reſolvuntur humores, ut liberior ſit intra vaſa tenuia circuitus, &, ſiquid ſuperfluum ſit, per cuticulares meatus diffluat. Igitur in hac Hiſtoria, poſt Vomitum excitatum, Sudores multos conſecutos eſſe teſtatur Hippocrates.

Ita medicamenti, quo vomitus cietur, interior eſt quædam actio: quæ nuſquam alias ſe manifeſtius prodit, quam in celebri illa radice, Ipecacoanha. Hujus ſane vis in attenuandis humoribus eximia eſt; cui & fidem facit ſumma herbæ amaritudo, & vividus ille, qui apparatu Chymico elicitur, Sal. Equidem hanc radicem non parca manu adhibitam eſſe comperi, cum nulla fere vel per os, vel per alvum ſequeretur purgatio: elapſa autem una aut altera hora incaleſcere cœpit ægrotus, ita ut pulſu excitato tandem in uberrimum ſudorem colliqueſceret. Atque in hoc, quantum ego conjectura aſſequi poſſum, præcipue conſiſtit egregia illa in Dyſentericis affectibus virtus, quam ſibi præ aliis vomendi inſtrumentis Ipecacoanha vendicat. Igitur a Braſilienſibus [a] præſentiſſimum habetur contra venena auxilium.

Dixi, ſub initiis maxime Febrium, Vomitionem eſſe tentandam. Neque in contrariam partem teſtis citandus eſt Hippocrates, licet circa decimum quartum diem evacuatione hac morbum ſolvi dixerit. Nam mulier hæc, a ſeptimo, Febre plane libera fuit, treſque ita dies integre egerat: undecimo autem, rigore correpta eſt, quem excepit æſtus intenſior: ita ut hæc Febris ex Intermittentium genere fuiſſe videatur, quæ quidem Continuæ, ut ſæpe fieri ſolet, ſucceſſerat. Adeoque novo huic morbo, circa principia, finem attulit Vomitio: quæ quidem ad extinguendas Febres Intermittentes ſemper cum fructu adhibetur, etiam & ad Continuas valet, ſi morbus nondum inveteraverit.

a Gul. Piſon. Hiſtor. Braſil.

Atque

Atque hæc ſane in Febribus acutis facere oportet; neque tamen ideo in morbis omnibus, qui Febrem habent conjunctam, experiri convenit. Quid enim de iis cenſendum eſt, qui in Pleuritide, v. g. contra Celſi præceptum [b], Vomitoria, eaque valentiſſima, præſcribunt? Quaſi unquam vehemens illa lateris contentio, quæ inter vomendum oritur, morbum levaret! Immo augeat neceſſe eſt. Nam eo remedii genere intempeſtive adhibito, quæ in Pleuram aut Pulmones defluxerat materia, altius multo impingitur, vaſaque obſtruit pertinacius. Quid de iis etiam, qui, Variolis fere jam ad maturitatem perductis, vomentia præcipiunt? Cum nulla prorſus medicina humores potentius avertat, quam quæ Vomitum ciet: cujus ſane in revellendo vis ex hoc ſatis intelligitur, quod ſcilicet Coxarum dolores, atque Oedemata ſæpius expugnet, aliis fruſtra diuque tentatis revellentibus. Hanc itaque ob cauſam, qui de curandi ratione accuratiſſime ſcripſerunt Authores, inſtante jam Criſi, Vomitoria plane prohibent: utpote quæ, revellendi vim cum habeant, iſti levationis viæ, quam, magiſtra optima medendi, natura molitur, proculdubio officiant. Imo Viri Artis Chirurgicæ peritiſſimi hoc ſibi ut perpetuum proponunt; Ubicunque tumor aliquis ad ſuppurationem inclinaverit, ibi non modo a Vomitoriis, ſed ab omnibus cujuſcunque generis Evacuantibus eſſe abſtinendum. Quare, Variolis jam matureſcentibus, niſi quid a ſuffocatione ſit periculi, & ratione ipſa, & univerſa ſcientium voce damnatur Vomitio: quam tamen nonnullis eo uſque placuiſſe vidimus, ut, ſub ipſo fere mortis articulo, hoc perquam familiariter uſi ſint remedio.

COMMENTARIUS V.

De Exſcreatione purulenta: De Pleuritide item, & Peripneumonia.

SPuta quidem multa ejecit Pythion, Lib. 3, 1. in quo tamen morbus ita parum exſcreatione aliqua materiæ ſolutus eſt, ut non niſi Suppuratione circa Sedem coorta tandem deceſſerit. Solus eſt Anaxion, Lib. 3, Sect. 2, 8. cui hac via obtigit integra morbi liberatio. Sane memorabilis eſt Hiſtoria, quam & ſæpius retractat Galenus, &, quanto cum judicio eam perſecutus eſt Hippocrates, oſtendit; dicitque varias hic commiſtas eſſe notas, quæ non ſunt perpetuæ, ideoque nomen morbi a ſcriptore reticeri: quem ipſe tamen Galenus pro germana Pleuritide agnoſcit. De qua quidem pauca diſtinctius proferam, quia huic argumento ab authoribus parum eſſe ſatisfactum video.

[b] 3. 6.

Pleuritis

Pleuritis adeo vera a Pleuræ inflammatione oritur: ſiquidem intra parietes hujuſce membranæ (duplex enim eſt) Arteriolæ multæ a ramo intercoſtali deductæ effunduntur, quæ levi ſæpe de cauſa nimium diſtentæ obſtrui ſolent, inflammationemque pariunt. Legitima Pleuritidis ſigna, quibus ea ab alio quovis morbo diſtinguitur, ſunt quatuor, Dolor lateris vehemens atque pungens, Spirandi difficultas, Febris, & Pulſuum durities; quod quidem ultimum inter proprietatis notas malim reponere, quam, cum Galeno, Tuſſim. Cujus ſane ſententiam uti ſæpius data opera aſpernari & reſpuere, hominis eſſet valde arrogantis; ita in omnibus ſequi velle, ſuperſtitioſi eſt. Neque enim Authores in medicina facienda, ſed Rationis momenta quærenda ſunt.

Riverii Reformati Editor, Joh. Manelſum ſecutus (qui, repugnante omni Medicorum Schola, Serratum Pulſum in Hecticis[a] ſolum, non in Pleuriticis agnoſcit) hanc pulſus duritiem omnino explodit, tanquam rem in Pleuritide nunquam, nedum in alio quocunque morbi genere, obſervatam. Sed, præterquam quod ſcriptores prope univerſi Pulſus duritiem lateris dolori familiariſſimam eſſe tradunt, uſus ipſe ſatis teſtatur eam perpetuo adeſſe, ubi paulo vehementius non huic modo Membranæ, ſed cæteris etiam, cerebri præſertim, inſederit inflammatio. Et certe hujuſce Pulſus, ſi ad ſenſum provocamus, tam facilis atque expedita eſt diſtinctio, quam aut validi, aut celeris, aut pleni.

Quod ſi partium Membranacearum naturam propius contemplari libeat, duritatis hujus rationem protinus aſſequemur. Siquidem membranæ omnes ſunt Elaſticæ, ideoque a vi externa diverſimode vel conſtringi vel explicari ſolent. Hinc Pelles animalium, tam mortuorum quam viventium, ſeſe in arctum retrahunt, ſi calor aliquo modo acceſſerit: idque in omnibus corporibus, quæ flecti & reſilire queunt, perpetuum eſt, ut, ſiqua eorum portio aut porrectior aut contractior fiat, cæteræ omnes pariter de ſtatu priſtino declinent. Serici quippe aut Chalybis filum, Funis, vel Chorda muſica, ſiquam in altera extremitate vim paſſa fuerit, in altera vibrabit: quæ quidem omnia per totam æqualiter longitudinem aut intendi aut remitti videmus. Siquam itidem membranæ partem vehementius pervelli & contrahi contigerit, quod reliquum eſt una conſpirat & modo plane ſimili afficitur. Totius adeo corporis membranæ mutuum inter ſe invicem habent commercium, ab iiſque propagantur omnes Arteriarum tunicæ. Inflammatione igitur oborta, Pleura irritatur admodum & conſtringitur, eandemque rigiditatis ſpeciem in Arterias derivat: atque hæc quidem Arteriarum contractio, qua minus flexibiles fiunt digitoque ſegnius cedunt, Duritatis ſenſum efficiet.

Uti nulla legitima Pleuritis ſine his, quas modo retuli, notis poteſt conſiſtere; ita multæ aliæ affectibus, quos vocamus Pleuriticos, ſæpius adhæreſcere ſolent: quæ tamen ad alium morbum, huicque in multis diſſimilem, Peripneumoniam nimirum, pertinent. Illud jure

[a] Bald. Bald. Epiſt. pag. 22.

aliquis mirabitur, tam confuſam atque implicatam eſſe utriuſque hujus morbi deſcriptionem, & a Veteribus, & a Recentioribus traditam. Veteres quidem eos inter ſe diſtingui ſcribunt, ſed eaſdem utrique notas aſſignant: idque facile animadvertere licet, quod, quæ apud illos de Pleuritidis charactere leguntur, ad Pleuritidem quidem referenda ſint, ſed cum Peripneumonia conjunctam. Etenim Peripneumonia ſimplex atque incomitata in eorum ſcriptis occurrit; de Pleuritide vero, quæ Peripneumoniam non habuerit adjunctam, niſi ſemel apud Hippocratem[a], nihil uſquam legimus. Recentiorum plerique vix ullum inter hos morbos diſcrimen ponunt, gradu tantum diſſimiles eſſe volunt: nonnulli etiam ad Pleuram tantillum attendunt, ut in Pleuritide nullas ei partes concedant. Hinc adeo manavit omnis hæc obſcuritas: ſcilicet cum Pleura ita afficitur, ut in Abſceſſum veniat, Pulmones, uti loco proximi, ita &, ſi fabricam ſpectes, tenerrimi, labem facile arripiunt, Pleuræque adhæreſcunt: ita cum Peripneumonia Pleuritidi ſupervenerit, deſcribitur tamen morbus, tanquam mera eſſet Pleuritis. Hocque perſpicuum faciunt ii, qui mali hujus decurſum ſcriptis explicant. Fatendum eſt frequenter accidere, ut pulmones una laborent: ſed id utique in Pleuritide minime perpetuum eſt. Quod ut melius intelligi queat, haud alienum erit partium, quæ in his morbis affici ſolent, ſitum naturamque perpendere: quippe in hac re eam nobis lucem impertiet Anatome, ut in alterutro morbo tum ſignorum cauſas, tum medendi rationes clarius inveſtigare poſſimus.

Peripneumonia itaque uno omnium conſenſu nihil aliud eſt, quam Pulmonum inflammatio: hanc a Pleuritide ſecretam atque liberam operæ pretium erit explorare, ut, quæ ſui indicia vi ſuapte proferat, videamus. Pulmonibus obſtructis atque inflammatione quadam correptis fieri non poteſt, quin primum morbi impetum ſuſtineant Bronchiorum vaſcula: quibus ſupra modum turgentibus, interior Aſperæ Arteriæ tunica ita comprimitur & vellicatur, ut muſculis inde contractis, ac ſpiritu per os rejecto, Tuſſim provocet. Hoc onere oppreſſis Pulmonibus, quidam gravitatis atque moleſtiæ ſenſus ſuboritur, &, aere tum intromiſſo tum expulſo citius, turbatior fit & magis feſtinata reſpiratio: ita ut, cum calor, quem parit inflammatio, naturali intenſior ſit, ſpiritus etiam, dum emmittitur, incaleſcere videatur. Et hic quidem in ſpirando fervor, tanquam perennis & conſtans Peripneumoniæ nota apud Hippocratem proponitur: etiam ſola eſt, quæ non communiter & Pleuritidi conveniat, quemadmodum morbum hunc & ab illo & a veteribus cunctis deſcriptum accepimus. Cum itaque diutius invaluerit obſtructio, quid factu facilius eſt, quam ut vaſorum aliquot, quæ agitari plurimum interque ſe collidi diximus, rumpantur? Quorum tunicis dehiſcentibus, profluet ſuo tempore vel tenuis humor, vel ſanies, vel pus, prout ulcerum ratio exigit. Ad hunc modum materia intra membranas Bronchiales accumulata, qua natura iter oſtendit, exſcreatione tandem

[a] Morb. lib. 1.

egeritur.

egeritur. Igitur quando hæc ſimul cum Acuta Febre concurſant, viz. Tuſſis, Pulmonum Gravitas, Spiritus calidior, Puriſque rejectio, propria & minime ementientia ſunt Peripneumoniæ indicia. Quorum quidem poſtremum non morbum modo indicat, ſed & plerumque ſolvit; quippe ex Peripneumonicis pauci, niſi ſubvenerit pectoris purgatio, evadunt.

Nihilominus ab omnium fere ætatum ſcriptoribus, Tuſſis atque Sputorum exſcreatio inter ſigna, quibus diſcernitur Pleuritis, recenſentur. Interdum ſane eſt, ubi Pleuritin comitetur Tuſſis, cui tamen ex naturæ neceſſitate nulla eſt cum ea cognatio: Pulmones quippe & Pleuræ & Coſtis ſæpius adhæſiſſe compertum eſt, minime interim accedente Tuſſi: etiam ab Empyemate, in quo materia undequaque diffluens Pulmonum ſuperficiem continuo premit, haud raro abeſt Tuſſis. Quam tamen a Peripneumonia abeſſe non poſſe ſatis docet Anatome: & cuicunque harum ſtructura partium vel mediocriter cognita ſit, is intelligat neceſſe eſt, quam parum in purgando pectore valeat ſola Lateris inflammatio, niſi & idem ſimul ſit in Pulmonibus vitium, ſive, quod eodem redit, niſi adſit Peripneumonia. Ita ut hoc malo laborantes Pleuripneumonicos recte dixerit [a] Riolanus. Hoc nimirum & ratio & hiſtoria medica confirmant: nam multa Pleuriticorum cadavera ſecta ſunt, in quibus Pleura quidem corrupta, [b] Pulmo adhuc integer repertus eſt: etiam ubi Pleuritide ægrotum periiſſe ſcribitur, Pulmones nunquam intactos fuiſſe diſcimus, ſiquando & Tuſſis & Sputorum fluxio præceſſerint [c]. Itaque optandum eſſet, ut, quemadmodum hæc ſanorum, ita & illa morbidorum corporum accurata inſpectio apud nos in conſuetudinem veniret: etenim res minime controverſa eſt, lucem eſſe omnem ab arte Anatomica petendam, qua Medicus morborum plurimorum & proprias ſedes eruere poſſit, & ſigna legitima internoſcere. Quam ob cauſam factum eſſe arbitror, ut Celſus elegantiſſimam illam humani corporis [d] deſcriptionem curandi præceptis inſeruerit: utque, eadem veſtigia perſecutus, breve quoddam de partium ſtructura commentariolum morborum hiſtoriis præmiſerit Aretæus.

Legitur apud [c] Dodonæum Hiſtoria Peripneumoniæ popularis, quæ tunc temporis, viz. annis 1557 & 1565 graſſata eſt, in qua comites perpetui aderant Tuſſis, Puriſque exſcreatio: Atque is quidem ad extremum narratiunculam ſuam ſic claudit, quod ſcilicet " morbum hunc non Pleuritidem, ſed Peripneumoniam fuiſſe, mor- " tuorum corporum diſſectiones coram oſtenderint." Ex hoc utique intelligi velle videtur, medicorum eſſe de eo, tanquam Pleuritico affectu, judicium.

Hac Tuſſis Exſpuitioniſque ratione habita, uti alii veterum multi, ita Herophilus (quo nemo in ſcientia vel Anatomica vel Medica, ſi Galeno credimus, exercitatior fuit) Pleuritidis ſedem in Pulmonibus ſitam eſſe contendit. Argumentum ipſum, Cælio Aureliano inter-

a Anthropolog. de Pulmone. Mart. in Hipp. 70. e. Obſerv. Medicin. 21.
b Bonet. ſepulch. Veſling. Obſ. 36. Bald. Bald. 45, 56. Proſp.
c Harder Obſ. Anat. Bonet. ſepulch.
d Lib. 4. c. 1. & 8. 1.

prete,

prete, ſic deducitur: "[f] Dehinc etiam Tuſſicula ſignum eſt ex ac-
" cedentibus conſequens morbum fibrarum Pulmonis, eſudati cor-
" poris liquoris, ſive Cannæ gutturis: ſingula etiam extuſſita de
" Pulmone venire manifeſtum eſt, qui neque venis neque arteriis
" neque fibris contiguus vel admixtus eſſe Lateri videatur, ut per
" ipſum Latere accepta excludi poſſe credamus." Et ea ſane eſt hujus argumenti vis, ut, quæ ipſe Cælius contra diſputat, nugatoria plane ſint atque infirma. Fatendum eſt quidem Herophilum Pleuritidis vocabulo abuſum fuiſſe, qui tamen de tuſſiendi ſputandique ratione rectiſſime ſenſit: in ea enim erat opinione, cum in tota Pulmonum ſubſtantia vitium ſit, oriri [g] Peripneumoniam; cum in parte tantum, Pleuritin.

Hunc de Pleuritide errorem renovavit ante duo fere ſecula Alexander Petronius, & a Pulmonibus tumentibus urgentibuſque Pleuram malum omne derivari voluit; Membranas ſcilicet negavit inflammari poſſe, ideoque ita parum conceſſit auxilii aliquid in ſanguinis detractione ſitum eſſe, ut eam in Pleuritide tractanda contumaciter repudiaret. Qua quidem in re eò uſque proceſſit hominis authoritas dicam an confidentia, ut Romæ Sectam condiderit: exemplo prope inaudito, ut, opinionem non abſurdam modo ſed jam pridem relictam revocando, Inventoris gloriam adeptus ſit.

Explicata ad hunc modum morbi utriuſque hiſtoria, facile apparet, quam male Pleuritidi aſcribitur, tanquam proprietatis nota, Puris exſcreatio: quamque inepte atque inaniter operam navent ii, qui vias, quibus hæc Pleuræ materia per Pulmones deferatur, excogitant. Quorum alii eam a Pulmonum tunicis imbibi, alii in ſanguinem reſorberi putant: & quo melius ſibi conſtet fabula, vaſa huic fungendo officio perquam ingenioſe aſſignant, aut venam ſcilicet Azygon, aut Vertebrales, etiam & Bronchiales Arterias, prout fert acumen hominum conjecturam modo huc modo illuc ducentium. Atque huic fundamento maxime nititur, quæ a ſcriptoribus medicis præcipitur curandi ratio, tam in ſimplici, quam in ea quæ Peripneumoniæ conjungitur, Pleuritide; ubi omnis fere, quam adhiberi volunt, medicina ad ſputa elicienda dirigitur: cum tamen in ſimplici Pleuritide ſæpenumero nihil coeat, quod exſpui debeat; neque, ſi debeat, ſine Peripneumoniæ interventu, ſurſum evocari poſſit. Adeo qui in iſta Pleuritidis ſpecie hanc tantummodo medendi viam ſequitur, haud ſane intelligo cur non idem & in pedum inflammatione ſputum moventia præſcribat.

Frequens eſt hujuſmodi Pleuritis, quæ etiam & a Spuria, ut vocatur, facile diſtingui poteſt: hæc aliquando in Suppurationem abit; & materiæ vis, vel in vacuum Thoracis ſinum effunditur, vel aliquando etiam citra tuſſim ullam purgationemve pectoris, aut per alvum, aut per veſicam abducitur. Idem & nonnunquam accidit, ubi parcior fuerit per Sputa materiæ rejectio. Exemplo eſt Pythion, qui exorto poſt quadrageſimum diem circa Sedem abſceſſu, ita ut

[f] Lib. 2. c. 16. [g] Ib. cap. 25.

Puris

Puris plurimum cum Urina effluxerit, ad ſanitatem pervenit. Sunt etiam Pleuritides, quibus nulla ſupervenit Suppuratio; quas cum Tuſſi ſicca junctas deſcribit ſive [a]Hippocrates, ſive quis alius, & proinde Aridas & ſine ſputo appellat. Haſque veras eſſe Pleuritides argumento eſt, quod cum lateris dolore Febris etiam invaſerit. Igitur eas Venæſectione ſæpius, medicamentiſque Diſcutientibus curari tradit. Hinc Aretæus, qui inter Græcos ab Hippocratis laude propius abeſt, tum quod eleganter admodum lingua Ionica ſcripſerit, tum quod a ſe pleraque depromens alienis veſtigiis minime inſtiterit, venam primo die aperiri jubet. Neque dubium eſt, in hac Anaxionis ægrotatione, eandem medendi viam ab Hippocrate fuiſſe inſtitutam; & in principio quidem morbi, cum nondum octavum diem attigerat, neque adhuc ſputorum ulla fuerat maturitas. Ego quidem hac ipſa, quæ proxime elapſa eſt hyeme, Pleuriticis interfui non paucis, quibus nulla fuerit Puris exſpuendi ſignificatio: qui tamen omnes, vena ter aut amplius ſecta, admotiſque Veſicatoriis, ad ſanitatem pervenerunt. Et in hoc rerum ſtatu non dubitans dixerim, Oleoſa omnia, quæque ad Sputum excitandum idonea habentur, per ſe ipſa parum proficere.

Sunt fortaſſe, qui hæc, quæ paulo ſubtilius de his affectibus diſceptata ſunt, non ita multum ad curandi artem conferre exiſtiment. Quorum tamen pace dixerim, ad rem medicam plurimum intereſſe, ut certa nobis ſit, tum de nota morbi propria, tum de ſede, cognitio. His quippe repertis, medendi facultatem felicius reperiemus. Igitur qui Pleuritidis naturam bene perſpectam habet, facile ſentiet quam præſens inter initia ſit a vena ſecta auxilium: hinc quippe ita pendet omnis ægrotantium ſalus, ut, ſi ab hoc medicinæ genere diſceſſeris, aliud fruſtra quæras. Hanc in Pleuritide tractanda viam tenuit Sydenhamus, ſanguinemque liberrime detraxit, de remediis, quæ Sputa extruderent, parum ſolicitus. Eandem hanc viam nunquam deſeret, cui corporis morbique ratio explorata ſit: quæ quam accurate a Medico intelligi debeat, hac ipſa in re Petroniani iſti inſigne documentum reliquerunt. Nam ii, quia morbi ſedem ignoraverint, neque ad Pleuram omnino pertinere putarint, ideo ne ſanguinem quidem mittendum cenſuerunt. Ita opinionem falſam in re, ut videri poteſt, leviſſima, magni errores conſequuntur; & hæc præſertim circa morbos commenta id habent periculi, ut eorum artifices, cum mederi volunt, vehementer peccent, & cum Petronianis ſola, quæ in medendo valitura ſunt, præſidia aut negligant aut plane rejiciant. Qui quidem, quanquam optima petere videantur, non voluntate quidem, ſed curſus errore falluntur.

[a] Morb. lib. 1. 25. & 2. 42.

COMMENTARIUS VI.

De Abſceſſu: Deque Coli, & Veſicæ Ulcere.

SIngularis eſt illa Pythionis hiſtoria, in principio Tertii deſcripta: in qua demum Abſceſſus circa Sedem ſubortus, cum per Urinæ itinera puris plurimum effuderat, integrum Febri finem attulit. Qui Notulas, quæ his Hiſtoriis ſubſcriptæ leguntur, affinxit, hanc morbi liberationem Urinæ copioſius effuſæ tribuit: id quidem perperam; neque enim ad Urinæ quantitatem, ſed ad qualitatem potius, utpote quæ fuerit Purulenta, Pythionis ſanitas referri debet. Neque leve eſt quod Hippocrates his in Libris ſæpius obſervat, Urinam, quoties materia illa Purulenta per Veſicam abducta eſt, cum difficultate & dolore reddi conſueſſe, ita ut Stranguria laboraverit ægrotus. Cujus rei rationem erit alias opportunior exponendi locus.

Morbos Abſceſſu ſolvi ſatis vulgare eſt, qui frequentiſſime quidem Febribus & Variolis ſupervenit, maxime circa aures atque inguina. Nonnunquam & toto corpore diffuſa excreſcunt Tubercula, quæ in Pus aliquando reſolvuntur. At hæc circa Urinæ meatus Suppuratio haud ita admodum frequens eſt, niſi in Calculoſis; ſaltem quæ Febricitantibus ſalutem præbuit, in Medicorum monumentis perraro legitur. Mihi ſane ſemel videre contigit, quod huic Hippocratis exemplo plane reſpondeat: ita tamen, ut hoc interſit; quod, utcunque Abſceſſu facto paulatim deceſſerat febris, ægrotus tamen ſanitati minime reſtitutus ſit. Cujus quidem ægrotationis Hiſtoriam, quia ſimilem neque in Libris unquam invenerim, neque auditione acceperim, hoc in loco perſcribere haud putavi alienum.

Vir & ingenio peracri, & ſtudio flagranti, & doctrina eximia, & memoria ſingulari excellens, anno ætatis ſexageſimo tertio, circa Autumni initium, valetudinem amiſit. Urgebant nempe viſcerum dolor, flatus, & quaſi quædam convulſio: langueſcebat admodum ſtomachus. Poſt autem aliquanto aderat deſidendi mingendique cupiditas, ſtranguria, dolor juxta inguen & circa glandem permoleſtus, præcipue poſt extremam mictionem graviſſimus; in Perinæo ad Veſicæ cervicem pondus; atque hæc omnia & nova, & repentina. Urina primum difficilis, atque interciſa; deinde mox magno cum impetu & ſonitu quodam, quaſi ventus aliquis erumperet, excreta: in qua quidem color inerat naturalis, nihil tamen ſubſedit. Dolor aut reſupinato, aut inclinato, aut etiam cum diſtenderetur Veſica, levior. Atque hæ inter mingendum moleſtiæ ad vitæ uſque finem perdurabant. Acceſſit interdum ſitis.

Hoc fere modo ad medium Novembrem traxit: quo tempore, dolores ſtatim exacerbeſcere ſenſit, ſiquid paulo calidius hauſerat:

per

per biduum vomitu omnia rejecit; cruciari ſibi inteſtina, & abdomen vehementius tendi querebatur.

Nov. 18. Inter meiendum dolor acerrimus; febris cum ſiti ſatis acuta: quæ tamen, die tertio elapſo, aliquantulum remiſerunt. Arenulæ aliquot aſperæ, quæ magnitudine caput aciculæ æquabant, ejectæ. Color urinæ ſaturatior: in qua ſubſedit plurimum muci glutinoſi & ſubflavi, ſanguine hinc inde, aliquando etiam carunculis ramentiſve reſperſi: qui quidem a pure minimum aberat, niſi quod neque læve admodum eſſet, neque male olens. Cum Urina ſæpe ejuſmodi flatus proruperunt, ut æger quendam quaſi crepitum reddere videretur.

Nov. 26. Recruduit dolor; obortus eſt rigor; horrore totum corpus intremuit. Pulſus celer, & depreſſus; lingua arida. Urina ſanguine plurimum tincta; quam quidem non niſi in lecto cubans excernere potuit.

Dec. 3. Dolorum requies; ſeu potius ſenſus obtuſior. Caput quippe tentari cœpit. Febris, ſingulis diebus veſperi ingraveſcere ſueta, tandem fere prorſus elanguit. Spiritus paulo difficilior. Urina mordax, planeque mali odoris: Pus ea largitate profluens, ut urinæ copiam prope exceſſerit. Huic malorum moli paulatim acceſſit ſenſuum ſtupor. Ita in hoc Viro ille animi motus, quo nihil celerius aut acutius eſſe poterat, veterno tandem obtorpuit. Quis autem non jure beatum illum dixerit, vel quod vitam doloris expers tamdiu produxit, vel quod, cum diutius haud ſine dolore vivendum eſſet, vivere deſiit?

Aperto cadavere, Urinæ iter accuratius perveſtigatum eſt. Nam ad ſectionem ita animo parati acceſſimus, quaſi qui Calculum eſſemus inventuri. Sed neque in Veſica, neque in Ureteribus, neque in Renibus ipſis, ullum omnino Sabuli, nedum Calculi, apparuit veſtigium. Dum ulterius Viſcera ſcrutamur, Colon ita pertinaciter Veſicæ adhæreſcere animadverſum eſt, ut ne cultro quidem facile dividi poſſet. Quaque in parte adhæreſcebat, in conſpectum venit Diametri quaſi ſeſquiuncialis Ulcus rotundum, quod non modo Coli ipſius tunicas penitus abſumpſerat, ſed etiam Veſicæ membranam extimam perederat. Hinc via per tunicam Veſicæ mediam ſive muſculoſam perforata eſt, quæ pennam anſerinam reciperet: unde continuo pus ab ulcere intra veſicam defluxit, adituſque patuit, quo in Urinæ ductum ab inteſtinis commigrarent flatus; de quibus quidem, dum viveret, ægrotum ſomniaſſe perperam credidimus.

Satis jam credo intellexit Lector, ſigna hic omnia præceſſiſſe, quæ Calculo in Veſica ſito propria habentur. De quo ne dubitare poſſemus, maximo ſane erat argumento, quod ea ſe ita clare prodidiſſent. Sed nos demum erroris coarguit, magiſter in morborum cauſis eruendis optimus, Culter Anatomicus. Igitur in hujuſmodi re, ubi inciderit Calculi ſuſpicio, niſi is inter explorandum Chirurgi manu deprehendatur, de eo non ita fidenter pronunciare convenit. Neque enim erubeſcendum eſt, ſi haud ſemper nobis liceat, qua ratione

morbos

morbos aut gignat, aut abigat natura, ſuſpicari: ſaltem honeſtius eſt aliquid neſcire nos confiteri, quam tandem in opinione ficta atque vana convictos turpiter erubeſcere.

Sæpenumero mihi de his ipſis ſignis cogitanti non ita obſcura videtur ratio, quemadmodum ea, etiam ſine Calculo, Pus ſuapte vi producere potuiſſet. Nam ſatis mihi videor intelligere, cur Pus, interiorem Veſicæ membranulam ſtimulans, tot tragœdias excitarit: cur, eadem de cauſa, meiendi ac deſidendi cupiditatem: cur dolorem, etiam ad extrema glandis, commoverit: cur urinæ ardorem ſtillicidiumque, aut circa veſicæ anguſtias ſubſiſtens, aut urethram deinde transfluens, invexerit. In hoc unice hæreo, unde nimirum fieri potuit, ut tantilla puris effluxio alicujus ponderis ſenſum, eumque haud mediocrem, exciverit: nam aderat circa pubem gravitas continua, qualis Calculo premente ſentiri ſolet. In quamcunque partem hoc argumentum verſo, fateor memet mihi parum ſatisfacere; quod igitur viris in hoc ſcientiæ genere exercitatioribus diſcutiendum relinquo, iis, ſiqua in re tam recondita rationum momenta proferre voluerint, gratiam habiturus.

COMMENTARIUS VII.

De Purgatione: quam vim habeat in Febre Putrida, quæ Variolis Confluentibus ſupervenit; inque Capitis Eryſipelate.

ÆGrotis pluribus, nempe Lib. 1, 10. Lib. 3, 3. Sect. 2, 9. ex Alvi reſolutione valetudinem eſſe reſtitutam conſtat. De quo quidem auxilio ita multa in Epidemiorum Libris habet Hippocrates, ut hanc omnium frequentiſſimam fuiſſe animadvertat, quam natura in morbis hiſce liberandis molita eſt, viam. Idem &, qui deinde ſecuti ſunt, medicinæ magiſtri multiplici experimento comprobant: neque hic quidem ſubſiſtens Fernelius[a], Febrem Continuam aut Sudore, aut Sanguinis profluvio, aut Abſceſſu denique, ſolvi poſſe pernegat, "una interim Alvi ſpontanea ſolutione tuto ac perfecte "judicari pronuntiat. Ea quippe (inquit) ſola poteſt Putridam "Febris materiam perfecta jam concoctione apparatam prorſus ex-"cludere, atque viſcera & majores venas ſordida illuvie obſeſſas, "citra virium & naturæ jacturam & offenſionem, expedire."

Itaque Naturæ conſuetudinem inſtitutumque imitatus, ipſe aliquando Hippocrates eandem in Acutis Febribus curandi viam tentavit: cui & ex Recentioribus nonnullos neque infrequenter neque infeliciter inſtitiſſe video. Sane ſiquid in his caſibus præſidii a Pur-

[a] Meth. Med. 70

gatione

gatione petendum ſit, Recentiores eam ſatis tuto inſtituere poſſe videntur, & quidem melius Antiquis: hi quippe remedia in hoc genere non niſi acria, maximeque valentia ſequebantur; iis jamdudum in uſum ſuppetunt, quæ leniſſima ſunt, quæque medentis arbitrio facilius obſequuntur.

Sunt ſane ejuſmodi Febres, quæ Purgantia commode recipiant; ſunt etiam, quæ omnino deſiderent. Tamen, cum locus iſte longe lateque pateat, hæc medendi ratio tam multas habet cautiones, ut neque ullæ de ea ſatis accuratæ ab Authoribus tradantur regulæ, neque, niſi laboris ac judicii plurimum acceſſerit, tradi poſſint. Nam & perito ita ſuam in hac re ſententiam perſequi, ne erret, haudquaquam facile: ſcriptis vero ita aperire, ut alii in errorem non incidant, difficillimum. Itaque medentibus, ut hanc uſu atque exercitatione conſequi poſſint intelligendi prudentiam, relinquendum.

Hoc ſolummodo mihi nunc oneris ſuſcipio, ut certum aliquod Febrium genus deſignem, in quo potiſſimum valitura ſit Catharticæ medicinæ virtus. Ita cum ſimpliciſſima ſit quæſtio minimeque involuta, magis expedita erit eorum quæ dicenda ſunt explicatio. Atque ex Febribus quidem nullam aliam æque Purgationi opportunam reperio, ac eam quæ Variolas Confluentes, maturitate Puſtularum aut vigente aut jam inclinata, ſemper excipit. Ea quippe Febris uti omnium maxime Putrida eſt, & periculi plena, ita præ cæteris curationem hanc aptius recipit. Morbus cum ſit ille notiſſimus atque apud omnes pervulgatus, hoc eum in loco deſcribere ſupervacuum plane videtur: ea tantum attingam, quæ ad hanc medendi viam propius ſpectant. Quam qua demum ratione, quoque potiſſimum tempore ſectari oporteat, ex propriis cujuſque ægroti hiſtoriis dilucidius patebit, quam ſi ea fuerit generatim atque univerſe explicata: hoc ut facerem, eo magis adductus ſum, quod in novo argumento id expectent lectores, id jure quodam deſiderent. His igitur ut ſatisfaciam, enitar.

HISTORIA Prima.

Vir illuſtri loco natus, ætate florens & viribus, Febr. 3. 1709, Variolis correptus eſt: quæ quidem, dum erumperent, atrociſſimum dorſo dolorem intulerunt. Medici, qui inter initia affuerant, Venam ſecari, Vomitoriumque adhiberi imperabant.

Febr. 6. Per totum undique corpus, perinde ac faciem, multitudine ingenti effuſæ ſunt Puſtulæ, exiles, depreſſæ, confluentes; in genis quaſi pelliculæ ſpeciem præbentes: alias item, poſt primum in erumpendo impetum, lente admodum evocatæ. Diæta uſus eſt tenui, & temperata: Fracaſtorii Confectio, Aqua vel Ceraſorum, vel Lactis ſoluta, maxime pro medicina fuit. Somnum quippe perdifficiliter capiebat: atque hoc non ex ægrotatione modo, ſed ex naturali temperie profectum: ita ut, cum non ita pridem febricula ten-

tatus Genuæ decumberet, per ſeptem fere continuos dies ſomnum vix viderit.

Sputatio ad triduum, utcunque mediocris, ſatis tamen feliciter proceſſit; deinde ex toto intercidit. Ex qua quidem re peſſimum præſagium cepi: quanquam aliis aliter viſum eſt, qui hanc in Variolis Sputorum profluentiam ex naturæ, neſcio qua, Malignitate proficiſci credunt. Certe, utut maligna ſit, in hoc morbo, ubi confluxerint Variolæ, fere neceſſaria habetur. Sydenhamus, qui Variolas exquiſitiſſime omnium deſcripſit, non niſi unum ſe vidiſſe perhibet, cui in hoc Confluentium genere ſputa non prodiiſſent: in quibus quidem pro more fluentibus ægroti ſalutem æque verti, ac in eo quod aut facies rite intumeſceret, aut Puſtulæ maturitatem haberent ſuam, judicavit.

Febr. 9. Puſtulæ circa mentum fere nigræ evaſerunt: quæque in genis confluxerant, Pergamenam aut glaciem lævitate imitabantur. Fauces iis obſitæ condoluerunt: facies modice turgebat. Veſperi, ad ciendum Vomitum, exhibita eſt Oxymelitis Scillitici uncia.

Febr. 10. Viſus eſt ſibi aliquantulum recreari. Facies in tumorem magis elata, licet adhuc, quam morbi natura exigeret, depreſſior. Sputatio rediit; elapſis autem horis circiter decem, prorſus deceſſit. Sub noctem, Veſicatorium Nuchæ appoſitum.

Febr. 11. Manus paululum intumeſcebant. Nequid vero in hoc difficili tempore (quippe Nonus jam erat dies) deterius accideret, veſperi de Veſicatoriis brachio admovendis convenit. Neque hoc quidem nimis mature factum eſt; nam & tendines ſubſilire, & labia convelli cœperunt. Noctem hanc in maxima moleſtia egit: nimirum Febris vehementer excanduit; acceſſit delirium, totiuſque corporis tremor.

Febr. 12. Mane, nec loquendi, nec deglutiendi facultas erat ulla: itaque de eo plane conclamatum eſt. Injectus tamen eſt Clyſter, unde alvus percommode fluxit. Poſt meridiem, cum Veſicatoria nimirum jam optatiſſime reſpondiſſent, ad ſe prorſus rediit: Febris, nervorumque diſtentio remiſerunt. Puſtulæ exarefactæ a capite deciderant: quod quidem undiquaque ulcuſculis ita ſcatebat, ut, tanquam Veſicatorio eroſum, tenuem humorem uberrime funderet. Idem & in facie aliquanto poſt contigit, ubi recentis materiæ copia maxima ſub cruſta jam ſucceſcente exſudavit.

Feb. 13 & 14. Febris inhærebat aſſidue: Pulſus tamen, qui, ex quo decubuerat, inæqualis admodum fuit, his diebus ad normam magis compoſitus. Tumor penitus ſubſederat. Medicamenta Cardiaca, & Diaphoretica per aliquot dies ſine fructu fuerant adhibita: neque enim aut ſudoris, aut madoris minimum erupit. Itaque Clyſterem alterum ſuaſi: ſed hinc id periculi timebatur, ne, ſi alvum plus ſimplice vice moverit, mortem afferret. Cæterum applicatus eſt tandem; &, ventre bis ſubducto, aliquantulum levamento fuit.

Febr. 15. Iterum vehementior tendinum ſubſultus. Delirium crebris intervallis revertebatur. Neque enim adhuc deceſſerat febris,

neque

neque illa medendi ratio quam inſtitueramus quicquam profecerat. His adeo de cauſis, quia & Sanguinis miſſio non ſatis commode ceſſura videbatur, de ventre leniter ducendo ſermonem intuli. Multa de periculo dejectionum reſponſa: eamque curandi viam a ſe fuiſſe tentatam, neque tamen unquam ſatis ex ſententia proceſſiſſe. Quam tamen a me aliquoties feliciter eſſe uſurpatam dixi; nullumque aliud medicinæ genus relinqui, quod in his fere deſperatis ægroti rebus valeret. Variolæ quippe partes ſuas dudum expleverant; neque ſpes ulla reliqua erat, per cuticulares meatus aliquid amplius extrudi poſſe: in eo nimium diu a nobis elaboratum eſt; clareque apparuit materiam hanc purulentam, a qua & fomitem febri & pabulum ſuppeditari in confeſſo erat, per aliquas corporis vias abduci oportere. Clyſter alvum bis ſolverat; unde neque fluxus periculum, neque ulla virium jactura. Scire vellem, quam demum ob cauſam, poſt Variolarum deceſſum, Purgantia præciperent omnes omnium gentium medici, niſi quod materiæ hujus reliquias a ſanguine exterminari voluerint, quæ, ſi intus deliteſcerent, eſſent læſuræ. Dominus Buſſiere, qui ægroti ulcera curabat, nepotis ſui hiſtoriam narravit, qui ex Variolis febricitans, hac purgandi ratione, die decimo ſeptimo, ad integritatem pervenit. Propugnatum eſt pro medicamentis Cephalicis, quæ delirio tremoribuſque nervorum tollendis habentur idonea: quæ quidem medendi ratio, ut ut bene ceſſerit, morbi ramos amputare potuiſſet, non omnes radicum fibras evellere. Nam utcunque cætera conquieſcerent, malorum omnium cauſa, Febris, perſtitiſſet. Nihilominus Spiritum Cranii humani, Salemque Armoniacum Volatilem præſcripſimus.

Feb. 17. Mane cum Febre & Convulſionibus gravius luctabatur, evaſitque plane veternoſus: a triduo nullum Opiatum ſumſerat. Itaque rurſus, ut purgaretur, inſtiti: ſed eodem ac prius modo occurſum eſt. Novum argumentum ex hoc Comatis acceſſu natum eſt, periculum ſcilicet eſſe, ne, ſi duceretur alvus, nimio æger fluxu interiret: hujuſmodi enim fluxum in Comate inter notas maxime lethales haberi. Qua quidem argumentandi via minus mihi ſatisfactum eſſe fateor, quod ipſum hoc Coma nihil aliud eſſet, quam alterius morbi nota: quod ſi morbus fuiſſet primarius, ne tum quidem recte interdicendum eſſet purgantibus: quæ ab omnibus Medicis in uſum duci video, cum in Comate alvus parum liquida extiterit. Quid quod in Comate tantum abſit, ut illa ventris reſolutio ſemper cum periculo fiat, ut aliquando ſua ſponte oborta morbum ſummoverit. Sed fidere Cephalicis commodiſſimum viſum eſt: ad quem finem Julapium eſt ordinatum. Poſt meridiem febris ita invaleſcebat, ut in eaſdem æger anguſtias deductus eſſet, quibus ſexto abhinc die conflictabatur. Itaque de eo, ut hac ipſa nocte morituro, præſagium factum eſt; cognatique, tanquam extremo munere functi, diſceſſerunt. In hoc rerum diſcrimine, an medicina poſſet quicquam proficere, valde dubitatum eſt: certe ſiqua ſubeſſet ſalutis ſpes, in eo maxime poſita eſſe videbatur, ut flueret alvus. Hoc ut

effice-

efficeretur, diu a me flagitatum eſt: quod ſi fuiſſet effectum, viribus nondum attritis, poterat prodeſſe; in ſummo tamen periculo præſtaret anceps experiri remedium, quam nullum. Pronuntiatum eſt eſſe moriturum, ſive purgaretur, ſive non: purgari tamen nullatenus conceſſum: id enim eſſe affirmabant, ut extra artis regulas poſitum, ita rationibus ſuis incongruum. Ad extremum vero ita convenit, ut hora nona hoc ſumeretur Catharticum.

℞ Decoct. Sen. Gereon. ʒiv. Sal. Mirabil. Glauber. ʒj. Aq. Cinnamom. Hord. ʒvj. M.

Trium fere horarum ſpatio, alvus ingenti copia bis deſcendit: dejectioneſque hæ cum ſolidæ & nigræ, tum admodum fætidæ fuerunt. Dominus Buſſiere, qui una aderat, teſtis eſt, quemadmodum Convulſiones illico remiſerunt. Febris plurimum inclinata, pulſuſque valentior factus. Coma, quo graviter laboraverat ægrotus, evanuit: poſt aliquot horas, non ea quidem, qua prius, vehementia recurrit.

Febr. 18. Omnia in deterius ibant, febriſque præſertim acrius exarſit. Itaque altera vice Nuchæ admotum eſt Veſicatorium. Veſperi, cum ultra ſpem adhuc vitam traheret, cumque, quid valere poſſet medicina, etiam nunc experiri commodum videretur, de Flore Sulphuris injecta eſt mentio. Quærenti mihi, quid tandem eſſet id, quod ea medicina efficere poſſit, reſponſum eſt eam fortaſſe poſſe ventrem ſolvere, poſſe etiam tuberculum extrudere: eſſe enim in propellendis humoribus efficacem. Fuiſſe nuper in re ſimili adhibitam, unde alvus creberrime fluens ægrum ad ſanitatem perduxit. Siquidem illa alvum moveret, ſatis eam mihi placere; eam quippe unicam evacuandi rationem reliquam eſſe, qua ægro ſalutem polliceri poſſe videbamur. Itaque Sulphuris drachmam partitis vicibus ſumpſit. Quæ quidem alvum minime ſolvit. Media fere nocte, cum ex Veſicatorio profluxerat humor uberrimus, mente omnino conſtitit: nullum delirii, neque Comatis veſtigium: Convulſiones haud antehac ita mediocres: Febris mirum in modum tenuata; Pulſuſque tum viribus valentior, tum intervallis diſtinctior. Facies, quæ conſanuiſſe videbatur, nova materiæ acceſſione recruduit. In eodem plane ſtatu ad horas circiter triginta permanſit.

Febr. 19. Magnam ex valetudine in melius mutata voluptatem captavimus, naturæque, ſuo ut fungeretur munere, permiſimus. Veſperi, cum de curandi ratione conſilium eſſet initum, occaſionem arripui de fructu illo, quem ex Evacuantibus percepimus, pauca loquendi: ediſſerens id apertiſſimis indiciis ſignificari, ut eadem illa medendi via, ne recurreret morbus, teneretur. Contra diſceptatum eſt: verum quidem eſſe, quod morbus multo levior fieret: id tamen neque a Veſicatorio, neque a Dejectionibus, ſed a Sulphure profectum. Rem maximæ difficultatis eſſe, ubi plura adhibentur remedia, dignoſcere, utri in morbo liberando primas deferre oporteret. Eſto: at quotidiano uſu comprobatum eſt, Febrem ac delirium Veſicantibus remediis Purgantibuſque tolli ſolere, Sulphuris drachma

ma extingui poſſe hactenus inauditum. Ea quidem quæ procurata eſt alvi dejectio, quanquam morbi impetum omnem haud penitus fregerat, magna tamen ex parte levarat: unde venter non ſupervacuo modo, ſed & noxio illo onere liberatus eſt: neque ullum ſecutum eſt, quod tantopere timebatur, incommodum. Vires inſtauraſſe potius, quam exhauſiſſe videbatur Purgatio; quæ ſi non fuiſſet adhibita, periculum eſſet ne ægrum ſola Veſicatorii vis ex hac crudeli neceſſitate minus eripere potuiſſet. Certe ſi illa materiæ putridæ moles, per alvum effuſa, intus adhuc reſtitiſſet, ſperandum vix erat aliam quamvis medicinam quicquam profecturam. An non plus immineret periculi a tanta intro concluſa putredine, quam a medicina quæ eam ex inteſtinis eliceret? Rem enim ipſam ſatis loqui, naturam nimio oppreſſam pondere ſuccumbere: Variolarum maturatione materiam illam, quæ fovit atque aluit morbum, non ſatis fuiſſe exhauſtam: & quam porro viam eſſe reliquam hoc quo maxime opus erat efficiendi, niſi ut per alvum lenis atque continua fieret Purgatio; quam quidem ſine ullo vitæ diſcrimine fieri licebat. Etenim id facile erat advertere, quod Evacuatione quacunque facta, ſive ea Veſicantium, ſive Clyſteris, ſive Purgantium ope proceſſerit, ad tempus ſaltem valde levaretur morbus, Pulſuſque perpetuo invaleſceret. Quod ad Purgantia quidem ſpectat, eam præ aliis medendi rationem, in Putridis hiſce Febribus, quæ Variolis ſuperveniunt, ſuadet Sydenhamus: eandemque mihi a ſe ſæpius inſtitutam narravit, vir in re medica celeberrimus, Radclivius; qui in Remediis adhibendis, ſumma ſua cum laude nec minori ægrotantium commodo, hoc ſibi unice propoſuit, ut Naturam per omnia ducem ſequeretur. Profecto tantum abeſt, ut hoc curandi genus recenter excogitatum fuerit: cum morbo ipſo vetuſtate poteſt contendere. Rhazes enim, qui inter Arabas & authoritate fuit & antiquitate princeps, quique primus omnium non modo Variolas deſcripſit, ſed duo quæ nunc ſunt earum genera [a] explicuit, Hiſtoriam hanc ſingularem literis conſignavit. "[b] In puella (inquit) poſtquam Variolarum Puſtulæ deciderant re-
" manſit tamen aliquid Febris acutæ, & putavi quod eſſet reſiduum
" humorum non eductorum per egeſtiones, & non poterat ſubito &
" ſemel in totum purgari propter debilitatem virtutis ejus; feci ta-
" men ipſam aſſiduare Aquam Fructuum quindecim diebus in Au-
" rora, & Ptiſanam, & aſſolebat ex hoc bis in die, & fuit mundifi-
" cata perfecta mundificatione." Hæc Rhazis monumenta fuſius illuſtravit Zacutus; iiſque, quæ ex hac Hiſtoria notavit, animadverſionem adjecit perappoſitam, eamque ſane haud futilem; "[c] Licet
" ulcera in cute non omnino deleta ſunt, medicamentum clementer
" expurgans ſemper erit utile, quia tunc non curamus Variolas, ſed
" novum morbum; qui cum a pravo humore originem ducat, ſi
" non expurgetur, damna poteſt committere, quæ difficilem poſtea
" aut nullam admittant correctionem."

a De peſtilent. b Mirab. Cur. c Hiſtor. Med. Princ. lib. 4.

Sed demus nullum habere autorem, nullo exemplo fieri hoc purgandi inſtitutum; tamen vel ex hoc, quod nos ipſi fecimus, experimento ſatis elucere arbitrabar, cur hac nunc potiſſimum via inſiſtendum eſſe ſtatueremus. Quæ, ſi in hac morbi gravitate ſemper eſſet nocitura, mortem maturaſſe debuerat, non ægrum in ſpem ſanitatis erexiſſe. Quid ſi ei nullas in præſenti periculo depellendo partes concedimus? id ſaltem negari non poſſe, tutiſſime eam poſſe adhiberi: eam jam fuiſſe adhibitam, unde valde levatus eſt morbus, nec quicquam incommode ceſſit. Adeo inanis erat nimii fluxus timor. Tamen de hoc etiamnum timeri non eſt deſitum, utpote a quo, ſi intervenerit, æger maxime eſſet periclitaturus. Id quoque haud prætermiſſum eſt, multa eſſe a Sydenhamo prolata & venditata, quæ nullo fundamento niterentur: veluti quæ de Equitatione ſcripſit, tanquam, ſicut in Febre Intermittente Cortex Peruvianus, item hæc in Tabe non dubie valeret: id quidem quotidiana experientia refelli. Quid in cæteris ſcriptis præſtiterit Sydenhamus, mei non eſt decernere: in his quæ ad Variolas ſpectant, eas ita ample atque accurate pertractavit, ut omnibus in eodem argumento verſatis jure anteponi debeat. Ea vero quæ apud illum de Purgantibus in hoc Variolarum ſtatu adhibendis leguntur, in eo opere propoſuit quod extremum publico[a] dedit; quaſi ultimum eſſet animi ſui judicium, quod longinqui temporis uſu atque periclitatione firmaverat. In qua quidem medendi ratione ita parum temere proceſſit, ut, ſi verum dicere liceat, non ſatis audax fuerit; nam eam nimis arctis conditionibus aſtringit, nec, niſi faceſſente morbo[b], niſi die decimo tertio, niſi præmiſſa Venæſectione, fieri patitur: cum & ſine Sanguinis miſſione, & ante diem decimum tertium, & in ſummo morbi impetu tutiſſime factum eſſe viderimus: ſed hanc nimirum ille, uti ſero admodum ſenex didicerat, ita paulo timidius & diffidentius adhibebat.

Sed iterum de Sulphure agitata eſt quæſtio: magno eſſe argumento, cur eadem utendum ſit medicina, quod tam proſpere ceſſerit: nullam aliam eſſe regulam, quam in remediis deligendis ſequi oporteret: id quoque eo fortaſſe acceſſurum, ut a Sulphure expelli poſſit tuberculum. Parum ex re fore arbitrabar, ut exhiberetur Sulphur: quia niſi id alvum ſolveret (quam ab eo minime ſolutam iri experimento ſatis conſtabat) calorem excitaret, febremque denuo accenderet; quam quidem ſemper a Diaphoreticis exacerbuiſſe comperimus. At contra affirmatum eſt, id in refrigerando valere, Oleumque ex eo perquam frigidum ſolere exprimi. Certe, ſi utrumque ex viribus æſtimemus, Oleum a Floribus longe diſcrepat: ſiquidem in re Chymica verſatum minime latet, partes duas, eaſque plurimum diverſas, in Sulphure contineri; & quo Oleum rite elici poſſit, neceſſe eſſe ut igne partes eæ, ex quibus Flores maxime conſtant, in ſublime ferantur: itaque, ſi refrixerit Campana, Oleum non ita commode ſecernitur. Ex centum Sulphuris nativi libris, Olei citer

[a] Schedul. Monit. [b] 91. ibid.

citer quinque proveniunt; ex totidem, dum Flores ſurſum evehuntur, quod Caput mortuum audit, non niſi ad viginti libras aſſurgit. Ita cum ad partes volatiles fere nullam rationem habeant fixæ ſive acidæ, Sulphur ipſum, ut calidum, perpetuo deſcribitur: & nullum credo ſcriptorem extitiſſe, qui id inter Calefacientia non recenſuerit. Si refrigerandis humoribus aptiſſima eſſet medicina, quomodo eadem in propellendis, uti dictum eſt, vim haberet? Calidum eſſe, effectus ipſi demonſtrant; nam & ſudores evocat, & abſceſſus cuticulares maturat. Tuberculo quidem nihil optatius eſſe: cujus tamen cum nulla eſſet ſignificatio, intellectu difficillimum eſſe, quomodo id tandem Flos Sulphuris efficeret.

At Sulphure, in Malignis Febribus, uſus eſt Hippocrates: id quoque pro vero perperam ſumitur. Nam quamvis hiſtoria clariſſime docet, quam mirabiliter in peſte ſananda excelluerit Hippocrates, tamen, qua ille medicina id præſtiterit, prorſus ignoratur. Sane in Hippocratis ſcriptis nulla hujuſmodi invenitur mentio. Neque in Medicorum veterum monumentis ulla extat memoria, eum hoc remedio peſtem depuliſſe. Helmontius utique, ſcriptor pene fanaticus, hoc Hippocratis arcanum ab Angelo indicari fingit: [a] quam quidem fabulam, tanquam res eſſet ſeria, exſcribit, ſuiſque inſuper commentariis illuſtrat vir bonus, Kircherus. Ii tamen id eſſe exhibendi in peſte Sulphuris conſilium declarant, ut ſudores provocentur; oſtenduntque, quo demum modo illud parari debeat, ut commode cedat. Recentiores plerique ad eundem finem Sulphuris Florem in peſte præcipiunt; itaque apud eos in Diaphoreticorum [b] claſſe locatur. Sed quid ſi Hippocrates in Malignis Febribus Sulphur præſcripſerit? Quorſum id exempli his ægroti rebus aptum eſſet & conveniens? Si hujuſmodi argumentis uti libeat, multa itidem exempla proferri poſſe, ubi in iiſdem Febribus magno emolumento fuerit Purgatio: quæ quantum vel in ſummo diſcrimine valeat, luculentum ſpecimen exhibuit Riverius [c]. Quin ex hoc ipſo Flore Sulphuris aliqua fuit alvi ſolutæ promiſſio: quod ſi probaretur dejectio, modo eam Flos ille concitaſſet, cur non medicina uti liceret, quæ eandem certo movere potuerit? Num ab Electuario Lenitivo, vel re ſimili quapiam, ventrem bis deſcendiſſe magis nocuerit, quam ſi itidem a Flore Sulphuris bis deſcenderat? Hunc ſaltem ægroto cuidam adhibitum humores vehementer expurgaſſe: id ſatis argumento eſſe, quod ne nimius quidem in hoc morbo fluxus ſemper cum periculo fieret. Et ſane uſum hoc abunde teſtari, quemadmodum in hac Febre Putrida, etiam ubi res in ultimum diſcrimen adducta eſſet, alvus ſua ſponte fluens, aut Clyſtere ultra morem irritata, ſalutem attulerit. Ægrum ne nunc quidem plane deſperatum eſſe; ſufficere ei vires, ut hoc medicinæ genus ſuſtinere, tempuſque ſinere, ut experiri poſſit. Nam & languore vacabat, & a Febre tempora ſatis liberaliter quieta habuit: Pulſus valentior factus, ad naturalem tarditatem propius acceſſit: in Urina quod ſubſedit valde probabile.

a Tumul. Peſtif. b Diemerb. de Peſte 124. c Obſerv. Cent. 2. 87.

Etenim

Etenim Urina in toto morbi decurſu optima ſui ſigna præbuit, licet aliquando in Comatis acceſſionibus paulatim, interdum & ſine voluntate, deſtillaverit. Ita hunc, & proximum diem agebat. Repetita ſunt remedia jam præſcripta: nam neque de Sulphure, neque de Purgantibus convenit.

Febr. 20. Veſperi in deterius vergebant omnia. Vix impetratum eſt, ut Clyſterem ſumeret: qui ne nimium prodeſſe videretur, ſemidrachma Sulphuris quam maturrime adhibita præcautum eſt.

Febr. 21. Mane, ex advigilantium ſermone intelleximus eum, Clyſtere reddito, levatum eſſe, & noctem placide duxiſſe. Tanti fuit Sulphur cepiſſe! Sed res multo ſecus deprehenſa eſt: nam & Coma redierat, & jam cætera omnia mala ingraveſcebant: in Urina nihil quicquam deſedit. Veſicantia utrique femori ſunt admota. Circa meridiem Calomelanos gr. viij. præſcripſimus, cum Electuarii Lenitivi ʒſs. in Aqua Lactis ſoluta. Sed alvus minime fluxit. Itaque veſperi, Clyſtere injecto, ne tum quidem niſi parce commota eſt.

Febr. 22. Noctem inquietus egerat; mente admodum turbatus eſt: & jam illico moriturus videbatur. Media tamen circiter nocte, iterum eadem ad alvum ciendam ſumpſit. Unde ter illa dejecta eſt: quod quidem in ipſis mortis faucibus luctantem ita parum præmature ſuſtulit, ut

Febr. 23. Mane delirium prorſus evaneſceret; neque animi deliquium, neque convulſionis quid aderat. Sed pulſus debilis, & vires penitus exhauſtæ. Ad hunc modum cum vitam aliquandiu pertraxiſſet,

Febr. 24. Deſideratus & a ſuis & ab omnibus, interiit. Qui idem dies, ſi Sydenhami computum ſequamur, eſt morbi Viceſimus quartus; nam Februarii primo invaſit morbus, tertio eruperunt Variolæ. Ita ut triduo terminum illum exceſſerit, quem ut huic morbo ultimum ponit Sydenhamus [a].

Hiſtoria hæc a me paulo latius atque prolixius deducta eſt, eo tantum animi conſilio, ut, quia neque ex conſuetudine eſſet, neque communi Medicorum ſententiæ congrueret hoc purgandi inſtitutum, quid hoc tandem valeat efficere, aut quid inde boni expectare conveniat, Lector ex hac explicatione diſtinctius facta internoſcere poſſit. Quod quidem medicinæ genus ita parum uſu eſſe receptum fateor, ut minime mirer pleroſque huic admodum adverſari. Liberum cuique ſuum ſit judicium: nec dubito quin ii, a quibus diſſenſeram, habeant ea argumentorum pondera, quibus ſententiam ſuam tueantur. Sua illis placuit opinio; mihi fortaſſe nimium mea. Siquid liberius ſit dictum, id non contradicendi, ſed veritatis in re tam gravi aperiendæ, ſtudio dictum putetur. Fortaſſe magis acriter animo meo hac in re obſecutus ſum, tum quod de hujus medicinæ commoditate mihi perſuaſiſſimum eſſet, tum quod juvenem illum Nobilem, uti par erat, coluerim & dilexerim maxime. Sed huic,

[a] Sched. Monit. 77.

unde

unde nihil nunc præter mœrorem luctumque duci poteſt, argumento ſuperſedeamus.

Ut itaque eo unde deflexit redeat oratio, mihi ſæpius uſu venit, ut in hoc Variolarum ſtatu, ubi Puſtulis exareſcentibus Febris nihilo ſecius invaluerit, ad Purgantia confugerem. Quæ ita periculo vacare, ita commode adhiberi poſſe expertus ſum, ut multorum vitas ab hac maxime medendi via conſervatas eſſe haud abſurde dixerim. Quo autem medicinæ hujuſce inſtituendæ & tempus & ratio melius dignoſci queant, liceat hanc ex multis Hiſtoriam, eamque, ut mihi videtur, ſatis ſingularem excerpere.

HISTORIA Secunda.

..... Browne, Domini Bampfylde Baronetti, qui jam ex Variolis convaluerat, famulus in eundem morbum incidit. Jan. 6, 1710, Puſtulæ ſeſe circum tempora extulerunt: quæ deinde, pro more morbi progreſſæ, non modo faciem omnem, ſed & artus undique & pectus ingenti copia occupabant. Erant autem & mole exiguæ, & Confluentes: quoad cætera, non mali moris.

Jan. 9. De faucium tumore, & deglutiendi difficultate querebatur: quibus, Veſicatorio applicato, levatus eſt. Ad duodecimum diem ſine ulla gravi moleſtia ſatis commode pervenit; pridie, Glande ſubdita, alvum bis dejecerat. Jam exaruerant omnes Puſtulæ: ex facie tumor deceſſit, etiam in manibus aliquantulum reſedit. Duodecimo autem die ex quo eruperunt, (qui eſt Sydenhami decimus quartus, quique apud eum, in Crudiore genere [a], ut periculoſus maxime notatur) Febris vehementer exarſit, cum pulſu celeri & depreſſo: cutis quaſi flamma admota excanduit: ſubſiliebant tendines; accedebant delirium, & ſpirandi difficultas. Nox proxime elapſa ſomnum nullum attulerat. Re in hoc diſcrimen adducta, Sanguinem mitti jubet Sydenhamus [b]; neque, priuſquam is miſſus fuerit, Alvum ullo modo duci [c] concedit. Sed ea moderatio, quam is ſecutus videtur, haud ſemper eſt aptiſſima: igitur, licet Venam aliquando ſecare plurimum profit, tamen ab hac regula mihi diſcedendum putavi, tum quia ex Pulſu ſanguinem haudquaquam mitti oportere judicabam, tum quia ſæpe alias percepi vires ex alvo leniter ſubducta minus, quam ex miſſo ſanguine, imminui: etiam & neglecta ſanguinis miſſione, hanc purgandi rationem feliciter poſſe teneri.

Quamobrem die decimo tertio, Januarii ſcilicet decimo octavo, cepit Extract. Rudii gr. xvj. in Aq. Pæon. C. ſoluta. Unde alvus quater liquida, mucoſa, & graveolentia demiſit. Illico invaluit Pulſus: delirium tamen, & convulſiones perſtiterunt. Veſperi, brachiis appoſita ſunt Veſicatoria; & Hauſtu ſomnifero uſus eſt, cui & in noctes proximas aſſuevit.

a Sched. Monit. 77. b Sched. Monit. 87. c Ibid. 91.

Jan. 19. Mane idem in omnibus tenor, quanquam humores effuſiſſime eduxerant Veſicantia: hora decima cepit Electuarii Lenitivi ℥ſs in Aqua Lactis ſolutam: unde alvus bis mota levamento fuit. Veſperi tamen cum febre exacerbeſcebant omnia. Igitur utrique femori ut adhiberentur Veſicatoria, juſſi. Noctu alvus ſexies fudit prioribus ſimilia.

Jan. 20. Mane, Pulſus valens magis & ſedatus; cerebrum aliqua ex parte levatum, non prorſus liberum. Tremores perſtabant. Medicinam ex Fracaſtorii Confectione maxime compoſitam, quæ neque fluentem alvum nimis reprimeret, neque vires ultra modum atteri pateretur, mane & veſperi ad diem unum & alterum præſcripſi. Hodie tamen bis deſedit. Noctu venter octies ſolutus.

Jan. 21. Pulſus fere in ordinem adductus, cætera item in melius ibant. Hodie quater fluxit alvus.

Jan. 22. Febris, cum reliquo malorum agmine, deceſſit. Æger quotidie vires ſibi inſtaurari ſenſit, quanquam per tres inſecutos dies alvus ſæpius deſcenderit, tandemque integre convaluit. Id in hac hiſtoria maxime notari debet, quod quatridui ſpatio, dum & febris plurimum ſæviret, & vires vehementer eſſent afflictæ, alvum fere tricies dejecerat: unde tamen nunquam ne quidem langueſcere ſibi viſus eſt.

Teſte, Antonio Baller, Pharmacopœo.

Ex hoc uno licet exemplo diſcere, quam opportune Febri huic Putridæ occurrant Purgantia: quamque nullo fundamento nitantur Canones illi, ut vocantur, ab Authore nupero poſiti, "[a] Cathartí-"cum nempe, ſaltem violentius, nullatenus exhibendum eſſe, pri-"uſquam appetitu & temperie integre reſtitutis conſtet venenum "foras penitus expulſum eſſe; ne ſpiritibus labefactatis venenum in-"tus cohibitum Oſſium cariem, Hypercatharſin, ſive grandem ali-"quem morboſum affectum inducat." Multa ſane frequenter incommoda Variolis ſuperveniunt, multa ille in Hiſtoriis recenſet: ſed ut libere dicam quod ſentio, magna mihi eorum pars videtur accidiſſe hac potiſſimum de cauſa, quod non ſatis mature facta fuerit Purgatio. Saltem in duabus iis Hiſtoriis [b], in quibus ſcribit, "morbo ip-"ſo finito [c], uſum Catharticorum prorſus deleterium fuiſſe, Cariem-"que Oſſium induxiſſe," ſumma cum ſua injuria incuſantur Cathartica. Nam legenti credo facile patebit, Venenum, ut cum Authore loquar, vim ſuam deleteriam penitus inſinuaſſe, antequam exhiberetur Catharticum: neque extingui potuiſſe, ſi id non fuiſſet exhibitum. Sed ſit ſane ille, ſicut fuit, huic purgandi modo infenſiſſimus; ſive quod ei ob inſolentiam rei ipſa medendi ratio haud arriſerit, ſive ii forte, qui hac uſi ſunt, minus placuerint: nos cum eo, uſque dum Venenum iſtud ægrotos occiderit, ne expectemus.

Quæcunque tamen ſit de his, quæ dicta ſunt, legentium opinio, gratiam apud eos me eſſe conſecuturum ſatis ſcio, ſi ſuper hac re

a Pyretolog. 313. b Ibid. 59. 60. c Ibid. 312.

Virorum

Virorum in arte Medica illuſtrium ſententias patefecero. Quod igitur hujus argumenti reliquum eſt, ex eorum doctiſſimis, quibus me cohoneſtare dignati ſunt, Epiſtolis petatur.

AMICISSIMO VIRO,

JOHANNI FREIND, M. D.

GRatias tibi ago, Vir Chariſſime, quod ſingularem Variolarum Confluentium mecum communicaveris Hiſtoriam; utque melius conſtet, quam plane Tecum ſentio, de Catharticorum uſu ac neceſſitate, in Secundaria, quæ iſtius morbi declinationem comitatur, Febre, mitto ad Te ægri cujuſdam, qui meæ curæ commiſſus eſt, caſum; cujus conditio ſub morbi finem, eadem pene erat ac illius a Te memorati: quin & morbus ipſe, cum in altero ſtadio ſatis levis, in altero eſſet graviſſimus, notatu videbatur haud indignus.

Apr. 9. Juvenem annorum 13 occupavit illa Variolarum ſpecies, quas Cohærentes nominat Mortonus. Invaſit etiam delirium, quod ad diem uſque Apr. 12 perſtitit, etſi 10 admota erant Veſicatoria.

Apr. 18. Nono ſcilicet die a Variolarum eruptione, primo mane ſubſedit faciei intumeſcentia; Puſtulæ cruſta prorſus obductæ ſunt, & pene extra periculum collocari videbatur æger. Tempore autem pomeridiano ex improviſo ingruebant tremores, & per omnes fere artus Spaſmi: præcipue vero convellebantur cervicis & capitis muſculi. Suppreſſus fuit omnino Ptyaliſmus, detumuerunt manus, vehemens etiam ſupervenit Febris, cum pulſu inæqualiter citato, & delirio frequenter recurrente. Exhibitus eſt hac nocte Bolus Cardiacus cum Julapio; applicata etiam ſubter axillas Veſicatoria.

Apr. 19. Mane aliquantulum remiſerunt Spaſmi, Febris autem hactenus permanſit.

Habita Pulſus ratione, Sanguinem vix tuto detrahendum judicavi: itaque ut aliqua ſaltem fieret Evacuatio, Suppoſitorium præſcripſi, quo ſemel tantum, ſed larga ſatis copia, ſubducta fuit alvus; unde ſe plurimum refici confeſſus eſt juvenis. Veſperi repetita ſunt medicamenta Cardiaca, & Hauſtus Paregoricus.

Ad mediam noctem ſatis placide dormivit, tremoribus & Spaſmis prorſus immunis; qui tamen proximo mane circiter horam tertiam, cum magno impetu denuo redierunt.

Apr. 20. Pleræque ex facie deciderunt ſquamæ; omnes fere per truncum corporis exſiccatæ ſunt Puſtulæ; quæ per manus & brachia diſpergebantur, flaccidæ erant & prope exaridæ; Febris interim haudquaquam remiſit.

Cum itaque compertum eſſet, quod, priori nocte, multo melius poſt Sedem ſe habuerit ægrotus, Enema hodie injiciendum decrevi, quod

quod alvum aliquanto magis ſubduceret, quam Suppoſitorium pridie præſcriptum. Rejecto Enemate, iterum exhibitus eſt Bolus Cardiacus cum Julapio: & ob hanc profecto cauſam in Cardiacis aſſumendis perſiſtendum eſſe cenſui, quoniam ex eorum uſu modici perpetuo elicerentur ſudores, unde ad aliquod temporis ſpatium ſublati ſunt motus Convulſivi, etſi Febris neutiquam deceſſerit, niſi poſt Evacuationes per Alvum factas. Enematis uſum tres ſatis largæ inſecutæ ſunt dejectiones, ſine minimo virium diſpendio; dehinc etiam evanuit delirium; Febriſque remiſit, vel potius ex toto quievit.

In hoc igitur rerum ſtatu, authoritate Mortoni permotus, ſtatui mecum experiri, quid ad recidivam hanc Febrim abigendam valeret Peruvianus Cortex, quem per intervalla adminiſtrandum curavi.

Die autem 21, Febris & Spaſmi iterum vehementer urgebant: alterum itaque injectum eſt Enema, eodem ac prius ſucceſſu: Hodie & deinceps per triduum repetitus eſt Cortex; ſtato tamen tempore & Febris & Spaſmi quotidie revertebantur.

Poſtquam igitur ſatis exploratum eſſet, quod Febris non obſtante Cortice quotidie rediret, etiamſi medicamenta Cardiaca officio ſuo in ſudoribus ciendis plene ſatisfecerant: Catharſi, quæ hactenus feliciter ceſſerat, rem omnem tutiſſime committendam judicavi: veſperi itaque, die 23, Lenitivam Potionem præſcripſi, alteramque proximo mane denuo exhibui: hiſce aſſumptis, quatuor largas admodum & fætentes ſedes excrevit juvenis, neque ullum poſtea perſenſit vel Febris vel Spaſmorum acceſſionem.

Hæc habui Tibi in præſens impertienda; quibus, uti arbitror, ſatis intelligi queat, non modo quam efficax medendi methodus in hujuſmodi Febre ſit Catharſis, verum etiam quam parum valeat, neglecta Catharſi, quodvis aliud remedii genus. Abunde mihi fuerit, ſi hæc Tibi arrideant Ratiocinia: ſiquid enim unquam in Rei Medicæ uſum ex me profectum fuerit, id omne illi ſemper acceptum referam, quod mihi tecum per multos annos interceſſit, ſtudiorum conſortio. VALE,

Vir Amiciſſime,

Et Amare perge

Tui Amantiſſimum,

Oxon. ex Æde Chriſti
Jul. 20. 1710.

RI. FREWIN.

TIbi roganti ſemper facilis, inter plures a me curſim collectas, has duas præcipue, quia proxime recentiores, Hiſtorias medicinales, utcunque imperfectas, Vir literis omnibus eruditiſſime, ſummo opere conabor tibi fideliter impertire.

Variolis

Variolis populariter graſſantibus, de Evacuationibus & variis evacuandi methodis in hujuſce generis Exanthematis, æque ac in aliis Putridis, (ut aiunt) Febribus ſermonem tecum amice habui: ideo uti noſtra hæc familiaris diſceptatio, ita etiam & Hiſtoriæ ſequentes ad fædum hunc Epidemicum morbum proprie & præſertim ſpectabunt.

Duos ab hinc menſes ad generoſam quandam annos circiter triginta vel quadraginta natam Variolis, iiſque maxime Confluentibus, laborantem advocatus, (uti moris eſt inter Medicos in hoc morbo) Alexipharmaca, eaque lenia præſcripſi uſque ad ſextum vel ſeptimum diem; poſtea applicabantur Epiſpaſtica nuchæ, & brachiis, & ægrota poſt Bolum Cardiacum ſingulis noctibus Hauſtum ſuperbibebat Paregoricum. Undecimo die, cum febrilis adhuc æſtuatio maximas inquietudines & Medico & Adſtantibus crearet, & Ægrota decreſcente pulſu, & lingua arida adhuc & nigreſcente, dejectiones, ex quo eruperunt exanthemata, nullas haberet: Enema ex Oleo Lini, Syrupo de Spina Cervina, & Decocto commun. pro Clyſteribus, injiciendum curavi. Brevi temporis ſpatio dejiciente bis vel ter alvo, maxima fœtidæ & purulentæ materiæ quantitas ab inteſtinis exoneratis fluebat. Exinde durus molleſcit pulſus, lingua madeſcit arida, febrilis denique æſtus ſævit mitius. Febricitat (fateor) adhuc ægrota, non vero febre æſtuat; ideo ab Alexipharmacis (ut antea dixi) lenibus bis vel ter in die nondum abſtineo, nec ab Hauſtu Paregorico nocte. Die autem decimo tertio, quoniam Febris adhuc immineret, Catharticum (ut memini) ſequens exhibui.

℞ Man. optim. ʒj. Diſſolve in Aq. Lactis Alexi. ʒiij. Colaturæ adde Pulp. Caſſiæ ʒij. Aq. Pæon. comp. ʒſs. M.

Quod ad tres vel quatuor vices placide exoneravit inteſtina: poſtea indies decreſcens febris, brevi tota evanuit, & poſt tres vel quatuor Potiones Purgantes debito temporis intervallo exhibitas, tuta evaſit Ægra & incolumis.

Hiſtoriam alteram Juvenis breviter tibi narrabo. Rure enutritus hanc adit civitatem, forſan amicos viſurus. Poſt aliquot dies Variolis maxime malignis correptus eſt; quinto die ad illum advocatus Alexipharmaca præſcripſi, Epiſpaſtica applicanda curavi. Die undecimo Suppoſitorium ad alvum toto morbi curriculo adſtrictam, ſollicitandam applicui; die proximo Enema injiciendum curavi. Sed neque a febre, neque a cæteris, quæ ſupra modum urgebant, ſymptomatis liberatus eſt: nam ardor erat intenſiſſimus; acceſſit ſpirandi difficultas; intercurſabatque aliquando delirium. Itaque in Evacuantibus ſpem omnem poſitam eſſe ratus, die decimo tertio Catharticum lene exhibui: quo altera vice repetito, Ægrotus variis iſque periculoſiſſimis anguſtiis ereptus, tandam plene convaluit. Atque hanc quidem medendi methodum (quæ Catharticis potiſſimum nititur) uti in compluribus tentavi, ita rariſſime ſuo deſtitutam eſſe ſucceſſu expertus ſum.

Non pluribus te morabor. Accipe ergo æquo animo hoc meum obſequium, tuæ amicitiæ, tuis meritis, tuis denique poſtulatis debitum: nullum enim officium, Amice chariſſime, a me fruſtra requires, ſi quid erit in quo tibi queam gratificari.

Datum ex Ædibus noſtris
Junii 10, 1710.

Tibi Devinctiſſimus,

H. LEVETT.

ROgas (Vir ornatiſſime) ut ſententiam meam de uſu Phlebotomiæ & Catharſis in Variolis Confluentibus, poſt plenam Puſtularum eruptionem, tibi per literas notam facerem: voto itaque tuo, verbis ſi minus idoneis, iis tamen quæ mihi occurrunt, reſpondere conabor.

In Variolis Confluentibus, quamdiu Faciei tumor & inflammatio manet, & Saliva recte fluit, a Venæſectione & Catharſi (pari ratione ac Furunculo maturante) prorſus abſtinendum eſſe duco. Scilicet ne iſtæ evacuationes, materiæ morbidæ a maſſa ſanguinea ſeparationem, & per Puſtulas, tanquam per tot Phlegmonas, (cui unico hoc tempore Natura incumbit) ejectionem obturbarent. Adeſſe enim, Medici eſt, non obſtare Naturæ.

Inſuper, procedente morbo, ſi eo tempore quo facies detumere, & Ptyaliſmus decreſcere incipit (quod die nono, vel decimo, vel ſaltem undecimo ab Eruptione accidit) ſi his, inquam, diebus Manus debito modo tumeant, & nulla malæ notæ appareant ſymptomata, haud omnino (me judice) vel Phlebotomia, vel Catharſis, adhuc indicatur; ſed totum negotium recte committitur Naturæ. Interim tamen in hoc morbi ſtatu Enema quotidie injiciendum præſcribo, quo alvum fæcibus exonerare, & febris furorem coercere curo.

Attamen facie, diebus prædictis Criticis, detumente, quoties (quod nimis frequenter evenit) Puſtulæ corporis non turgent maturo pure, nec manus intumeſcunt; unde (nempe a materia morbida in ſanguinis maſſa remanente, eamque inquinante) ardens febris naſcitur, reſpiratio brevis & frequens oritur, corporis jactatio, & obſtinatæ (Narcoticis incaſſum exhibitis) vigiliæ urgent; quoties equidem diris his ſymptomatibus vexatur æger, medico incumbit per Venæſectionem & medicamenta leniter Purgantia, ſæpiuſque debitis intervallis repetita, humorem peccantem detrahere, & eo quo poſſit modo laboranti ſubvenire.

In Variolis denique Confluentibus, licet Facies & Manus, & Puſtulæ corporis debito modo ac tempore intumuerint, & Saliva ſatis copioſe ſtatuto tempore fluxerit; ſi tamen, Ptyaliſmo deſinente, & dictis partibus jam ſubſidentibus, febris utcunque (quod in hac morbi ſpecie ut plurimum accidit) gravior aſſidue inhæreat, & ſymptomata

ptomata ex hac nata, (utpote anheloſa reſpiratio, vigiliæ, anxietates, cum pallida & diluta Urina) indeſinenter urgeant ægrotantem; rebus ſic ſtantibus, neceſſe habet Medicus ſanguinis quantitatem Venæſectione minuere, (nimirum ut exinde pars reliqua magis placide per vaſa fluat) & materiam morbidam (quæ per puſtulas, jam induratas & cruſta obductas, amplius tranſire nequit) Catharſi ſæpius repetita evacuare. His enim Evacuationibus omiſſis, ſemper evenit ut vel memorata ſymptomata indies augeantur, & inter diem duodecimum & viceſimum quartum lethalia evadant; vel humor putridus in pulmonibus extravaſetur, eorumque veſiculas corrumpat; unde ægrotus miſeram vitam pauliſper trahit, & brevi moritur tabidus.

Anheloſæ Reſpirationi, Criſi ſuperveniente (quo vix ullum pejoris omnis ſignum hic morbus habet) Phlebotomia fœliciter ac unice occurrit; quæ niſi, hoc urgente ſymptomate, confeſtim peragitur, fatum adſtans ulteriori deliberationi raptim præveniet. Licet autem Sanguinis miſſio reſpirationi difficili ſubvenit, Mictum tamen Cruentum (quoties hoc morbo laborantes invadit) non modo non cohibet, ſed auget, & mortem in procinctu ſtantem accerſit. Hoc tamen funeſtum fati impendentis prænuntium (Camphora bis in die exhibita, & Acidis larga manu propinatis) amovi, ægroque brevi morituro ad tempus ſuccurri: ſed, ut vera fatear, ne unum quidem Variolis affectum, cui urina cruenta fluxerit, diem decimum ſextum ab eruptione ſupervixiſſe notavi.

Nec a Sanguinis detractione, quoties impedita Reſpiratio hanc ſuadet, Pulſus humilis & anguſtus me terret. Quippe ſæpius obſervavi vacuato ſanguine Arteriam fortius vibraſſe: unde conſtat Pulſus obſcuritatem non infirmitati virium, ſed humoris lædentis oneri deberi. Utcunque rebus in lubrico ſtantibus, ſatius eſt remedium anceps experiri quam nullum.

Compertum habeo nonnullos Medicos Catharſin in Variolis vehementer improbaſſe: Eſſentiam enim hujus morbi in Malignitate quadam circa Cor deliteſcente hi ponunt; & ſtatuunt Medici eſſe officium hanc malignitatem Alexipharmacis calidioribus ad extrema propellere, ideoque medicamenta Purgantia culpant, utpote quæ virus a circumferentia (uti loqui amant) ad centrum revocant. Veruntamen hæc Hypotheſis fallaci nititur fundamento. Morbus enim de quo agitur eſt ex genere Inflammatorio; proinde nullus hunc ſcite curat, niſi qui ſanguinis ebullitionem compeſcit, & eo modo putridi humoris ſeparationem, & per puſtulas expulſionem promovet. Enimvero dum febris furit, ac ſanguis nimis celeri & turbido motu agitatur, nequit Natura particulas morbidas ſegregare, & per habitum corporis protrudere, quod non niſi ſenſim & lentis paſſibus perficitur. Quoties autem præ ingenti materiæ morbidæ copia, totam colluviem per puſtulas eliminare non potis eſt Natura; licet, etiam incumbit Medico laboranti opem ferre, & corruptum humorem arte educere, quem ejicere non valet Natura.

Catharſin

Catharſin vero, utpote evacuationem huic indicationi apprime accommodatam, ipſa Natura tanquam digito monſtrat. Siquidem in Variolis Confluentibus, quoniam putridi humoris ejectio non æque feliciter procedit per humiles ac depreſſiores hujus ſpeciei puſtulas, ac in alteris Diſcreti generis majoribus; ideo providens Natura Ptyaliſmum ſubſtituit, qui excretionis per puſtulas defectum compenſet. In teneris autem Infantibus (qui exſpuere neſciunt) Diarrhæa Ptyaliſmi vicem ſupplet, quæ hunc morbum jugiter comitatur, ac in his ad vitam conſervandam æque neceſſaria eſt, ac Salivatio, aut Puſtularum elevatio in Adultis. Ideoque qui haſce dejectiones Aſtringentibus perperam exhibitis cohibet, ægrum infantem certo extinguit. Cum itaque in Infantibus hoc morbo affectis partem materiæ morbidæ, quam ex toto per puſtulas ejicere non valet, Natura ipſa per Alvum ex inſtituto dejicit; haud mehercule incongruum quid aggreditur Medicus, qui, Naturæ veſtigiis inſiſtens, etiam in Adultis humorem peccantem, quem per corporis habitum nequit, medicamento Cathartico per interiora detrudere conatur.

Ex prædictis ideo liquet, quod in Variolis Confluentibus, poſt Criſin imperfectam, Phlebotomia & Catharſis ad ægrotantis ſalutem ut plurimum requiruntur. Horum ſane uſum ratio ſuadet, cui ſuffragatur experientia: plures etenim hac methodo orci faucibus ereptos novi.

Habes, Vir eruditiſſime, meam de quæſitis ſententiam, licet minus ornate, fideliter tamen enarratam: & Praxim per plures annos huic opinioni ſedulo accommodavi; neque aliquid ex eventu hucuſque obſervavi, quod animum aut praxis rationem me mutare inducat. Sum tibi

Amiciſſimus,

Dabam ſexto Iduum Septemb. 1716.

SALUSBURY CADE.

VIRO DOCTISSIMO

JOHANNI FREIND,

RICHARDUS MEAD

S. D.

FIdem tandem libero, Amiciſſime Vir, & Rationem quam in Variolis curandis teneo, una cum Exemplis aliquot quæ hanc illuſtrant ſimul & confirmant, quæ a me petiiſti ut chartis mandarem, ea nunc ad Te mitto.

Sermo

Sermo noſter erat, uti memini, de Morbo, ubi ad ſummum incrementum pervenit, & quo modo eo tempore continendus ſit Æger; dixi me jam ab aliquot Annis uſu comperiſſe, commodiſſimum eſſe, pleriſque ſaltem in caſibus, Alvum ducere: nunc quo conſilio, & qua cum cautione id primum fecerim, deſcribam breviter.

Medicos noſtros ita plerunque ſollicitos habet Puſtularum conſideratio, ut ab omni fere Vacuatione periculum eſſe putent, nimirum ne ab hac materiæ corruptæ Concoctio turbetur, aut in partes propulſio prohibeatur.

In Faciei & Manuum Intumeſcentia ſpem omnem ponit Sydenhamus; cum tamen mori videamus quotidie, quibus cutis etiam ad ſummum intumuit, &, ipſo fatente, plurimis in caſibus nulla Arte promoveri poſſit ſalutaris ille Tumor.

Mortonus, dum in committendis cum Veneno Morbido Spiritibus Animalibus totus eſt, ita calidiſſimis Alexipharmacis, Copiis, ſi Diis placet, contra Deleterium Hoſtem Auxiliaribus, aſſidue pugnat, ut novas in ſanguine turbas cieat, & accendat quam reprimere debuit Febrem; hinc illæ ipſæ, quas adducit, Hiſtoriæ palam faciunt, pleroſque, quorum curam habuit, Ægrotos aut excalefactos interiiſſe, aut ſaltem ὡς διὰ πυρὸς evaſiſſe.

Mihi res hæc ſic ſe habere videtur; in Confluentibus Regularibus Sydenhamo dictis, cum jam inclinato Morbo detumuit Facies, accedit, ex corrupta Materia, aut in Pus nondum verſa, aut ex Puſtulis in ſanguinem rejecta, Putrida Febris; quæ calore, inquietudine, ſimilibuſque indiciis ſe prodit, &, niſi ſuccurratur, intra biduum triduumve plerumque ægrum e medio tollit, interdum vero ad plures dies protrahitur.

Utcunque vero varia jam inſtent & ſuccedant Symptomata, illud tamen omnibus commune eſt, ut Exinanitionem aliquam deſiderent. Plerumque fit, ut æger nono aut decimo, a prima Puſtularum Eruptione, die, cum lingua arida, Pulſu Arteriarum vehementiori, & ſpiritu difficiliori, incaleſcat; ubi hæc adſunt, immiſſo ſub veſperam ad ventrem ſolvendum Clyſtere, poſtero die leni Potione Cathartica Alvum duco, veſperi Hauſtum Narcoticum, ſi opus fuerit, ſumendum do.

In hoc morbi genere Manus & Pedes intumeſcunt: adeo vero non cohibet aut reprimit hunc Tumorem Purgatio, ut illum poſt hanc felicius procedere ſemper obſervaverim.

Evenit autem non raro, maxime in peſſimæ notæ morbo, ut cum Pulſu Arteriarum exiguo & languido, ſine ulla inſigni Manuum Intumeſcentia, febricitet ægrotus, & imminutis admodum viribus torpeat magis, quam calore uratur.

In hujuſmodi ægritudine, imponenda ſunt Brachiis & Cruribus Emplaſtra Veſicatoria; neque tamen ab omni Purgatione abſtinendum eſt, ſed ea eſſe debet leniſſima & viribus ægrotantis accommodata, & per intervalla repetita; eo enim magis neceſſaria eſt,

ubi non intumeſcunt partes, Ventris Solutio, quoniam in pleriſque his caſibus, etiam ipſa, quæ in Puſtulis eſt, ſanies magnam partem in Pus non convertitur.

Illud in univerſum hic tenendum eſt, majorem jam habendam eſſe Virium Ægri, quam Puſtularum rationem: peracta jam eſt omnis quæ per cutem fieri poteſt morbidæ materiæ propulſio; per alias igitur vias ducendus eſt, qui periculum minatur noxius humor. Ceſſant ab officio nunc Salivæ Canales, quique a primis fere morbi diebus magna copia per hos fluxit, viſcidus jam hæret, & vix exſpuitur Liquor. Urinæ excretio, ſi forte fuit per aliquot dies larga & benigna, ſæpius tamen illa hoc tempore cum difficultate & ſolito parcius redditur. Reſtant igitur expurgandæ Inteſtinorum Glandulæ, quæ eo ſunt corruptis humoribus e ſanguine derivandis accommodatiores, quo natura craſſiorem lentorem expellunt.

Id vero monuiſſe debueram, non hoc tantum tempore, ſed & nullo non morbi die, ægro protinus mittendum eſſe Sanguinem, ſi Reſpirandi difficultas urgeat, ſi ſupervenerit Phrenitis, aut alia quævis nimii Fervoris Febrilis ſe prodant indicia.

Ex innumeris Exemplis quæ mihi quotidiana experientia ſuppeditat, pauca tantum ſeligam, ut quomodo hæc medicina ad varios & difficillimos caſus accommodetur, oſtendam.

Adoleſcenti annorum fere ſedecim, nono ægritudinis die intumuerunt admodum caput & manus; acceſſit vero febris, cum magno præcordiorum æſtu, ſpiritu difficili, & delirio. Miſſo quamprimum e Vena brachii ad ʒxvj ſanguine, dedi Pil. Ruff. ʒſs, & elapſis horis decem, cum nondum reſponderet alvus, Elect. Lenitiv. ʒvj; largiter Purgatus Hauſtum ſumpſit Anodynum; hinc adeo ſe remiſit Febris, & levata ſunt ſymptomata, ut, præter ſpem, brevi convaluerit, licet in miſellum adeo ſævierit morbus, ut, vitiata a Puſtulis in utroque oculo Tunica Cornea, viſu privatus vitæ dulcedinem amiſerit.

In uno atque altero adoleſcente eodem fere modo laborante feliciter expertus ſum, minime ab hac medicina abſtinendum eſſe, etiam ſi (quod non raro fit) crebra in Puſtularum Intervallis Exanthemata erumpant, & Malignitatis nomine adſtantes terreant; hæc enim non Febrem ſolvunt, ſed Materiæ Morbidæ copiam & lentorem indicant; quo magis neceſſarium eſt, interpoſito tempore, Alvum ſæpius ducere.

In Puella quinque annos nata, apparebant inter Puſtulas a primis decubitus diebus hic illic Maculæ Purpureæ & Lividæ; manus vero nono die intumuerunt; die decimo, aſſumpto Electuario Lenitivo mota eſt alvus; poſtero die, Frons, quam alba quaſi veſica obduxerat, livore decolorata eſt: hanc Spiritu Vini tepido foveri juſſi; ſingulis noctibus medicamento Narcotico conciliatus eſt ſomnus; decimo quarto die, nunc primum imminuto manuum Tumore, iterum purgata eſt; ut & die decimo ſexto; jamque, quæ Faciem exaſperaverat, Cruſta nigra dehiſcere cœpit, & tarde licet dirupta certam tamen ſpem ſalutis oſtendere.

Accidit

Accidit interdum, ſed raro, ut ſub finem ægritudinis repullulet quaſi morbus, & ſuccedentibus ſub Cruſtis, quibus obducta eſt cutis, novis Puſtulis, renaſcatur; unde pro humoris abundantia etiam ultra viceſimum diem porrigitur malum; illud nuper vidi in nobili Fœmina annorum quadraginta, quæ opimo corporis habitu, etiam tertium ſuccreſcentibus Variolis materiam ſuffecit; facta hinc eſt per omnia membra continuata Exulceratio, ad diem uſque viceſimum & octavum ſe excipientibus Cruſtulis, ita ut ex longo decubitu Ulcera in lumbis Gangrænæ metum attulerint. Die duodecimo, leni Potione purgata eſt; decimo quinto, ſubſidente qui ad hunc diem duraverat, manuum Tumore, iterum alvum ſubducere neceſſe habui; &, interjectis tribus vel quatuor diebus, Purgationem repetiit ad uſque morbi exitum; reſtituto tandem in integrum, poſt longam valetudinem, ulcerato corpore.

Omnem de Purgatione dubitationem tollit nonnunquam in graviſſimis caſibus ipſa Natura, dum in inferiora noxiam materiam depellit, continuato per plures dies Alvi Fluxu; hoc cum fit, ita nunc comprimi, nunc ſolvi debet venter, ut ne nimiæ dejectiones vires proſternant. Incolumis hoc modo evaſit nuper admodum Nobiliſſimus adoleſcens, annorum 18. Huic Facies ſexto die, ſine ullo Tumore, Chartæ Pergamenæ ſpeciem referebat; Suppurationis ſigna nulla erant; quapropter impoſita ſunt membris Emplaſtra Veſicatoria, quæ ſolito plus humoris educere obſervavi. Die nono, manibus nihil prorſus intumeſcentibus, ſupervenit Diarrhœa; hanc ſumptum ſæpius cum Confectione Fracaſtorii Rhabarbarum ita compeſcuit, ut ter tamen quaterve quotidie minimum dejiceret Æger; decimo quarto die, rupta in Facie Membrana tenui ſanie eroſa ſubtus apparebat cutis, non ante viceſimum diem decidentibus penitus ſquamulis; alvus vero, per omne id tempus, eo quo dixi modo, fluebat.

Et ſane, ut Finem tandem faciam, vix quenquam graviter hoc morbo correptum ſalvum fieri vidi, niſi cui, declinante Febre, aut largiter profluens Urina, aut Reſolutus Venter, ſaluti fuit. Ut de Infantibus nihil dicam, quos per totum morbum cita Alvus periculo plerumque liberat.

Hæc habui, Vir eruditiſſime, quæ tecum ſuper hac re communicarem; Tu illis ſic utaris velim, ut dum noſtras has rationes acri Tuo judicio perpendis, quantum momentum eæ habere poſſint etiam in aliis interdum Febribus, quæ difficulter & tarde ſolvuntur, diſpicias. Mihi certe ita feliciter ceſſit hæc medendi via, ut humani generis intereſſe putem, ut illa publici juris fiat. Sed de hoc Tu ſtatues, ut voles; ego ſatis ſuperque habeo Tibi morem geſſiſſe, & quanti Tua mandata faciam hoc officio comprobaſſe. Vale, & me Tui Amantiſſimum, quod facis, ama.

Dabam Calend. Septemb. 1716.

Hiſtoriam,

Hiſtoriam, quam mecum communicavit vir doctiſſimus Dominus Gibbons, Lectori non invidebo; eſt enim rariſſima. Is, cum Oxonii ageret, accerſitus eſt, ut cuidam ex Variolis novem jam dies laboranti ſuccurreret. Erant illæ confertæ plurimum, depreſſæ, confluentes; facies ad eum modum iis undique obſita, ut apum favos plane referret. Febris vehemens & continua, ita ut æger jam animam acturus videretur. Itaque cum nihil amplius per cuticulares meatus egeri poſſe perciperet Vir experientiſſimus, aliam ſibi aggrediendam eſſe viam, qua naturæ opitularetur, propoſuit. Ea adeo nocte, Opiatum præſcripſit; mane proximo, die ſcilicet decimo, lene Catharticum; unde alvus ſatis probe reſpondit. Repetitum eſt Opiatum, & undecimo etiam Catharticum: duodecimo iterum inſtituta eſt Purgatio, tanto quidem cum ægroti commodo, ut febris, quanquam haud penitus deceſſerat, plurimum tamen ſe remiſerit. Igitur cum & ſanguis abundaret, & vires ſufficere viderentur, die decimo tertio venam ſecuit: idem experimentum decimo quarto, & decimo quinto, ut magno cum judicio, ita inſigni cum fructu tentavit. Nam, his demum Evacuationibus per ſex dies continuos factis, ægrotus morbo liber evaſit.

VIRO CLARISSIMO,

RICARDO MEAD, M. D.

JOHANNES FREIND,

S. P. D.

SInas me, Vir ampliſſime, literarum officium non modo a Te poſcere, ſed Tibi invicem referre: quod enim quædam de Variolis a Te ſcripta in publicum dari conceſſeris, non tam meo unius, quam legentium omnium nomine, gratiæ ſolvendæ ſunt; quos facile video, cum Tuarum rationum, tum Authoritatis Tuæ momento impulſos, in eandem Tecum ituros eſſe ſententiam.

Etenim quod ad Alvi ducendæ conſilium attinet, ſatis luculenter explicaſti, quam aptiſſime id cum naturæ motibus conſentiat; quæ ipſa per ſe hanc morbi abigendi viam ſæpenumero tentat, arte tentatam vix unquam incommode fert. Nam uti nemo fere eſt ita morbo debilitatus, ut hanc alvi dejectionem, ſaltem quæ paulo lenius fit, ſuſtinere non poſſit; ſic & ab ea, modo mediocritate aliqua temperata ſit, vires refici potius quam minui, experimentis conſtat.

Cujus

Cujus rei exemplum mirificum præbuit Puer undecennis, quem nos nuper conjunctis utriuſque noſtrum conſiliis periculo maximo eripuimus: quod quia multa in ſe contineat minime vulgaria, id mihi veniæ dabis, ut Tecum morbi ejus memoriam paucis recolam.

Erant in illo Puero acervatim diffuſæ per univerſum corpus puſtulæ: naturæ ordine ita minime ſervato, ut, cum in Facie cohæreſcerent tantum, circa artus multis in locis confluerent. Cutis ſicca, &, ſquammarum inſtar, rigida. Facta eruptione, Febris, quod rariſſime fit, nihilo minus remiſſa. Procedente morbo, ſputatio nulla omnino: Puris veſtigium fere nullum: ex Veſiculis tamen plurimæ tenui atque acri admodum humore refertæ, ita ut, cum diſrumperentur tandem, Cutim, perinde ac affuſo Vitrioli Oleo, eroderent. Quare artus omnes Cerato undique obduci neceſſe fuit. Sexto die, aderat perpetua mingendi cupiditas, quæ ad quatriduum permanſit. Urina interim non niſi parciſſime demiſſa eſt. Octavo, effloreſcebant per Variolarum interſtitia novi generis puſtulæ, Milii ſeminibus haud abſimiles. Quæ quidem cum ad Variolas acceſſerint, uti & illa micturiendi moleſtia, inter notas peſſimas vulgo habentur. Facies nullo modo intumuit, febriſque inhærebat aſſidue; pulſus tum celer, tum & aliquantulum languidus. Duas, quæ præceſſerant, noctes inſomnes egit; ſic ut interdum aliena loqueretur. Veſicatorio admoto, paulo magis ad quietem compoſitus. Nono, alvus ter deſcendit. Itaque, cum neque puſtularum ulla eſſet maturitas, neque quicquam ultra per cutim a ſanguine abduci poſſet, id noſtri eſſe muneris nos rati, ut naturæ ductum ſequeremur, hanc ventris reſolvendi viam inſtitimus. Veſperi ſcilicet, Rhabarbari ℈j præcepimus: unde, decimo, quater mota eſt alvus. Eadem medicina itidem adhibita, undecimo, quinquies; duodecimo, ter; decimo tertio, Rhabarbari ℈ſs mane ſumpta, quinquies; decimo quarto, bis dejecit. Decimum quintum & ſextum, maxima cum moleſtia & vigiliis traduxit. Febris quippe, quæ jam a primo morbi acceſſu continenter inhæſerat, nondum deferbuit. Pulſus tamen paulo magis invaluit. Decimo ſeptimo, ima Calcanei pars ita Sphacelo correpta eſt, ut immiſſo ſpecillo nullus excitaretur ſenſus. Is ad Perioſteum uſque pervadens, ipſum os tantum non attigit. Sed neque caſus hic ſatis acerbus nos ab inſtituto noſtro deterruit: nam quanquam, ſi Sphacelum ſpectemus, nulla magis aliena fortaſſe videatur medendi ratio, quam quæ Purgatione inſtituitur: tamen cum virium redintegratio in eo jam erat ſita, ut modice flueret alvus, non fuit quod, ſuperveniente etiam Sphacelo, ab hoc auxilii genere deſiſteremus. Itaque Rhabarbari gr. xij ſub noctem exhibitis, decimo octavo alvus bis mota eſt. Decimo nono, Febris multo remiſſior. Quare Rhabarbaro ad ℈j repetito, die viceſimo, quinquies deſedit. Pars corrupta atque emortua ab integra carne, rite jam inflammata Puriſque aliquantulum exſtillante, cœpit diſcedere; neque ultra ſerpebat Sphacelus. Viceſimo tertio, conſiſtentia & ſolida ter alvus extruſit. Tamen neque adhuc Febris penitus

conquieverat. Igitur viceſimo quinto, Decoct. Sen. Gereon. ℥ij cum Mannæ ℥ſs præſcripſimus, quibus venter ſexies fuſus eſt. Ab hoc tempore Febris omnino evanuit; & de Puero, quem ſuſpicio aliqua fuit in Tabem incidere poſſe, nobis jam affulſit certa redituræ ſanitatis fiducia.

Vides, Vir Amiciſſime, quam libere utar patientia Tua, recenſendo ea, quæ Tu omnium optime intelligis: quod tamen a me facilius feres, dum, ut alii ea intelligant, laboro. Reperiuntur ſcilicet variæ admodum atque multiformes Variolarum ſpecies, quarum diſſimilitudines, etſi inter ſe magnæ ſint, hactenus haud ſatis diligenter ſunt a ſcriptoribus animadverſæ. Ad quas omnes tamen, ubi jam exareſcentibus licet puſtulis adhuc incubuerit febris, præſens ab Evacuantibus eſt auxilium: ea autem Evacuandi via, quæ per Alvum fit, non modo ægrotos a mortis diſcrimine, circa nonum aut undecimum diem, ſæpenumero liberat, ſed malorum illam congeriem, quæ Variolis fere ſuccreſcere ſolent, omni alia medicina potentius avertit.

Id ſuſpicor nimium frequenter fieri, ut morbus hic pro inſanabili habeatur, cum tamen (ſaltem ſi diutius traxerit) curationem recipere commodiſſime poſſit. At certe Medici eſt, non omnem protinus ſpem adjicere, ſed Artis præſidia omnia, quæ aut comprobarit uſus, aut ratio ſuggeſſerit, experiri. Præſertim cum experiundi opportunitatem morbus ipſe exhibeat: fit enim plerumque, ut is non repentino aliquo impetu ægros interimat, ſed ad plures dies, ad viceſimum, ad triceſimum, etiam aliquando ad quadrageſimum detineat, ita ut tandem plane Hectici contabeſcant.

Quibuſdam religio eſt ventrem ducere, priuſquam ex toto deceſſerit Febris: etiam depulſa jam febre, non niſi poſt multos dies Purgantia præcipiunt. Id quo conſilio faciant, haud intelligo: nam ſi abſit febris, certe primo quoque tempore alvus cieri debet; ſi adſit, vix ulla alia via ad ſanitatem pervenitur. Iidem, ubi febris ultra morem ſævierit, in eo ſpem fere unicam ponunt, ſi aut uberius manaverit Urina, perſtiteritque vel artuum tumor, vel Salivæ fluxio: quidni vero & per Inteſtinorum itinera liceat febrilem hanc materiam abducere? Sed nolo cum his in certamen venire: ne & cum iis aliquando diſceptandum ſit, qui Variolas aut Arte præcaveri, aut etiam inoculatione traduci poſſe contendunt.

Tu abunde intelligis, quam nullo cum fructu, vel potius quanto cum periculo, Diaphoretica, Alexipharmaca, Cortex Peruvianus &c. quibus ii nituntur unice, in hac morbi aſperitate ingerantur: idque Tibi notiſſium eſt, Purgatione rite inſtituta, nulla ferme alia Cardiaca a natura deſiderari, niſi quæ ſint ex Opio confecta.

Vale, Vir egregie, atque ut facis, perge Artis noſtræ tum ſcientiam excolere ingenio Tuo, tum dignitatem Tui celebritate nominis tueri.

Dabam 6to Cal. Dec. 1716.

EST

EST & aliud morbi genus, idque ſatis periculoſum, in quo etiam, cum minime deferbuerit febris, ita mirifice proficiunt Purgantia, ut aliquando ſine iis ad ſanitatem perveniri non poſſit. Morbus is eſt, Capitis Eryſipelas; a pluribus quidem Scriptoribus, maxime ab Hieronymo Fabricio, ample pertractatus; a quibus tamen omnibus, in eo quod ad Purgantia, in medio febris impetu adhibenda, pertinet, exquiſitius quiddam & diſtinctius requiro. In qua quidem re ita lente ac dubitanter proponunt omnia, ut plerumque ipſi ſibi non diffidant modo, ſed & diſſentiant: alii quippe Purgantia non probant, niſi bile abundet corpus, magnuſque affectus ſit; minuſque vacuari, magis refrigerari [a] debere contendunt; etiam, ut ut in refrigerando vacuandoque conveniant, in Sudoribus [b] plus auxilii, quam Purgatione poni volunt: alii quamquam Purgantia apte miniſtrari poſſe fateantur, tamen cum Febris intenſior ſit, ita ut Delirium & Phrenitidem [c] accerſat, medicamentis malignitati reſiſtentibus utendum eſſe potius cenſet; neque prius eſſe Purgandum, quam reſtinctus ſit febrilis ardor [d]; ſaltem ſiqua admoveantur Purgantia, Scammoneata propter Febrem omnino fugienda pronuntiant. [e] Sennertus morbum hunc Germanis familiariſſimum eſſe ſcribit, ideoque illius curationem tutius a Germanorum experientia & obſervatione, quam ab exterorum libris peti poſſe [f]: qui autem, ipſe Germanus, pleraque, quæ de Eryſipelate tradit, a Fabricio Italo mutuatur: ita tamen, ut de Purgatione, quam aliquando ille, conſiſtente jam incremento morbi, præcepit, ne verbum quidem fecerit. Etmullerus denique, idem Germanus, ubi caput occupaverit Eryſipelas, internis Sudoriferis Cephaliciſque remediis rem geri oportere dictitat, Purgationem vero quamcunque ſumme vitari [g]. Ita fere in ultimo morbi diſcrimine, vel nulla dant Scriptores conſilia, vel timiditatis atque hæſitationis plena: quaſi, cum in præcipiti res ſit, medicum minus eſſe audacem deceret, quam ubi nulla eſt periculi ſuſpicio.

Sed ut complectar, quod propoſui, brevi; ſatis mihi experimentis eſſe edoctus videor, ut pronuntiem in Capitis Eryſipelate, ſiquando cerebro tentato oboriatur Coma, delirium, nervorum diſtentio, aut nullam ſubeſſe ſalutis ſpem, aut Purgantia maxime profectura: neque in his rerum anguſtiis expectandum eſſe, quod & in Variolis experimur, dum vel Febris lenita ſit, vel Tumor plane ſubſederit. Nam Cardiacis Refrigerantibuſve remediis contra Febrem pugnare, Topica admovere, quid demum aliud eſt, quam nugas agere, donec in medio curationis curſu æger intercidat? Quod ſi morbum jam ad extrema perductum ſubmovere poſſit Purgatio, certe eadem temporius adhibita, ne is ita longe ſerpat, præcavebit. Hæc ita-

a Tagault. Inſtit. Chir. Lib. 1. 8. 2. lib. 1. 9. d Wiſeman. g Medic. Chirurg.
b Paræus de Tumor. Lib. 6. 15. e Fallop. Tumor. P. N. cap. 12.
c H. Fabric. Chir. Part. f Febr. lib. 2. 16.

que

que ut exemplo illuſtriora fiant, quod recentiſſimum eſt minimeque vulgare, ſubjiciam.

1. Virgini, generoſa admodum ſtirpe ortæ, facies Eryſipelate correpta intumuit: levis horror & febricula pro morbi more præceſſerant.

2. Proximo die non facies modo, ſed circa aures atque collum, cutis cum rubore turgeſcebat. Febris invaluit. Aliquantulum per intervalla delirabat. Applicatum eſt Nuchæ Veſicatorium.

3. Ita proceſſit tumor, ut ingentem in molem accreverit. Qui cum & intenſius rubeſceret, videri poterat ex eo genere Eryſipelas, quod Galenum ſecutus Phlegmonodes appellat Fabricius; purum quippe, ſub illo Authore[a], in facie nunquam fere reperitur. Sub noctem penitus delira evaſit. Dominus Burges, Pharmacopœus Veſicatoria brachiis admoverat, Clyſteraſque ingeſſerat; qui quidem nullo cum fructu ſunt rejecti.

4. Exaſperata ſunt omnia. Cum eam primo, pomeridianis horis, inviſerem, delirium erat cum febre vehemens: multa locuta eſt, ſed omnia incondita. Nonnunquam quaſi veternoſa jacuit, nervorum diſtentionibus, circa manus præcipue & humeros, ſubinde obortis. Tumor fere idem, niſi quod perpaululum de rubore deceſſerat. Pulſus non tam validus, quam concitatus. Itaque ſtatim utrique Cervicis lateri admovenda curavi Veſicatoria; de quibus ſane apud Authores, quos ſupra poſui, literam inveniri nullam vehementer admiror: præſertim cum id auxilii genus in hac, ſiqua in alia, morborum ſpecie plurimum valeat; ſed quia, cum ita in propinquo videretur exitium, neque ſic profici poſſe conjectabam, niſi alia in ſubſidium veniret materiæ avertendæ via, hujuſmodi Purgatio, hora tertia pomeridiana, inſtituta eſt.

℞ Decoct. Sen. Gereon. ℥iij. Tinctur. Sacr. cum Vin. alb. pp. ℥j. Syr. de Rhamno Cathartic. ℥vj. M.

Unde alvus quidem minime deſcendit. Itaque circa mediam noctem Tincturæ Sacræ ℥ij. propinatæ ſunt.

5. Omnia eadem, niſi quod quietior, ſeu potius morbi gravitate obtuſior, jaceret. Alvus adhuc aſtricta. Quare ad meridiem Catharticum aliud exhibitum eſt, quod fuit hujuſmodi.

℞ Tinctur. Sacr. ℥ij. Syr. de Rhamno Cathartic. ℥j. M.

Sed ne nunc quidem venter deſcendit. Veſperi adhibita ſunt cubito utrique Veſicatoria.

6. Idem omnium ſtatus; Calor tantum miteſcere viſus eſt. Mane primo repetitum eſt Cathartícum, quod jam proxime præceptum eſt. Unde alvi perpauca dejectio, ſed quæ parum auxilii tulit. Clyſter acris itidem fruſtra injectus. Purgantia hoc ordine ideo ſumenda juſſi, quia neque ab hac medendi via, dum reſponderet, deſiſtendum eſſe; neque, ſi illa non reſponderet, alio modo ſuccurri

[a] Part. 2. lib. 1. §.

poſſe

poſſe ſignificavi. Itaque licet quater tentata fruſtra fuerit, in ea tamen ut pertenderem, mihi perſuaſiſſimum erat. Siquidem in hoc morbi ſtatu res perinde ſe habet, atque in Variolis: nam neque per Tumorem diſſipata eſt, neque alio fere modo averti poteſt febrilis materia, niſi aperiatur per Glandulas Inteſtinales via.

7. Tandem, rebus in deterius ruentibus, ſequenti medicamento uſa eſt.

℞ Pil. ex Duobus gr. xv. in Aq. Theriacal. ʒj. ſolut. Syr. de Rhamno Cathartic. ʒſs. M.

Hinc alvo quinquies ſubducta, ad ſe rediit: ſed nullam eorum, quæ ab his ſex diebus acta ſunt, memoriam retinuit. Tumor ſubſedit, Febriſque ita deceſſit, ut eodem Cathartico bis iterum exhibito, priſtinæ prorſus ſanitati reſtitueretur.

Id utique medicinæ genus, cujus non exigua pars conſtabat ex Scammoneo, quod plerique ut hoc in morbo plane pernicioſum repudiant, ægrotam ſummo periculo liberavit. Ita Authorum vel maxime celebrium decreta Medica haud ita facile recipienda ſunt, quæ non multiplex uſus firmaverit.

De Excretione Inteſtinali.

QUoniam multus de Purgatione ſermo incidit, plurimumque momenti in ea ſitum eſſe diximus, opportunum erit purgandi rationem omnem paulo altius repetere. Quod eo minus hoc in loco alienum videbitur, cum alii hoc evacuandi genus nimis facile contemnant, alii id quod per Urinæ itinera fit, vel etiam quod Clyſtere efficitur, huic longe præ ſe ferant anteponere.

Peyerus, qui Inteſtinales Glandulas primus detexit, hoc iis munus tribuit, ut humorem chylo diluendo elaborandoque idoneum ſuppeditent. Ab hoc fonte proficiſci arbitratur, ut, cum exhibetur Catharticum, tanta dejectionum copia deſcendat. Quam tamen humorum abundantiam, ſive naturæ lege, ſive artis auxilio, ab his glandulis excerni poſſe negant nonnulli: qui de naturali quidem excretione hanc maxime ob cauſam dubitaſſe videntur, quod nequaquam intelligerent, quemadmodum ex hac fere una ſcaturigine adeo ingentem retrimentorum vim derivare queat Catharticum. Quæ dubitatio facillime tolli poteſt, ſi rem hanc ad calculum exigamus.

Sanctorii leges Staticæ oſtendunt Evacuationem Alvinam, ſi cum Cuticulari conferatur, eſſe ut 1 ad 10: ea itaque horarum viginti quatuor ſpatio erit ut ʒiv. ʒ vj. ϑj. gr. iv. ad ʒxlviij; horæ autem unius ſpatio, ut ϑiv. gr. xvj. ad ϑxlviij. In regionibus frigidis ob perſpirationem parcius factam paulo altius fortaſſe aſſurgit hæc per alvum evacuatio: quam quidem ii, qui de his rebus diſputant, cum

ea, quæ per glandulas fit, excretione temere confundunt: ſed quan longe hæ a ſe invicem diſcrepent, ſatis erit diligenter attendenten penitus videre. Cutis quippe inteſtinorumque eandem fere conſta eſſe fabricam, & Glandulas alterutrinque ſcatere: quæ quanquam nudo oculo minus pateant, Microſcopii tamen ope in conſpectum facile veniunt. Atque hæc quidem quo melius fiat per inteſtina excretio, provide a natura cautum eſt, cum vaſa ſanguinea in eorum Tunicas ingenti multitudine diffuderit. Cutis, ſi media quadam via rationem conficimus, continet uncias quaſi 2640 quadratas: Inteſtina, cum eorum longitudo ſit fere pedum triginta, ambitus autem mediocritate quadam æſtimatus unciarum fere quatuor, Cylindrum conſtituunt, in quo unciæ 1440 quadratæ continentur. Ita ut Superficies Inteſtinalis, ſi cum Cuticulari comparetur, pluſquam dimidii rationem obtineat. Sed quia Glandulæ non ita confertim in Inteſtinis ac in Cute reperiantur, Superficies, ex qua humoris aliquid egeritur, ea proportione æſtimetur, quam habet 1 ad 4. Horæ igitur ſpatio ſi Cutis ℈xlviij. ejiciat, ex Inteſtinis profluent ℈xij. Neque hanc facile quiſpiam Lymphæ effluentis copiam Inteſtinis denegabit, qui ſecum reputet, quam multo amplius in his, quam in Cute Vaſorum excernentium ora dehiſcant; atque hæc quidem ex glandulis ipſis, quæ magnitudine valde exſuperant, perſpicue liquet.

Ita ſi hanc rationem ſequamur, longe plus, quam quod naturali dejectione effunditur, ab his glandulis ſuffici & poſſe & conſueſſe percipimus. Cum vero alimenti reliquiæ magnam in dejectionibus partem, etiam maximam, cum hæ ſolidæ ſint, ſortiantur, oſtendi facile poteſt, quod materia illa, ab inteſtinorum glandulis derivata, ita parum ex toto foras exceluditur, ut una cum Chylo in vaſa Lactea, inque ſanguinis vias remigret: eodem plane modo, ac Lympha ex infimi ventris partibus redire conſueverit. Igitur, uti experimentis conſtat, quandocunque haud ſuppetat, qui in vaſa Lactea derivetur, Chylus, ea Lymphæ hujuſce ex glandulis expreſſæ ſunt pleniſſima.

Hæc cum minus animadverſa fuerit diſtinctio, eos in errorem induxit, qui, cum quæ ſit commodiſſima evacuandi via differant, "[a] rationem Secretionis Circularis ad Ventralem majorem eſſe ſtatuunt, quam rationem centum ad unum." Nam adhibito Cathartico, inteſtina jugi irritatione pervulſa, non modo alimenti reliquias, ſed id omne, quod a glandulis excernitur, demittunt. Ita ut hanc unam ob cauſam a medicina purgante quadruplo major efficiatur evacuatio, quam quæ in naturali ſtatu contingit.

Purgantia duobus potiſſimum modis vires ſuas exerunt; vel ut Stimulo quodam irritantia inteſtinorum tunicas, vel ut ſanguinem velocius circumagentia; ea quæ valentiora ſunt utrumque efficiunt. Stimulus quidem, quo pollent Purgantia, non modo Lymphæ copiam majorem ex glandulis exprimit, ſed & humores ita revellit, ut ad harum ora glandularum minus quam alibi uſpiam impedimenti ſit, exituſque facilior; huc igitur ii uberius confluunt, ſive quod

[a] Curat. Febr. per Evacuat. 12.

idem

idem eſt, ſanguinis celeritas his in locis incitatur: pari fere modo, ac Cutis, Veſicatorio erosa, ſerum effundit. Quæ in ſanguinem ſe inſinuant Purgantia, ut velocius ille decurrat faciunt, quia & Stimulum augent, & humorum cohærentiam attenuant atque diſſolvunt. Hoc ſatis patet ex calore, quem excitant Purgantia; immo Pulſus, qui & valentior & plenior & concitatior fit, idem indicat.

Quantum hinc, nempe ex ſanguine velocius acto, ad alvi fluxionem accedat, hujuſmodi ratiocinium facile oſtendet. Arteriarum Meſentericarum, quibus inteſtina irrigantur, amplitudo ad Aortæ baſin eam habet rationem, quam 1 ad 10. Cum igitur experimentis conſtet hora qualibet in Aortam derivari ſanguinis ʒ 4000, iſtæ Arteriæ eodem temporis ſpatio ʒ 400 in inteſtina deferent. Aliquid etiam huc ex uno aut altero Cœliacæ ramulo advehitur. Naturalis, quæ inde fit per glandulas, excretio non niſi ad ʒxij. pertingit. Ratiocinandi gratia ſi ponamus ſanguinem duplo citius ferri (quem ſane ita ferri, adhibito valentiore Cathartico, pulſus demonſtrat) Arteriæ Meſentericæ ſingulis horis ʒ 800 apportabunt, iiſdemque intervallis fere ʒ 24 excernent Glandulæ. Quippe excretio quæcunque, ſi cætera ſint paria, ſola Velocitatis regula metienda eſt. Sin triplo increſcat velocitas, quod propter ſtimulum, ſaltem ad ora glandularum, fieri haud abſurde quis conceſſerit, effluent ʒ 36. Quod ſi itidem Vaſorum excernentium Diametri duplo ampliores fiant, (quod, ubi paulo acrius fuerit Catharticum, contingere minime dubium eſt) inteſtinorum glandularis excretio ad ʒ 144 aſſurget, i. e. quantitatem a natura præfinitam duodecies excedet. Ita hac ratione, octo horarum ſpatio, dum munus ſuum obeunt purgantia, ex his glandulis elici poſſunt ʒ 48.

Sed dum evacuationem iſtam, quæ Purgantibus fit, æſtimamus, Bilem haud oportet negligere. Itaque ſi intra horam, ipſa Naturæ vi, Bilis drachmæ duæ, uti oſtendit Vir in his rebus peritiſſimus D. Jacobus Keil, in inteſtina profluant, Catharticum exhibitum ʒ 6 a Jecinore eliciet, ſi modo, uti diximus, tripla ſit in ſanguinis curſu Velocitas, Vaſorum interim Dametris minime dilatatis. Hinc, alvo per artem concitata, dejectiones fere bilioſæ reperiuntur. Id autem animadvertendum eſt, Bilem, quo magis feſtinate aut ubertim effluat, dilutiorem evadere. Ad hunc modum per has inteſtinorum vias, quanquam neque alimenti reliquias, neque ſuccum Pancreaticum æſtimaveris, a Cathartico expurgari poſſunt lib. ivſs. Vaſis autem ſimul ampliatis, copioſior multo erit humorum effluxio, ſcilicet in ratione Diametrorum duplicata. Quæ cum ita ſint, perſpicuum eſt, quam minime idem a Clyſteribus expectandum ſit: qui quidem alvum ſtercore obſitam ſatis commode eluunt, atque liberant; ſed neque bilem elicere, neque has Glandulas, quæ in Ileo potiſſimum ſitæ ſunt, ullo modo poſſunt attingere.

Ita quando vel morbus inteſtinis penitus inſederit, vel vehementior fuerit purgatio, ſi celerius æquo ſanguis fluat, aut Vaſorum ora pateſcant latius, ad gradum multo altiorem perduci poteſt hæc per

Glan-

Glandulas excretio. Exemplo ſit morbus, quem Choleram dicimus: in qua incredibile prorſus eſt, quanta humorum copia a ſtimulo illo eliciatur, quem Fructus Horarii, aut aliæ quævis cruditates inteſtinis admovent. Ora autem Glandularum multo amplius, quam a natura conſtituta ſunt, diſtendi poſſe ſatis manifeſtum eſt ex alvi fluxione, non Symptomatica modo ut vocatur, ſed & Critica: quarum quidem hæc materiam illam, in Fauces Pulmoneſque frigore rejectam, ita ſæpe expedit, ut Perſpirationis vicaria evadat. Scilicet eadem humorum copia, quæ trans Cutim eliminari debuerat, per has glandulas exitum quærit: quæ ſane ubi obtingit evacuatio, naturalem hujuſce Lymphæ fluxum decies ſuperat.

Tam perpetua naturæ lege progreditur hæc per inteſtina excretio, tamque chylo rite elaborando neceſſaria reperitur, ut ſi forte obſtruantur hæ glandulæ vel occalleſcant, oritura ſit aut alvi aſtrictio incurabilis, aut morbus Cœliacus: quo quidem præcipue in morbo contingere hoc docent Mortuorum ſectiones. Cum autem ad tempus aliquod breve permanſerit hæc glandularum obſtructio, vel earum aliqua portio ita glutinoſis humoribus occluſa fuerit, ut Lympha, alimento ſubigendo comminuendoque neceſſaria, haud ſatis ſuppetat, oritur illa morbi Cœliaci ſpecies, quæ ſanationem recipit; quamque a fluxu Chyloſo diſtinguimus, qui, ſi proprie loqui libeat, ducit a Lacteis obſtructis originem.

Si Glandularum, Lymphæque, quam ejiciunt, uſum attentius exploremus, cauſam hujus morbi penitus aſſequemur: neque ullo opinor argumento clarius doceri poſſe, quantum ad medicinam non intelligendam modo, ſed adhibendam conferat Ars Anatomica, quam hac Glandularum Peyerianarum notitia. Etenim Veterum monumenta intuenti facile patebit, quam perperam ii, ne dicam quam abſurde, "morbum Cœliacum, vel quia temperies nimis frigida eſſet "atque humida, vel quia vis retentrix debilitaretur," naſci voluerint. Sed hanc caliginem diſpulit Anatome, quæ fabricam inteſtinorum diſtinctius explicando, morbum hunc ex eo proficiſci clare oſtendit, quod humor ille, a Glandulis exprimi ſolitus, aliqua ſaltem ex parte intercludatur. Itaque ea remedia, quæ alvum leniter irritant, glandularumque ora detergunt, in hoc morbo vim habere maximam comperimus. Ita morbi exquiſitior notitia ad curationem bene inſtituendam rectiſſima nos deducit via: in qua ut defecerunt Veteres, ita male ſuſceptam medendi rationem tenuerunt, utpote Aſtringentibus unice innixam. Quis enim non videt eos hanc ideo amplexos eſſe, quod opinioni iſti congrueret-atque faveret, quæ morbi cauſam in quadam inteſtinorum Ατονία, ſive imbecillitate poſuerit? At profecto ſiquis hunc curandi modum perſequi velit, neque aliud quicquam in remediis niſi Aſtringendi vim conſectetur, quod fecerunt Methodici, næ is Glandulas non deterget, ſed obſtruet: ita ut morbus hoc medendi inſtituto non tam abigi poſſe, quam confirmari videatur.

Sed

Sed ſit hujus diſquiſitionis modus; ſatis enim jam expoſuimus, quo demum naturæ artificio peragatur, quibuſque uſibus inſerviat hæc glandularis excretio: quod ſi quæ dicta ſunt probe teneantur, rationem eorum, quæ magno cum judicio de Purgantibus notavit Verulamius, facile erit intelligere. "Fidenter (inquit) dicimus [a] Pur-"gationes repetitas atque factas familiares, longe magis ad diuturni-"tatem vitæ facere, quam exercitia & ſudores. Etenim certiſſimum "eſt per ſudores & perſpirationes exteriores, non ſolum humores & "vapores excrementitios exhalari & abſumi; ſed una etiam ſuccos "& ſpiritus bonos, qui non facile reparantur. In Purgationibus au-"tem, ſi non fuerint admodum immoderatæ, non item; cum ſu-"per humores præcipue operentur." Hæc ille ſuo philoſophandi more. Qui autem rationes ad hanc rem Anatomicas accommodat, facile perſpiciet, quomodo hic Purgantium uſus non ora modo Lacteorum aperiat atque abſtergat, ſed glandulas a craſſis humoribus, quibus ſæpe obſtrui ſolent, liberet: ita ut eæ jugi tenore Lympham perpetuo ſuppeditent Chylo conficiendo deſtinatam, a quo & omnis manat nutritio, & vita ipſa propagatur. Ita maxime hac purgandi ratione in ſecunda valetudine cavetur, ne adverſæ præſidia conſumantur.

COMMENTARIUS VIII.

De Urinæ profluvio.

PLures apud Hippocratem ex Febre poſt Urinæ profluvia evaſiſſe legimus: qui quidem uti in Urinis notandis multus eſt, ita ex his præcipue curandi indicia traxiſſe videtur. Utrum vero in Febribus Urinam moventia adhibuerit, plane non conſtat. Neque enim adhuc reperta eſt medicina, quæ in ejuſmodi caſibus Urinam ita potenter eliceret, ut ab ea ſperaretur, qualem a Purgatione percipimus, materiæ febrilis detractio. Itaque, ſi Evacuationem ſpectemus, parum eſt, in Febrium tractatione, Diureticis fidendum. Neque hujus rei obſcura eſt ratio, partium fabricam contemplanti: quippe, utut Arteriæ Renales fere Meſentericas capacitate æquent, paremque fortaſſe ſanguinis portionem excipiant; tamen, cum in Renibus multo pauciora ſint, quam in Inteſtinis, ad humores excernendos vaſcula, non perinde larga utrinque ſecutura eſt evacuatio. Id inſuper tenendum eſt, non eam, quam Vomitoria atque Purgantia poſſident, virtutem itidem Diureticis ineſſe, ut medentis conſilio ſemper reſpondeant. Ea quidem Urinam aliquando mirifice movere poſſe confiteor; ſæpius tamen ſpem fallere, experimentis comprobatum eſt: quod in Aqua intercute & Urinæ difficultate, in quibus potiſſimum morbis deſideratur hoc a Diureticis auxilii, nimium fre-

quenter ſolet contingere. Ita ut hodie hæc medicinæ pars, quæ ad Urinas provocandas pertinet, ſit omnium maxime manca.

Invaluit jamdudum conſuetudo, ut qui Variolis aut Febribus correpti decumbunt, largis admodum crebriſque potionibus utantur. Quæ quidem conſuetudo non noviter, ut quidem putant, inſtituta eſt, ſed ab ipſo olim Hippocrate plane tradita: nam ille, ut Victum, quo in Acutis morbis uti deceat, accuratius præciperet, varia Sorbitionum, Ptiſanæ præſertim, genera deſcripſit; ita ut, qui Regimen, ut vocatur, temperatius dilutiuſque primum apud nos induxerunt, id fere omne ex hoc Hippocratis libello hauſerint. Et certe hæc medendi ratio fructum habet uberrimum. Nam & dilutis illis potionibus miteſcit febrilis ardor, & ſanguinis moles ita tenuatur & comminuitur, ut per vaſa liberius devehi poſſit, &, ſiquid ſuperflui ſit, aut per Cutis aut per Urinæ meatus egerere. Neque tamen ideo, quod Urinam moveant, potiones hæ inter Evacuantia protinus reponendæ ſunt. Quippe non tam vi aliqua Diuretica hoc faciunt; quam quia dilutiſſimæ ſint, uberrimeque ingeſtæ. Ita quamvis effuſiſſime proruperit Urina, fieri poteſt, ut nullo modo exhauriantur vaſa, in quibus eadem humorum menſura curſu perenni circumfluit. Igitur contenti ſimus bono eo, quo præſtant hæ potiones, quod diluant ſcilicet: evacuandi virtutem, quam negavit natura, iis ne quæramus affingere.

COMMENTARIUS IX.

De Veſicantibus, quæ Cantharidas recipiunt.

PErcurſis jam omnibus evacuandi viis, quas aut Natura tentavit, aut ejus interpres optimus in uſum deduxit Hippocrates, liceat unam adjungere, tanto viro incognitam: quæ, utcunque excogitata recentius, non ultimum tamen in Febrium reſtinctione locum vendicat. Veſicantia a me intelligi, nemo eſt qui ignorat: quorum cum materia multiplex ſit, de iis tantummodo ſermonem inſtituemus, quæ Cantharidas recipiunt. Hæc quippe uti valentiſſima ſunt maximeque efficacia, ita morbi vim allevant modo quodam expeditiore magiſque inopinato, quam cætera quæcunque Evacuantia, Venæſectionem ſi exceperis, ſolent.

Cantharidas quidem, ut medicinam introſumendam, ſæpe commendat Hippocrates; ad Veſicas excitandas nuſquam adhibuit: quanquam aliquid de earum virtute, vel Hippocrates, vel alius quiſpiam, etiam cum Cuti admoverentur, odoratus eſſe videatur; qui enim libellum de Superfætatione ſcripſit, illas inter alia irritandi inſtrumenta,

inſtrumenta, ad purgandum Uterum, [a] Peſſo immiſceri præcipit. Primus has cuti capitis affricari, ad ulcuſcula inurenda, jubet Aretæus; cujus etſi incerta ſunt tempora, Galeno ſaltem aut ſupparem, aut eo etiam antiquiorem ſuſpicari licet: is adeo eas in Epilepſiæ tractatione [b] utendas ſuadet, monetque ut triduo ante lacti aſſueſcat Epilepticus, ne Veſicam lædant Cantharides. Eandem in hoc morbo, ut & Nervorum reſolutione curandis rationem tenuit, referente Aetio, [c] Archigenes: cui ut ſecta, ita & ætate erat conjunctus, quantum conjicere licet, Aretæus. Deinde Galenus Emplaſtra ex muſcis hiſce confecta ad Areas, ad Scabiem, ad Impetiginem, bene uſurpari poſſe tradit: ſed ille, uti recte animadvertit Cl. Clericus, (cui de Medicina Vetere accuratiſſima debemus commentaria) hoc auxilii genus in pleriſque morbis vel parvi admodum fecit, vel, ut ex ſcriptis conſtat, tanquam periculi plenum haud ſæpe tentavit. Qui Galenum inſecuti ſunt Græci, uti nec in alio fere quocunque, ita nec in hoc ipſo argumento quicquam novi afferunt: itaque & Arabas fruſtra conſulueris, qui, utcunque in medicamentorum formulis concinnandis feraciſſimi ingenii ſint, quantum ad hanc rem attinet, more ſuo Græcorum veſtigiis inhærent. Apud Latinos, Cantharides nullo fere in pretio fuiſſe videntur: earum ipſe Celſus, qui in Sinapiſmis multus eſt, haud ſcio an alias uſpiam quam in Papulis detergendis, Miconem ſecutus, meminerit. Cantharidas quidem illitas prodeſſe, ad Lepras, & Lichenas [d], item ad tela extrahenda, [e] valere ſcribit Plinius: unus Scribonius Largus, Cerato admiſtas, tanquam ſtigmatibus [f] tollendis utiles, deprædicat.

Hic fere apud veteres Cantharidum Cuti impoſitarum uſus; iſque ſane perrarus, utpote qui, non niſi in Frigidis humoribus, maloque jam inveterato, locum haberet. Nec liberius diu etiam poſt renatas literas adhibitum eſt hoc medicamenti genus: ita ut Fernelius id non niſi in [g] Cæcitate & [h] Hydrope præceperit, edixeritque prudenter eo atque arte ſumma eſſe utendum. Fernelio quidem æqualis Hollerius, Scriptor ſanus imprimis, & in veterum ſcriptis verſatiſſimus, ad Lethargum excutiendum, Cantharidum pulverem Phænigmo admiſceri jubet; quanquam, qui Hollerii ſcriptis Adverſaria attexuit, Duretus, Sinapiſmos "minime uſurpandos eſſe moneat in "Lethargo, quod conjunctus cum febre ſit, quæ hæc calida reſpuit[i]. Illa autem, quam cum Paræo [k] tentavit Hollerius, mirabilis eſt curatio: nam Fœminæ nobili, cui vultus circum undique Puſtulis ardentibus, &, tanquam in Elephantiaſi, admodum fædis deformis erat, perſuaſerunt, ut "univerſæ faciei Veſicatorium ex Cantharidibus "imponeret." Unde ea quidem tantis doloribus tantaque febre correpta eſt, ut fere nulla eſſet de ſalute relicta ſpes: ſed cum eam ex hoc periculo egregia viri utriuſque ars liberaſſet, "evanuit in perpetuum, "quæ ante faciem occupabat, deformitas." Idem Hollerius, de Pyroticis verba faciens, Veſicarum, quas Cantharides excitant, ope

a De Superfætat. 25. b Curat. Diuturn. Morb. 1. 4. c Tetrab. 2. Serm. 2. 28 & 50.
d 29. 4. e 30. 13. f 231. g Conſ. 12. k Conſ. 34. i Edit. 1577. 31.
k Paræ. lib. 20. cap. 28.

"Coxa-

"Coxarios, Podagricos, Hemicranicos, Cephalalgicos sæpenumero "relevari dicit; repurgari viscera, atque omnino corpus sordibus & "excrementis liberari, SEXCENTA denique vitia vetusta contuma- "ciaque percurari[l]." Id adeo præterire non possum, omne hoc de Cantharidum virtute præconium, in iisdem Hollerii Institutionibus Chirurgicis, quæ cum Tagaultii scriptis Anno 1540 primum prodierunt, quam etiam Editionem secuti sunt Gesnerus atque Uffenbachius[m], omnino desiderari. Unde jure quis suspicetur, medicinæ hujusce usum post id demum temporis increbrescere cœpisse. De qua tanta tamque absurda ea tempestate invaluit suspicio, ut Adolphus Occo, qui anno circiter 1560 floruit, Cantharidas ne in pera quidem gestari sineret, cum quendam, qui eas ita gestasset, sanguinem minxisse constaret[n]. Sed hæc sunt non differentium medicorum, sed somniantium commenta.

Quod si recentioris memoriæ Scriptores adeamus, ab hoc medicinæ genere multos, etiam seculi decimi septimi initio, abhorruisse reperiemus: eamque non nisi timide admodum & cunctanter admoveri consuesse docent tum alii, tum præcipue Banzerus Augustanus, qui Vesicatoria Coronati latitudinem vix excedere debere pronuntiat[o]. Quinimo ea Thaleri magnitudine metitur Etmullerus; & in morbis, Febribus præsertim, tractandis ita frigide ac non absque metu quodam medico laudat, ut hanc medendi rationem Italis potius, quam Popularibus suis familiarem velit[p]. Atque ea quidem apud Germanos ita parum exculta est, ut in magnis illis Sennerti voluminibus, omni medicamentorum farragine refertis, Vesicantium tamen mentio rarissime occurrat: quanquam ille quidem se iis sexcenties usum esse narret[q].

Quæramus itaque, quid illa, Felix prole Virum, protulerit Italia. Cum & Patavii & Venetiis, Ann. 1575 & 1576, acerbissime sæviret Pestis, a medicis omni diligentia investigatum est, qua potissimum ratione malum illud aut depelli posset, aut præcaveri. Pestem hanc accuratissime descripsit, Vir eruditionis summæ, Hieronymus Mercurialis, & qualis ad eam curandi via accommodari debuerit, fusius docuit: interque auxilia, quæ huic morbo insigniter prosunt, hujusmodi Vesicantia, ut præstantissima, commendat[r]. Is utique ea inter Italos, uti reor, princeps invexit; neque sane hoc illi quicquid est laudis invidendum est, quanquam antea idem medendi modus, tum a Marsilio Ficino[s], tum ab Alexandro Benedicto[t], ad Carbunculos Pestilentiales curandos prædicetur; & superiore seculo, ut ipse ingenue fatetur[u], a Jacobo de Partibus, Galliarum Regis Archiatro, in iis quæ de[w] Peste commentabatur, sit descriptus. Haud ita multo post, Anno scilicet 1590, Pisauri Pestis erupit, ita ut Urbinatium Dux universos scholæ Patavinæ medicos consulendos censuerit, quo melius invalescenti malo occurreretur. Sed iis inter se de Remedi-

l Institut. Chir. 3 5. m Scriptor. Chirurg. n Schenk. lib. 7. Obs. 37. o Fabric. Recept. lib. 2. f. 2. 21. p Comm. in Schrod. de Compos. Medic. q Lib. 6. p. 8. cap. 26. r De peste. c. 26. s Epidem. Antidot. 15. t De pestilent. u Ibid. w Comment. in Avicen. supra primam quarti.

orum,

orum, Veſicantium præſertim, commoditate diſſentientibus, Herculeſ Saxonia, ut ſententiam ſuam tueretur, de Phænigmis, quatenus ad Febres Peſtilentes curandas pertineant, diſputationem edidit. Hinc tantæ ea de re turbæ coortæ ſunt, ut ſumma medicorum diſſenſione certaretur: adverſantium agmen duxit Alexander Maſſarias, acriterque Veſicantia impugnavit; tum quod æmulatione quadam ductus Saxoniam, utpote ætate minorem, non tulerit, tum quod non niſi in veterum veſtigiis ſtare voluerit. Quid autem melius ab homine ſene præjudicatiſque opinionibus occupato ſperandum, qui ſe cum Galeno malle errare, quam cum Recentioribus vera ſentire gloriatus eſt? Sed omnia, quæ contra diſputata ſunt, refutavit Saxonia, libellis tribus de Veſicantium uſu editis: in quibus quidem totum hunc locum ita copioſe pertractavit, ut, qui eum conſecuti ſunt, ſequerentur plane, nihilque fere huic argumento adjecerint.

Ab hoc itaque tempore conſuetudo invaluit, ut inter Veſicantia principem ſemper locum tenerent Cantharides: quas quanquam plurimis in morbis, Febribus præcipue, proficere teſtetur experientia; qua tamen vi, quo demum modo humores attingant, ac commoveant, nemo ſatis adhuc explicavit. Quid in Cute efficiant, ita oculis omnium expoſitum eſt, ut medicinæ ſcriptores ad hoc unice attendere videantur: & in ipſo quaſi limine ſubſiſtentes, quicquid uſpiam a Veſicantibus venit auxilii, ab una Seri evacuatione derivare ſatis habuerint. Hoc a Stimulo, quem admovent Veſicantia, & ab humorum, uti loqui amant, Fuſione proficiſci volunt; ita ut, cum quaſi aculeis quibuſdam pungatur cutis, Serum exudet. Sane fatendum eſt propter hujus, quo cutis foditur, Stimuli vim, uberius iſtuc, quam pro more, confluere humores: neque tamen ideo effluere Serum, cætero ſanguine intus coercito, quod, ut ii comminiſcuntur, id præcipue modo quodam peculiari a Cantharidum particulis aut imbibatur[x], aut alliciatur[y], credendum eſt. Nam cum perpaulum eroſa ſit vaſorum tunica, non alia quam tenuitatis ſuæ ratione elabitur Serum; Globuli autem, qui ſanguinem rubore tingunt, cum foramina iſta mole exſuperent, exitum reperire non poſſunt. Atque hoc quidem perſpicuum faciunt eæ, quæ igne excitantur, Veſicæ: cujus vi ſcilicet ad eundem plane modum divulſa, quæ vaſorum ora defendere debuerat, Cuticula, Sero viam aperit.

Ita cum & dolorem concitent, & Serum eliciant, magno in morbis adjumento ſunt Veſicantia: & hæc quidem Seri evacuatio, indicii cujuſdam loco habenda eſt; nam, niſi id eruperit, parum ea feliciter ceſſura recte auguramur. Tamen intra hos limites minime conſiſtere videtur Cantharidum virtus: quæ tam late patens tamque mirifica eſt, ut nullatenus explicari queat, niſi rationem eam, qua non Cutim modo, ſed & Sanguinem afficiunt Cantharides, aſſequamur. Nam ſi eæ ideo proficerent, quod Serum evocarent, eadem ſane Seri copia per Urinæ iter excluſa pariter prodeſſet. Atqui in omni fere morbo Seri tantundem per meatus iſtos ejicere licet, quantum Veſi-

x Willis, Pharm. Rat. p. 2.

y Andr. Cæſalp. ſpecul. Art. Med.

catorio admoto educitur ; ſed in nullo fructum inde æqualem percipi poſſe, experimentis conſtat. Id utique ſatis apparet, introſumptæ quam vim habeant Cantharides in evacuandis humoribus, in obſtructionibus expediendis, in ſanguinis curſu incitando : itaque ad Menſes ciendos, ad Hydropem expurgandum, ad fœtum excludendum, ad lumbricos evocandos, ad venenum rabidi canis perdomandum, ad cuticulares denique meatus, inveteraſcente jam impetigine, adaperiendos, a Veteribus uſurpari ſolebant. Verique ſimile eſt eas, etiam cum cuti admotæ ſint, altius pervadere, humoreſque eodem plane modo commovere. Aliter enim quomodo contingeret, ut in Pleuritide, in Peripneumonia, in Diſtillatione, in Gravedine, Nervorumque Diſtentionibus, egregie valeant Cantharides cuti appoſitæ ? Ut dolores, coxarum præcipue, pervetuſtos tollant, obſtructioneſque liberent ? Ut, iis demum appoſitis, humores ſeſe ad perſpirandum magis accommodent, ut ſudores facilius fluant, ut puſtularum omne genus a cute promptius foras emicet ? Atqui hæc ſic fieri ſolere ex uſu quotidiano abunde diſcimus.

Ii quidem, qui interiorem hanc Veſicatorii vim aut negant, aut prætereunt, tamen cum de cruciatu illo atque exulceratione, quæ inde in Urinæ meatibus ſæpe oriuntur, explicationem inſtituant, fatentur ipſi Cantharidum particulas in ſanguinem penetraſſe : quorum ſales acerrimi cum iis, quos fert Urina, adhæſerint, has tragœdias excitant. Ita fere qui rationem male ſemel inſtitutam mordicus tenet, in eas delabitur difficultates, unde expedire ſe vix poteſt, niſi a ſeipſo diſſideat ipſe, ſecumque diſcordet. Quod ſi in partibus a cuti longe diſſitis, earum virtus ita vehementer ſe exerit, quid cauſæ eſt, cur in cæteris locis ceſſare eas, & quaſi ab opere feriari arbitremur ? Quid obſtat, quo minus humorum mutationem aliquam moliantur, quæcunque demum per vaſa permeant ? Certe incommoda, quæ Veſicantium aliquando uſum conſequuntur, non alia ratione explicari poſſunt, quam quod Cantharides in ſanguinem, eo quo diximus modo, vim exerceant. Hoc autem poſito fundamento, intellectu erit facillimum, quare Hecticis (præcipue ſi ſudoribus colliqueſcant) biliofis item, iiſque qui ad febriles æſtus natura ſua feruntur, interdum noxiæ ſint ; etiam, ubi corpus plenius fuerit, ſi ſcriptoribus habenda ſit fides, niſi venam ſecueris, periculoſæ : ſiquidem, cum ſanguinis molem admodum attenuent curſumque intendant, Febres, Inflammationes, & Deliria pariunt : vel, quod in Hecticis contingit, eas opes, quas vitæ ſuſtinendæ natura deſtinavit, per cutis ſpiracula nimis effuſe diſſipant. Pari modo in Lentis Febribus, in quibus Pulſus imbecillis languiduſque deprehenditur, ſiquid auxilii tulerint Veſicantia, eum illico invaleſcere ſentimus : quod a perpaucula Seri det actione proficiſci omnino incredibile eſt.

Bellinius, qui in eo, quod ſtimulent, Veſicantium vim omnem eſſe poſitam contendit, eadem etiam de cauſa Pulſum excitari pronuntiat. Sed id utique libenter quærerem, num idem & cæteri ſti-

muli

muli efficiant? Num aut Cauſtica, aut Fonticuli, aut Setaceá, aut etiam ipſa, quæ Cantharidum expertia ſunt, Veſicantia, ea ſtimulandi virtute polleant, ut Pulſum non modo ad tempus attollant, ſed ita inſtaurent, ut curſum ille ſuum tenere poſſit naturalem? Purgantia, quæ ſanguinis vias haud attingunt, ſtimulum inteſtinis admovent: unde tamen nihil quicquam virium Pulſus acquirit. Sanguinis quidem curſum, ad glandularum ora, paululum incitant; molem ipſam humorum non ita afficere poſſe videntur, ut aliquid inde ad Pulſuum robur accedat. Itidem Aqua bulliens, aut carbo ignitus, & pruritum in cute & veſicas commovet; ita tamen, ut ne minimum quidem ſanguini motum afferat. Itaque cum in morbis quamplurimis, iis præcipue qui caput impetunt, expeditum nec opinatum levamen præbeant Veſicantia, non tam quod aut revellant, aut irritent, aut evacuent, quam alia quadam virtute id videntur eſſe conſecuta. Quod ſi animum ad hanc, quæ interius exercetur, vim advertimus, Veſicantium rationem omnem aſſequemur; &, quo demum modo ad curandos morbos felicius accommodari poſſint, judicabimus. Certe hinc lucis aliquid erui poterit, qua id tandem, in quo medicorum diligentiam deſidero, effici queat, ut accurata de Veſicantium in Diuturnis Affectibus uſu præcepta tradantur, quæ & perſpicuitatem habeant, & quaſdam errare in medendo non patientes vias.

Sed ut ad locum, qui eſt in manibus, aliquando revertar: in Febribus Acutis tutum maxime atque expeditum auxilium præſtant Veſicantia; quæ quidem, licet materiam febrilem a Cerebro potentiſſime avertant, fluxiones tamen cæteras, Sudorum præcipue atque Urinæ, ſæpenumero juvant, ſaltem nullo unquam modo reprimunt. Neque in eo percurioſius hærendum, ut ſemper ad ægroti habitum aptentur: quæcunque enim fuerit corporis conſtitutio, utcunque ſive bile ſive tenui ſanguine fervidior, ſi febris ultra morem ſævierit, levia incommoda non tanti ſunt, ut de vita interim ipſa non ſimus ſoliciti. Sæpiſſime enim in id diſcriminis res venit, ut nihil, niſi a Veſicantibus, ſpei reliquum ſit: quod quidem in Podagricis, ubi, quæ ad extrema corporis defluere ſolebat, materia in caput incubuerit Febremque accerſiverit, ut frequentiſſime fit, ſic & nuperrime exemplo maxime memorabili factum eſt: ſcilicet dum, præ nimio cavendi deſiderio, a Veſicantibus prorſus abſtinetur, pauciſſimis diebus compertum eſt, quam vana fuerint magnifica illa ſalutis aliunde derivandæ promiſſa. Idem in Variolis, Morbillis, Febre ſive Scarlatina, ſive Eryſipelatoſa, quotidie experimur: in quibus morbis licet ſanguis ardentius æſtuet incitatiuſque feratur, hoc tamen auxilii genere haud dubitanter neque infeliciter utimur. Qare nequaquam audiendi ſunt ii, qui in Affectibus Nervoſis, in Febribus Ardentibus & Continuis, etiam ſi Sopor, aut Delirium acceſſerit, Veſicantium uſum repudiant [a].

a Bagliv. de Veſicantibus.

Id

Id utique haud temere quis dixerit, hac plures, quam alia ulla medendi via, ex Febribus liberos evaſiſſe; etiam ab hac, quam a reliquis omnibus, pluribus ſanitatem eſſe reſtitutam liquido poſſum confirmare. Igitur ad curandas Febres, quæ Annis 1674, 75, 79, 85, populariter graſſatæ ſunt, Veſicantia adhibuit Sydenhamus: id quidem optimo conſilio: ſed quare in cæteris prætermiſerit, haud ſatis intelligo; cum alii, de quibus ille meminit, Anni nullam Febrem intulerint, in qua non æque profutura fuiſſent Veſicantia. Quorum ſane vis in omni morborum Acutorum tractatione ita latiſſime patet, ut eum, qui has Hippocratis Hiſtorias diligenter perpenderit, Febrem haud opinor aliquam reperire poſſe, in qua non huic maxime auxilio locum eſſe fateatur. Neque tamen is ſum, qui, cum Cæcilio Folio, Hippocraticam Hiſtoriarum correctionem in me temere velim ſuſcipere, "ut appareat, quomodo illos curare potuiſſet "Hippocrates, quos mortuos ſcribit[a]." Id ſaltem haud inverecunde mihi videor eſſe dicturus, ægrotis iſtis hanc unam, ſi modo ulla fuiſſet profectura, prodeſſe potuiſſe medicinam.

Illud autem præ aliis commodi habet hæc evacuandi via, ut nunquam non tutiſſime in uſum duci poſſit. Cæterarum quippe ita perdifficilis & lubrica eſt ratio, ut nonnunquam eæ, ubi atrocior fuerit morbus, non ſine periculo tentari poſſint; id quod in Venæſectione ſæpe experimur. Quotuſquiſque tamen eſt, qui, ut a Veſicantibus, ſic & a Vena ſecanda, utcunque plus diſcriminis habente, abhorreat? Sed hoc fortaſſe ægrotantium imbecillitati dandum; ut, cum ſuadente natura dolorem maxime reformident, etiam a medicina, quæ vix ſine aliquo dolore proficit, refugiant. Eadem in medente mollities adeo non ferenda, ut maxime in vitio ſit: quem ſane, humaniſſimum licet, ubi vitæ periculum immineat, potius Tortoris vicem præbere decet, quam huic cubantium timiditati ſubſcribere.

Sed ut huic de Evacuantibus ſermoni finem aliquando imponam; hæc tibi ſint, benigne Lector, quæ expoſui, quaſi indicia fontium illorum, ex quibus Acutarum Febrium omnis haurienda eſt curatio. Nam & præcipua evacuandi genera, quo demum tempore, pro multiplici morbi natura, adhibenda ſint, & qua moderatione, cum adhibeantur, uti deceat, ea qua potui brevitate perſecutus ſum. Tui erit rationum momenta ita expendere, humorumque inclinationem omnem ita acri atque attento animo intueri, ut, qua maxime via detrahi poſſit febrilis materia, ſolertius perſpicias. Hoc unum Tibi ſpondeo Te experiundo comprobaturum, quod "ſcilicet ex Febribus "multæ Evacuantibus ſolis, etiamſi haud alio fueris remedio uſus, "cedere conſueſcant; vix ullæ autem, quæ paulo vehementius in- "valuerint, medicina qualicunque, ſi ab hoc Evacuandi inſtituto "deceſſeris, reſtingui poſſint.

a Bartholin. Epiſt. Med. Cent. 1. 16.

INDEX

COMMENTARIORUM.

Com. I. DE Ratione Scribendi, quam in Epidemiorum Libris tenuit Hippocrates. p. 237

Com. II. De Sanguinis Miſſione, præſertim de Venarum Jugularium Sectione. 242

Com. III. De Sudoribus. 251

Com. IV. De Vomitione. 253

Com. V. De Exſcreatione purulenta: De Pleuritide item, & Peripneumonia. 254

Com. VI. De Abſceſſu: Deque Coli & Veſicæ Ulcere. 260

Com. VII. De Purgatione: quam vim habeat in Febre Putrida, quæ Variolis Confluentibus ſupervenit, inque capitis Eryſipelate. Quædam etiam de Excretione Inteſtinali. 262

Com. VIII. De Urinæ profluvio. 291

Com. IX. De Veſicantibus, quæ Cantharidas recipiunt. 292

INDEX

JOHANNIS FREIND, *M. D.*

DE PURGANTIBUS,

In Secunda Variolarum Confluentium Febre, adhibendis

EPISTOLA.

JOHANNIS FREIND, M.D.

DE PURGANTIBUS,

In Secunda Variolarum Confluentium Febre,
adhibendis

EPISTOLA

Amiciſſimo, Clariſſimoque Viro,

RICARDO MEAD,

JOHANNES FREIND, S. P. D.

SÆPENUMERO, Vir Amiciſſime, laudavi fortunas meas, ſæpiuſque ſum laudaturus, quod ab aliquot jam annis magna mihi tecum interceſſerit neceſſitudo, ſtudiorumque adeo in ea, quam profitemur, arte quædam quaſi conjunctio: nam, cum in cætera vita, tum maxime in Medicinæ munere fungendo, idem ſentire atque idem judicare, res eſt longe jucundiſſima. Permagni quippe intereſt, cum conſilia Medica miſcemus, conſiliorum ſocium habere peritum artificem: neque hoc tantum ad ſalutem ægrotantium inſtaurandam, ſed ad eas moleſtias, quas, ut ſunt res humanæ, nos ipſi in curatione morborum paulo magis difficili fere experimur, leniendas. Quid quod ij, qui in Medendi Scientia penitius eruditi atque inſtructi ſunt, iidem a malis artibus abhorreant, omnique nota illiberali reperiantur maxime immunes. Quippe cum illecebris ita parum pateant, ut vel pravis hominum moribus ſervire, vel eorum gratiam lenociniis aucupari nolint, nihil unquam a ſe aut ab honeſtate alienum, aut etiam dignitati ſuæ injurium fieri patiuntur. Quicquid enim exiſtimationis famæque hoc obſequio partum eſt, id omnino imbecillum fore & caducum arbitrantur: tum autem rebus ſuis optime conſuli, tum veram gloriæ viam iniri, cum ſcientia freti, cum uſu exerciti, cum indecoras quaſcunque machinas dedignati, ipſi de ſe ſuaque, quam profeſſi ſunt, arte digne ſentire videantur.

Itaque qui in hac, quemadmodum in illa ſive pingendi ſive ſculpendi diſciplina cupiunt excellere, ingenium ad id, quodcunque perſequi volunt, fictum quaſi & accommodatum habeant neceſſe eſt: nemo enim, quantumcunque ſtudii acceſſerit, medicus fieri poteſt, niſi & etiam quodammodo naſcatur. Sunt quippe in hac arte multa perobſcura & recondita, multa impedita & ſubtilia, quæ nullis præceptis perfecte edoceri, nulla explicatione plene cumulateque tradi poſſunt: ita ut, quamvis plurima ex ſcriptis Medicis, in quibus quidem verſatiſſimus eſſe debet, hauſerit Medicus, plura tamen ſint ipſius judicio & perſpicacitati relinquenda. Atque hoc

quidem in nulla re magis elucet, quam in Pulſuum varietate internoſcenda: quippe qui tactum hunc eruditum habent, cum non ex magiſtrorum dictatis, ſed ex diuturno uſu, & vi quadam acuminis proprii fluxiſſe ſentiunt. Adeo nuſquam alias æque percipitur ac in medicis rebus, quid demum ſubtilitas ipſa naturæ valeat, & curioſa quædam in judicando felicitas. Quid igitur? an ii, qui indolis leviſſimæ maximeque deſultoriæ ſunt, in hac ſcientia magni quid facere poſſe videntur, in qua, non niſi multa cum ſagacitate, ſtudioque acri & perpetuo, elicienda eſt aliqua rerum maxime difficilium conjectura? An ii, qui pingui minerva prædiți ſunt, & tarditate ingenii laborant, ad hanc ſolertiam, quæ medentibus ineſſe debet, acquirendam ſatis idonei accedunt? an eos denique, in re, ſiqua eſt alia, reconditiſſima exquiſitumque judicium exigente, acute cernere poſſe exiſtimas, quos, ſi in cæteris rebus periculum feceris, communi ſenſu plane carere fatearis? Videmus tamen quotidie, ut multi, qui alias omni ſolertia vacui ſunt, de rebus medicis judicandi intelligentiam ſe conſecutos eſſe jactitent: utque iidem propter id ipſum, quod hac intelligentia indigeant, eum in medendo, quem ſemel forte arripuerint, tramitem conſtanter perſequantur, inque eadem quaſi orbita, ſine progreſſu aut profectu ullo, conſeneſcant.

Sed & hanc quoque experta eſt res medica fortunam, ut, qui in aliis tum diſciplinis tum artibus, etiam illiberalibus, mediocre nomen adepti ſint, ii repente in principem medicorum ordinem, invita natura, irruere præ ſe ferant. Sint illæ ſane ad ſpeciem perbellæ, atque curioſæ; quam vero affinitatem cum morborum contemplatione, cum medendi ſolertia habeant, haud facile eſt divinare. Certe non aliam habent, quam cum Juris ſtudio: at non repertus eſt adhuc quiſquam Legum ſtudioſus, qui unquam his artificiis viam ſibi ad forum muniri poſſe ſomniaverit. Iſtæ ſcilicet iis, qui ſuas in ſcena hac noſtra medica partes acturi ſunt, reſervantur elegantiæ.

Hoc quoque in cauſa fuiſſe exiſtimo, cur nonnullis jam a ſeculis medicorum plurimi, quanquam & ingenio & eruditione ſatis valuiſſe comperti ſunt, cogitationes tamen ſuas alio contulerint, & in quavis potius arte excelluerint, quam in ſua: itaque excelluerint, ut ex iis permulti Hiſtoricos, Oratores, Poetas, in ea ipſa, quæ illorum propria eſt, ſcribendi facultate ſuperarint. Maluerunt opinor, cum iniquam de iis, qui medicinam profeſſi ſunt, hominum ſententiam paſſim ferri perciperent, ad alia ſtudia confugere; quorum ope, uti animo ſuo ſciendi avido liberius indulgere, ita ſemet magis populari gratiæ commendare liceret. Quaſi vero in hac noſtra, quæcunque fuerit, ſupellectile non ſit, quod acutiſſimum ingenium exerceat, quod diſcendi aviditatem expleat, quod totas hominis vires, quantæ eæ cunque demum fuerint, deſideret.

Atqui hæc Medicinæ ſtudentium querela ſane pervetuſta eſt, & Galeni præcipue ætate familiaris: is enim, qui inſigni ſua cum laude, cum in cæteris diſciplinis, tum in Medicis præſertim, haud mediocrem operam curamque conſumpſerat, non ſine aliqua indignatione queritur,

queritur, [a] perplurimos ſuo tempore, vel mane ſalutando, vel veſperi comeſſando, vel aliam adulationis viam ſectando, magni nominis medicos evaſiſſe: literas vero arteſque liberales ita parum Medico, uti tum invaluit vulgi opinio, profuturas putari, uti Fabri tum Lignarii tum Ferrarii, Sutores, Tinctores, [b] Lintearii, proprio Magiſterio relicto, in Medicæ artis munera inſiluerint: eos vero, qui pictoribus & unguentariis mixturas ſuas præparabant, etiam de primo loco certaſſe. Eadem arrogantia, eodemque prope ſeculo Theſſalus iſte, Empiricorum audaciſſimus, quem idem Galenus [c] ſub patre lanas carpente in Textrina educatum, atque inde Lanificorum elocutionem conſecutum eſſe memorat, literarum omnium rudis, novam ſectam condidit, damnatiſque veterum omnium placitis, [d] & rabie quadam in cæteros omnes invectus, ſe unum eſſe Medicum jactitabat; ſeque, hominem utcunque ex Officina reptantem, ſine arte, ſine literis, Medicinæ formam univerſam uno libello poſſe tradere confiſus eſt. Vulnera omnia, utcunque diſſimilia, pari modo tractavit, [e] Unguinoſa ſcilicet & Glutinoſa imperans: multiſque nugaciſſimis verſuum millibus effuſis, duos tantum eſſe in omni victus ratione morbos contendit, nempe Fluxum & Clauſum: fortaſſe etiam, ſi paulo plus ſapuerat, duo tantum remedia morborum omnium poſuiſſet. Atque hic quidem error, quem vel puer, in ſimplicioribus diſciplinis eductus, ſtatim adverteret, eo inſolentiæ Theſſalum iſtum evexit, ut magnum & præclarum quid ſe inveniſſe putaret. Ita fere homines inepti atque futiles, neque acumine ullo, neque authoritate valentes, in iis ipſis rebus gloria ſe & prædicatione efferunt, quæ cæteris omnibus riſum movent.

Ne itaque Te avertant ab inſtituto ſive medendi ſive ſcribendi conſilio ſcurrarum convitia: Tecum utique reputantem, Viris ingenio excellentibus hoc ſæpe accidiſſe, & quidem ſæpiſſime in hac noſtra quam ſequimur via. Ita ſuum habuit Harveus Pariſanum, hominem futiliſſimum inſulſiſſimumque: nec ſuus, quantulus is cunque fuerit, Williſio defuit Meara. Quin perge Literatos omnes demereri, & quæ apud te premis, de Variolarum omni genere jam diu meditata, deprome tandem: ut intelligant omnes, quanta in gratia atque pondere eſſe debeat, quantumque ab Empiricorum ſomniis diſtet, nullis innixa commentis, Hiſtoria Medica.

Interim ſinas, ut ad id opus abſolvendum hac Te Epiſtola quaſi provocem; in qua, ne in eam, quam Tibi relinqui velim provinciam, incurrere videar, nihil de Variolis dicturus ſum, niſi de earum Curatione; ea præſertim, quæ, Secunda jam Febre invaleſcente, Medicinis Purgantibus inſtituitur. Ad quam quidem curationem denuo explicandam libens accedo. Quippe cum hoc purgandi inſtitutum novum pleriſque atque inauditum videretur, nonnullique ea, quæ de hac re expoſuimus, vel parum intelligerent, vel perverſe interpretarentur, non male credo merebor de meis popularibus, ſi

a Method. Medend. Præfat. b Ibid. c Ibid. d Plin. Hiſt. Nat. 29. 1. e Method. Medend. Lib. 6.

in

in argumento tam gravi, a Medicis quidem prorſus intacto, maxime tamen ad ſalutem hominum pertinente, paulo quid amplius elaboraverim. Hujuſce ſiquidem Medicinæ auxilio ſanctiſſime affirmo me multos ſanitati reſtituiſſe, permultos a Te eſſe itidem reſtitutos ſatis ſcio. Sed quoniam hæc res varias habet cautiones, morbique ſigna omnia cum diligentia atque judicio notanda ſunt, exponam, ut potero, quemadmodum ii, qui in hac curandi ratione minus verſati ſunt, eam tandem aliquando percipere ac conſequi poſſint. Hoc ut efficiam, ponam in medio Hiſtorias quaſdam ſingulares: ita quippe tum continuata illa affectuum ſeries atque connexio, ad quam maxime in ægrotis tractandis attendere oportet, diſtinctius eluceſcet, tum ipſa medendi via eruetur facilius. Neque vero mei ſive otii ſive negotii fert ratio, nec res ipſa poſtulat, ut omnia exempla ſimul proferam: ſatis erit ex iis tantummodo caſibus, in quibus alterum mihi adjunctum conſilii ſocium atque adjutorem habuerim, præcipuos excerpere. Obſervationes denique, quas vel ad morbi decurſum, vel ad curationis modum melius intelligendum conducere poſſe arbitror, ſic interſeram, ut & varietati, & legentium utilitati ſimul conſulam. Iidem mihi, ſiquid a me minus accurate dictum ſit, facilius ignoſcent; quod & mihi vacui temporis non nimium ſuppetat, & res ipſa, doceri contenta, ornari nolit.

Id obiter interim monendi ſunt, aliquas ex his, quas deſcripturus ſum, Variolis fuiſſe ex Cohærentium genere: quæ quidem a Confluentium natura ita parum abhorrent, ut eadem fere ſui ſigna præbeant, eandemque plane, matureſcendi tempore, Febrem accendant. Quin & perraro [a] ea, quæ Confluentium propria eſt, etiam in Cohærentibus deficit Sputatio: ita ut rectiſſime edixerit Mortonus, "Salivationem jure merito habendam eſſe ſymptoma morbi maligni "vel ſaltem medii, ubi febris recidiva, & eventus ſaltem anceps "expectari poſſit." [b] Nimirum quod periculi imminet, non tam ab ipſo Puſtularum Genere, quam a Numero prorſus oritur: qui quidem ſi ingens fuerit, idem de rei exitu timor ſubeſſe debet, ſive eæ confluxerint, ſive non. Etiam numerus ipſe ad hoc præſagii faciendum, non in Facie modo, ut nonnulli volunt, ſed in cætero quoque Corpore attendi debet.

Quare utraque, tam Cohærentium, quam Confluentium Species, uti in reliquis perparum diſcrepat, ita ſimilem omnino curandi viam deſiderat. Hoc quoque obſervatione haud indignum, quod, utcunque morbi, quorum hic pertexitur Hiſtoria, ſint omnino ſimillimi, alii tamen alia cum ingraveſcendi tum decedendi tempora habuerint. Hujuſmodi fortaſſe Variolas quiſpiam Anomalas, & quaſi extra ordinem poſitas haud abſurde appellaverit: at ſunt tamen eæ, quæ omni fere tempeſtate plurimum occurrunt, omnibus fere ætatibus ſunt communes. Neque vidi adhuc hujuſce generis Variolas, quæ ad hanc dierum regulam magis exquiſite ſint compoſitæ. Non-

[a] Vid. Hiſt. 1.

[b] De Variol. 176.

nunquam

nunquam enim in ipſo morbo dierum ratio mutatur; ſitque gravior, qui remiſſior eſſe conſueverat. Ita ut is maxime fallatur neceſſe ſit, qui temporum momenta nimis exigue & exiliter ad calculos revocat: permulta quippe intercedere ſolent, quæ eam in morbis hiſce varietatem facile pariant, ut ægrotus interdum hoc, interdum alio die, maximo in periculo verſetur.

Historia I.

Vir familiæ prænobilis & perilluſtris, Variolis iſtius generis, quas dicimus Cohærentes, graviter correptus eſt. Præceſſerant Nauſea, Vomitus, & Capitis dolor immanis. Valetudinis curam habuerunt, Medici in agro Eboracenſi celebres, Doctores Neal, & Cotes. Ego Sexto demum die acceſſi. Pridie invaſerat delirium; puſtulæ omnino pallidæ; facies paulo depreſſior. Itaque a Medicis Pulvis ex Chel. Cancr. C. datus eſt, prudenterque admotum Nuchæ Veſicatorium. Inveni adeo eum animo maxime alienatum, Febre tamen, quod hoc morbi tempore in delirantibus perrarum eſt, prorſus vacantem. Puſtulæ, quæ erant admodum confertæ, vix omnino elevatæ, atque etiamnum ſubpallidæ. Itaque in hoc tanto diſcrimine adhibuimus brachiis utriſque Veſicatoria perampla: hancque Medicinam præſcripſimus.

℞ Theriac. Andromach. Pulv. e Chel. Cancr. C. ana ℈j. Rad. Serpentar. Virg. gr. xv. Syr. Caryophyllor. q. ſ. M. F. Bolus ſtatim cap. cum Julap. perlat. præſcr.

Hæc cum ter ſumpſiſſet, mane proximo, die ſcilicet Septimo, puſtulæ ſe denuo extulerunt, earumque extremi margines rubeſcebant; interſtitia etiam colore florido ſuffuſa.

Vides, quam mira præſtiterit paulo calidior Medicina: &, ſi quod verum eſt fateri volumus, hæc medendi ratio Cardiacis vehementioribus inſtituta, quam plerique ſcriptores nimium deprædicant, Mortonuſque ut Specificam habet, vix cum judicio adhibetur, niſi in hoc prope unico Variolarum tempore, ubi ſcilicet eæ aut non ſatis proruperint, aut etiam retro ceſſerint. Ideo Crocum non niſi bis terve, idque urgente neceſſitate, [a] adhiberi jubet, maximus Arabum magiſter, Rhazes. Hoc auxilii genus fit valentius, cum Opiatis commixtum: quæ quas vires in omni Puſtularum eruptione promovenda habeant, primus, contra communem ſententiam, videtur ſenſiſſe Sydenhamus. Ita parum in hoc remedio plane divino dominatur frigida illa vis, uti nonnullis placet, quæ humores omnes conſtringat & reprimat.

a De Peſtil. c. 7.

Veſperi adeo, Secunda, ut dicitur, Febris deprehenſa eſt accedere: neque adhuc quicquam remiſerat delirium. Quamobrem Nuchæ denuo appoſitum eſt Veſicatorium. Nunc iterum ad medii generis remedia deflexum eſt, & a Somniferis Calefacientibuſque temperatum. Victus tenuis, ſorbitioneſque vel Ptiſanæ vel Oryzæ, quæ diluerent, pro libitu indultæ. Noctem eam maxmis in moleſtiis egit: ita fere nulla erat in ſomnum propenſio. Mane, die Octavo, aliquantulum ad ſe rediit; ſed eæ induciæ fallaces & perbreves: nam, horula vix elapſa, in delirium recidit. Puſtulæ tamen pure maturrimo repletæ: licet, ſi magnitudinem ſpectes, valde mediocres. Facies haud omnino in tumorem elata: cervix ſola perpaulum ſubtumuit. Toto morbi decurſu nulla ſputatio: quod quidem, cum ea hujuſce generis Variolis perpetuo adeſſe debeat, ſignorum omnium, judice Sydenhamo, longe infeliciſſimum [a]. Febris admodum exarſit; pulſus velox & incitatus, plenus tamen ac validus: inquies maxima, furorque quaſi inſani. Quocirca admotæ ſunt Cucurbitulæ, ita ut fluxerit ſanguis ad ℥vj. Appoſita etiam Carpis Veſicantia. Quin & Enemate, veſperi, adhibito bis mota eſt alvus. Ita paululum temporis ſatis liberaliter quietum habuit; pulſuſque ad temperiem magis compoſitus: idem tamen per intervalla mentis error. Sed, utcunque morbus tum conquieſceret quidem, rem haud ita eſſe in vado putavi, quin in deterius ſponte prope ſua eſſet itura. Ideo cum inter nos, quinam ſubeſſe videretur periculi timor, diſſeruimus; dixi me in ea eſſe opinione, ut, ſiquid hujuſmodi accideret, leni aliqua potione ſubduceretur alvus. Illi extemplo ſe & hanc curandi viam tentaſſe aliquando, & nunc etiam probare haud dubitanter profeſſi ſunt. Id nimirum, quod ſuſpicati ſumus, obrepſit: caput enim, nocte nondum intempeſta, ita ingraveſcere cœpit, ut, mane, veterno plane obtorpuerit. Subſilierunt interim tendines; febris immaniter ſæviit; puſtulæ exſiccatæ; neque in manibus ullum, neque in pedibus, nedum in facie, tumoris veſtigium; periculumque vitæ maximum imminebat. Nam illud ſane vix unquam fallax Sydenhami præſagium, ægrotis ſcilicet hoc morbi tempore protinus moriendum eſſe, niſi Sputationis aut deficientis aut interceptæ vicem ſubeat partium harum inſignis Tumor [b]. Hic fuit Nono die, iſque tantum non deploratus, morbi ſtatus. In his anguſtiis intervenit Vir ingenio judicioque acerrimus, cujus ut mihi amicitia jamdudum jucundiſſima, ita & mors pariter nunc perluctuoſa, Jacobus Keil. Illis vero cum eadem eſſet nobiſcum opinio, idemque de curandi ratione ſenſus, ſic morbo occurri oportere cenſuimus. Caput illico tondetur, & circumquaque appoſitum Veſicatorium. Sanguis iterum Cucurbitulis ad ſex uncias eductus. Enema acre adhibitum eſt, & quatuor fere poſt horas repetitum: unde alvus quinquies deſedit. Hæc adeo id levaminis attulerunt, ut & Febris paululum remitteret, minuſque jam premeret Coma. Verum, ne brevi iterum in pejus ruerent omnia, quod prorſus erat ti-

a Variol. Reg. An. 67. 129, & 135, 149.

b Variol. Reg. Ib. 132, 135, 148.

mendum

mendum, Purgatione jam tum uti decrevimus. Neque nos conſiliis hiſce nimis præcipites temere rem geſſiſſe quis arguat, quod auſi ſimus, etiam Nono haud elapſo die, hanc ventris ſolvendi viam experiri: quippe cum plus ſatis liqueret, ægrotum, niſi ea interpoſita ſubvenerit, craſtinæ luci parum eſſe ſuperfuturum. Breve quidem ſpatium! intra quod ſiquid non profuit, æger fuiſſet extinctus. Etenim in hoc caſu non tam dies curioſius numerandi ſunt, quam cubantis conditio expendenda: ſiquidem medicina non ad temporis menſuram, ſed ad morbi momenta accommodari debet: & quo celerius gravia hæc mala corripiunt, eo maturius quoque auxilia rapienda ſunt. Neque temporis præceptum perpetuum eſſe, neque alia de hoc Purgationis inſtituto ſtatui poteſt regula, quam quod, ubi ſemel exaruerint Puſtulæ, quandocunque medentis acumine dignus inciderit nodus, prima quaque opportunitate eam adhibere maxime conveniat.

Cum igitur in has, quas recenſui, difficultates delaberetur ægrotus, hora circiter quarta pomeridiana ſequentem hauſtum præſcripſimus.

℞ Decoct. Sen. Gereon. ℥ij. Sal. Mirabil. Glauber. ʒij. Syr. de Rhamno Cathartic. ʒiij. M.

Id partitis vicibus, trium fere horarum intervallo, aſſumptum eſt: unde poſtquam alvus ſexies deſcenderat, mane, die Decimo, ſimul ex integro evanuit tum Coma, tum Febris.

Ita perbrevi duodecim fere horarum ſpatio, eum, qui aſtantibus jam moribundus & quaſi depoſitus videretur, in certam adeo ſalutis futuræ ſpem ereximus, ac ſi de vita nunquam fuiſſet periclitatus. Itaque, poſtridie, magna cum voluptate diſceſſimus.

Liceat hac in Hiſtoria quædam animadverſione digniſſima adjicere: morbique notas præcipuas paululum retractare, unde quidem mihi aliqua fiducia affulſerit, medicinæ ope illum poſſe ex hoc tam gravi periculo expediri. Puſtularum color etiam in ſummo diſcrimine probabilis, oræque extimæ, cum jam exareſceret facies, tam in pectore, quam in artubus, ſatis floridæ. Urina, utcunque non ita largiter profluxerit, ab ultimis quinque diebus ſedimentum uſque depoſuit: idque conſtanter, licet potionibus, quas recenſui, diluentibus abunde uteretur. Hæc quidem ſigna haud futilia; ſequuntur tamen alia, quæ ſecuritatem certius promittunt. Aberat omnino ſpirandi moleſtia: pulſus, etiam extrema gliſcente ſive febris ſive delirii vehementia, nunquam intercidit: ſed uti pleno impetu ferebatur, ita poſt evacuantia cujuſcunque generis adhibita, & ictu valentior deprehenſus eſt, & intervallis etiam diſtinctior. Pulſu adeo & Spiritu ad hunc modum conſtitutis, nunquam fere me fefellerunt Purgantia, etſi cætera mala gravius ſævirent, terroremque incuterent. Mallem tamen Pulſu potius aliquantulum imminuto id auxilii genus tentare, quam ſi multus acceſſerit in ſpirando labor. Utcunque autem, horum altero ſignorum vel utroque repugnante, anceps

omnino

omnino remedium, aut fortaſſe aliquando nullum præbeat purgatio; (quid enim in ipſis lethi faucibus valitura ſit medicina?) utroque tamen favente ſimul & conſpirante, cæteris licet periculum minantibus, rem hac maxime via geri poſſe multiplici experimento didicimus. Itaque ad hanc potiſſimum regulam dirigi debet medentis judicium.

***

gentos circiter annos nihil fere agitabant, nisi quod acceperant, id unice curantes, ut hæc Arabum monumenta fideliter exscriberent, easdem regulas posuere; ita tamen posuere, ut, quod præceperant, vix in usum eos traxisse appareat[a]. Tandem medio fere Sæculi decimi sexti, Gometius Pereira[b], Methymnæus, quem sæpe a via trita haud perperam declinasse comperio, primus, uti reor, Arabas quasi in hac re nimium cautos arguit, diserteque pronunciat, si vel adsit Inflammatio, vel Plenitudo, etiam proruptis Variolis, sanguinem fidenter esse mittendum: omissa porro hac medendi via, pueros quamplurimos, "aut Sanguinis ex naribus profluvio, "aut Ulceribus periisse." Hoc quidem experientia sæpissime comprobatum: id vero adjecisse poterat, sanguinem hoc morbi tempore ex naribus, quod & Rhazes[c] innuit, aut ex uterinis viis fluentem permultis saluti fuisse: manifesto satis indicio, quod hoc auxilii genus natura aliquando desideret. Eandem curandi viam institerunt, siquando Variolis jam egressis malus aliquis affectus intervenerit; Medici apud Gallos eadem fere tempestate celeberrimi, Hollerius[d], Paræus[e], Botallus[f]: quorum ultimus quidem hoc Venæ secandæ consilium, relictum jamdiu & pene oblivione obsoletum, magna cum sua laude revocavit, & ad morbos quamplurimos haud infeliciter applicuit. At idem circa tempus Chymicorum Fabulæ hominum animos falsis terroribus implerunt, & quasi fascinatione quadam tenuerunt, duce potissimum Paracelso, præstigiatorum vesaniissimo: iique, qui arcanis omnia geri volunt, ita humana imbecillitate sive usi sive abusi sunt, contraque sanguinis missionem ita debacchati, uti medici, qui ratione & judicio valerent, non ausi sint, etiam in maximo vitæ periculo, venam secare. Qui tamen, ne nihil ex Arte facere, ægrotisque prorsus deesse viderentur, non destiterunt vel Hirudines admovere, vel Cucurbitularum ope humorum copiam minuere[g]. Neque infrequens ea sane medentium infelicitas, quibus vel parum constantiæ vel authoritatis sit, ut aliorum voluntati potius obsequi, quam suo stare judicio malint. Ita bonus Vir, Ludovicus Mercatus, qui utcunque, "si nova putredine orian-"tur, audacter, etiam si plures sint Variolæ, sanguinem mitti" edixerit, mox varias hac in re difficultates persentiens, & morbi fortasse fraudulentia deterritus, subito se revocat; hæsitansque & in decreto suo fluctuans, hunc etiam legentibus scrupulum injicit; neque enim, inquit, "facile inventu est, quid sit agendum: nam "videtur longe gravius febrem iterum reverti facta semel crisi; ac "si sanguinem mittas, calumnia non vacabis, & periculo; si præ-"termittas, certius est discrimen[h]." Verum initio fere sæculi decimi septimi, his Chymicorum præstigiis minus valentibus, plurimi, Gometium vel fortuito secuti, vel de industria imitati, hanc san-

a Francisc. de Pedemont. 137. Bernard. Gordonius 54. Petrus de Bayro de Peste 766. Joh. de Conco Regio, Marcell. Donatus, 156. Nicolaus Florentin. Tr. 2. 152. Æmil. Campolong. c. 43. b Nova Medicina, p. 904. c Continent. lib. 30. p. 421. d Lib. 2. p. 66. e Lib. 19. 2. f De Curatione per V. S. c. 5. g Joseph de Medicis 42. Diomedes Amicus c. x. h 588.

guinis mittendi rationem tenuerunt. [a] Diſertiſſime vero omnium de hac ſanguinis detractione locutus eſt Epiphanius Ferdinandus: qui cum regulas haud male poſuiſſe videtur, verba ipſa non pigebit deſcribere. "[b] Nos autem clarius hanc de Venæſectione doctrinam "illuſtrabimus: quoties enim eſt urgentiæ ſcopus, omni tempore "eſt mittendus ſanguis, dummodo adſint indicantia: nam, 1mo, "cum apparent Variolæ & Morbilli, & febris non ceſſat, neque alia "ſymptomata gravia, tunc licet mittere ſanguinem; 2do, cum ap- "paruerunt per unum diem, deinde deliteſcunt, tunc ſtatim mit- "tendus ſanguis; 3tio, quando ſunt alia gravia ſymptomata, præ- "ter ſymptomata Variolarum, ut Angina, obſtinata Phrenitis, Le- "thargus, Dyſenteria, gravis Opthalmia, vel quivis alius periculo- "ſus & gravis affectus; & ſic Rhazes mittit ſanguinem in Variolis "& Morbillis, ubi adeſt Dyſenteria." Itaque in "difficili Spira- "tione, aut ubi in Variolarum maturatione Inflammatio ingruat "ſumma, aut tumor Eryſipelatodes caput occupet," venas vel ſub Lingua vel ſub Auribus aperiri jubet Mayernius [c]: qua quidem via, ſanguine ad ʒxx. effuſo, Vir acerrimi judicii Comitiſſam Bedfordiæ jam jam morbundam periculo eripuit. Neque alia fuit curationis ratio, quam his in caſibus maxime ſecutus eſſe videtur, Clinicorum haud infimus, Riverius [d]; qui, cum ægros ut "Febre continua pu- "trida laborantes tractandos" eſſe cenſeat, venam ſemel ſecaſſe parum contentus, eam iterum aliquando aperiri jubet, "ut detracta "portione oneris, reliquum a natura facilius expellatur." Quin & recenti memoria, iiſdemque prope temporibus, tres trium maximarum gentium, Hiſpaniæ [e], Galliæ [f], atque Britanniæ [g] Reges, vena iterum ſecta, ex hoc difficili Variolarum morbo evaſerunt. Ita non modo his in regionibus, ſed in Italia, & ad Hyperboreos uſque invaluit hæc Venæ ſecandæ conſuetudo, ſiquando, Variolis licet prodeuntibus, malum adhuc ingraveſceret. Itaque vides Sydenhamum noſtrum accuratiſſime de curatione Variolarum differentem, utcunque huic Medicinæ minus faveret, eam tamen imperaſſe, ſi aut Facies parum intumuerit, aut acceſſerit Phrenitis [h]. Unde mirari ſubit id auxilii genus Mortono ita diſplicuiſſe, ut illud in hoc morbi ſtadio prorſus repudiarit [i]: ſed ille fortaſſe, cum morbum ipſum a Venenato quodam Miaſmate proficiſci contenderit, parum ſibi conſtare videretur, ſi ſanguinis detractionem probaverat: itaque in eo totus eſt, ut morbi virus Alexipharmacis, atque Antidotis expugnet. Aliorum fortaſſe alia ratio, qui ſcilicet, Variolas nihil niſi naturalem quandam humorum Criſin rati, naturæ ſuis ſatis viribus, ut illi cenſent, inſtructæ fere omnia permittunt; ita ut medicus non tam uti Artifex atque adjutor, quam ſpectator merus aſtare debeat. Quaſi vero non eſſent, ut certe ſunt, in Variolarum decurſu tempora,

a Diomedes Amicus, Tract. de Variolis, cap. 10. Anton. Ponce de Sancta Cruz, Imped. Magn. Aux. 3. 17. Horſtius, de Variolis. Joſeph. de Medicis, de febr. 42. Ranchinius, de puerorum morbis, 275. Zacutus Luſitanus, 786. Augenius, lib. 10. 3. Petr. Paſchalis, 117, 463. Joh. Chicotius, Epiſt. de Variolis. Heurnius, Aph. 2. 15. Jul. Cæſ. Claud. Emp. Rat. 286. Bartholin. Ciſta Med. 601.

b Caſus Medic. 78. c P. 449. d Lib. 17. c. 2. e Carolus II. f Ludovicus XIV. g Carolus II. h P. 153. i P. 201, 204.

in

in quibus, etiamſi haud infeliciter proceſſerit eruptio, medici judicium valeret: qui, re in deterius inclinata, cum cætera provideret, tum hoc maxime diſpiceret credo, quale futurum eſſet a ſanguine detracto auxilium. Quid enim abſurdius, quam, ubi certum alioqui periculum imminet, dubitare, an ea ſit adhibenda Medicina, quæ ſæpiſſime quidem ſalutem ægrotanti attuliſſe comperta eſt, medentis autem ſpem aliquando fefellerit? Ita veriſſima eſt illa Hippocratis ſententia, quod, ubi "morbus ſit periculoſiſſimus, in his pe-"riclitari oporteat: ſi enim ſucceſſerit, ſanum facies; ſin minus, "quod etiam alias futurum erat, id ipſum perpetitur[a]."

Sed ut ad ægroti Hiſtoriam revertar; Mane, die Quinto, ſopor adhuc ingraveſcebat: rediitque per intervalla delirium: puſtularum progreſſus nullus. Subſilierunt tendines, totumque corpus ſæpe intremuit. Applicata ſunt utrique brachio Veſicatoria. Sexto, horam circa undecimam, defecit & loquendi & deglutiendi vis: pulſus non æquis intervallis motus, aliquando & interciſus. Hoc modo pluſquam bihorium tranſegit. Quanquam nunc in ultimo diſcrimine verſaretur, utpote qui jam obmutuit, & ſpiritus difficultate quaſi ſtrangulatus fuit, tamen eum ne ſic quidem quaſi deploratum deſeri oportere putavimus; certi, quid valere poſſet Medicina, experiri. Cucurbitulis itaque admotis ſanguis ad ʒ viij miſſus eſt: unde cerebrum aliquatenus recreatum, & ſpiritus liberior. Pulſus invaluit, magiſque intra numerum movit. Nunc & oblata deglutire poterat: quare magna potionum copia imperata eſt. Tamen ne verbum quidem emiſit, niſi quis eum prius fuerit allocutus: reſponſa interim fere rationis haud expertia. Hodie & ſequenti biduo, Medicinam ex Radice Contrayervæ & Croco confectam adhibuimus. Infra Cubitum, & Suris utrinque, applicata Veſicatoria. Sero veſpere, Puſtulæ jam primum turgeſcere cœperunt.

Septimo, Puſtulæ tumentiores; quarum aliæ pure diſtentæ; aliæ vacuas veſiculas referebant: in ipſis marginibus rubor haud ita intenſus. Pulſus incitatior; Febriſque etiamnum inhærebat. Sputatio libera, & copioſa; Spiritus expeditior: manebat tamen nimia dormiendi neceſſitas. Quo quidem affectu Comatoſo, licet id niſi errore aliquo graviori in regimine admiſſo (quod tamen ſecus plerumque accidit) vix fieri [b] putet, nullum tamen deterius eſſe [c] præſagium recte pronunciat Mortonus. Idem tamen, ubi in hoc periculi, quodcunque ſit, inciderit æger, venam ſecare perperam, uti videtur, reformidat. Quare autem, Comate urgente, hoc Venæ ſecandæ inſtitutum, in primo [d] morbi ſtadio probaverit, in ſecundo aut tertio non item, plane haud intelligo. Sed ut libere loquamur, noſti in illo ſcriptore, quanquam de Variolis ſatis multa non ſine labore aliquo corraſerit, haud raro deſiderari & ordinem, & perſpicuitatem, & judicium: quippe qui ſæpe, utcunque prolixus, nihil doceat; ſæpius præcepta obtrudat vel futilia, vel etiam vitioſa: totam vero medendi rationem ad Hypotheſin iſtam, de Spirituum neſ-

a De locis in homine. 36. b 253. c 204. d 163.

cio

cio quo Miaſmate, a ſemet ipſo confictam fere ſemper detorqueat.

Octavo, eadem fere omnia. Sputatio ſatis ex voto proceſſit. Pulſus celer, ſed neque humilis, neque imbecillus. Facies omni tumore vacabat. Seri plurimum extraxerant Veſicantia. Toto hoc tempore urina largiſſime profluxit, nihil vero quicquam depoſuit. Veſperi, ne nunc quidem ullus omnino in facie tumor. Pulſus idem. Urina pallidiſſima. Neque adhuc vel ſopore, vel febre opprimi deſitum. In facie puſtulæ fere exareſcebant. Adhibitus eſt Clyſter, unde bis ſoluta eſt alvus. Iterum Nuchæ appoſitum Veſicatorium. Noctu ſæpius delirabat. Febris exacerbata: pulſuſque velocior.

Nono, nulla fere mutatio, niſi quod Sputa paulo parcius fluerent. Repetita ſunt eadem remedia; veſperi Clyſter acris injectus; unde alvus bis mota aliquid levamenti attulit. Nam vires adeo parum imminutæ ſunt, ut Pulſus inde invaleſceret. Febris tamen haud omnino lenior. Facies penitus exarida: manus perpaululum intumeſcebant. Noctu Venter bis deſcenderat.

Decimo, eadem prope omnia, niſi quod cerebrum magis laborare videretur. Hora itaque decima, unanimi conſilio ſic proceſſimus.

℞ Decoct. Sen. Gereon. ʒiij. Cremor. Tartar. ʒj. Aq. Pæon. C. Syr. de Rhamno Cathart. ana ʒiij.

M. F. Hauſtus ſtatim ſumend.

℞ Aq. Ceraſ. Nigr. ʒvj. Cinnamom. Fort. Tinctur. Croci cum Aq. Ther. pp. ana ʒj. Confect. Fracaſtor. ſine melle ʒiij. M. Cap. Cochl. iij. poſt ſingulas dejectiones.

Alvus quater reſoluta eſt. Urina colore ſaturo tincta; jam primum ſuſpenſæ in ea Nubeculæ; paululum etiam ſubſedit. Pulſus plenior, & validior; quanquam de celeritate nihil remiſerit. Caput etiamnum grave. Micturus, matulam popoſcit: ſemel non ſentienti deſcenderat venter. Inquietus admodum, nonnunquam & aliena locutus. Iterata ſunt Cardiaca præſcripta.

Undecimo, reſtitit Salivæ fluxio. Tendines interdum convulſi. Cucurbitulis eductus eſt ſanguis ad ʒvj. Veſperi injectus Clyſter alvum ter exolvit. Cætera plane eadem.

Duodecimo, Urina largiter profuſa, probique coloris. Placida & naturalis per trihorium quies. Pulſus uti ſatis magnus, ita & tardior. Cerebrum aliqua ex parte levatum. Iterum uſus eſt hauſtu Cathartico, unde ter fuſa eſt alvus. Poſt ſingulas dejectiones, vegetior factus eſt, & veſperi omnis ſenſuum ſtupor evanuit. Ita ille, qui per undecim dies, morbo maximo implicitus, quaſi Lethargicus decubuerat, hac maxime evacuandi via veternum febremque excuſſit.

Historia III.

LICEAT mihi unam aut alteram Hiſtoriam retractare, in quibus & Tu mecum ſociam operam navaſti, & caſus extiterunt ſingulares.

In Juvene Nobili, more fere vulgari, ſcilicet nauſea, dorſi, lateriſque doloribus, & ſummo ardore ſtipatæ, eruperant Variolæ; confertiſſimæ quidem, non in facie modo, ſed & toto etiam corpore, ita ut omnibus ferme in locis confluerent; parcius tamen in ipſo vultu confuſæ. Puſtulæ itaque, ut eſt in hujuſmodi re morbi natura, depreſſiores, & materia minus diffluentes. Summa diligentia ægroti curam quotidie geſſit T. Crompton, Medicus Windſorienſis: qui itaque inter initia morbi & venam ſecari, & alvum Clyſtere ſolvi juſſerat. Cardiacis modicis atque Opiatis uſus, ad Septimum diem ſine gravi aliqua moleſtia pervenit: niſi quod noctu ſubinde deliraret. Itaque applicata Nuchæ & Brachiis Veſicatoria. Sputatio, Quarto exorta, ad Duodecimum ſatis feliciter proceſſit.

Die autem Septimo, acceſſit Febricula, unde ſomnus paulo turbatior. Quoniam parum profecerant hactenus adhibita Veſicantia, altera duo Carpis ſunt admota.

Octavo, Pulſus plus æquo celer. Faciei tumor perexilis. In papulis pus uti exiguum, ita & crudiſſimum. Magnæ potiones ſumptæ. Nulla de gutture, de ventriculo, de capite, de ſpiritu querela. Nox inquieta, aliquando & interceſſit delirium. Febriculæ unus & perpetuus tenor.

Nono itaque, Veſicantia etiam Cruribus adhibita. Neque ea ſane vix unquam, hoc difficili præſertim morbi tempore, ſine ratione admota: quæ quam vim in omni fere Febrium genere exerceant, cum alias ſatis explicatum ſit, haud ultra nunc perſequar. Hæc, ab Italis jamdiu contra Febres Malignas in uſum deducta, primus, uti reor, ad Variolas curandas tranſtulit Mayernius: quorum quidem efficacitatem ita ſupra cætera valentem judicavit, ut in magno periculo novem una apponi juſſerit. Quare falluntur, qui per omnia jucundam ejus diſciplinam fuiſſe concipiunt. At ægroto non modo Veſicantia adhibita, ſed Clyſter etiam veſperi injectus, unde bis demiſſa eſt alvus. Noctu ſomni breves atque interrupti, intercurſabatque delirium.

Decimo, facies exaruit; manus nonnihil intumuerunt: ſed in his atque in artubus cæteris puſtulæ, in unum confluentes, hinc & inde peramplas veſiculas excitarunt; ſub quibus permultum puris immaturi fluitabat. Hujuſmodi Veſiculas, "ambuſtorum ad inſtar, Sero "limpidiore diſtentas" deſcripſit Sydenhamus[a]: quod quidem ſe-

[a] Var. Anom. 1670. p. 211.

rum ita peracre fuit, ut carnem aliquando ſubjectam nigredine & Sphacelo affecerit. Id etiam advertit Vir perſpicaciſſimus, quo melius humorum in hoc morbi genere cruditas intelligi poſſit, ægroti res non ante Decimum quartum ut plurimum diem, aliquando etiam non ante Decimum ſeptimum [a] ſalvas fuiſſe. Id quod etiam ad eandem plane normam Juveni huic noſtro accidiſſe mox videbimus. Mane Rhabarbari gr. xxiv ſunt præſcripta: ſed ea parum reſpondente Medicina, circa meridiem injectus Clyſter alvum bis magna copia dejecit.

Undecimo, Tuſſis, quæ a quatuor diebus fuerat moleſta, quievit. In cæterorum curatione ſic progreſſum.

℞ Decoct. Sen. Gereon. ʒiij. Mannæ. Syr. Roſar. ſolut. ana ʒſs. M.

Unde quater fuſa eſt alvus: adhibituſque ex more Hauſtus Somniferus quietem ea nocte placidiſſimam allexit. In brachiis & cruribus humor adeo acris evaſit, ut pelliculas, quibus incluſus eſt, eroderet tandem, unde magna fœditas odoris acceſſit. Itaque ea ſevo agnino ita circum undique obducta ſunt, ut pollincturam quaſi paſſus videretur.

Duodecimo, & Decimo tertio, pene eadem. His & ſequentibus etiam noctibus per intervalla aliquantulum delirus; febrique adhuc incaluit.

Decimo quarto, adhibita eſt, ut prius, medicina Cathartica: & cum Febricula ne tum quidem conquieſceret, etiam Decimo ſexto die iterata.

Hac igitur medendi via Febris tandem ex integro deceſſit. Sed is fuit humorum acor, ut ægroto, etiam integritate reſtituta, non modo enaſcerentur Furunculi, ſed tota quaſi deſquamaretur cuticula, ungueſque exciderent: his vero poſitis exuviis, nova juventute refloruit.

****

HISTORIA IV.

VAriolarum etiam exitus, quem nos in Fœmina generoſa ſimul vidimus, & rarus eſt, & notatu digniſſimus.

Fuit illa habitu pleniore prædita, & duobus fere a menſibus Tuſſi & Catarrho graviter conflictata eſt. Jam, cum ego acceſſi, in conſpectu erant Variolæ: ita quidem confertæ, ut creſcente morbo undique ferme inter ſe invicem adhæreſcerent. Febris ſatis vehemens; ſpiritus paulo difficilior: vox ſubrauca. Urgebat aliquando & nauſea. Caput vero præ cæteris immaniter dolebat. Præſcriptis quæ ventriculum lenirent, Cucurbitulæ juxta collum adhibitæ ſanguinis ʒix eduxerunt. Neque miretur quiſpiam quod, utcunque jam exeuntibus Variolis, ſanguinis mittendi author fuerim: quippe ſub

[a] Ibid. 212.

hoc

hoc ipso tempore, si exuberaverint humores, dolorve vehemens perstiterit, Sanguinis detractionem, & maxime quidem si Cucurbitulis fiat, ita parum nocere comperi, ut faciliorem inde pustulis exitum fere semper expediverim.

Secundo, cum Tussis vehementer sæviret, Spirituque adhuc aliquantulum laboraret, datum est Decoctum Pectorale; sed id stomacho (quod etiam sæpe alias vidi) ita insuave, ut nauseam fere semper commoverit.

Tertio, omnia fere eadem: nisi quod Linctu adhibito Tussis paululum mitesceret; quietemque aliquam conciliarent Opiata, iteratis vicibus adhibita.

Quarto, multa de Raucitate fauciumque asperitate conquesta est: itaque os sæpius Gargarismate lenitum. Pustulæ ingenti multitudine prodierant: mole quidem exiguæ, etiam & depressæ; quoad cætera, nihil præ se mali ominis ferebant. Sputorum copia incredibilis, ita ut viginti quatuor horarum spatio quasi ad Congii mensuram assurgeret. Erat tamen inquies perpetua, jugisque ita corporis jactatio, ut necesse fuerit ad Opiata rursus confugere. Hæc adeo liberius indulsi, quod ab his, quantum quidem observatione percepi, nec Tumorem faciei reprimi, nec Sputa ipsa intercipi unquam viderim. Hoc præsertim morbi tempore mira præstant; cum nulla medicina, non modo ad quietem inducendam, sed ad ipsos etiam humores leniter foras alliciendos, pusque maturandum, sit valentior. Etiam in hac ipsa ægrota, ubi aliqua spirandi molestia fuit, ita parum offecit, ut, cum cætera in melius irent, sputaque recte procederent, tum spiritus quoque minus laboraret. Divinum plane remedii genus! quod solertissimus de hoc morbo scriptor Sydenhamus ad Variolas curandas invexit primus, quodque certe subtiliore quadam observatione prudenter adhibitum pluribus saluti fuit, quam cætera omnia quotquot sunt Cardiaca. Interque ea, quæ hæc ægrotis commoda conciliant, non ultimas tenet celebris illa a Fracastorio confecta Medicina.

Hac igitur opitulandi via nox pacatior: dieque Quinto, Facies jam tunc intumescebat: pulsus ad numerum magis compositus: urina tamen, boni utcunque coloris, nihil demisit. Die Sexto fere eadem, nisi quod languidior videretur.

Septimo, molestе admodum se habuit, insomnis atque inquieta. Febris nunc denuo accessit. Materia, quæ pustulas inferfit, satis proba, & aliquantulum flavescens.

Octavo, eadem inquies; ita ut nullam noctem duceret, quin necesse fuerit Syrupi de Meconio ʒ ij adhibere. Quarum una ex præcepto Sydenhami, vesperi, temporius data; quia febris tum potissimum exacerbescere cœpit. Nox tamen nihilominus tristior.

Nono, Sputatio etiamnum satis libere processit. Febris autem vehementer excanduit, ita ut interdum aliena loqueretur. Pulsus incitatus, valens tamen. Pustulæ in Facie exarescere cœperunt, Tumorque paululum subsidere. Spiritus haud ita liber; urina largiter

giter demissa. Clyster mane injectus febrem aliquatenus leniit. Vesperi, Nuchæ admotum Vesicatorium: Haustusque Somniferus ex more adhibitus. Noctu quies fere nulla; incaluit quippe admodum, & delirabat.

Decimo, mane paulo magis ad quietem composita: sed nec adhuc febre, vel delirio vacua. Clystere tamen iterum injecto, aliquantulum ad se rediit. Vesperi adeo, cum Tu in consilium accersitus ægrotam mecum inviseres, Febrisque nondum conquiesceret, quoniam pulsum utcunque celerem, plenum tamen & valentem, habita virium ratione, percepimus, hoc remedii continuo sumendum duximus.

℞ Decoct. Sen. Gereon. ʒ ij ss. Mannæ ʒ ss. Aq. Pæon. C. ʒ iij. M.

Haustumque Somniferum post duas vel tres dejectiones dari jussimus. Noctu sexies fusa est alvus; ita tamen, ut satis commoda quietis intervalla habuerit. Hinc omnia in melius ibant: sic ut,

Undecimo, Febris fuerit multo remissior, & evanuerit prorsus delirium. Perstitit adhuc, quod perrarum est, Sputatio liberrima. Manuum, qui hactenus erat perpusillus, tumor increvit: ita parum medicina leniter evacuans, hoc demum morbi tempore, quod a plerisque tantopere timetur, ne artus extremi intumescant, prohibet. Quinimo in Fœmina, uti meminisse potes, prænobili, quæ Undecimo die abortum fecit satisque sanguinis profudit, manus, antea nequaquam inflatæ, duodecimo primum, post id profluvii, turgescere cœperunt; ita ut paucis diebus, licet Variolarum multitudine laboraret, inque earum cursu abortiret, ad integritatem pervenerit.

Duodecimo, cum etiamnum inhæreret Febris, iterum adhibitus est Clyster: unde alvus fluentior facta maximum levamen attulit. Quippe ad Decimum quintum bis terve quotidie descendit. Quæ Rhabarbaro per vices iterato, Opiatisque commixto, cum leniter esset perpurgata, post triduum calor omnis cum febre decessit.

Sed ut quale demum fuerit morbi virus, appareat, cum sanitas jam esset restituta, materia Varioloſa naris infimæ septum qua cartilagineum est, penitus erosit; ita ut foramen haud mediocre, perfecta undique cicatricula obductum, relinqueretur. Et hoc quidem, cum alias nihil officeret, in bonis ægrotæ rebus ducendum: nam si acris iste humor altius ad ossa pervaserat, Nasus ipse concidisset.

Historia V.

Fœminæ illustri, quæ a tribus circiter mensibus utero gesserat, oborti sunt capitis atque artuum dolores vehementissimi: in dorso præcipue ita acuti, quasi gladio confoderetur. Febris etiam accrescere inceperat. Qui affuit rerum harum peritissimus, H. Cham-

H. Chamberlen, quanquam, ne abortiret illa, metum ſubeſſe perciperet, aliquam tamen de Variolis ſuſpicionem habuit: quare ut utrique malo occurreret, ſanguinem detrahi juſſit. Poſtridie cum ingraveſcerent omnia, brachiis Veſicantia adhibuit: prodierunt deinde Variolæ, ingenti multitudine. Dolores aliquatenus levati: ſed ad cætera acceſſit animi languor. Venter etiam paulo liquidior. Quare, quæ vires reficerent, fluentemque alvum cohiberent, imperata.

Tertio adeo die, cum ego eſſem in conſilium accitus, Variolæ totum fere corpus occupaverant: diſtinctæ quidem ut plurimum, ſed ut minima relinquerentur intervalla: itaque, vigente morbo, multæ confluebant. Neque abortiendi metus evanuit: febris quippe vix remiſſior; & urina ſanguine interdum tincta. Puſtularum etiam egreſſus tardiſſimus. Adhæc increbuit Tuſſis; ſæpe etiam & nauſea intercurrit.

Dies Quartus maximis in moleſtiis conſumptus. Cætera fere eadem. Itaque Medicina Somnifera veſperi adhibita, & ad mediam noctem, quia parum quietis attulerat, iterata. Nihilominus, ad primam fere lucem,

Quinto, abortiit: ſic tamen ut intus, quod infeliciſſimum fuit, remanſerit Placenta. Itaque hæ cum eſſent rerum anguſtiæ, Sanguinis profluvium, ne puſtulæ penitus intercideren, paulum reprimi oportere duximus: iiſque quæ lenius aſtringerent, Opium immiſcuimus. Veſperi itaque fluxio iſta ſatis mediocris: puſtulæ tamen ſubpallidæ. Facies, quæ nonnihil jam intumeſcere cœperat, depreſſior. Pulſus celer, & debilis: inquies continua; mens haud ita integra. Digiti motu perpetuo agitati; ſtragula vellicabat, floccoſque collegit. Vires denique admodum imminutæ, ita ut in maximo vitæ diſcrimine verſari videretur. Tamen fere iiſdem uſa remediis, maximeque Opio ad gr. ij per vices ſumpto, noctem eam ſatis placide egit: ita ut mane, hujus potiſſimum medicinæ ope,

Sexto, in melius mutata fuerint omnia: ſpeſque aliqua vitæ conſervandæ affulſerit. Effloreſcere quippe atque attolli cœperant puſtulæ; pulſuſque invaluit, ita tamen, ut ne nunc quidem Febricula vacaret. Eadem remedia, atque ad eandem uti prius normam adhibita. Nam a Calidioribus, etiam cum puſtulæ ſubſederint, temperandum eſſe rati ſumus, ne, quod deterioris longe ominis futurum erat, Sanguinis curſus increſceret. Quam etiam in Variolis medendi rationem, ubi Menſes profluxerint, ſecutum eſſe video Sydenhamum[a].

Itaque Septimo, cum jam pene evaneſceret ex nimio Sanguinis fluxu timor, præſcripta ſunt Cardiaca temperatiora: & Clyſter, iſque leniſſimus, injectus.

Octavo, ſua quaſi ſponte exiit Placenta. In hoc enim opere artem nocere poſſe arbitrati, omnia prope naturæ permiſimus. Ali-

[a] Variol. Anom. 1670. 214.

quot ſimul ſanguinis grumi demiſſi; ſed nulla, quæ officeret, ſecuta eſt fluxio.

Ad Nonum adeo diem perventum eſt. Facies permodice intumuit; puſtulæ ipſæ nequaquam inareſcebant, utpote, cum ſegnius prodiiſſent, cruda adhuc materia fluentes. A triduo, Sputa ſatis libera. Tuſſis etiamnum moleſta: fauces aſperæ, & lingua ulcuſculis ſcatens. Febris inhærebat aſſidue: aliquando & delirium revertebatur. Pulſus interim ſatis valebat; & utcunque incitatior, in æquabili motu permanſit. Urina etiam multum depoſuit. Sed ea fuit inquies jactatioque corporis, ut nullus omnino ſomnus, niſi Opiatis affatim impertitis, acceſſerit.

Decimo, idem rerum omnium ſtatus.

Undecimo, facies ſicceſcebat. Febris adhuc incubuit, remiſit tamen aliquantulum, ventre bis, Enematis ope, ſubducto.

Duodecimo, inquies eadem & Febricula, quare paulo acrior Clyſter inditus levamento fuit.

Tandem Decimo tertio, cum & vires ſatis conſtarent, neque adhuc decederet Febris, Rhabarbari ʒ ſs eſt adhibita: quippe morbum, qui alvo fluente levior jam factus fuit, hac maxime medendi via tandem abigi poſſe confiſi ſumus. Ventre igitur quater fuſo, Febris multo remiſſior: quæ tamen etiam, Decimo quinto die, ita parum evanuit, ut neceſſe fuerit medicinam paulo efficaciorem exhibere. Ea fuit hujuſmodi,

℞ Decoct. Sen. Gercon. ʒ ij ſs. Mannæ Calabr. ʒ ſs. Aq. Mirabil. ʒiij. M.

Unde alvus quinquies mota febri finem integrum impoſuit.

Ita fœmina lectiſſima ex vitæ diſcrimine, eoque multiplici, pluſquam ſemel, exemplo haud vulgari, liberata. Siquidem Vir ille experientiſſimus, qui ægrotantis ſaluti præfuit, rariſſime aliquam, quæ Variolis correpta abortierit, ad ſanitatem perveniſſe; earum vero, quæ hoc modo eſſent abortum paſſæ, nullam omnino ſuperfuiſſe cognovit.

HISTORIA VI.

LOCUS ipſe hortari videtur, ut memorabilem, & huic quam modo retuli maxime affinem, Puerperæ Hiſtoriam attexam: præcipue cum eidem illa Medico valetudinis ſuæ curam commiſerat. Hic adeo accerſitus, cum vehementiſſima febre correptam, dorſique dolore laborantem videret, utcunque legitimum pariendi jam fere inſtaret tempus, tum venam ſecari, tum Enema atque Veſicatoria adhiberi juſſit. Poſtridie, eruperunt Variolæ, ingenti multitudine: neque tamen illæ, niſi rarius, Confluentes. Exinde de doloribus minus

minus queſta eſt; tertio tamen die, partum maturum edidit. Nihilominus medentis conſilio res ita proceſſit, ut Variolæ curſum ſuum haud infeliciter tenuerint.

Septimo demum, cum ego accerſerer, ſatis aperta Febris redivivæ indicia. Pulſus quippe celer, & grandis. Urina pallidior, ubertim tamen demiſſa. Sputatio perparca. Vix quicquam intumuit Facies; puſtulæ ipſæ ſubalbidæ; materia ita parum plenæ, ut maxima ex parte vel Pelliculæ, vel Verrucæ ſpeciem induerint: perpaucula ſero tenui fluitabant. Noctes maximo cum labore traduxerat: utcunque Opiatis aſſueverat. Aliquando & langueſcere viſa eſt. Itaque applicata ſunt Veſicatoria infra cubitum utrinque: præceptaque, quæ & quietem inducerent, & humores, ſiqua id fieri poſſet via, propellerent atque maturarent. Sed,

Octavo, utcunque nox paulo levior fuiſſet, puſtularum maturitas nulla: neque quid amplius tumoris acceſſit. Febris autem multa cum corporis jactatione acuebatur. Clyſter, veſperi adhibitus, alvum fudit, unde febris impetus paulum relanguit.

Nono, eadem omnia. Neque quicquam vel in artubus maturuit. Inquies maxima, aliquando & mens parum ſibi conſtans. Idem hodie ab eodem Enemate levamentum.

Decimo, apparuerunt in ipſis puſtularum interſtitiis, haud mediocri numero, papulæ rubræ, Morbillorum inſtar, fere intra cutem hærentes: aliquæ tamen ita extabant, ut Tuberculi alicujus ſpeciem referrent. Triduo autem elapſo, omnes evaneſcebant. Neque nova hujuſmodi eruptio aut infrequens, aut a Scriptoribus ſilentio prætermiſſa: quam quidem & obſervaſſe videtur vetuſtiſſimus ſcriptor ille, apud Rhazem [a], Georgius: ait quippe "aliquando accidere, & in-"veniri Variolas parvas intus in magnis Variolis, & nominari Vario-"las duplices." Pari modo Variolas ſæpe denuo quaſi germinare, & recenti quadam ſobole ſuccreſcere ſcribit Gometius [b]; etiam in una corporis parte Variolas, in altera Morbillos erupiſſe meminit Etmullerus [c]. Ita haud raro Variolæ ſibi invicem ſuccedunt, nonnunquam & puſtulis tum Verrucoſis, tum Cryſtallinis, aliquando & Corneis reperiuntur interſtinctæ. Sed hic fere Naturæ luſus humorum cruditatem arguit, gravioremque morbum ſignificat. Tamen ut ad ægrotam revertamur, faciei puſtulæ, ſquamarum inſtar, deciderunt. Febris continenter inhæſit. Pulſus æqualis ſatis, ſed juſto concitatior. In urina nihil depoſitum. Itaque cum nihil ultra ſuis efficere viribus potuerit natura, neque per Cutis meatus, neque, ſeu per Salivæ, ſeu per Urinæ vias, quicquam amplius extrudere, noſtrum eſſe rati, ut huic ita laboranti ſubſidium arte pararemus, Rhabarbari ʒſs ſine mora exhibuimus. Id tamen, alvo reluctante, nihil egeſſit. Quare veſperi paulo valentior medicina præcepta eſt.

℞ Decoct. Sen. Gereon. ʒiij. Mannæ opt. ʒ ſs. Cremor. Tartar. ʒj.
Aq. Mirab. ʒiij. M.

a Contin. 30. 419. Col. 3. Vid. etiam Mayern. de Variolis. Gaſp. Kolichen. Obſ. de Variolis in Æthiope. p. 905.
c 248. Pechlin. Obſerv. Diemerbrook. Hiſt. 19.

Hoc

Hoc, partitis vicibus exhibitum, alvum quater multo cum levamine commovit. Quod vero Medicina ista sic divisa fuerit, id quidem in hac corporis imbecillitate consulto fecimus ; satius quippe duximus, quemadmodum & de Sanguinis detractione perscienter notavit Celsus [a], primum levare ægram, deinde perpurgare, quam simul omni vi effusa fortasse præcipitare. Hac scilicet moderatione utentibus, raro aliquid adversi, præter spem, accidere solet.

Undecimo, & Duodecimo, Cardiaca cum Opiatis conjuncta infirmitati virium commode subvenerunt. Minus interrupta, quam antea, quies. In urina aliquid tandem desedit. Pulsus non ita incitata celeritas. Sed neque adhuc, licet per decessiones aliquando mollita, febris integrum corpus dimisit.

Decimo tertio, igitur eadem fere instituta Purgatio, quod reliquum erat febriculæ, penitus restinxit.

Haud vulgares esse arbitror has Abortientis, atque Puerperæ Historias : in quibus, uti morbus ipse eundem fere & cursum & exitum habuit ; ita hoc etiam commodi utrisque commune, ut morbo utriusque notitiæ subtracto, neutra se Variolis esse correptam, nisi sanitate tandem recuperata, perceperit.

Vides alteram non a Puerperio modo, sed ab ipso Variolarum genere, in vitæ discrimen maximum incidisse : nam pustulæ erant, aut more Verrucarum duræ, aut Siliquarum instar vacuæ, nullamque unquam maturitatem adeptæ. Quarum has Marcellus Donatus [b], illas Johannes de Gaddesden [c], de re Medica Scriptor nostratium antiquissimus, uterque Rhazem [d] secutus, lethales pronuntiat. Hæc quidem morbi species perrara : qua tamen puellam non ita pridem laborantem curavi. Erant in ea Variolæ confertissimæ : febris sub initia ita vehemens, ut per quinque continuos dies deliria, dolores, vigilias, nervorumque distentiones intulerit : post id temporis omnia pacata. Octavo, in pustulis nullum omnino puris vestigium : nullus itidem in facie tumor. Itaque jam tunc, ne periculum grave instaret, metuendum duxi. Postridie tamen, Pelliculæ omnes ruptæ atque deciduæ : & contra spem omnium, sine febre morbus ex integro decessit. Elapsis tamen diebus aliquot, materiam adhuc in sanguine delitescentem indicabant, qui tum ubertim prodierunt, Furunculi.

Historia VII.

Adolescentulum annorum fere quindecim Febris, cum multo capitis dolore, fluxuque ventris peracri, corripuit : ita ut brevi prodierint Variolæ, confertæ & contiguæ. Ægrotantem sic maxime levari posse judicabat Vir rei Medicæ gnarus, T. Wadsworth, si Nuchæ apponeretur Vesicatorium, essetque in usum vocata, quæ fluentem-

a 2. 10. b De Variol. 111. c Rosa Angl. 2. 4. d Contin. 30. de Peste. c. 15.

alvum

alvum reprimeret, Tinctura. Tertio, cum ego adscitus essem, die, pustulæ, utcunque exiguæ, satis floridæ tamen, magisque quam pro impedimentorum ratione evocatæ. Nam alvus erat etiamnum cita, ita ut quotidie quater aut amplius descenderet. Itaque Tincturæ, aliisque remediis, tam Astringentibus, quam Cardiacis, sæpius assuetum, unde paululum sustitit alvus. Accessit gutturis angor, & quædam asperitas: Lingua etiam pustulis dolentior. Cui quidem malo commode subvenit Mucilago tenuis, ex Cydoniorum semine confecta. Urina coloris haud mali.

Quarto, mane pleraque eadem: increbuit tamen ventris fluor; ita ut necesse haberemus valentius quoddam medicinæ genus experiri: quod fuit hujusmodi.

℞ Decoct. alb. ℥vj. Confect. Fracastor. sine melle ʒvj. M. F. Clyster statim injiciendus; & rep. vesperi.

Sed neque sic alvus ita quievit, ut non sæpissime noctis tranquillitatem interturbarit. Nihilominus,

Quinto, pustulæ neque colore pallentes, neque in apicibus retusæ; sed pro hujusce morbi indole haud infeliciter provectæ: vires etiam satis constantes. At aderat inquies haud mediocris, venterque exsolutus novas molestias creavit. Quod fluxit autem, erat preliquidum: interdum etiam mucis pituitæque similia excreta. Quare & Theriaca Astringentibus immixta: & Clyster, qui potentius ventris impetum compescceret, injectus. Adhibitus etiam, qui somnum inferret, haustus. Noctu, satis commoda quies, ita ut,

Sexto, alvus coactior facta, nunc tandem comprimi videretur. Quare, omissis quæ valentius astringerent, Theriaca iterata est: eademque nobis fuit somni arcessendi cura.

Septimo, tamen recruduerunt omnia; alvus siquidem nimium concita: pustulæ tamen coloris satis vividæ; & pure probabili referte. Itaque ad ea, quæ die Quarto præcepta sunt, iterum transivimus. Unde nox paulo tranquillior.

Octavo, Nullæ amplius alvi fluentis turbæ: neque ulla, nisi de languore aliquo, querela. Pulsus tamen commotior, ita ut haud obscura fuerint Febris Secundæ indicia. Itaque satis cum molestia consumptus dies. Quare id a nobis maxime attendi, curationemque sic dividi oportere rati, ut & perfici posset, quæ adhuc tardior fuit, pustularum maturitas, haberetque æger liberaliores quietis inducias, in Cardiacis, quæ mediæ essent materiæ, Opiatisque hærendum esse judicavimus. Postridie adeo, satis ex voto in omnibus processum.

Decimo, Pustulæ, maturitatem adeptæ suam, siccescere cœperunt. Febris exacerbata, ita ut summa secuta sit inquies. Igitur Enema, quod ventrem emolliret, & Vesicantia brachiis adhiberi curavimus. Haustus etiam Somniferus altera vice, noctu, repetitus: unde quies aliquantulum pacatior; ita tamen ut,

Undecimo, Pulſus fuerit nimis concitatus, fervorque corporis ſatis vehemens. In urina autem aliquid deſedit. Itaque cum Febris etiamnum inſideret,

Duodecimo, Rhabarbari ʒſs, hæſitatione omni abjecta, exhibuimus; unde alvo quater ſoluta, febrilis ille æſtus magis ad temperiem deductus: qui tamen, ſub noctem potiſſimum, ingraveſcere nondum deſtitit.

Decimo tertio, idem rerum omnium tenor. Quare,

Decimo quarto, Rhabarbarum rurſus exhibitum ventrem ſexies ſudit. Hinc nox ſatis quieta: & quod reliquum erat febriculæ omnino elanguit.

Advertis, quam in lubrico fuerit Adoleſcentuli hujuſce ſalus. Etenim cita alvus, ab univerſis Scriptoribus, inter ſigna Variolarum maxime funeſta ponitur: cujus quidem tantus fuit apud Arabas timor, ut horum plerique ægrotos per ea quæ ventrem cotraherent, non diligenter modo, ſed etiam officioſe præmunierint. Aliorum autem, etiam Arabum [a], alius ſenſus, qui primis morbi diebus alvum leniri volunt: nonnulli eam omni [b], aut alterno [c] ſaltem die, vel Clyſtere vel glande ſubdita ſolvi præcipiunt. Quam quidem curandi viam, quibuſdam in Germaniæ locis, jam nunc teneri intelligo. Quanquam vero is ego non ſim, qui, utcunque Catharticis alias haud adverſus, in ipſo morbi curriculo ea in uſum trahi conſulerem: hæc ipſa ſatis evincit Hiſtoria, ventris fluorem, etiam citra ægroti exitium, in Variolis poſſe aliquando exſiſtere. Id autem obſervatione haud indignum, quod, re licet in integrum reſtituta, morbus tamen ipſe factus fuerit, ut alvo fluentiore plerumque fit, diuturnior.

HISTORIA VIII.

VIRO annum fere agenti triceſimum acciderunt Variolæ, totum corpus pariter ac faciem ita occupantes, ut invicem uſquequaque adhæreſcerent: pauciſſimis etiam in locis coaluerunt. Sed cum ſatis alias roboris ſubeſſet, Octavum diem haud admodum vexatus attigit. Tum vero veſperi ſpiritus paulo gravior, ſenſus tardior, menſque haud leviter commota. Inquies, fervorque corporis acceſſit. Puſtulæ jam quaſi inaruerant. Curavit eum diligenter J. Hollier: ſed ne ſuo ille arbitrio, quæ potior viſa eſt, medendi viam inſiſteret, obſtitit Gallus quidam, qui cum medicinam ex Sale potiſſimum Viperino confectam, eamque quaſi fallere neſciam obtruſerat, de ægri ſecuritate magnifica promiſit. Tamen,

Nono, neque deſiit ſpirandi moleſtia, neque non vehementius increbuit delirium. Itaque, veſperi, appoſita ſunt Nuchæ atque

a Fil. Meſuæ, Contin. 421. c. 4. Serap. ib. & de Febr. c. 12. Conſilior. Tom. 1. 48. Horat. Aug. x. 18. b Sennert. 736. c Fonſec.

brachiis

brachiis Veſicantia: Clyſterque ſatis acris inditus ventrem ſæpius commovit. Hinc

Decimo, ſpiritus facilior, caputque aliquatenus levatum.

Undecimo autem, febris invaluit: ita ut Delirio maxima tandem per vices ſupervenerit capitis gravitas; fere ut ſoporatus videretur. Tendines interim convulſi. Ardor corporis ſummus: aliqua etiam ſpirandi difficultas. Pulſus tamen & plenus, & vehemens. Itaque cum diſcrimen ingens jam tum immineret, in ea fuimus opinione, & Sanguinem extemplo detrahi, & Alvum etiam ſic deduci oportere.

℞ Decoct. Sen. Gereon. ʒ ij. Syr. de Rhamno Cathartic. Aq. Pæon. C. ana ʒ iij. M.

Dicenti, extrema videri ejus generis remedia, ea ſane ſic & videri & eſſe reſponſum eſt: idque itidem extremum eſſe, cui occurri voluimus, periculum. Quare ſanguis jam tum detractus præſentis aliquid auxilii attulit; noctuque venter ſæpe demiſſus tum cerebri tum pectoris gravitatem ſic ex integro tollebat, ut febris quoque jam interquieſcere cœperit. Ita tandem juvantium pertinacia malum corporis vicit.

Historia IX.

Nobiliſſimæ & perantiquæ familiæ hæredem corripuerunt Variolæ: ita leniter quidem, ut ſine ulla fere moleſtia eruperint. Itaque in principio, nihil, quod morbo occurreret, factum: niſi quod Cucurbitulis eductus fuerit Sanguis ad ʒ iv. Curam ægroti habuit, Vir clariſſimus, & Supellectile medica inſtructiſſimus, H. Sloan. Ad Octavum adeo diem ſine omni difficultate perventum eſt: ut nulla omnino fuerit ſuſpicio, poſſe eum aliquando in periculo verſari. Eo tamen die, cum nos illum una primum inviſeremus, & febre tentatum, & ſingultu ſæpius affectum invenimus. Acceſſit & tuſſicula. Puſtulæ non in facie modo, ſed per univerſum corpus confertæ: in pectore præſertim a claviculis ad umbilicum uſque, denſiſſimæ: quod uti perrarum eſt, ita & inter mali ominis ſigna a quibuſdam non temere poſitum. Neque id ſane infrequens, ut Variolæ, licet inter initia facillime, ut hoc in caſu, proruperint, morbi tandem decurſu evadant mortiferæ. Puſtularum margines ſupra modum rubeſcentes: ipſæque crudiore materia diffluentes, quæ ad flavedinem quidem parum accederet. Facies non niſi modice intumuit. Pulſus plenior, utcunque incitatus. Haud multa inquies; ſomni tamen neque arcti, neque diuturni. Sputatio longe parcior, quam quæ morbo ita gravi conveniret. Is autem virium languor, ut neque caput de pulvino tolli, neque in alterutrum ſe verti latus libenter tulerit. Horum omnium ut ratio aliqua haberetur, mitiore Cardiacorum genere, aliiſque remediis curavimus.

Inſe-

Insequente biduo, nulla rerum mutatio, nisi quod decesserit singultus. Somnifera singulis noctibus adhibita, aliquando & iterata.

Undecimo, Tussis vehementer increbuit, & quandam quasi in pectore angustiam invexit. Febris etiam, præsertim vesperi, exarsit. Itaque quæ pulmonibus subvenirent imperata, admotumque Nuchæ Vesicatorium.

Duodecimo, venter Enemate solutus febrem aliquantulum tenuavit, quæ tamen noctu ita recruduit, ut per intervalla delirium excitarit.

Decimo tertio, Facies prorsus incrustata, Manuum tumor omnino nullus. Spiritus paulo molestior. Neque febris adhuc conquievit, neque remiserunt cætera. Urina tamen, largiter utcunque profusa, nonnihil deposuit. Serio igitur de his rebus deliberantes, de Evacuantibus, & de Rhabarbaro exhibendo, sermonem habuimus: cunctanter tamen in hoc ipso morbi tempore, periculoso licet, agendum esse arbitrari, id consilii abjecimus. Qua quidem in re id potissimum attendimus, ut, naturæ conatum dum opperiremur, ægroto interim nihil noceremus. Neque id non a nobis curandum esse duximus, ut existimationi etiam nostræ, quoad licuit, consuleremus. Fortasse etiam prudenter satis aut quicquam tentare, aut in splendida persona periclitari conjectura nostra noluimus, ne occidere, nisi servassemus, videremur. Quippe siquid adversi acciderit, id Rhabarbaro fortasse quis imputaverit: sin, Bolo atque Julapio decenter & solenniter repetitis, res tamen ad exitium veniret, artis regulas fuissemus persecuti. Nihilominus Clysterem altera vice præcipere ausi sumus, adhibitaque sunt brachiis utrisque Vesicantia. Nox inquieta; Febre nunquam antea ita graviter laborarat: multa, & sæpissime incondita, locutus. Pulsus tum citatior, tum minus valens. Itaque mane,

Decimo quarto, experiri statuimus, quid auxilii in hoc rerum discrimine afferre possent Cucurbitulæ: his adeo admotis, sanguis ad ʒviij fluxit; unde & aliqua caloris remissio, & capitis levamen maximum.

Vesperi tamen, cum Febris etiamnum parum esset inclinata, nosque Evacuantia præcipue ex usu fore tandem suspicaremur, de Rhabarbaro iterum mentionem fecimus; jam de quindecim, mox de viginti quinque granis locuti. Sed medio tutius eundum esse rati, rem æquissimo modo secuimus: &, viginti demum granis fidenter exhibitis, nimium alvi fluxum haudquaquam perhorruimus. Hinc ventre semel soluto, Febris, utut nunc primum mitescere visa sit, etiamnum tamen inhæsit. Quare ne vel delirium, vel spirandi difficultas ingravesceret, Vesicantia ut præsto essent, præcepimus.

Decimo quinto, melior paulo rerum facies. Pulsus magis ad æquabilitatem accessit. Nulla jam pectoris angustia, vox tamen rauciissima. Enemate adhibito, emollitus est venter; qui deinde ad fluorem proclivior, hoc & proximo die ter quaterve dejecit. Vires tamen, nisi in ipso dejiciendi articulo, haudquaquam imminutæ.

Decimo

Decimo ſeptimo, ad Rhabarbari ʒſs ſatis audacter aſcendimus: unde ter fuſus eſt venter. Sed neque adhuc febris prorſus evanuit, quæ veſperi præſertim moleſtiam renovabat. Cætera quidem in melius mutata. Itaque,

Viceſimo, cum quotidie deſcenderat venter, exhibita ſunt Rhabarbari grana xxv. Febris nunc tandem penitus depulſa; vireſque, quanquam alvus liquidior jam facta bis fere indies, ad tempus aliquod, fluxerit, paulatim inſtauratæ.

Ad hunc modum Vir ille prænobilis ex morbo graviſſimo, lentis tandem gradibus, ad ſanitatem pervenit: quam utique Evacuantibus, & quidem Ventri maxime fluenti acceptam referri oportere ipſa ſatis fidem facit Hiſtoria: nam Febris, non niſi poſtquam fuerit, leniter ſane, ad plures tamen vices, repetita Purgatio, deceſſit.

HISTORIA X.

DElirium vel in initiis, vel in ipſo vigore Variolarum, ſatis vulgare eſt: ſed id vix alias unquam ita impotens atque effræ-natum, ac in Virgine quadam percepi. Eruperant eæ haud commode, die ſcilicet ſecundo, permultæ quidem illæ atque denſæ, ſic quidem ut in genis plane coiverint. Vicinus aderat ei Medicus T. Pigot: qui id probe curavit, ut ſatis feliciter & exirent puſtulæ, & procederent. Quarto adeo die, eæ tum mole haud mediocres, tum etiam colore florentes. Sed ſomnus a biduo nullus acceſſerat; quare mens brevi turbatior, ita ut vanas quaſdam imagines, cogitationeſque triſtiſſimas acciperet: neque intra verba deſipuit illa, ſed aliquando violentius ſe geſſit, ſic ut facile contineri nequiverit. Pulſus eo die haud multum inquietus; ſed corporis fervor vehemens: ſeque ipſa quaſi flammis torreri ſæpius clamavit. Imperata ſunt Veſicantia: aliaque id genus remedia, quæ & puſtulas augerent commode, quietemque arceſſerent. Sed ſomnum his auxiliis fruſtra quæſivimus. Itaque manebat idem, iſque quaſi bacchantis furor. In cæteris, ſatis pro ſententia proceſſum.

Septimo, quietis quidem perpuſillum: mens tamen vanis imaginibus pariter addicta. Puſtulæ curſum ſuum non male tenuerunt. Febriſque hactenus, ſi pulſum conſuleres, fere aberat, ſed incendium aliquod intus deliteſcere viſum: adeo ut ſitis adeſſet perpetua, fauceſque ita ſicceſcerent, ut Sputorum omnis interciperetur curſus.

Octavo, cum materia in puſtulis jam ad maturitatem ſpectaret, Febrem ex more acceſſiſſe pulſus ipſe, concitatior factus, indicabat. Idem tamen & validus, & plenus. Spirandi moleſtia nulla, ſed nec quies ulla: nec mentis error quicquam remiſit. In urina nihil coctum apparuit.

Nono, omnia fere eadem, niſi quod tum Febris, tum Delirium ſæviret atrocius. Itaque Clyſter eſt injectus; unde, alvo ſubducta, ſpatium aliquod in quiete tranſactum.

Decimo, Puſtulæ quidem pure, ſed eo tamen crudiſſimo repletæ. Eadem animi impotentia; Febriſque ad extremum caloris gradum perducta. Nervorum etiam diſtentiones ſubinde obortæ. Quare, Cucurbitulis admotis, Sanguis fere ad ʒ ix detractus: unde primum aliqua, permodica licet, Febris levatio. Tendines jam etiam quieſcebant.

Duodecimo, rurſus in deterius itum eſt. Sed nec puſtulæ adhuc prorſus aridæ, neque faciei tumor imminutus: corporis autem calor intenſiſſimus. Rhabarbari ʒ ſs jam tum ſumpta ventrem laxaverat modo; quare is, proximo die medicina paulo valentiore adhibita, liquatus eſt. Inde aliquæ ſomni induciæ; qui tamen etiamnum ita perdifficiliter acceſſit, ut fere fruſtra fuerint, quæcunque in uſum ducta ſunt, Opiata. Id quod alias in vehementibus deliriis ſæpe experimur. Febris adhuc cum mentis alienatione maxima inhæſit: itaque Decimo ſexto, Rhabarbari ʒ ij imperati ſunt, & Decimo ſeptimo, etiam repetiti: ita ut alvus ſæpius deſcenderit: ſed ne ſic quidem aut incendium corporis reſtinctum eſt, aut remiſit delirium. Igitur,

Decimo nono, Hirudines, Venis temporalibus admotæ, Sanguinis multum exhauſerunt. Hinc magnum capitis levamen percipi; quod tamen adhuc ita vacillabat, ut delirium ſubinde recurreret. Neque febris hactenus interquievit.

Quare, Viceſimo, Potione, quæ leniter purgaret, adhibita, intraque triduum iterata, febris ita imminuta eſt, ut ægrota, poſt Viginti quatuor demum dies, jam primum mentis eſſet ſuæ. Atque illa quidem deinde, ut Febriculæ finem imponeret, lacte Aſinino uſa, brevi ad integritatem pervenit.

VIDES, quam in ſimili Variolarum genere diſpar ſit morbi ipſius curſus, ratioque affectuum multiplex, & plane diſſimillima: vides ægrotos ſexus utriuſque, omni tempeſtatum genere, omnis ætatis, omnis habitus, omni anni tempore, eodem malo laborantes; quos tamen omnes hæc potiſſimum Purgandi via periculo vitæ maximo liberavit. Vides, ut aliis inopinatam præſentiſſimamque opem attulerit Purgatio; ut aliis pauliſper ſubvenerit, cunctantius per vices repetita: ut univerſis, ſerius aut citius, mirabilem in modum ſaluti fuerit. Nonne enim omnes hi ex ipſis prope lethi anguſtiis, hoc medicinæ auxilio, emerſere? quidam utique, uno quaſi ictu, ſimul & ſemel erepti: plurimi minutatim, lenteque admodum extricati: ita ut, ſiquis horum omnium ſalutem Purga-

tioni

tioni minime aſcribi oportere cenſeat, idem pari per me licet jure contendat, neque artem medicam unquam exſtitiſſe, neque ullam unquam profuiſſe cuiquam medicinam. Hæc tamen nota ſatis atque illuſtria, non ex otioſorum hominum cerebro effuſa, ſed ex ipſa, Artis Magiſtra, Experientia, eaque multiplici, deducta: non in angulis, non in gurguſtiis, inter nutrices & aniculas clanculum conficta, ſed in luce atque conſpectu hominum, maximeque intra Nobilium parietes, coram teſtibus idoneis geſta atque probata.

At, inquiunt, inaudita eſt hæc medendi via & nova, a Priſcorum rationibus aliena, a nobis jam primum recenter tradita: noſti, quam parum nos quidem id quodcunque fuerit laudis nobis ipſis arrogemus; dixique alias, quibus id demum Authoribus ut faceremus, impulſi ſumus. Sed quo magis, vel ut inventores, gloriam defugere, vel ut novatores, invidiam declinare poſſimus, liceat argumentum hoc longius ex ipſo fonte repetere. Neque res erit, hic præſertim, valde aliena, ſi & primam morbi originem altius perſequar, & de Vetuſtiſſimis quibuſque, qui de eo locuti ſunt, Scriptoribus ſtrictim pauca, haud omnibus nota, ſubjiciam. Quod quidem libentius facio, quia illorum tempora, uti hactenus in libris notantur, non falſa modo ſint, ſed & confuſiſſima. Neque vero id mirum tot fabulas, tantamque in rerum harum memoria obſcuritatem reperiri, cum nullus adhuc ad ſcribentium manus pervenerat Author idoneus, qui explicato ordine Medicorum Arabum ætates perſecutus eſſet: ſed has demum tenebras primus diſpulit, Vir reconditæ eruditionis, Pocockius, Abul-Pharajio [a], eodem & Medico & Hiſtorico haud mediocri, in lucem publicam prolato [b]. Quare, quod hucuſque a nemine animadverſum eſſe percipio, id quod eſt hujus argumenti breviter percurram, ut prima Variolarum notitia in qua ætate extitiſſet, quatenus quidem ex Hiſtoria conſtat, poſſit intelligi.

Variolæ igitur, utcunque earum ortus ſit fortaſſe, quam vulgo exiſtimatur, obſcurior, tamen ab Arabum uſque imperio initia duxiſſe videntur. Nam qui eas Græcis, etiam Antiquioribus, cognitas fuiſſe contendunt, plane ineptiunt: cum ii, in ſignis morborum enarrandis ſcriptores accuratiſſimi, de hoc tamen literam prorſus nullam reliquerint. Neque me fugit, quod ipſe Rhazes [c] ſuo, non Georgii (ut vult Sebizius [d]) decreto, Galenum eas non omiſiſſe, & propriam earum curam ſcripſiſſe dixerit: quos quidem Galeni locos ego cum Diomede Amico [e] neque inveni adhuc, neque ad Variolas quoquo modo referri poſſe conjicio. Unus tamen Rhazes, qui multa priſcorum Arabum ſcripta ſuo operi inſeruit, oſtendit, morbum hunc aliquot ante ſuam ætatem ſeculis fuiſſe notiſſimum.

Antiquiſſimus adeo, quem aliquid de Variolis memoriæ prodidiſſe conſtat, a Rhaze ſæpius laudatus, Aaron Sacerdos; Alexandriæ, in qua a Ptolemæorum uſque temporibus floruerant literæ,

a Vixit A. D. 1284. Diſp. 2. Q. 1. b Oxon. 1663. c De Variol. c. 10. c Contin. 419. 4. 420. 2. d De Variol.

&

& præſertim Medicæ, natus: qui Mahumede imperante, A. D. 622, ſive circa Hegiræ initia, clarus [a], triginta de re Medica libros [b], lingua uti dicitur Syriaca, compoſuit. Hic & ſigna Variolarum tradidit [c], & erumpendi tempora explicuit [d], & ſive ſalubria, ſive periculoſa genera [e] notavit: etiam aliqua ex parte curandi [f] modum attigiſſe videtur. Nam & cavendum eſſe ait, cum ſemel eruperint, a Frigidis; ſuccum Apii, & Fœniculi præcipit, quo melius extra prodeant Variolæ: medicinam denique, quo tam ori faucibuſque, quam oculis nihil aſperius accidat, deſcribit. Ita ut in Ægypto fortaſſe, Aaronis patria, eademque Peſtilentiæ procreatrice haud infrequenti, prima, quantum ex monumentis ſuſpicari licet, exordia habuerit Variolarum morbus: qui deinde, Alexandria ab Amruo capta, Græciſque erepta, inter Arabum nationem facile diffuſus eſt. Haud ita multo tamen ante Aaronis tempora, etiam in Ægypto, Variolas extitiſſe fidem facit, qui ſuperiore ſeculo vixerat, Aetius Amidenus: is enim, utcunque in eadem Alexandria [g] Medicinæ ſtuduerit, omnemque rerum Medicarum farraginem congeſſerit, mentionem de iis nullam omnino fecit.

Circa idem tempus, ſub Heraclii fere exitum, Anno nimirum 641, medicinam illuſtravit, ſive potius Veterum, Galeni præcipue, volumina contraxit Paulus Ægineta [h]: in morbis Mulierum tractandis inſigniter peritus; unde ei cognomen Obſtetricii accrevit. Itaque & ſuos de re Medica libros, uti advertere potes, a Prægnantium victu auſpicatur, & affectus Muliebres [i] fere fuſius, quam cæteros, enarrat. Peregrinandi ſtudio multum deditus fuit: cum tamen ille, Scriptor, uti videtur, haud indiligens, "nullumque a ſe mor-"bum prætermiſſum [k] eſſe" profeſſus, de Variolis ne verbum quidem fecerit, ſatis magno argumento eſt, eas non modo vetuſtioribus Græcis fuiſſe incognitas, ſed ne Pauli quidem ipſius temporibus in Græcia adhuc innotuiſſe.

Poſt hanc ætatem aliquot annis, A. D. 683, extitit Maſerjawaihus, Baſorenſis, lingua Syrus, religione Judæus, Medicus, Rhazis judicio, & perſpicuus & ſagax. Is Aaronis Presbyteri Pandectas Medicas, Merwano imperante, in ſermonem Arabicum convertit [l]. Hujus & ſcripta quædam feruntur: in quibus Oculorum etiam a Variolis male habentium curam tradidit [m].

Ut autem Variolas etiam in hac Arabum ætate lethales aliquando fuiſſe appareat, Alſaffahum Chalifam eo morbo periiſſe, A. D. 753, teſtatur Hiſtoria [n]. Mox imperio ſuffectus Almanzor, ex Abbaſidarum ſtirpe profectus, literarum ſtudia excitavit: cumque Bagdadi, urbis a ſe jam recenter conditæ, ſtomachi infirmitate laboraret, Georgium, Medicum Jondiſaburi celebrem, Perſicæ atque Arabicæ linguæ peritum, accerſi juſſit. Idem Georgius quædam de Variolis conſcripſit: & tum quibus maxime tempeſtatibus [o] ſævire ſoleant,

a Abul-pharaj. p. 99. b Ib. Haly Abbas Theor. c. 1. c Contin. 419. 2. d Ib. col. 4. e 422. 1. f Ib. g Tetrabib. 1. 1. Ol. Cyzicen. & Ol. Salcæ. h Abul-pharaj. 114. i Lib. 3, & 6. k Præfat. l Abul-pharaj. 127. m Contin. 421. 3. n Abul-pharaj. 139. o Contin. 419. 2.

tum

tum quibus notis [a] internoſci poſſint, ſatis diſerte explicuit: aliquid etiam de earum [b] præſagiis adjecit.

Tum, circa A. D. 795, Johannes filius Meſuæ, Chriſtianus, Syrus, faceti Vir ingenii magnique nominis, Scholam [c], Bagdadi ſumma cum celebritate aperuit. Itaque ætas ea maximam Medicorum copiam effudit. Hic ſcripta Veterum medica interpretanda ſuſcepit, impulſu præcipue Raſhidi Chaliphæ: cujus ille quidem ſaluti, uti & eorum qui deinde ſecuti ſunt, uſque ad Almotawacceli tempora præfuit: hoc autem familiariſſime uſus eſt, tandemque, non niſi circiter A. D. 846, ætate provectior deceſſit. Libros autem compoſuit quam plurimos, ordine quidem, uti notat Haly [d] Abbas, carentes; in quibus & aliqua de Variolis præcepta dedit: nam, præterquam quod eadem ad oculos atque Aaron præceperit, ventremque tympani inſtar ſonantem [e] mali eſſe ominis edixerit, ad amovendas Variolarum Cicatrices Mirabile, ut dicitur, Remedium concinnavit, & decantatum illud Laccæ Lentiumque Decoctum primus deſcripſit [f]. Alvum etiam Aqua Fructuum, ſi neceſſe fuerit, uſque ad ſeptimum diem leniri juſſit. At hujus ſcripta ita exaruerunt, vix jam ut appareant. Nam Johannes ille Damaſcenus, Meſue etiam dictus, cujus opera nos jam in manibus habemus, ab hoc noſtro alius longe eſt, & longo intervallo recentior.

Sed hæc eadem fere omnia, quæ de Variolis perſtrinxit Meſue, a Serapione [g] ſunt itidem tradita: qui id etiam addidit, Sanguinem inter initia, vel Vena inciſa, vel Cucurbitulis adhibitis, mitti oportere. Etiam Lenientibus, a Meſue præceptis, alia quædam adjecit. Nam id quoque advertere licet, quod hæc, quæ jam ex Rhaze ſunt petita, etiam inter ea, quæ Serapionis nomine de Febribus habentur, verbis fere iiſdem explicata reperias. Id autem in Serapione [h] reprehendit Haly Abbas, "quod non inveſtigaverit Variolam ſignaque "ejus, & medelam propriam; ſed interſerit ejus mentionem in ca- "lidi tractatu Apoſtematis:" in quod tamen vitium delapſus eſt ipſe Haly [i] Abbas. Serapion tamen, utcunque Rhaze antiquior, quo tempore vixerit, incertum: qui enim eum, Leone Iſauro imperante, circa A. D. 730, floruiſſe volunt, qua id authoritate innixi aſſerant, haudquaquam percipio.

Succeſſit autem Meſuæ ſeni adoleſcens, Iſaac Johannitii [k] ſive Honaini Ebadienſis, (cui, quod Libros & Medicos & Mathematicos feliciter traduxerat, Interpretis nomen inditum) filius: alterius Johannitii, Interpretis [l] itidem dicti, pronepos. Ipſe etiam Græcarum imprimis literarum ſciens, & Philoſophiæ ſtudio incenſus, Almatowacceli temporibus, rem medicam plurimum excoluit. Multa Veterum monumenta, domeſtico exemplo, tam Syriace, quam Arabice, tradu&ta edidit. Id quidem hujuſce familiæ naturale quoddam bonum: ita ut Medicis, qui ex horum diſciplina profecti ſunt, quicquid jam extat vel Hippocratis, vel Galeni Arabice verſum, unice debeatur.

a Ib. Col. 3, & 4. b Contin. Col. 3, & 4. c Abul-pharaj. 153. d Theor. c. 1.
e Contin. 421. 1. f Contin. 421. 4. g Ib. 421. 1, & 4. 425. h Theor. c. 1.
i Ib. 8. 14. k Abul-pharaj. 171. l Ibid. 163. Herbelot. in Honain.

Iſaac autem, quatenus quidem ex Rhaze intelligimus, de Variolis locutus, nihil niſi de Sanguine quaſi ad deliquium mittendo, Ptiſana danda, deque ventre, ſi liquidior fuerit, coercendo, præcepit. Fortaſſe hic idem eſt, qui & Iſraelita dicitur, quique opuſculum de Febribus, a Conſtantino, Monacho Caſſinenſi, eodemque Scholæ Salernitanæ quaſi authore, Latine redditum, contexuit. Nam Iſaac hic, de quo loquimur, Chriſtianus, genus duxit ab Ebadiis; qui origine fortaſſe Judæi, ex diverſis tribubus conflati, in caſtella quædam, Hiræ vicina, ſeceſſerant[a]. Iſaac vero, ſive noſter, ſive alius, de Febribus diſſerens, Variolarum quatuor [b] genera quaternis humoribus accommodata conſtituit: ſignaque earum, puſtulis nondum proruptis, tradere contentus, curationem haud omnino attigit. Aſcribitur etiam huic Iſaaco Pantechni opus, quod diverſo nomine Complementum Medicinæ dictum, ab aliis ad Haly Abbatem refertur. Certe, uti advertit Symphorianus Campegius [c], "plura ſub "Iſaac titulo adducit Rhazes, quæ in Haly Abbate inveneris, nullo "mutato verbo, & capite toto." Sed de hoc Scriptore plura ſuo loco dicemus.

Hunc proxime ſecutus eſt, Almoctaphi temporibus, A. D. 900, Joſephus Alſaher, ſive Vigilator dictus, Vir & doctrina & fama inſignis, qui magna diligentia, quæcunque ad Medicinam pertinerent, congeſſit. Sed vix quicquam eum de Variolis [d] docuiſſe conſtat, niſi quod ex Meſue fuerit depromptum.

Hæc fere ſunt, quæ ex Arabum ſcriptis ad Variolas pertinentibus excerpſit Rhazes: qui, uti obſervat Haly Abbas [e], in Volumine illo ingenti, quod Continens vocatur, Medicorum omnium tam Veterum quam Recentiorum ſententias, ab Hippocrate ad Iſaacum uſque, collegit. Sunt tamen & alii, qui, incertæ utcunque ætatis, a Rhaze laudati, in hoc Variolarum argumento elaborarunt, Medici, viz. Judæus, Tabri, Tarmadi, Bugajeſu: quorum quidem Judæus ſatis antiquus, quippe cujus mentionem fecerit, Rhaze ſenior, Serapion. Neque ille ſane ſpernendus author: utpote qui primus duo Variolarum genera, Interſtincta atque Confuſa [f], indicarit: diſcrimina [g], quibus eæ a Morbillis diſtingui poſſint, poſuerit: in morbi denique decurſu ea, quæ & exitum puſtularum expediant, & receſſum leni aſtrictione intercludant [h], præceperit.

Hactenus, qua licuit, ex Antiquorum Arabum fragmentis in Rhazis unici Theſauro deliteſcentibus, opere Abul-Pharajii Chronologico adjutus, Variolarum Hiſtoriam pertexui. Vides tanquam in tabula aliqua rudiore, quam non infeliciter quidem adumbrata ſint prima morbi lineamenta; ipſa vero forma neque ad vivum ſatis expreſſa, neque ad veritatem adducta. Præclare ſcilicet incohata multa, perfecta non plane. Fortaſſe aliquid paulo limatius ex ipſius Rhazis officina prodibit.

Rhazes adeo, A. D. circiter 900, inclaruit: nam Anno 932 oculis captus, & ſenectute confectus, octogenarius ſcilicet, ceſſit e

a Ibid. b De Febr. lib. 2. 27. c Epiſtol. ad And. Turinum. d Contin. 420. 4.
e Theor. c. 1. f Cont. 419. 2. g Ib. 4. h Contin. 421. 4.

vita

vita. Hunc Maurum fuiſſe volunt plerique; ſuoſque de re Medica libros ad Almanzorem, vel Cordubæ, vel Africæ Tyrannum, miſiſſe. Sed neque Rhazes Mauritania oriundus, quippe qui Raiæ, apud Choraſanos oppidi, natus fuerit[a], indeque nomen adeptus; neque Almanzor ille, aut Africæ, aut Cordubæ, ſed huic itidem Choraſanæ[b] imperabat; Sarracenici proculdubio Chaliphæ vicarius. Fuit autem Rhazes Muſicæ ſciens, Philoſophus & Medicus inſignis, ſingulare ſæculi ſui decus, & antiquitatis multum, ut temporibus illis, peritus. Qui quanquam in Medicina exercenda plurimum operæ inſumpſerit (unde ei Experimentatoris nomen) & Noſocomio tum Raienſi, tum Bagdadenſi præfuerit, nunquam fere a ſcribendo[c] deſtitit. Quare etiam de Variolis[d] multa multifariam & collegit, & compoſuit; præcipue in opere[e] illo, in quo cunctorum ante ſe ſcriptorum commentarios concluſit; quod quidem opus & in privatos fuiſſe uſus a Rhaze compoſitum, & ſuis etiam temporibus haud facile inventu ſcribit Haly Abbas[f]. Quin & peculiari libello, quem Interpres quidam Græcus ex Syriaco ſermone tranſtulit, quemque primus ex Græco Latinum fecit Georgius Valla, Variolarum curſum curationemque expoſuit[g]: quidque in duplici earum genere, Diſcreto atque Confluenti, ſequendum ſit, diligenter advertit. Neque enim ea Augenii[h] ſuſpicio ullo fundamento nititur, quaſi liber hic non a Rhaze, ſed a Græco Interprete fuerit confectus: cum Rhazes ipſe in iis, quæ de Febribus[i] docuit, ad hoc commentariolum lectores non ſemel remiſerit. Errat etiam Augenius, cum dicit Rhazem in iis, quæ in hoc opere, quæque in Continente ediſſeruit, ſibi minus conſtitiſſe: quippe eadem prorſus utrobique[k] verba de Ætatis mutatione, in qua multus eſt, inſeruit: ea vero, quæ ad Blactias atque Variolas pertinentia ille ex Continente[l] profert, non Rhazis ſunt, ſed Georgii. Itaque Rhazes, ſcriptor ſane intelligens, tam in hoc de Peſtilentia opuſculo, quam in ipſo Continente, totum hunc de Variolis locum illuſtravit: ita quidem cumulate pleneque, ut perpauca vel ad ſigna ſtabilienda, vel ad elicienda præſagia, vel etiam ad curationem, in Primo ſaltem ſtadio, recte tractandam deeſſe videantur. Ex hoc fonte mihi videntur omnia, quæ ad Variolas pertinent, hauſiſſe, qui deinde ſecuti ſunt, Arabum magiſtri. Loquor, ut opinor; ſed licet ex ſcriptis judicare. Neque enim Rhazi aliquid[m] adjecit, utcunque de ejus fama detraxerit, Haly Abbas, Perſa, vir eximie doctus, unde & Magi cognomen obtinuit: qui, circa A. D. 980, in gratiam Regis Adado'ddaulæ, (cui magnifico more, patrio ſcilicet, aſſentatus eſt[n]) librum ſuum Almaleci, id eſt, Regium, conſtruxit[o]. Is tamen liber, quaſi primus inter Arabas, qui totius Medicinæ formam complecteretur, ab authore ipſo prædicatur: & meruit certe, ut ante Avicennæ Canonem omnium manibus tereretur[p]; etiam, ſi curandi præcepta ſpectes, Canone ipſo

a Abul-pharaj. 191. Herbelot. b Rhazis præf. Antidot. c Ibid. d Diviſion. 159. e Febr. c. 18. c Lib. 30. Tr. 13. f Theor. c. 1. g De Peſtilentia. h De ebr. 9. 13. i c. 18. k Contin. 420. 1. De Peſtil. c. 1. l 419. 4. m Theor. 14. Pract. 4, & 5. n Theor. 1. 1. o Abul-pharaj. p Ib.

eſt

eſt præſtantior. Quare hunc magno labore Latine reddidit, A. D. 1127, Stephanus Antiochenus: quanquam alii, uti vidimus, opus illud ab Iſaaco eſſe conſcriptum velint. Quin & ipſe Avicenna, qui, A. D. 980, Bocharæ natus, A. D. 1036[a], obiit, nihil quicquam de Variolis protulit, quod non fere ad verbum de Rhaze vel ſumpſerit, vel ſurripuerit: niſi forte excipias ea, quæ de Mictu Sanguinis[b] advertit, & Syrupi[c] ex Dactylis Mirabile, uti dicitur, exemplar: & eſt ſane Syrupus iſte ex materia multiplici admodum & multiformi perquam mirabiliter coacervatus. Quo iniquior in Rhazem ſcriptor ille cenſendus eſt, qui eum, a quo permulta mutuatus eſt, ſæpius occulte vellicat. Tamen ea fuit Avicennæ (haud perperam Principis dicti) fortuna, ut neglecto Rhazis nomine & prope intermortuo, (de Variolis loquor) in Medicorum ſcholis Regnum aliquot per ſæcula tenuerit: neque id ſane exemplo prorſus inaudito, ut qui aliena ſcrinia auſi ſint vel aperte compilare, vel decenter magis in Epitomen conjicere, legitimi Authoris lumen aliquando præſtinxerint. Unde ſuo in Avicennam ſtudio ita abductus eſt Gentilis Fulginas, ut eum Rhaze non modo meliorem, ſed & antiquiorem authorem cenſuerit: poſtque eum[d] de Variolis haud imperite quidem ſcripſiſſe Rhazem dixerit. Sed quo in numero habendus ſit Rhazes, utcunque deſertus, abunde commonſtrat, inſignis ille inter Arabas ſcriptor, Alſaharavius, ejuſdem, uti nonnulli volunt, cum Averrhoe[e] ætatis: hic enim, quanquam de Rhaze quidem prorſus reticuerit, eum tamen fere in omnibus ſecutus eſt: ita diligenter ſane, ut verbo tenus capita illa, in quæ noſter Variolarum curam[f] diſpertierat, integra[g] exſcripſerit.

Etiam ipſe Averrhoes, &, qui paulo vetuſtior fuit, Avenzoar, uterque Arabs in Hiſpania licet natus, nihil novi, quod quidem ad Variolas curandas attinet, de hoc argumento attuliſſe præ ſe ferunt. Et tamen Variolarum contagium illa, uti videtur, ætate ſe, etiam per Europæ gentes, ita diffuderat, ut nullus eo morbo fuerit magis popularis: quippe ſiquis eo immunis vixerit, id inſtar miraculi fuiſſe teſtatur Avenzoar.

Dices fortaſſe me jamdiu de fæce hauſiſſe, tantumque ſive mei ſive Tui otii in horridis hiſce & fere obſoletis Arabum monumentis conſumi haud patienter feres. Sed quia prima hic Variolarum morbus inter Arabas exordia habuerit, ſoluſque fere ſit, cujus Hiſtoriam ii ex Græcis non deſumpſerint, volui rem eam, involutam ſane & nemini adhuc, quod ſcio, ſatis perceptam, ſic explicare, ut, expoſitis ordinibus temporum, uno in conſpectu omnia videres.

Itaque ut redeat tandem, unde deflexit, ſermo, quid de medendi ratione, hoc præſertim morbi tempore, ſenſerit Rhazes, audiamus. Hic adeo, licet, morbo nondum ad ſummum perducto, ventrem ſolventia vetuerit, eo demum Seneſcente[h] probat: ea potiſſimum quidem de cauſa, ut "natura levetur onere, & morbi materia minua-

a Pocock. in Abul-pharaj. de moribus Arab. 362. b De Febr. c. 6, & 10. c Ibid. c. 10.
d Comment. in Avicen. c. 6. de Variol. e Ob. A. Heg. 595, ſive A. D. 1198. Pocock. Ibid. 385.
f De Peſtilent. c. 4. g Practic. c. 10. Practic. 2. h De Peſtil. c. 14.

"tur."

"tur." Et profecto idem hic, in Medica arte multum exercitatus, haud futilia ſigna poſuit, quibus dirigi poſſit medentis judicium: nimirum tum præcipue hanc humiditatis educendæ viam indicari monuit, "ſi corpus fuerit ſubmiſſum & invalidum, turgens tamen, "aut erumpens, aut exceptum cum Albore & Rubore levi, & fe- "bris imbecillitate:" maxime vero, ſi ad hæc acceſſerit Pulſus undoſus: ſiquidem in re hujuſmodi "plures ſunt ictus & vehementes, "morboſque denotant nimio humore corpus irrigantes, & ex his "febres præſertim continuas[a]." Putaſne aliquem, aut verbis magis diſertis, aut acriore unquam judicio, morbo jam Seneſcente ſive inclinante (ſcilicet ubi primum inaruerint puſtulæ) hæc de Purgandi ratione præcepta complecti potuiſſe? neque hæc ſolum præcepta, aliis ut uſui eſſent, more quodam profeſſorio tradidit Rhazes, ſed ipſe ſua, eaque ſane longiſſima, experientia comprobavit. Etenim illa, de Filia Hebithuſeyn[b], ſingularis eſt Hiſtoria: quam, etſi alias tetigerim[c], tamen, quia ad hanc noſtram deliberationem perappoſita eſt, liceat breviter retractare. "Ea igitur, Camelarum lacte li- "berius uſa, in Variolas incidit: neque ei, antequam hæ Quarto die "eruperint, vel alvus purgata eſt, vel ſanguis miſſus. Igitur, circa "oculos præcipue, confertiſſimæ exierunt, ita ut Vetulæ, quæ a- "ſtabant, eos Medicina ſervari potuiſſe miratæ ſint. Venter, ut "moris eſt in hoc caſu, ſemper aſtrictior. Tamen cum, ſub exitu "morbi, remanſerit etiamnum aliquid Febris Acutæ, cumque "eam quidem Vir acutiſſimus ab humorum reliquiis, quæ per "puſtulas egeri non poterant, naſci videret, nullum aliud, ſu- "pereſſe auxilii genus, niſi purgaretur ea, judicavit. Sed ea erat "in hac ægrota virium infirmitas, corporiſque languor, ut reme- "dium paulo valentius ſuſtinere nequiverit. Itaque ille ea mode- "ratione ſapienter uſus eſt, ut nihil niſi Ptiſanam, atque Aquam "Fructuum (cujus Formula apud Meſuen[d] legitur) per quindecim "continuos dies præceperit: unde quidem quotidie bis fuſa eſt al- "vus. Quadrageſimo demum die, urina aliquid depoſuit: neque "vero, ante Quinquageſimum, ad integritatem perventum eſt." Vides qualem excitarit febriculam, & in quam vetuſtatem inciderit hic Variolarum morbus: quem tamen, Purgantium ope, depulit tandem Medici ſagacitas, & quædam in ipſo medendi genere pertinacia.

Eandem curandi viam, atque iiſdem fere verbis præcepit, Rhazis ſectator, utcunque magiſtri immemor, Alſaharavius: alvum ſcilicet, morbo jam ad ſtatum perducto[e], leniri jubet, maxime ſi ægroti vires conſtiterint, Pulſuſque virtutem habuerit: eaque remedia ut hac in re præ aliis idonea commendat, quæ calorem minus excitent.

Deinde per aliquot ſecula, apud Medicos Europæos altum de hac in Variolis Purgandi ratione ſilentium: neque vero id mirum; ſi-

a Lommii Med. Obſerv. lib. 3. b De Mirabil. Curis, lib. 2. c Comment. 7. d Antidot. lib. 3. e Cap. 10. Partic. 13.

luit enim ipſe Avicenna; ita ut fruſtra aliquid apud eos quæras, quod Princeps ille omiſerit.

Tandem literis aliquando renatis, & excuſſo jam fere Arabum jugo, homines, non ex aliorum authoritate omnia proferre, ſed experientia duce uti, ſuamque ſequi ſententiam didicerunt. Hanc igitur ſive Artis, ſive Naturæ molitionem innuit ſagaciſſimi Vir ingenii, Fernelius: qui, pauciſſima licet verba de Variolis locutus, hunc tamen morbi furorem tum demum comprimi ſcribit, cum " ſoluta alvus humorum, qui contaminati fuerunt, reliquias Criſi ex- " turbet [a]; febremque prorſus perſiſtere notat, dum cita alvo fæda " illa proluvies exeat [b]." Conjunctus fere hujus ætati Marcellus Donatus, Mantuanus, qui Recentiorum omnium primus integrum de Variolis tractatum condidit, utcunque hac in re paulo cautior, ubi tamen ſe inclinaverit morbus, atque puſtulæ exaruerint, maxime ſi Febris vel ſymptoma aliquod urgeat, Alſaharavium ſecutus, ventrem leniter ducentia ſuadet [c]. Quinimo, " ſi fluxus ſupervene- " rit ob materiam derelictam a natura, quam, per cutim non excre- " tam, per alvum extra mittere tentat," hunc naturæ conatum a prudenti Medico, Rhabarbaro aliiſque id genus remediis adhibitis, juvandum eſſe præcipit: eoſque plane irridet, " qui nunquam uten- " dum eſſe, in fluxibus alvi, ſolutione ventris contendunt [d]."

Alii item, qui in hac noſtra diſciplina, iiſdem prope Marcelli hujuſce temporibus, floruerunt, in Italia quidem Mercurialis [e], Rod. a Fonſeca [f], Campolongus [g], Diomedes [h] Amicus; in Gallia, Paræus [i]; in Hiſpania denique, Mercatus [k]; eundem de hac ventris ſolvendi via ſenſum habuiſſe videntur. Quorum ſane veſtigiis permulti deinde & harum & aliarum etiam gentium Medici inſtiterunt [l]. Ita ut Ballonius Pariſienſis, Vir in Medendi exercitatione, inter elapſi ſeculi initia, verſatiſſimus, ſermonem de Variolis ſic concluſerit, " Se longa nempe experientia doctum fuiſſe, quod in popularibus " morbis, in quibus Exanthemata apparuerant, ſæpius iterata Venæ- " ſectio & Profuſio alvi, imo olida proluvies tum arte, tum natura, " tum vi morbi procurata, multos orco eripuerit." Neque ea, quam de blanda Purgatione locutus, J. Chicotius [m] narrat, Hiſtoria prætermittenda eſt: ſiquidem ea exponit, quemadmodum Simo Petræus, refragantibus Medicis tribus ea ætate clariſſimis, Alanio, Mareſcoto, Dureto, Senatoris Pariſienſis filiam, ſub exitu Variolarum, Febre periculoſiſſima laborantem, hoc medendi inſtituto ſervaverit.

Ita videmus ad hæc uſque tempora invaluiſſe, ubi ſemel inclinatus eſſet Variolarum curſus, hanc de Purgantium commoditate doctrinam. Præcepta quidem illa, uti ab Authoribus tradita ſunt, & rationi & experientiæ omnino congrua: ſed quæ nimium tamen laxa, & ad morbi momenta nondum ſatis exquiſite accommodata fortaſſe haud perperam judicamus. Nam, aut quo præſertim tempore, aut

a De Abdit. Cauſ. 198. b Pathol. 43. c De Variol. c. 26. p. 189. d c. 30. p. 209. e Morb. Puer. 25. f 252. g De Variol. h c. 6. i Lib. 19. k 462. l Jul. Cæſar. Claudin. Empir. Rat. 287. Epiphan. Ferd. Caſ. 78. Franc. Pomius, Siculus. Fr. Rubeus, Genuenſis. Exc. 8. Zacutus, Luſitanus 786. M. Sebizius 6. 5. Joſ. de Medicis, Cretenſis. Liſter. 320. m Epiſtol. de Variol.

quo

quo demum die Purgatio illa inſtitui debeat, a nemine adhuc perſcriptum. Tandem eam Sydenhamus, in Variolis Confluentibus, Decimo tertio, ſi modo præmiſſa fuerit Venæſectio, præ cæteris remediis convenire arbitratus, prorſus interim ante hunc diem tentari vetuit. Sed id, quemadmodum alias [a] monui, atque uti ex his, quas recenſui, Hiſtoriis perſpicue liquet, frigidum nimis conſilium, nec ſatis pro periculo expeditum. Itaque ſiquid nos novi fecimus, in eo novatum eſt, quod, cum citius plerumque, quam die Decimo tertio, ad ultima ventum ſit, hoc auxilii paulo maturius etiam arripi debere rati ſimus.

Quo tamen minus miremur argumentum hoc a Scriptoribus paulo laxius atque confuſius eſſe tractatum, in promptu eſt obſervare, (quod tamen parum intelligi video) eos ne Febrem quidem ipſam, quæ matureſcendi tempore hujuſce generis Variolas perpetuo conſequitur, pro rei dignitate ſatis advertiſſe. Atqui, in his ipſis morbi diebus, ægrotantium pars longe maxima & periclitatur, & interit: ita ut, qui locus acrius medentis judicium, curandique præcepta magis ſubtilia deſiderat, in illo eos aut reticere penitus, aut, ſi vitæ periculum ſpectes, nugari comperias. Quid enim ipſi Arabes, interque eos ille ipſe, quem ſæpe nominamus, Rhazes, in hoc difficillimo rerum momento, perſecuti ſunt, niſi ut Oculis, ut Naribus, ut Gutturi ſubvenirent, ut Veſtigia demum Variolarum & Cicatrices abſtergerent, Secundæ Febris quaſi immemores? conſilia ſane ea ad ægrotantium ſive levamen, ſive venuſtatem ſatis commoda: ad ſalutem parum fructuoſa.

Mirum profecto videtur, quod inter tot, qui deinde ſecuti ſunt, Authores, nemo fere, ſi H. Augenium, atque Diomedem Amicum exceperis, Febrem hanc a Variolarum Suppuratione ortam vel leviter quidem tetigerit: horum autem neuter omnino, aut quibus illa diebus primum accedere, aut quem curſum tenere, aut quas moleſtias afferre ſoleat, explicuerit. Etiam ii, qui de hoc argumento integros libellos ediderunt, uti Donatus, Campolongus, Antonius Portus, totam hanc de Febre Secunda diſquiſitionem prætereunt: neque quicquam huic rei lucis attulit, ſcriptor utcunque prolixus, inque omnibus omnium ſententiis ſimul congerendis ſedulus, Sebizius. Et hi quidem univerſi ita in morbi Hiſtoria claudicant, ut nec Stadia a Variolis percurſa, nec Salivæ profluvium illud, quod in Confluentibus fere perpetuum eſt, uſpiam meminerint. Quæ ſane omnia non ab Exteris modo, etiam a Riverio, ſed & a Williſio noſtro (quod mirabile) intacta plane relinqui percipis. Adeo, utcunque id prima fortaſſe facie incredibile videatur, legendi ſtudioſo ſatis patebit, in his, quæ indicavimus, mancos omnino fuiſſe & imperfectos ſcriptorum de Variolis commentarios, Rhazis uſque a ſeculo ad Sydenhami tempora: qui ſane magna, an medentium magis, an ægrotantium felicitate, hoc quicquid defuit largiter ſupplevit; morbique diverſa & Stadia & Genera luculentius

[a] Comment. 7.

expoſuit

expoſuit unus, quam alii omnes gentium omnium atque ætatum Medici. Neque in extremo hoc Variolarum quaſi actu, uti cæteri, defecit: ſed, cum multa ad hanc Febrem vel minuendam vel extinguendam ſapienter præceperit, tum potiſſimum hanc alvi movendæ viam, ab omni retro antiquitate inſtitutam, primus tamen inter noſtrates invexit. Ita ut eos, qui hoc Purgandi conſilium, tanquam inuſitatum novumque, inſimulant, in Medicæ artis monumentis minime eſſe verſatos oporteat: qui quidem ut ſuis ſibi placeant commentis, puerilibus licet, haud repugno; ut vero de harum rerum Hiſtoria decernant iidem, literarum rudes, nequaquam aſſentior.

Sed ſit hæc, quæcunque demum eſt, Purgandi ratio nova atque inaudita: quaſi vero ſcelus eſſet medendi rationem excogitare, quam non tenuerunt Antiqui; aut quaſi Ars Medica ita numeris omnibus abſoluta eſſet, ut nihil emendari, nihil adjici poſſit. An non reprehendendus igitur Sydenhamus, qui de Variolarum curatione, quæ quidem ante eum, uti vidimus, rudis omnino fuit atque inchoata, permulta nova, eaque momentum ad vitam maximum habentia, edidit? An ille vero omnia ita limavit & perpolivit, ut nihil ei quicquam, qui deinde ſecuti ſunt, attexere poſſint? Credo nos male meritos eſſe de iis, quos ſanitati reſtituimus, quod in hac re vires ingenii periclitati ſumus, &, quouſque in caſu longe difficillimo provehi poſſit Medicina, experti. Præſtitiſſet certe via trita, atque adeo tuta prudenter inceſſiſſe: fuiſſet ſatius metu medico inſtructos, priſcorumque veſtigia religioſe perſecutos, nihil tentaſſe; & extra Artis regulas parum evagatos, morientibus aſtitiſſe, non eos a morte vindicaſſe. Idem ſine dubio fecimus occidentibus, qui nova quadam ratione auſi ſumus ægrotos ſervare.

At regerunt, non ſemper hoc purgandi inſtituto ſalutem ægrotantium procurari. Nos ſane ii non ſumus, qui hominibus, mortales cum ſint, immortalitatem promittere ſperemus: neque nos, ut, quæ ſit noſtra tenuitas, fateamur, ullam adhuc novimus Medicinam, quæ certo atque conſtanter omni in caſu ſit valitura: præſertim in hoc Variolarum morbo, ubi, quod frequenter fit, Materia Purulenta Viſcera etiam interiora occupaverit, Abſceſſumque vel circa Præcordia, vel in Pulmonibus fecerit, perſæpe fallimur. Ii qui feliciore ingenio hoc contra mortem Antidotum expiſcati ſunt, in lucem aliquando proferre dignentur. Quippe illa ſane remedia, quæ grande quiddam polliceri videbantur, ſpem noſtram hactenus fefellerunt: etiam inſignis ille Alſaharavii Pulvis, qui, ſi "Variolæ novem "prodierint, ne tamen prodirent decem[a]," olim vetuit, quaſcunque antiquis temporibus vires habuerit, nunc quaſi effœtus vetuſtate tandem elanguit. Neque aliam habuit fortunam Polychreſtus Waldſmidii Spiritus: cujus ita miros effectus ſe vidiſſe teſtatur graviſſimi ſcriptor judicii J. Dolæus, "ut ſpondere audeat neminem in poſte-"rum mori poſſe, modo hoc utatur medicamento[b]." Sed uti ætate

a Fol. 141. col. 4.

b Encyclop. 574.

omnia

omnia in deterius eunt, Variolis correpti, quantum audio, jam, etiam in Germania, aliquando moriuntur. Quanquam in illa quidem regione, ea Variolarum ſpecies, quam nos Confluentes dicimus, rarior ſit; quemadmodum ex literis, quas ad me perhumaniter ſcripſit Vir Eruditiſſimus, T. Hoffmanus, Profeſſor Halenſis, intelligo. Idemque, de Purgatione in Variolarum morbo locutus, " nunquam ſe vidiſſe ait in Artis operibus tractandis ſatis feliciter il- " los procedere, qui, eruptione plena jam facta, alvum ſolvere refor- " midant; quo fine ſemper benignioribus uſus eſt; idque ut face- " rent, author monitorque auditoribus ſuis fuit."

Sed ut tota hæc de Purgandi ratione quæſtio melius intelligi poſſit, de ea paululum argumentari liceat: cubat ægrotus, ſub Variolarum exitu, Febre vehementi detentus; puſtulæ exareſcunt; ita ut nihil ultra a Sanguine per Cutis ſpiracula trajici, nihil intro a Cute ad Sanguinem devehi poſſit: auxilia cætera vel nihil hactenus reſponderunt, vel intelligentium omnium judicio parum ſunt reſponſura: &, niſi Ars Medica intercedat, extremum Vitæ diſcrimen ſubeundum. Sines igitur hunc patienter mori? an non potius in re admodum periculoſa experimentum facies, ſiqua forte ſit ſalutis expediendæ via? Ad has anguſtias cum ventum ſit, nequaquam oportet dubitare, an anceps præſtet dare remedium, an nullum: quod, utcunque anceps, poteſt fortaſſe vitam ſervare, poteſt ſaltem ad dies aliquot protrahere. Sed quid ſi non ſucceſſerit? ſatis eſt, ut quis hoc Medicinæ genus jure experiri putetur, ſi id vel in milleſimo corpore profeciſſe compererit.

Meminiſti fortaſſe caſum Adoleſcentuli nobilis atque eximii ſingularem. Laborabat is peſſimo Variolarum Confluentium genere: puſtulæ quidem denſiſſimæ, materia tenui minimeque cocta diffluentes, ita ut, ſub finem, univerſum prope corpus quaſi eroſum crudeſceret. Maxima cum difficultate ad Nonum pervenit diem. Puſtulæ in facie ſiccæ, nigerrimæque. Nullus omnino in manibus Tumor. Delirii, Comatiſque frequens reciprocatio, nec Spiritus ſatis expeditus. Febris ſupra modum exarſit. Nihil prorſus, quæ adhibita fuerunt, profecerant Veſicantia. Tu cum tanto eum in periculo verſari perciperes, Electuarii Lenitivi ℥iij ut ſumeret, imperaſti. Unde alvus bis terve demiſſa, utcunque non ita multum levamenti attulerit, præſens tamen periculum avertit. Nam ne huic quidem nocti eum ſupereſſe potuiſſe putabatur. Poſtridie cum Vir Clariſſimus H. Sloan mecum eſſet accitus, omnes periculum vitæ maximum jam tum imminere rati ſumus, nullamque ſubeſſe ſpem proſpeximus, niſi lenior aliqua facta evacuatio rem in melius mutaret. Itaque Cucurbitulis admotis detractæ ſunt ſanguinis ℥iv: unde cum Febris tenuaretur aliquantulum, cætera quoque remiſerunt. Veſperi, Clyſter inditus ventrem bis movit. Undecimo, febris paulo quietior: ſed cum tuſſicula perſtitit adhuc aliqua ſpirandi moleſtia; neque prorſus deceſſit delirium. Major etiam in ſomnum, quam par erat, propenſio. Quare Linctum cum Oxymelite

mixtum, & hujuſmodi Medicinam præſcripſimus.

℞ Decoct. Sen. Gereon. ʒij. Syr. Roſ. Solut. ʒſs. Aq. Pæon. C. ʒij. M.

Hinc alvus bis leniter ſoluta. Mane adeo, die Duodecimo, omnia inſigniter mutata. Nam, cum ferme conquieſceret Febris, tum delirio, tum ſpirandi moleſtia vacavit. Urina etiam bona coctionis ſigna præbuit. Pulſus æquis quidem intervallis motus, ſed minutulus. Præſcripta ſunt, quæ vires jam diu infirmas reficerent, Cardiaca. Poſtridie, cum Febris recrudeſceret, injectus eſt Clyſter: ſatis quidem cum levamine, quod tamen non niſi ad pauculas horas perductum. Nam febre rurſus inardeſcente, cætera etiam in deterius ibant: &, Decimo quinto die, cum vires haud ultra ſufficerent, ſuis deſideratiſſimus morbo ſuccubuit. Hæc fuſius ideo enarrare volui, ut, quam in rebus plane deſperatis vim teneat Purgatio, intelligi poſſit. Habent nos confitentes id ſemper haud præſtare Purgantia, quin aliquando moriantur Variolis laborantes; ſed qui aliqua cum ſolertia rem æque judicabit, ex hac ipſa Hiſtoria percipiet, nos ægrotum his artibus ad Decimum quintum diem perduxiſſe, qui vel Nono vel Undecimo ſaltem ſine dubio occubuiſſet, ſi hæc Purgandi ratio non fuiſſet adhibita. Quod ſi mortem penitus propulſare minus potuimus, aliquot tamen dierum inducias conſecuti ſumus: idque eſſe medici officium credo, ut ægrotantium vitas, quouſque arte id efficere poſſit, protrahat, utcunque ad breve tempus duraturas. Quis enim, his in rerum difficultatibus, vel acutiſſimo ingenio præditus, augurari poteſt, cum hoc vel tantillum temporis nacti ſumus, an non ad ſalutem ægri ſuis ipſa viribus valere Natura, ſaltem an non aliquid etiam conferre poſſit Medicina? Sane multi in his caſibus medentium vel incuria vel timore videntur periiſſe, qui, Artis ope, ſatis feliciter poterant ex hoc gravi periculo explicari. Sed quod ad purgandi rationem ſpectat, hæc, quantum ego obſervatione didici, felicius opportuniuſque, contra ac nonnulli ſentiunt, in Adultos quam Impuberes exercetur: ea credo de cauſa, quod cum in illis vires fuerint firmiores, accuratius etiam de viribus, in quo quidem totius rei cardo vertitur, elici poſſit judicium.

Hæc adeo diſputavi, ut appareat Medicum non ſemper erraſſe, ſi quando parum ex ſententia ceſſerit rei exitus: eumque ſatis cum judicio atque arte adhibuiſſe medicinam, quæ tamen minus ad ægroti ſalutem profuerit. Quemadmodum in Sphacelo, membrum emortuum haud imperite reciderit Chirurgus, licet ille, cui id ita reciſum ſit, brevi moriatur: quippe cum ea demum reſtet unica, quæ vitam tueri potuerit, Medicina. Ita in morbis Apoplecticis, nonnunquam Sanguinis detractio parum proficit; ſæpe etiam, quod in medendo verſati experimur, ubi inſanabile fuerit malum, ut vita ſit paulo brevior, facit. Quis tamen in Medicina ita rudis eſt, ut hoc in caſu non ſanguinem mitti jubeat? niſi enim hac ille juverit via, nulla alia poteſt ad ſanitatem perveniri. Quanto magis quis in hoc extremo

extremo Variolarum discrimine ad Purgantia confugeret; ubi fortasse aliquam vitæ conservandæ speculam, protrahendæ saltem certam habuerit fiduciam.

Nam ut de periculo aliquid dicam, quod ex hac medendi via quasi certo oriturum reformidant nonnulli, ii mihi parum videntur intelligere, vel quid morbus iste ferat, vel quo demum modo hæc adhiberi debeat Medicina. At quem enectum, quem Purgatione sublatum norunt? isti fortasse norunt, nos quidem neminem omnino novimus: imo neminem, cui non saluti fuerit, nisi in re, omnium judicio, plane desperata. Id præterea, quod mirum forte videbitur, dicere possumus, neminem ex iis, quos servare non potuit hoc auxilii genus, Alvi unquam profluvio intercidisse, neminem in ipso purgandi cursu periisse: hos ipsos vero, qui, adhibitis utcunque Catharticis, perierint tamen, semper inde fere ad tempus aliquod fuisse levatos. Et hoc quidem rationi satis congruum; quippe nimia jam morbi gravitate laborat Natura, nec necesse est, ut intestinorum onus accedat: quænam igitur illam expeditius recreabit Medicina, quam quæ hanc fæcum sarcinam extruserit? Neque vero, si sponte oborta Alvi fluxio (quod tamen non ita sæpe fit) aliquando exitio fuerit, idcirco nefas habendum est, hoc morbi tempore, alvum ciere; maxima quippe has inter res, utcunque convenire videantur, discrepantia: altera enim vires plane exolutas esse significat; in altera quidni liceat, si cætera consentiant, experiri viribus accommodata Purgantia. Ideo tamen minus ex hac evacuatione periculi, quod eam ad arbitrium nostrum moderari possumus; vel mediocri quantitate, vel longioribus intervallis, vel ea quæ sunt mitissima remedia exhibendo. Quid quod in hoc Variolarum tempore alvus, cum tamdiu clausa fuerit fæcibusque supra modum oppleta, haud ita libenter obsequitur, ut aliquem fluxionis nimiæ metum injiciat. Itaque nostris in manibus est habenas vel adducere, vel remittere; licet hoc purgandi experimentum, citra discrimen omne, modo leniissimo tentare; licet, siquid boni attulerit, per vices iterare, ita ut gradibus demum, quo volumus, perveniri possit. Quare cum hoc remedii genus, non noxa modo vacet, sed ægrotantium commodis apprime serviat, miror quorundam hominum tarditatem, qui id præjudicata opinione penitus aversantur; vel saltem ita timide gelideque administrant, ut, non nisi cum salus jam in præcipiti sit, experiri velint. Quasi vero opperiri periculum satis sit, quam præoccupare: quasi ille leviore negotio ex hac morbi asperitate non emersurus sit, cui die Nono vel Decimo ita succurritur, quam si hanc, malo jam inveterascente, ad Decimum tertium aut quintum, medicinam distulerint.

Sed vide, unde omnis hic error ortum duxerit; timent nimirum, ne, instituta Purgatione, recedant Variolæ, ne ad Centrum (ut aiunt) refugiant humores, ne manuum denique tumor (quod tamen secus accidit) evanescat. Sed meminerint id sapienter, ut cætera, advertisse

advertiſſe Sydenhamum[a]; "Febrem hanc ſcilicet Putridam, quæ Un-
" decimo die Variolis Confluentibus laborantes adoritur, ab ipſis Va-
" riolis prorſus eſſe diverſam: neque aliunde naſci, quam quod par-
" ticulæ putreſcentes a puſtulis jam adeptis maturitatem ſuam in
" ſanguinem reſorptæ fuerint, caloremque hunc invexerint. Neque
" enim hoc in morbi ſtatu puſtulæ jam in duritiem incruſtatæ, aut
" introrſum agi, aut intra cutim ſe recipere, aut minimam molis
" ſuæ partem amittere poſſunt." Itaque ille, qua erat ſolertia, nul-
lum huic Febri remedium excogitari poſſe judicat, niſi quod a Ve-
næſectione Alvique ductione derivatur. Neque eadem ſane nunc
eſt Variolarum ratio, ac Tumoris alicujus jam in Suppurationem
abituri; in quo quidem præpropere adhibita Purgatio, ne tumor ille
matureſcat, prohibet: pure tamen per tumorem demum, qua licuit,
ducto, ſiquæ illinc reliquiæ ſanguini labem intulerint, hæ, medi-
corum omnium judicio, Purgantibus maxime exterminandæ ſunt:
idque in Ulceribus quandoque faciendum eſſe monet Hippocrates[b].
Itaque video Diomedem Amicum, qui primus, ex pauciſſimis, quan-
tum ego percipio, Febrem hanc matureſcentibus Variolis ſuperve-
nientem diſertis verbis explicuit, & ab Ephemera, quæ ratione Apo-
ſtematum fit, haud diſſimilem[c] notavit, ad hanc opinionem acceſ-
ſiſſe: " nam in declinatione morbi, ubi cognitum ſit, ex perſeve-
" rantia Febris & aliorum Symptomatum, reliquias humorum in
" corpore adeſſe, levioribus Purgantibus evacuationem tentari jubet:
" quæ quidem evacuatio ea eſt, quam illius judicio, (haud recto for-
" taſſe) poſt ſeptimam fieri in tali caſu & Rhazes & Serapion præci-
" piunt[d]." Eo ætate paulo recentior, Annorumque quadraginta
experientia inſtructus, Joſephus de Medicis, Cretenſis, poſtquam
immaturæ filiorum morti indoluerit, nunquam eſſe ſub Variolarum
exitu fidendum Febris remiſſioni pronuntiat; " ſtrenue autem pug-
" nare debere medicum arbitratur, & omni conatu curare, ut reli-
" quum putredinis & cacochymiæ per varias vias, maxime per Venæ-
" ſectionem & Lenem Purgationem, totaliter e corpore educat at-
" que extrudat."

A Febre ſcilicet, quæ Variolas paulo ſpiſſiores conſtanter ſequitur, magnæ excitantur moleſtiæ: quare, ne repullularet ea, quidam acri ſtudio laborarunt: ſeque hanc prævenire hiſce artibus poſſe putaverunt, ſi Corticem[e] Peruvianum, paulo ante ipſum morbi impetum, exhibuerint. Cæleſte quidem id Medicinæ genus! quæ, ſi modo & Febrem hanc præoccupare, & Foveas[f] abolere ſit certiſſima, duas eodem tempore mortalibus res longe maximas impertiendo, & ſalutem poſſit ſimul & pulchritudinem tueri. Sed ſive id mali, ſive remedii ſorte mutetur, hæc Corticis iſtius facultas dudum intercidit: ita ut illi potius nunc audiendi ſint, qui feliciore conſilio uſi, " ipſa
" Variolarum ſemina ſolerter proliciendo," ne eæ prorſus erumpant, aut, ſi eruperint, ut ſe iterum recondant, cavere ſciunt. Itaque ab

a Sched. Monit. 84, &c. b De ulcerib. 4. c Tractat. de Variol. c. 6. d Tractat. de Variol. c. 10. e Morton. 199, 200. f Ibid. 323.

iiſdem,

iisdem, qui hanc artem possident, ut brevi ad interitum venturus sit hic Variolarum morbus, haud temere expectamus.

At quod ad Curationem spectat, hæc quidem in Febribus Putridis aliisque etiam, quæ paulo difficilius solvuntur, purgandi ratio ab omni retro antiquitate ad nos tandem defluxit: hanc dixi alias [a] in Acutis Febribus ab Hippocrate fuisse aliquando tentatam; quod si sæpissime dixeram, haud opinor errassem. Ille enim medendi magister solertissimus, utcunque effata quædam communia, quæ huic fortasse opinioni minus favere videantur, ediderit, tamen cum de hoc argumento distinctius differat, ad multas varii generis Febres hanc potissimum medicinam adhiberi imperat [b]. Ita in Febre forti [c], ubi dolor universum corpus occupaverit, in Lipyria [d], in Volvulosa [e], in Pleuritide [f], quæ quidem Inferior, utpote infra septum transversum sita, dicitur, Purgantia commendat. Pariter in Cholera [g], in Jecoris [h] & Lienis [i] morbis, in omnibus fere Uteri [k] Inflammationibus, etiam aliquando & pulmonum [l], aut ubi capite vulnerato Febris atque Ignis Sacer [m] corripuerint, aut ubi ad Fauces febrilis humor defluxerit [n], eadem omnino medicina libere est usus. Atque ille quidem hanc curandi rationem ita sequitur, ut tum præcipue eam instituí jubeat, quando Febris a Bile redundante [o], quod quidem aliquando fit, oriatur. Denique hanc quasi perpetuam Purgandi regulam in Acutis Febribus ponit, quando scilicet Urina ad crassitiem devenerit [p]: & sane id, uti optimum in Variolis signum est, ita & hoc morbi tempore Purgationem commode instituí posse significat. Nec ea quidem, quam adhibuit Hippocrates, semper ex leniissimo genere: utpote qui aliquando, veluti in Pleuriticis, Helleborum & Peplium [q], valentissima remedia, præceperit. Ita ut, qui Indicem modo Hippocraticum versare calluerit, quinam fuerit viri illius de omni hoc purgandi instituto sensus, haud difficulter elicere potuisset. Neque contra quid facit, si in libello (intelligentium omnium opinione, maxime adulterimo) interdictum esse videatur, ne, nisi "febre jam remissa, & decimo quarto demum "die [r], Purgantibus" uteremur. Quippe si quis legendo ulterius, ad pauciissimos quidem versiculos processerit, quæ sit istius etiam Authoris mens, ubi quid periculi imminuerit, permediocri judicio consequetur. Subdit enim iste [s], "At si hac die superstes maneat, "& una cum Purgatione remittat Febris, sanus erit." Quibus verbis, (inquit [t], scriptor haud vulgaris, Antonius Ponce de Sancta-cruz) "duo aperte insinuat, & purgationem posse fieri, & posse prodesse: "qui locus mihi videtur singularis ad existimandum in urgentia Hip- "pocratem pharmacum exhibuisse minorativum. Nam 1, agit de "Febribus Acutis; 2, postquam timuit, aut abstinuit a Purgatione, "ait 3, si die Purgationis superstes sit æger: explicans in magno pe-

a Comment. in Hippocr. b Aphor. 4. 10. c De affect. 13. d De Veratri usu. e Ibid. f Ibid. & 2. Vict. Acut. 11, 12, 13, & 4, 76. g 4. Vict. Acut. 105, 106. h Intern. affect. 38. & Seq. i Ibid. 33. & Seq. k De Morb. lib. 3. l Ibid. lib. 2. m De Vulner. cap. 27. n Vict. Acut. 4. 37, 38. o De affect. 13. de intern. Affect. 38. & Seq. De locis in Homine 38, 39. de Morb. 2. 35, 36. p Vict. Acut. 4. 43. q Vict. Acut. 2. 11. r ἀπὸ τεσσάρων. 4. s Ibid. 5. t Imped. magn. Auxil. lib. 3. c. 12.

" riculo conſtitutum ægrum bibiſſe Pharmacum, & profuiſſe. Ergo " iniquum eſt non tentare iſtud auxilium, quod in ſimili periculo " unicum reſtat."

Sed hanc Hippocratis doctrinam, uti optime intellexit, ita paſſim acerime vindicavit Galenus; putridam materiam, ubi corpori inhæſerit, ſola Purgatione abducendam eſſe pronuntians[a]. Iique, qui in Veterum ſcriptis ſive interpretandis ſive excolendis diligentius elaborarunt[b], de hac Febrium curandarum via fuſius ſunt locuti: ita ut nemo jamdiu ſit, qui, ubi Putridi humores Febri ortum dederint, eos purgatione evacuandos eſſe non cenſuerit, quæ, ut cum Fernelio loquar, Cacochymiam[c] una ſubtrahit. " Sic ſæpe, uti idem " ſcriptor de Febribus etiam locutus obſervat, artis uſu animadverſum " eſt, crudioris humoris purgatione, ſive ſponte, ſive arte ea conti- " giſſet, accelerari Concoctionem, moxque urinas puriores & cum " ſedimento fieri, & ancipitem periculoſumque morbum tutum ſa- " lutaremque reddi." Neque veriti ſunt illi ſe, hac purgandi ratione, aut Bilem aucturos eſſe, aut nimium in ſanguine calorem excitaturos; cum & mitiora mediæque materiæ fuerint, quæ in hac Febrium putredine ſuaderent: id quod etiam in hac, quam ſequimur, Variolarum curatione tenendum eſſe docuimus. Hos adeo ſecutus Sydenhamus non modo in Peripneumonia[d] Notha, ſed & in Hyemali[e], quam vocat, Febre, a ſuccis putreſcentibus orta, evacuantibus unice innititur: notatque eam, " poſt unicam Phlebotomiam, & tres purgationes, ut plurimum ceſſaſſe." Imo in ipſa Febre Peſtilentiali[f], quæ anno a peſte proximo vehementer ſæviit, auſus eſt, præmiſſis quæ Sudores uberrime provocarent, " poſt vi- " ginti quatuor horas Catharticum propinare:" Quam quidem medendi rationem ita ex voto reſpondiſſe gloriatur, " ut ne unus qui- " dem fuerit, quem eo morbo laborantem amiſerit."

Et certe ſunt Febres, ſive eas Malignas ſive alio nomine vocaveris, ubi diutius inhæſerint, neque integra aliqua intervenerit Criſis, quæ nullam fere aliam curationem recipiant, niſi lenioribus Catharticis inſtitutam. Hoc quidem quotidiana teſtatur experientia; noſque nuperrime in ægrotis tribus, exemplo ſatis memorabili, veriſſimum eſſe percepimus. Omnes hi Febre fere ſimili correpti: quæ, utcunque continenter detinuit, nunquam ad inſignem aliquem caloris gradum eſt evecta: aliquando etiam remittere viſa. Omnibus Caput mirabili modo per plurimos dies tentarum: ita tamen ut hic, vel delirantis vel fatui more, perpetim decubuerit; ille, non modo veterno, Lethargici inſtar, ſed ſingultu per undecim continuos dies, quod quidem perrarum eſt, laborarit; tertius autem, tum Vocis facultate amiſſa, tum nervorum diſtentionibus per intervalla obortis, horrendo fuerit ſpectaculo. Febris omnibus ultra Viceſimum diem producta: omnibus ita jugi tenore incubuit, ut, nihil prorſus valente Medicina, per univerſum fere Octiduum vitæ mortiſque mo-

a Meth. Compoſit. paſſim. b Proſper. Martian. in Vict. Acut. 386. Valeſii Meth. Med. lib. 2. Lommius de Febrib. Hercul. Saxon. 654, &c. c Meth. Med. 83. d Conſtitut. Ann. 1674, 1675.
e Poſtſcript. ad Edition. 1685. f Ann. 1665, 1666.

menta

menta quaſi æqua lance pependerint: omnes tamen debitis intervallis cautionibuſque iterata purgatio ita ſublevavit, ut hac plane medendi via ad ſanitatem tandem pervenerint. Quidni ergo eadem in Variolis locum habere poſſit Medicina, ubi, iis jam ad maturitatem ſuam perductis, materia putris, in ſanguinis vias refuſa, febrilem æſtum commoverit? quem quidem nullo pacto conquieſcere poſſe ſæpe experimur, niſi ea aliquo modo foras iterum e ſanguine fuerit extruſa. Hoc ut commode fiat, periti eſt Artificis: nam, uti occaſio ipſa ſatis eſt præceps, ita tum judicium in hac re peracre, tum aliqua etiam exercitatio requiritur. Multæ quippe res id difficile inſcio faciunt, quod uſum habenti expeditiſſimum eſt. Is vero, qui hanc habet intelligendi ſapientiam, facile diſpiciet, quas ſequi cautiones, quæ tempora eligere debeat, ut hæc de Variolarum curatione præcepta ad præſentem morbum accommodet. Quæ tamen ita pro ſua prudentia accommodabit, ut ſæpiſſime quidem, ubi ad febrem depellendam ipſa per ſe ſatis valeat natura, interdum etiam ubi, Febre utcunque depulſa, nihil ea prorſus valitura ſit, Purgantibus ſi non abſtinendum, ſaltem parcius eſſe utendum cenſeat. Quippe ea, quæ de hac Variolarum curatione diſſeruimus, ad id periculi, quod a Secunda Febre imminet, unice collimant: de eo morbi genere, in quo febris infra mediocritatem ſubſtiterit, & ſponte prope ſua ceſſura ſit, non loquimur. Nimirum Medicina hac uti, niſi in malis vehementibus, ſupervacuum: in deſperatis vero, ut importunum, ſic & inutile.

Sed quid cum iſtis Opinatoribus, qui ne ſemel quidem hanc medendi rationem experti ſunt, nec, ſi experiri nolint, unquam percipere poſſunt, argumenter ultra ac diſſeram? quid rationibus, in re admodum manifeſta, pugnem? ad Experientiam provoco: ſit ea hujus, quicquid eſt controverſiæ, moderatrix atque arbitra.

His, quæ in Medentium, non in Nutricularum gratiam ſcripſi, ii qui jam in Medicinæ curriculo verſantur mecum una, ſi ita libuerit, utuntor: ſin minus, per me licet, ea rejiciant. Mihi quippe cum captioſis hominibus diſceptando tempus terere nec vacat, nec lubet. Etenim quod mihi ſupereſt ævi, non frivolis cavillationibus excutiendis, ſed vitis hominum, qua maxime poſſim via, conſervandis unice inſumam. Conſulerem tamen, ut iſti, qui noſtra vel inſcienter vel malevole inſectantur, hæc, Medici quondam celeberrimi, Fr. Valeſii, de Purgatione etiam in Febribus locuti, verba diligentius perpendant. "Hic imprimis certabitur experimentis; Hi pro-"fererent ſua, vidiſſeque ſe jurabunt haud dubie feliciſſima: illi "negabunt ſe vidiſſe ulla, niſi infeliciſſima. Hos ergo neceſſe eſt "fateri, ſe aut plurimos tentando læſiſſe, aut nunquam, rarove ten-"taſſe, ſed ob juratam opinionem abſtinuiſſe. Utraque cauſa, ſunt "indigni fide: præterquam quod jure ſunt Teſtimonia affirman-"tium, quam negantium efficaciora [a].

[a] Method. Med. 4. 2.

Sæpe

Sæpe utique nobis bilem, ſæpe etiam & riſum commovit iſta futilium & (ita ſibi videntur) Philoſophantium hominum toties repetita oratio, qua Naturæ ſemper obſequendum, Natura viam monſtrante, eundum eſſe prædicant: quaſi vero ſoli hoc ſcirent Artium omnium & literarum expertes; quaſi ad hoc minus valerent antiquorum ſcriptis adjuti & diſciplinis inſtructi. Quid aliud egerunt Viri ingenio & doctrina præcellentes, illi inſtaurandæ Medicinæ inter Græcos & Arabas principes, quam ſibi propoſuerunt ſtudiorum metam, niſi ut id ipſum intelligerent, Naturam ſequi: ita tamen ſequi, ut Arte eam, ubi opus eſſet, inflectere & regere poſſent? Nullus itaque ex eorum Vigiliis ad nos fructus redundabit? nulla ab eorum Experientia, Hiſtoriis, Inſtitutis petenda ſunt in miſerorum ſalutem auxilia? Quoniam ſcilicet probi eſt Medici, id unum attendere, quid ipſa ſignificet Natura. Næ illi, ita qui ſentiunt, ſuo mentis acumini plus æquo confiſi, Naturæ vocem haud facile capient; neque quid illa indicet, neque qua ope indigeat, neque qua ratione ſublevanda ſit, intelligent.

Contemptis itaque hiſce minutulis Philoſophis, Tu, Vir Eruditiſſime, adhuc inſiſtes eam, quam multa cum laude jam diu inſtitiſti, viam: nec pudebit Te, quantumvis ingenii viribus valentem, quæſiſſe tamen undique adjumenta doctrinæ. Perges ampliſſimam illam, qua inſtructus es, librorum copiam perluſtrare: &, ut facis, plurima exinde in quotidianum medendi uſum excerpere. Perges ex alienis laboribus, Tuo judicio, acri illo & ſubtili, fretus, non minus quam ex Tuis proficere: & ſi quid forte in his etiam chartis occurrat, quod velis proprium feciſſe, (quanquam pauca occurrent, quæ non ſunt jamdudum Tua) id, a quantulocunque licet Authore prolatum, haud aſpernaberis.

Londini, Sept. 20, 1719.

Dum hæc ſcriberem, Medicorum & humanitate maxima & eruditione præſtantium literas accepi: quas, quia totum hunc de purgandi ratione locum non minus accurate quam eleganter illuſtrent, Tibi haud injucundas fore polliceor.

Vir Ornatiſſime,

UNAM, eamque, ni fallor, ſatis notabilem promiſi Tibi Hiſtoriam. Me tandem abſolvo, atque unam aut alteram addendo, morarum mihi a Te excuſationem facile polliceor, quas, niſi valetudine mea propria impeditus, non feciſſem.

Hiſtor. 1. Amabilis Juvenis, per aliquot menſes, Oxonii graſſantibus Variolis, iiſque mali ſatis moris, vitam tutus degebat. Poſtulabant tandem ſubita negotia, longum iter ut faceret. Prædixi, eum, mutato aere, inſuperque equitando, Variolis correptum iri; ideoque, primis urgentibus ſymptomatibus, omnino ſuaſi, Venam ut ſecaret, & Emeticum ſumeret. Et ſic ſe res habuit: Variolis Confluentibus correptus, Pharmacopœo ſolum adſtante, uſque ad diem Nonum, nulla fere uſus eſt medicina. Ingruente vero periculo, Ego accerſor: interea tamen Vir mihi Amiciſſimus Dr Burton vocatus, cum fortuito in his eſſet partibus, ægrum inviſit, eique Cardiaca quædam, Hauſtumque Paregoricum exhibuit, Veſicatoriumque Nuchæ appoſuit. Die Solis, Decimo ab Eruptione, mane veni. Tota ejus facies unica fuit cruſta, Pergamenæ vel Parietis albi potius ſpeciem referens. Totum corpus ita Puſtulis ubique Confluentibus obſitum eſt, ut nihil, niſi Puſtulæ, cerni omnino poſſet. Vires tamen adhuc integræ. Urina copioſa, ſputumque laudabile. Eodem die, Oxonium reverſus eſt Dr Burton, nil boni mihi de Ægro augurans. Veſperi valde exardere cœpit febris, maximaque ſupervenit inquietudo. A Cardiacis tum omnino juſſi adſtantes deſiſtere, & leve tantum Paregoricum dedi. Mane paululum ſomno videbatur recreatus; ſymptomata erant fere, ut antea, niſi quod Urinam, quam tunc & ſemper copioſe ſatis emiſit, limpidam prorſus, & pallidam, ſine ullo colore eſſe obſervavi. Phreneſin merito ſuſpicatus ſecuturam, ut apponerentur brachiis Veſicatoria, curavi. Intra tamen duas horas maxima ſupervere deliria, & Phrenitis, ita ut in lecto vix potuerit coerceri. Hauſtum præſcripſi Narcoticum, intra ſex horas repetendum. Veſperi tandem, in eadem perſiſtens Methodo, temperata debitis intervallis Cadiaca exhibens, omnia in melius mutata vidi. Adeoque uſque ad diem 13^{ium} ſatis feliciter proceſſerunt res. Ipſum Sputum, ope Gargariſmatis, non defuit: nec urina, licet adhuc pallida. Puſtulæ tamen circa univerſum corpus,

manus & pedes, quas intumeſcere, & pure tunc impleri ſperaveram, jam omnino flaccidæ, vacuæque deſederunt. Mane ſponte dejecit Alvus uſque ad decies. In Sputo, æque ac in Sedibus, paululum ſanguinis apparuit. Urina ſponte, eoque neſcio, excernitur. Frequentes Spaſmi, Sopor, Coma, Deliria. Pulſus ita exiliſſimus, ut illum vix omnino ſentirem. Uno verbo, ita moribundus, ut tantum non mortuus eſſet.

Interea fluxit Alvus vehementer, ita ut, exhibito Rhabarb. torrefact. gr. xx. in Hauſtu Decocti Albi, dicto citius, immutatum prorſus per Ventriculum & Inteſtina tranſiret. In arduo hoc rerum ſtatu, Bolum Stypticum dedi, qui fœliciter ſuas partes agens, ſiſtebat fluxum. Veſicatoria tibiis appoſui, Hauſtumque dedi e Narcoticis & Alexipharmacis, ad naturam laſſam paululum recreandam.

Melius, quam ſperaveram, omnia evenerunt. Veſicatoria, ut prius, optime reſpondebant. Somnum habuit, eumque non valde inquietum. Vireſque videbantur aliquantulum redintegratæ. Die vero 14, mane rediit Diarrhœa: juſſique propinari Tinct. Sacr. ʒij cum Syr. Rhab. ʒj: ſic, ut Natura Medicuſque ſimul, intra xij horas, ei alvum ſolverent quindecies, Cardiacis interea non neglectis. Ipſe etiam Tu, Vir Egregie, miratus forſitan paululum fuiſſes, ſi hanc ſubitam felicemque omnium ſymptomatum mutationem ſpectaſſes. Die 15, Puſtulæ in manibus & pedibus retumuere; & 16, ſeparavit ſe Urina, bonumque nacta eſt colorem. Veſperi tamen ſponte fluxit alvus iterum; ſumpto vero Opiato, requiem aliquot horarum habuit Æger. Die 17, rediit mane Ventris ſolutio. At cum bonas forteſque jam viderem ægri eſſe vires, protinus juſſi dari Catharticum e Decoct. Sen. Gereon. & Syrup. de Sp. C. Die tandem 18, e lecto ſurrexit. Jam periculo liber (oculis tunc primum a diebus tredecim apertis) debitis uſus methodis, ad confirmatam rediit ſanitatem. Hoc tamen credo raro contingere, ut intra dies quinque, (a die Mercurii ſcilicet, ad noctem diei Dominici) fere centies ſolveretur alvus.

Hiſtor. 2. Mulier Variolis Confluentibus correpta eſt. Innumeræ in cute apparuere Puſtulæ, quæ tamen nullo modo, ut debuerant, tumuere. Temperatis Cardiacis & Anodynis fruſtra per aliquot dies uſurpatis, Die 5, applicatum eſt Veſicatorium Nuchæ, quod feliciter ceſſit, Puſtulæque recte procedebant. Die vero 6, veſperi omnia ruebant in pejus. Cadebant Puſtulæ: ſupervenit Micturitio: Urinæ involuntaria emiſſio, poſtea per horas triginta totalis ſuppreſſio: Delirium, Sopor, Pulſus exilis, & quid non mali? Die 7, mane, duo Emplaſtra Epiſpaſtica applicata ſunt brachiis, exhibito quoque temperato Cardiaco. Nihil fecerunt Emplaſtra: Veſperi, alia duo tibiis apponi juſſi, & Cataplaſmata pedibus. Injectum fuit etiam Enema, ſine effectu. Mane, 8, nihil eſſe proficuum cernens, ac Pulſum vix ac ne vix quidem ullum ſentiens, omnibuſque adſtantibus, de ea plane actum eſſe, clamantibus, Cathar-

ticum

ticum exhiberi juſſi: Decoct. Sen. Ger. ʒ iij. Syr. de Sp. C. ʒ j. Tart. Vitriol. ℈ j. Aq. Mir. ʒvj; quo non operante, Enema aliud adhiberi juſſi. Tunc quidem res peracta eſt; intra etenim ſex horas vel octo, ſexies vel ſepties largiter dejecit alvus. Mirum eſt dictu: veſperi, Veſicatoria omnia optime reſpondebant. Ope Gargariſmatis, provocatum eſt laudabile Sputum. Die vero 11, Puſtulas non omnino tumeſcere obſervans, Ægramque morbo adhuc plane oneratam, aliud Catharticum dedi, optimo cum ſucceſſu. Nec poſtea mali aliquid minatus eſt morbus, niſi quod, in Variolis tam confertis & Confluentibus, accidere debet atque etiam expectari.

Hiſtor. 3. Ancillam curo nunc, in caſu perquam ſimili; niſi quod Veſicatoria nullo modo partes ſuas egere. Adfuit ſpirandi difficultas, unde Venam ſecandam eſſe judicavi. Et a die Nono ad 14, quotidie Catharticum, aut Enema præſcripſi. Die 9, tredecies ſoluta eſt Alvus. Sæpius quoque ſumſit Oleoſam Mixturam cum Oxym. Scill. quæ Sputationis vices fœliciter ſatis ſuſtinuit. Dies eſt jam Decimus octavus, & a Variolarum periculo omnino liberam eſſe ſatis liquidum eſſe judico.

Hiſtor. 4. Puella ſatis robuſta laboravit atroci dolore capitis & dorſi, cum nauſea, & ventriculi tenſione, circa tempus, quo expectavit Menſes. Iſtis vero non fluentibus, Pharmacopola per triduum Chalybem, cæteraque id genus dedit. Puella vero magis magiſque querente, vocatus tunc primum apparentes facile cernebam Variolas; Venamque protinus ſecari juſſi. Die 4, ingens deſcendit Menſium fluxus, & Alvi, qui per tres fere dies, at moderate ſatis duravit: Territæ ſunt fœminæ atque etiam Pharmacopola, & feſtinabant ſolicite hanc ſiſtere, quam vocabant, Diarrhœam. Ego vero aliter judicans, contrarium ſuaſi: nec omnino dubito quin tota puellæ ſalus in fluxu poſita fuerit. Iſta via expulit Natura Chalybem adeo inopportune adhibitum. Præterquam quod, non facile fore arbitror, Alvi fluxum cohibere, niſi ſimul quoque Menſes ſupprimantur. Nolo hic ratiocinari, ſed ita ſe res habuit, ut per iſtos dies temperatis Julapiis & liquoribus ſolummodo adhibitis, convaluerit Puella.

Nudas haſce Hiſtorias, Vir Optime, ſic dimitto: ſi quid in iis ſit notatu dignum, Tu abunde ſcis id obſervare. Miror tamen, tam Rationalem Catharſeos praxin tot adverſarios habere. Certe aut non legunt, aut non intelligunt. Omnes enim fere, quos adhuc huic Methodo objicientes audivi, pro re conceſſa ſumunt, quod in omnipus Variolis, in Febre Secundaria, Catharſin ſemper eſſe neceſſariam, aſſeratur. Utinam ſane adeo certa eſſet in Variolis Praxis ulla, quæ iis tam facile mederetur, quam Cortex Intermittenti Febri. Sed totum, quod de hac Methodo aſſeritur, hoc eſt, quod, "poſitis "quibuſdam Caſibus & Circumſtantiis, ſpes omnis eſt in Catharticis." Nolo te hic meis, Vir Egregie, interpellare ratiociniis: attamen credo,

do, ſi rem bene perpendamus, eam totam ad univerſale hoc Theorema, demonſtratu non perquam difficile, poſſe reduci: Viz. "Quod, in omnibus omnium generum Morbis, ubicunque & "quandocunque adſit, vel immineat Conſtipatio vel Plethora, "ibi Catharſis rite peracta, beneque diſpoſita, ſemper ſit non "tantum tuta, ſed neceſſaria." In Plethora, (omnigenam Plenitudinem intelligo) plerumque etiam neceſſaria eſt Venæſectio. In Febribus quidem Inflammatoriis, atque quibuſdam Putridis, per Symptomata ſatis liquido innoteſcit Plethora. In Variolis vero Confluentibus ſæpius eludit Medicos. Dummodo etenim Variolæ ſuas agunt partes, ſi rite tumeſcant Puſtulæ, ſi Sputum, atque Urina copioſe fluant, omnia bene procedere, nec inique credunt. Nihil tamen frequentius eſt, quam talem ægrum, poſt Criſin diem unum vel alterum, repentina quaſi morte occumbere. In Plenis his, Oneratiſque Caſibus, utcunque optime procedant Secretiones, omnino neceſſaria eſt, neque ea ſera, Catharſis. Ipſa mera quantitas Morbi facit Plethoram, & requiritur Exinanitio, Naturæ opitulatrix. Hoc Plethoræ genus frequenter habet comites, ſpirandi difficultatem, Phreneſin, deliria, inquietudinem maximam, ſomnique defectum: non raro tamen, ob ipſam Plethoram, Pulſum lentiſſimum. Per Conſtipationem intelligo, iſtum Animalis Oeconomiæ ſtatum, ubi Secretiones omnes, aut ſaltem quædam, non omnino, aut non recte, peraguntur. Hoc nimis frequenter accidit ex nimio & pertinaci Calidiorum Alexipharmacorum uſu: quæ ſi, intra debitum tempus, ſuum non producant effectum, non tantum fruſtra, ſed cum certo periculo ſemper uſurpantur; idque non ſolum in Variolis, ſed & Febribus Putridis, iiſque præſertim mali moris. Sed & aliquando accidit Conſtipatio ex mera Naturæ imbecillitate, ex tono fibrarum molli & laxato, maliſque ſtaminibus. In hoc caſu tamen valet Catharſis.

Hiſtor. 5. Nuperrime Juvenis tenellæ hujus Conſtitutionis Variolis Confluentibus correptus eſt. Pulſus fuit exilis, vires paucæ. Juſſi Pulv. e Chel. Canc. C. ℈j dari 8 qualibet hora. Poſt duas doſes, profluxit ſanguis e naribus (licet Vena antea ſecabatur) uſque ad ℥xvj, & difficulter ſatis tandem ſiſtebatur. Cardiaca adeo temperata Vaſa ejus tenuia non ferebant: ſine Cardiacis tamen languebat. Urina ſemper large fluebat, & Sputatio. Die 9, ingruit delirium, ſopor, & Puſtularum totalis depreſſio. Nuchæ & brachiis appoſita ſunt Veſicatoria, quæ prodigum humorum ciebant fluxum; ea tamen non omnino ſenſit æger. Die 10, Veſicatoria tibiis etiam appoſui, quæ bene etiam ceſſere. Hæc tamen omnia morbo non ſuffecere: vitam quaſi traxit. Die 12, lene dedi Catharticum: quod, die 14, repetitum eſt. Et ſic denuo convaluit æger. Ita ut hic Tenellus, qui nullum fere Medicamentorum genus, præterquam Anodyna pati potuit, Catharticorum ope evaſerit ſanus.

Quin

Quin etiam Conſtipatio non tantum in Criſi, vel Febre Secundaria, ſed quandoque etiam in initio accidit: Puſtuliſque tunc non recte procedentibus, cæteriſque remediis non reſpondentibus, lene opportunumque Catharticum exhibendo, ſæpius mala omnia abegi ſymptomata, quæ in Criſi tot minarentur tragœdias. Hanc Praxin a Patre meo jamdudum didiceram, qui, meipſo & aliis plurimis teſtibus, felici hanc cum ſucceſſu ſæpiſſime uſurpavit. Et, revera, fere ſemper mites evadunt Variolæ, quibus vel Emeticum ex Ipecacuana, ut ſolet, vel ipſa Natura in principio dederit aliquas Alvi dejectiones. Quam vero apta ſint ad Puſtulas protrudendas Cathartica, Meatus ſcilicet Cuticulares detergendo, Naturamque quaſi emancipando, hoc breve accipe exemplum. In Menſe Maij, Ego Febre correptus ſum, cujus Hiſtoriam non narro. Poſt aliquot dies, febris videbatur ſoluta. Aliqua tamen ſuſpicio Medicis oriebatur de eruptione Puſtularum quarundam (vulgo Raſh vocata.) Lecto igitur & Sudoribus ſui conſignatus; admota ſunt etiam & Veſicatoria. Poſt ſex dies autem, Urina, Lingua, Pulſu, febrem ſolutam indicantibus, nec tamen erumpentibus Puſtulis, me ſurgere juſſerunt Medici, proximoque die Enema injectum eſt, Alvo ſatis rigide aſtricta. Intra diem unum vel alterum Catharticum dedere, & veſperi Hauſtum Paregoricum. Lectum ingreſſus, dicto fere citius, me ſenſi per totum corpus uri & vellicari, tanquam a Veſicatoriis. Sudore prodigo ſum perfuſus, qui per tres vel quatuor horas duravit. Deinde dormiebam. Mane me tot Puſtulis confertum vidi, quaſi ipſis Variolis eſſem correptus: quæ quidem eruptio duravit vehemens uſque ad duos Menſes.

Uno verbo, ſimplex in ſuis ſemper eſt Natura viis, nec eſt quod agat Medicus, niſi ut eam ſequatur. Quibuſcunque vero placeant nimis Hypotheſes, utcunque docti ſint, in errores ſi incidant non eſt mirum. Veriſſimum tamen eſt, quod multi, maximi ingenii viri, Naturæ ductum non juſte attendentes, ſymptomata pro ipſis morbis curare tentant, adeoque plures faciunt, quam Natura, morbos.

Errorque hic magna ex parte oritur ex confuſa in Libris pleriſque Medicis Diagnoſticorum farragine. Utinam vero Tibi, vel alii cuipiam in rebus Mechanicis & Mathematicis verſatiſſimo, otium foret & voluntas Notas Characteriſticas, & Analogiam Morborum ſerio conſiderare. Atque mihi perſuaſum habeo, fieri poſſe, ut Morborum genera, eorumque in plurimis Caſibus Specificæ Differentiæ determinentur. Deſideratiſſimum hoc opus diu ſum meditatus, tandemque ad Umbilicum duxi. Illud autem legens pluries relegenſque, non tandem id eſſe repperi, quod optaveram: ideoque, quas meruit, dedicavi flammis. At ejus facti me tunc tandem pœnitet; quoniam, utcunque Operi impar, anſam tamen alicui habiliori, ut idem perficeret, forſitan præbuiſſem.

Valeas, Vir magne, & meæ, coram te tanto in Arte noſtra magiſtro, loquacitati indulgeas, nimiumque feſtinanti ſcribere ignoſcas. Diu, precor, hoc ſummo fruaris bonæ famæ culmine, ut, omnes

Docti & Boni, Te Amore & Veneratione, omnes Mali odio, Ignari invidia proſequantur.

Sum Tui Amantiſſimus,

E. Coll. Omn. Anim.
Sept. 10, 1719

Sedgwick Harriſon.

CUM ruri mecum de Evacuantium, & præcipue Purgationis commoditate, in Secunda Variolarum Confluentium Febre, diſſereres, meamque in hac re ſcire velles ſententiam, Obſervationes jam aliquas, quarum veritati penitus inniti poteris, ad Te mitto.

Hiſtor. 1. A. D. 1703, Novemb. 17, Ad juvenem, annos circiter ſeptendecim natum, accerſitus ſum. Variolarum Confluentium acerbiori, quam unquam antea videram, genere laborabat. Illum Duodecimo die, quantum memoria recolo, primum inviſi. Quo tempore Febris Secunda vehementer ſæviebat. Nullam a prima morbi acceſſione dejectionem habuerat. Senſus omnes amiſerat, quanquam delirio vacaret: ſtupidus tamen, & Comate oppreſſus jacuit. Admota ſunt Veſicatoria. Mecum autem interea reputavi fieri plane non poſſe ut mortem evaderet, ſi tanta intro maneret Excrementorum copia, quantam diuturno hoc tempore neceſſario contraxerat. Itaque præcepi, ut Leni Purgatione, ex Elect. Lenitiv. in Aqua aliqua ſimplici diſſoluto, uteretur. Medicina hæc effectum habuit mirabilem; nam, adoleſcentis alvo ter mota, tantam ſecum abduxit materiæ perquam fœtidæ vim, ut aſtantes omnes obſtupeſcerent. Febris remiſit: ſenſus rediere; & paulatim convaleſcens, ſine alius cujuſvis Methodi ope, ad integritatem pervenit.

Hiſtor. 2. A. D. 1717, Maj. 11, Ad Virum, triginta & tres annos natum, Decimo morbi die, acceſſi: poſtquam huic aniculæ Vinum Canarinum Crocumque, ad excitandas, ut aiunt, puſtulas, affatim ingeſſerant. Variolæ erant ex Confluentium genere, eoque haud vulgari. Febris ac Phrenitis ita ſævierunt, ut in lecto a tribus quatuorve hominibus contineri vix potuerit. Itaque Sanguinem copioſe detraxi; unde Febris ad duos vel tres dies haud ita multum imminuta eſt, quanquam aliqua ejus, ſi non intermiſſio, at remiſſio ſaltem eſſe videretur. In ſcripta Tua de hac re nobiliſſima, niſi jam tum, haud incideram; unde in dubio hæſi, an viam a Te præmonſtratam inſiſterem. Itaque Corticem Peruvianum ad duos vel tres dies præſcripſi. Sed cum ab hoc parum auxilii perciperet æger, & Decimo quarto jam die de vita periclitaretur, Veſi-

catoria

catoria adhibui: & præparata prius Clyſtere hominis alvo, & poſt ejus rejectionem, præcepto Anodyno, purgationem (prima jam vice ex quo Librum Tuum perlegeram) inſtitui. Hinc ad ſanitatem rediit ille, quem omnes qui intererant morti adjudicarant.

Hiſtor. 3. A. D. 1717, Jul. 3, Curæ meæ commiſſus eſt Infans, tres annos natus. Hic, quanquam Variolas comitaretur Diarrhœa, circa diem Decimum vel Undecimum, Secunda Febre graviter premebatur. Eum altero quoque die ad quatuor vices Purgavi, priuſquam Febris diſcuti poſſet, quod tum quidem factum eſt, & Infans brevi convaluit.

Hiſtor. 4. A. D. 1717, Jul. 11, Juvenem, annos circiter ſedecim natum, ab initio morbi curavi. Neminem unquam ita graviter laborantem, qui quidem ſuperfuerit, vidi. Cognati ejus omnes hoc morbo perierant. Decimo ab Eruptione die, Secunda Febris acceſſit. Paregorica, octava quaque hora ſumenda, præſcripſi: ſed nequicquam, cum mala per duos dies ingraveſcerent. Quare Veſicatoria appoſui, Enemata frequenter præcepi, & præſertim inter Purgationis dies. Decimo tertio, Sanguis miſſus eſt, at ſine fructu. Decimo quarto, purgatus eſt: veſperique, hauſtum ſumſit Anodynum; Febris inhæſit, verum haud ita violenta. Decimo ſexto, Purgatione iterum uſus eſt; unde Febris intermiſit. Corticem, & Anodyna adhibui; tamen adhuc revertebatur Febris. Quamobrem res haud ex ſententia procedere animadvertens, cum & Febrem immorari, & Appetitum deeſſe perciperem, Experientia jam paulo audentior factus, Aug. 2, & morbi Viceſimo ſecundo die, Purgantia, refragantibus omnibus, rurſus præcepi. Tum vero Febris penitus excuſſa eſt, rediit cibi cupiditas, vires ſuas mirum in modum reparavit, brevique temporis ſpatio pinguis validuſque evaſit.

Hiſtor. 5. A. D. 1717, Aug. 24, Ad Virginem, ſedecim annos natam, Nono morbi die, vocatus ſum. Variolarum Confluentium veriſſimo genere ægrotabat. Febris Secunda jam tum urgebat. Qui curam ejus habuit, quidnam ageret incertus, conſilii ſocium poſtularat. Ego, quamprimum acceſſi, Enema præcepi, quod maximam ſecum materiæ fœtidiſſimæ copiam abduxit, & ſummum adoleſcentulæ levamen attulit. Decimo, poſt meridiem, Lenem Purgationem, ei fere ſimilem, cujus Dr Levett in Literis ad Te datis mentionem facit, imperavi. Suum hæc ita præſtitit officium, ut febris nunquam poſtea reverterit; quanquam Medicus, quo prius uſa eſt, & Nutrix, me illam de medio ſuſtuliſſe palam clamitaverint: quippe qui Praxi in Variolis, ut aſſerebant, nemini prius tentata uterer.

Hiſtor. 6. A. D. 1717, Decemb. 5, Ad virum inviſendum, qui annum agens triceſimum octavum ex Variolis decubuit, Undecimo

morbi

morbi die, nocte media, ſiquidem aſtantes eum jamjam moribundum eſſe arbitrarentur, excitatus ſum. Ego antea, Nono ſcilicet die, ad arcendum, ſi ita fieri poſſet, quicquid mali in flammato hoc & Confluenti, quo laborabat, genere, jure expectandum erat, (præterquam quod Aſthmate vehementiſſime, idque fere continuo, premeretur) Enema veſperi, & Catharticum proximo die adhiberi juſſeram; quorum tamen neutrum factum eſt, cum a me novem mille paſſus degeret, atque adeo hæc ut fierent, uti imperaveram, curare non poſſem. Adveniens Pulſum, maxima cum admiratione, ita vehementem ſimul ac celerem deprehendi, ut ſimilem nunquam antea ſenſerim. Senſus omnes defecerant: neque hominem ullum, neque rem ullam cognovit. Protinus itaque tria Veſicatoria appoſui, Catharticum exhibui, ſanguinem detrahi ad ℥ xiv juſſi. Quamprimum Vena inciſa eſt, ea violentia prorupit ſanguis, ac ſi pertuſa eſſet Equi Vena: eumque ad quantitatem ſupra dictam, intra horæ minutum, effluxiſſe mihi certo conſtat. Intra horas tres, præſentes cœpit agnoſcere; & poſt duas vel tres dejectiones, Febris valde tenuata eſt: ac proximo die, circa meridiem (hora a Venæ ſectione duodecima) prorſus evanuit; homo autem non ſine vicinorum omnium admiratione ad ſalutem perductus eſt.

Plurimos poſſem Tibi ſupra expoſitis caſibus ſimiles enarrare, niſi hos ſufficere arbitrarer ad evincendum, quantum commodi præſtet Evacuatio, & præſertim ea, quæ Purgantium ope efficitur, in Confluenti Variolarum genere, cum Secunda Febris ægrotantem invaſerit.

Id unum adjiciam: quod, quantum obſervatione colligo, Venæ ſectio, in ſupra memoratis caſibus, nullo modo adhibenda ſit, aut hominibus ætate provectioribus, aut fœminis Hyſtericis: ſiquidem iſto modo eventum ſæpius male ceſſiſſe comperi; res autem Lenibus Purgationibus, Clyſteribus, Veſicantibuſque ex toto committenda eſt. Et nuper quidem ſimilibus caſibus bis aut ter interveni, ubi animæ defectio & languor perpetuus, nulla quicquam proficiente Medicina, ægrotantes uſque ad mortem comitabatur.

Sum Tibi ex animo devinctiſſimus,

Aſhfordiæ, Sept. 19, 1719.

Jo. Bate.

JOHANNIS

JOHANNIS FREIND,

AD

Celeberrimum Virum

RICARDUM MEAD, *M. D.*

DE

Quibuſdam Variolarum generibus

EPISTOLA.

RICARDO MEAD, *M. D.*

JOHANNES FREIND, *S. P. D.*

CUM ex inſperato mihi abunde otii ſuppeteret, & animus eſſet in his etiam rerum anguſtiis a nimia ſolicitudine liber, videbar mihi hoc quicquid eſt vacui temporis haud melius conterere poſſe, quam ſi conſueta recolerem ſtudia, & pauca iis, quæ pridem a me de Morbis Acutioribus animadverſa ſunt, attexerem. Et id quidem libentius facio, poſtquam perceperam ex eleganti illo, quem nuperrime dono ad nos miſit Cl. Helvetius, de Variolis libello, graviſſimum hunc Scriptorem, vel noſtris in medendo veſtigiis, vel eadem ſaltem nobiſcum via inſtitiſſe. Etenim opus illud lectitavi, aviditate cum majore dicam, an voluptate: Ita diligenter varia multumque inter ſe diverſa Variolarum genera perſecutus eſt Vir & doctrina & experientia Medica inſtructiſſimus, ita ſapienter omnem curandi rationem tradidit, ut quamplurima, in quibus hactenus fere cæteri defecerunt, hic unus feliciter ſuppleverit. Sed ne hic quidem omnia ita expoſuit, quin Tibi, Vir Amiciſſime, quaſi fato quodam reſervari videatur id provinciæ, ut, quod in manibus jamdudum eſſe ſcio, plenum nobis aliquando des abſolutumq; de Variolarum omnium natura atq; diſcrepantia commentarium.

Hæc adeo ad Te potiſſimum, non tam inſtituti præoccupandi Tui quam provocandi gratia, perſcribo: ſatis quippe habiturus unam aut alteram Hiſtoriam ſtrictim attigiſſe, locum hunc Tibi integrum relinquam.

Diſcretum genus, uti periculo vacuum eſſe, ita quoddam quaſi novendiale opus, quod ipſa per ſe natura ſine medicinæ auxilio expletura ſit, plerique tradiderunt. Id autem haud raro longe ſecus eſſe, & experientia teſtatur, & monuit Helvetius; qui hanc etiam intra ſpeciem Malignitatis notas ſubeſſe advertit, febremque aſſidue inhæreſcere pro maligni humoris temperie diverſam. Et hujuſmodi quidem ille Variolas luculenter ſatis explicavit[a]: ſunt tamen & Interſtinctæ, quæ utcunque notis ab eo deſcriptis careant, ſalutem in diſcrimen ultimum adducunt.

[a] 201, &c.

Rem

Rem liceat exemplis firmare. Puerulus paulo pluſquam undecennis correptus eſt Variolis ita benignis quidem, ut is, cum in tota cute vix quadragenæ puſtulæ exſtiterint, lecti impatiens in cubiculo luderet quotidie atq; obambularet. Nulla prorſus interceſſit moleſtia, donec Nono demum die pro more exareſcerent papulæ. Tum ex improviſo febris vehemens excanduit: ita ut tum primum accerſitus eum & nervorum diſtentionibus exceptum, & lethargo etiam laborantem invenerim. Uti ex Variolarum reliquiis, ſive frigore ſive quo alio caſu in ſanguinem reſorptis, morbum hunc eſſe inductum arbitrabar, ita Evacuantibus præcipue & Veſicatoriis curandi viam ingreſſus ſum. Septimum adeo poſt diem, licet non ſine difficultate ſumma, Febris, quæq; ad illam acceſſerant mala, penitus abacta. Neq; tamen is tragœdiæ finis: propius quippe aliud novum malum, nec opinato exortum. Siquidem Nervi ita reſoluti ſunt, ut univerſi artus a Lumbis uſq; ad pedum digitos motum omnem amiſerint. Neque eum ex hoc luctuoſo caſu aut ætas ipſa pullulaſcens, aut medicinæ ulla vis, niſi poſt experimentum ſemeſtre, expedivit. Humani ſcilicet corporis ea eſt infirmitas, ut aliquando etiam leviſſima labe contactum, vel errore vel incuria, maximis ſit periculis opportunum: quare ille demum in morborum ſcientia ſe plurimum profeciſſe ſciat, qui ne minima quidem contempſerit.

Sed & in hoc Interſtincto genere, & multiplex puſtularum varietas, & magna morbi diſſimilitudo reperitur; ubi nonnumquam & Febris, non minus ac in Confluentibus, intenditur, & periculum æque minatur. Eam quidem, quæ, docente Helvetio[a], ad Tertianæ normam accedit, & certo circuitu invaleſcit, in Diſcretis nondum obſervavi. Eſt vero, ubi ad Pus, uti oporteat, maturandum naturæ robur haud ſufficit: tantumq; abeſt, ut Quarto demum exacto die, papulæ colorem floridum, hoc eſt naturalem, induant, & humore denſo atque concocto, qualis Puri competit, extumeſcant, ut nihil præter laticem quendam pallidum, prætenuem, & pellucentem contineant: unde & hoc genus nuncupatur Cryſtallinum. Quod non modo ad Confluentes Variolas, ut vult Helvetius[b], ſed ad Diſcretas etiam aliquando pertinet. Eſt etiam ubi præ morbi, uti reor, cruditate, ne laticis quidem hujuſce tantillum in cuticulam exudat: elevantur ſolummodo, Veſicarum aut folliculorum ſimiles, pelliculæ rotundæ, concavæ, vacuæ, molles; licet aliquando in ſolidius quid & corneolum indureſcant. Cum hoc idem a rei ſimilitudine nomen Plantis quibuſdam indiderint Scriptores Herbarii, quidni hæc Variolarum Species haud perperam a nobis dici poſſit Siliquoſa. Eſt & aliud genus, de Diſcretis loquor, in quo neq; puſtulis aut lympha ulla illabitur, aut vacui quid ſpatii intermeat: quippe tubercula quædam protrudit natura, extra cutim utiq; extantia atq; prominentia, ſed quæ duritate (uti alias[c] indicavi) ad Verrucas ſimillima accedant. Hæ fere a Quarto die ad extremum uſq; morbi decurſum eandem faciem eandemq; figuram immobiles tuentur. Ma-

a 202, &c. b 208. c Epiſt. de Purgant. 58.

lum

lum hoc cum ſit haud adeo vulgare, exemplo pariter inſigni illuſtrabo.

Vir, confirmata jam ætate atque matura, ægreſcere ſibi viſus eſt, quaſi ex ſuſcepto frigore laboraret. Glandulæ, Salivariæ præſertim, obſtructæ: algoris ardoriſque vices alternæ & repentinæ: artubus, & maxime capiti dolor, iſque acutiſſimus, inhæreſcens. Temporum pulſatio, auriumque tinnitus acceſſit. Ad hæc, quod vulgo in ſiniſtrum omen nec injuria fortaſſe accipitur, animus formidine hanc ipſam ob cauſam perterritus. Sed Evacuantibus tempeſtive adhibitis (in quo quidem fere totius, quæ deinde ſecutura eſt, curationis cardo vertitur) melior rerum ſtatus; Variolæque quæ jam quaſi in procinctu ſtabant, ſatis leniter evocatæ. Earum color, qualem eſſe decebat, vividus: copia, ſi numerum ſpectes, ita non nimia, ut, cum diſtinctiſſimæ eſſent, perampla non in cætero tantum corpore, ſed etiam in ipſa facie intervalla relinquerent.

Tertius, a quo eruperint, dies aliquid levamenti attulit: ita ut, cum cæteris malis, etiam capiti deceſſerit dolor.

Quarto, omnes omnia bona dicere & ſalutem augurari: utpote ægroto, cum alia recte proceſſerint, a multitudine ipſa parum periculi futurum. Neque aliud eſſe debuit Medicorum, qui tum Experientiſſimi aderant, præſagium. Nam Variolæ pro dierum ratione expulſæ ſatis feliciter grandeſcere cœperunt; ſed dormiendi nulla facultas: & veſperi ſane res in deterius inclinata; ſiquidem mente ſenſim labaſcens, interdum aliena loquebatur. Eodem modo & Quintus effluxit dies.

Sexto, idem puſtularum color, eadem moles: par mentis agitatio errorque: nam licet ad vocum vultuumque diſcrimina diſtinguenda ſatis acer fuerit, deliranti ſubinde nulla garriendi ſatietas. Oculi vitrei, ſcintillantes, & orbe perpetuo volutati; eorum vaſa ſanguine admodum tumeſcentia. Somnus, illud laborum omnium & ſolicitudinum perfugium, prorſus aberat. Neque ideo in pulſu motus ille incompoſitus, quem tanta Vigiliarum obſtinatio facile induxerit. Quin ex temperie corporis judicanti, Febris vixdum ineſſe deprehenſa.

Nox proxima magnis in moleſtiis acta. Alia atque alia aut obverſata oculis, aut vanas exterrito oſtentavere ſpecies: ita ut eum jam non intra verba deſipere, ſed furere omnino & bacchari diceres. Adeo neque eſcæ neque potui, nedum Medicinæ, locus fuit.

Septimo itaque, puſtularum idem tenor. Sed neque illæ, neque vacuitates interpoſitæ, ullo modo turgeſcebant. Puris ne gutta quidem apparuit. Verrucas plane agnoſceres, alias ſeſſiles, alias eminentes. Neque eas morbus provectior vel minima quidem ex parte mutabat. Pulſus ſatis valens, & ad normam quam quis crederet adductior. Petechiarum, ut interdum ſolet, germinatio nulla: nullus Salivæ curſus, quem & in Diſcretis (ſecus ac vulgo traditur) ubi confertiores fuerint, aliquoties notavi: nulla ultra mediocritatem Urinæ fluxio. Ea quidem per integrum mali curriculum limpida, tenuis, inturbida; Phreniticorum ſcilicet propria. Adhibita

ſunt Veſicantia; Clyſteres injecti: affixæ Cucurbitulæ: Sanguis demum ex Jugulari vena detractus. Siquidem in hoc ancipiti caſu, Venæ aperiendæ præciditur omnis deliberatio: neque enim in puſtulis, quod retrocedat, materiæ quicquam. Pari modo ac in Morbillis, ubi Pulmonum inflammatio ſuborta ſit, dum defloruerint papulæ, fruſtra expectamus: quippe primo quoque arrepto tempore & quicunque is fuerit dies, ſi mederi volumus, Vena fidenter ſecanda. Is quidem expeditiſſimus Revellendi modus: quamque cæteris, etiam iis quæ in Pedibus fiunt, præcellat Jugularium ſectio, ubi cerebrum afficitur, jampridem ſatis [a] oſtendi.

Hac ultima quidem auxilii via, ad quietem eſt magis compoſitus: ſic, ut aſtantibus obſequens, quicquid oblatum eſt aſſumeret. Sed nondum ulla mentis conſtantia: nec aut ineptire, aut ſuſurrare, aut etiam clamare deſitum. Ita ad ultimum perſtabat inanis illa loquendi profluentia. Acceſſit & hoc infortunii, quod Soporiferis utcunque in ſubſidium vocatis, ſomnum, uti Phreniticis omnibus præcipue neceſſarium, ita perdifficilem eſſe ſentiremus. Vix enim ad horam unam aut alteram in Octavum uſque diem dormitum. Variolarum color etiamnum vividus: neque palleſcere inceptum, donec fere ad extrema ventum fuerit. His adeo aliiſque medendi rationibus fruſtra adhibitis, cum triduum inter tremores & deliria egiſſet, Febricula magis quam febre occupatus, Decimo demum poſt extruſas Variolas die, interiit.

Aperto capite, cerebri vaſa ita extra modum undequaque ſanguine referta ac cumulata intumuerant, ut brevi certe periculum fuiſſet, ne rumperentur illa & diſſilirent. Et quidem rumpi ſæpiſſime, ubi atrocitas morbi Caput præ cæteris corripuerit, docet Cadaverum Sectio.

Jamdudum advertis, Vir ſcientiſſime, quam bene promiſerit Species Variolarum exterior: nam ſub initio & morbi materia modica ſubeſſe, & in ſignis nihil niſi ſalutare videbatur. Sed intus quam contumax atque indomita fuerit mali vis, fidem fecit infelix exitus. Ita vel in Diſcretis cavebit Medicus, ne nimia ſui fiducia, ob id ipſum quia ſint Diſcretæ, periculum abeſſe pronuntiet: cum ſit etiam hoc in genere, quod ſummum ejus acumen exerceat, & medendi facultatem, quantamcunque ille tenuerit, ſæpius illudat. Quod ad has quas recenſui ſpecies attinet, me ſic intelligi volo, non de puſtulis quibuſdam Diſcreto generi hinc inde enormiter interjectis, ſed ubi eæ univerſæ per cutim undecunque effuſæ eandem formam induant, eundemque tenorem conſervent, mihi ſermonem fuiſſe. Cum hæc inquam ſemel fuerit puſtularum conditio, ſive eæ Cryſtallinæ ſint, ſive Siliquoſæ, ſive etiam Verrucoſæ, morbus rariſſime, quantum ego experiundo didici, periculo vacat. Tuum erit, quo maxime Artis auxilio Natura jam fracta atque impotens ſic erigi poſſit, ut ægro ex his anguſtiis evadendi pateat via, explicare. Quippe ſiqui præjudicata opinione hanc vel illam medendi viam perpetuo eſſe tenendam putant, næ ii maximo ſunt in errore. Oportet enim varium ſequi

[a] Comment. Epidem. 31, &c.

curandi

curandi genus: modo Cardiacis, mitioribus ſaltem, inſiſtere; modo ea ipſa negligere: interdum Evacuantibus rem totam committere, interdum iis non niſi parcius uti. Prodeſt in aliis caſibus ſomnum quocunque modo arceſſere; in aliis, ſimillimis licet, hâc medicinâ prorſus abſtinere. Eſt ubi præ cæteris ipſum Variolarum ſtatum & tempora intueri convenit; eſt ubi id ipſum erit inutile. Siquidem frequenter his in rebus non modo ad Pulſum, (cujus quæ ſit aliquando vis, ut alii nimis facile negligunt, alii licet ei tangendo inſenuerint, ne intelligunt quidem) ſed ad Spiritum maxime reſpicere debet peritus artifex; & inde potiſſimum opitulandi indicia optima arripere. Tu, qua es Experientia, hoc omne quicquid eſt ſive difficultatis ſive judicii expedies: id enim a Tuis lucubrationibus jure videmur expectare, ut, quemadmodum cæteri item hanc Artis ſubtilitatem conſequantur, efficias.

Sed ad argumentum revertor. Variolis inter initia, & ſub ipſo etiam incremento, ſignum commune, Delirium: idque per ſe parum fatale. Sed hic quoque advertis alium fuiſſe morbi curſum, neque, niſi Quarto poſt puſtulas excluſas die, Phrenitin acceſſiſſe. Eam quidem, ubi hoc tempore poſt Variolarum exitum ſupervenerit, tam mali ominis notam cenſeo, ut, qui hoc periculo conflictatus ad ſanitatem pervenerit, fere neminem adhuc viderim. Hæ Species ab iis, quas Diſcretarum nomine adumbravit magis quam expreſſit Sydenhamus, quam longiſſime abſint, vides. Ille fere non niſi benigniſſimas deſcripſit: in his, cum morbi forma diſſimillima ſit & temporum momenta multum diverſa, alia itidem tenenda erit medendi ratio.

Reſtat & alia Species, Confluentium quidem ut plurimum comes, non tamen ita conſtanter propria, quin & Diſcretis aliquando conveniat. Hæc Variolarum omnium longe teterrima: eam intelligo, in qua per corporis meatus, modo hos, modo illos, Oris puta, Urinæ, Alvi, &c. effluit diſſolutus ſanguis. Vidi mulierem, cui citra moleſtiam ullam repente & uno quaſi impetu eruperint Variolæ, Diſtinctæ illæ quidem, licet numero haud mediocri. Per biduum omnia pro voto ceſſerunt; puſtulæ cum ſatis elevatæ, tum coloratæ & floridæ. Sed unius noctis ſpatio, eæ ipſæ cunctæ in lividas & purpuraſcentes verterant, luctuoſi nimirum exitus prænuntiæ. Nam ſuborto per Urinæ vias Sanguinis profluvio, brevi extincta eſt.

Vidi etiam, ubi & in Cohærentium genere, & corpore inſuper robuſtiſſimo, hoc exitiabile malum exſtiterit. Ante eruptionem nihil ſingulare; communia tantum ſigna præceſſerunt. Protruſis Variolis, omnia quieta; neque quicquam ei condoluit. Puſtulæ depreſſæ, ſic tamen ut extra cutim Verrucarum more, eminerent. Puris ne veſtigium quidem ullum. His autem aliæ hinc & inde interpoſitæ papulæ, tum Cryſtallinæ, tum Siliquoſæ. Sed eadem prorſus puſtularum facies ad octo uſque dies conſtitit. Atqui nec tantillum febriculæ acceſſit. Secundo die, Sanguinem ore expuit, dolore omni & Tuſſi vacuus. Et hunc quidem jugiter curſum tenuit Sanguis, ut ſingulis diebus libra ad minimum profluxerit. Ille interim, ut ſuæ

omnino

omnino mentis fuit, ita integer ſibi viribus videbatur. Sanguis ſemel atque iterum detractus: & adhibita illa, quæ, Arabum propria, ex Aſtringentibus atque Acidis conſtat, quæque huic generi maxime convenit, medendi ratio nequicquam. Octavo quippe, alvus multum cruoris demiſit: unde æger ſenſim collapſus, animam placide expiravit.

At omnium in hoc genere, quibus interfui, notabilem imprimis minimeque vulgarem caſum ſinas me Tibi paucis exponere. Mulier adulta jam ætate, cuique roboris multum ſuberat, ex morbo decubuit. Nam præterquam quod Febris aliquantulum incaleſceret, is dorſo infimo inhæſit dolor, quaſi Serra circumſecaretur: qualem in ea morbi Specie, quæ a Medicis Lumbago dicitur, ſentiunt Rheumatici. Neque per triduum de acerrimis hiſce cruciatibus quicquam remiſſum. Tandem præter expectationem emicuerunt Variolæ, exiguæ, rutilantes, flammeæ; confertæ quidem, ita tamen fere paribus intermiſſæ ſpatiis, ut inter ſe parum contingerent. Per biduum adeo puſtularum in eodem ſtatu permanſio. Tertio autem, dolor omnis cum febre evanuit. Quarto, puſtulæ paulo magis ad livorem inclinatæ: ut tum vi multa, tum copia ingenti per Urinæ itinera erupit Sanguis; neque malum hoc aut poſtridie, aut die perendino compreſſum. Sexto enim, cum jam prorſus exhauſto Sanguine atterentur vires, unaquæque prope (quantum oculis ſequi licuit) puſtula, tanquam acu punctim inciſa, ſe ultro diſrupit: a qua veluti a Centro minutiſſimi tractus, Sanguine interſtincti, Radiorum more, ducebantur. Itaque brevi mors, eaque minime difficilis, ſubſecuta eſt.

Id autem in hac Specie quaſi perpetuum notavi, quod licet modo ſine moleſtia omni, modo non ſine angoribus maximis prodeant Variolæ, ultimos tamen dies, & Febre & dolore atque alienatione mentis omni liberos omnino extitiſſe. Sed heu! fallaces quietis induciæ, & inanis noſtra omnis contentio! neque enim quiſquam, quæcunque per medendum experimenta agerentur, quantum mihi ſaltem videre contigit, hujuſce morbi difficultates eluctatus eſt.

Sed de acerbis hiſce caſibus plus ſatis. Vereor enim, ne non tam Epiſtolam, quam libellum ad te mitti credas. Id autem unice volui, ut Tibi non nimium feſtinanti hos quaſi quoſdam ſtimulos admoverem. Multa habes de omni Variolarum genere, multa de earum vario curſu domi exarata; plura de optima curandi via ex tuo proprio penu potes adjicere: quæ adeo cum ab aliis fere adhuc intacta fuerint, ut ea demum elucubrata atque perfecta nobis aliquando impertias, haud fruſtra de Te pollicemur. Vale, Vir Amiciſſime; & ſcias hoc mihi nunquam eripere poſſe Fortunam, ut, quibuſcunque in locis fuero, eam quam debeo, memoriam Tui conſervem.

Mart. 30, 1723.

P. S. Ego ſcribo hoc, cum permiſſione atque etiam indulgentia Præfecti, in præſentia Warderi: qui cum in ſcribendo me non multum adjuvet, facit, quod tibi gratum fore reor, ne longior ſim.

Oratio

Oratio Anniverſaria

IN

Theatro COLLEGII Regalis
MEDICORUM *LONDIN.*

HABITA,

Ex HARVÆI inſtituto,

In eorum commemorationem

Qui ſua in hoc COLLEGIUM beneficentia claruerunt.

Die xviij OCTOBRIS, Anno 1720.

BPPPP

Collegii Regalis Medicorum

PRÆSIDI CLARISSIMO,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS,

Anteceſſorum munificentiam æmulantibus,

Hanc de Viris erga idem COLLEGIUM beneficis Oratiunculam,

HARVÆI auſpiciis inſtitutam,

Suorum Hortatu COLLEGARUM juris publici factam,

Ea qua par eſt Obſervantia, D. D.

JOHANNES FREIND.

SI de Literis & Republica bene mereri honeſtum ſit & glorioſum, ſi etiam bene merita laudibus proſequi haud illaudabile, utroque hoc nomine, mihi Vobiſque, Socii ornatiſſimi, ſe commendat hodiernus dies, qui & Auditoribus præbeat luculentiſſima virtutum exempla, & uberrimum Oratori dicendi campum aperiat. Quod ſi in eo eximie fecerint Græci Romanique, qui exequias civium pace vel bello præſtantium oratoria etiam commendatione honeſtabant: ſapienter certe & præclare cavit Vir Illuſtriſſimus, rerum gnarus poſteriſque proſpiciens, ut in hominum de nobis optime meritorum retro jam eamus memoriam; ut eam, ad quam quotidie admonemur, quotannis ſaltem inſtauremus Panegyrin. Cujus quidem inſtituti ea eſt ratio atque conſilium, ut majorum pulchre facta poſteris omnibus, non tam animo & ſermone recolenda ſint, quam vita atque moribus exprimenda; ita ut, qui hujuſmodi laudationem ægre ferunt, videantur non modo, quod puſillum eſt, alienis meritis; ſed, quod turpiſſimum eſt, communibus omnium commodis invidere. Qui enim noſtræ eruditionis fructus in uberiorem meſſem poſſit redundare, quam ſi in illorum, a quibus ſuum accepit ſemen, effloreſcat præconia? quæ poſſunt animis noſtris fortiora adhiberi ad præclare agendum

dum incitamenta, quam ut ad illorum hominum, quorum auſpiciis utimur, imagines intenti ſuſpiciamus? Et ſi id ſperare, ut eos paſſibus æquare, ad eaſdem cum iis famam dignitatemque poſſimus aliquando aſſurgere, fortaſſe hominis ſit aut parum ſani, aut haud parum arrogantis: verbis ſaltem prædicemus virtutes, quas minus licebit factis attingere; & ſequamur eos, quos etiam longo ſequi intervallo haud erit inglorium.

In hac autem tam ſolenni illuſtrium Anteceſſorum noſtrorum commemoratione, unde rectius ordiar, quam ab eo, cui primo inter noſtrates & Medicina ipſa & humaniores literæ ſuam debent originem? Quem hæc virum ſpectent, ſentio vobis in mentem prius veniſſe, quam magnum Clariſſimi LINACRI nomen protulerim. Cujus ſane ingenium, quaſi nova quædam lux, ad patriam recreandam illuſtrandamque inſperato exortum eſt: cujus eruditio varia & perpolita non tantum in ſubobſcuro eo, quo vixit, ſeculo, non modo apud Populares ſuos, rudes tum ſatis atque indoctos, ſed etiam in ætate literis florentiſſima, in cultiſſima omnium gente conſpicua enituiſſet. Ut enim erat indole ad omnes diſciplinas aptiſſima natus, ita nullum, quo poſſet inſitam naturæ vim excolere & promovere, ſtudium omiſit. Quicquid artium ſuppeditare illi natale ſolum potuit, iis omnibus Oxonii inſtructus in Italiam, perenne illud politioris elegantiæ domicilium, migravit; & cum optimis doctiſſimiſque quibuſque verſatus, ex Politiano facundiam, ex Hermolao Philoſophiam, ex Demetrio Græcæ linguæ ſcientiam, ex Laurentio Medicæo ſummam urbanitatem, & quandam animi magnitudinem redux ſecum in patriam advexit. Et cum plerique mortalium, pro humanæ imbecillitatis modulo, ad unius fere ſcientiæ ſcopum colliment; ſummumque ſe, ſi eo pertigerint, non modo induſtriæ fructum, ſed felicitatis etiam conſecutos putent: anguſtis hiſce limitibus parum contentus, in immenſum evagari ſpatium ardebat indefeſſus Linacri animus; avebat ille reconditam & multiplicem illam ſcientiarum materiam evolvere; atque, uti nullis circumſcriptum terminis erat ingenium, ita nec ullos diligentiæ fines ſtatuere. Quanto quamque utili ſtudio & Matheſeos & Medicinæ fontes, ab illius ætatis hominibus fere intercluſos & obſeratos, aperuit, teſtentur Proclus & Galenus, uterque illius ope, Latine quidem, nec tamen minus pulchre locutus. Quam autem accurate penituſque Romanas Græcaſque literas excuſſerat, in opere illo, de Emendata Sermonis Structura, diu multumque flagitato, ita commonſtravit, ut etiam viris eruditiſſimis de ſuo lumine lumen accenderit. Quantus denique in Medicinæ ſcientia fuerit, & ſcriptis medicis & feliciſſima per hanc urbem artis ipſius exercitatione abunde manifeſtum fecit: cum dignus videretur, qui principum noſtrorum & animos optimis diſciplinis informaret, & ſanitati ſimul tuendæ unus idemque præeſſet.

At Te ego, Vir Beatiſſime, neque ob ingenii acumen, neque ob literarum peritiam, neque ob medendi ſolertiam tantopere ſuſpicio, quantum ob divinum illud conſilium, quo eos, qui una eademque

ſtudia

ſtudia ſecuti ſunt, in unum itidem gregem & quaſi familiam convocari primus voluiſti. Intellexiſti probe, quid commune hoc Societatis vinculum, quid ordo, quid diſciplina, quid hominum eandem artem profitentium conſortia atque conſilia, non modo ad Academicorum pariter ac Medentium commoda, ſed ad ipſius Medicinæ cultum atque ſplendorem valeant. Neque enim ſi quem forte aut natura ſua, aut quædam præſtantis ingenii vis ſupra cæteros evexerit, ideo minus ad perficiendum Medicum magna derivanda ſunt ex congreſſibus mutuis laborumque conjunctione præſidia. Itaque omnem illam gratiam, qua apud Curiam valebas, & ſane plurimum valebas, non, ut plerumque fit, privatis utilitatibus, ſed reipublicæ medicæ bono impendiſti: neque ſatis habuiſti tenellam hanc communitatem legibus optimis atque inſtitutis roborare, niſi ſimul & Regio favore & Senatus authoritate communieris. Quantum ſcilicet debuerint ſuo Theſeo Athenæ, quantum Romulo ſuo Roma, qui diſſipatos incolas domiciliorum communione junxerunt; tantum Tibi Medicorum familia, ad vitam victumque communem a Te deducta, debebit perpetuo, Tibique Conditori ſuo ſolennem hanc celebritatem grato quotannis animo inſtaurabit. Eſt enim omni prædicatione dignum hoc a Te inceptum, a Te perfectum opus: nec tamen hic conſilium Tuum paſſus es ſubſiſtere; nec cum cæteris omnibus ſatisfeceris, Tibi ipſi ſatisfacere potuiſti, niſi hoc, quod creaſti, ſodalitium aleres etiam atque foveres: quoque id melius tueri poſſes, Præſidis munus, etſi forſan graviſſimæ provinciæ pertæſus, atque etiam ætate ipſa confectus, noluiſti temere deponere; ita ut id etiam ad Tuæ gloriæ cumulum acceſſerit, quod Tibi, communibus rebus ad extrema conſulenti, idem fuerit Vitæ atque Officii terminus. Cumque inter Tuos morari ultra haud liceret, caviſti, ut ii, quibus Te ipſo diutius frui nefas erat, Tuis ſaltem Ædibus in omne ævum fruerentur. Inſtitutum certe haud inauſpicatum, ut illi, in quibus toties pro Rei medicæ bono conſilia feliciter agitaſti, in Medicum aliquando Collegium cederent parietes. Unde quidem, uti Tu probe divinaſti, tanta Virorum excellentium copia profluxit, ut Gymnaſium hoc, non dicam cum Italicarum aliqua, ſed cum Schola illa veteri Coa aut Cnidia merito videatur contendere.

E multis autem, qui huic loco & ornamento & præſidio fuerunt, quis proximum Linacro honorem æquius poſcit, quam is, qui illius veſtigia per Italas Academias ſecutus, illius etiam memoriam ad ſuos reverſus Monumento honeſtavit, Vir & natura admirabili, & eruditione eximia, & ſolertia haud vulgari, Caius? Qui Collegii noſtri vindex & propugnator acerrimus, nequid ejus honori deeſſet, inſignia Gentilitia primus & excogitavit, & impetravit; Præſidis dignitati proſpiciens, aptos ejus officio ritus atque ornamenta accommodavit. Neque enim fugit Virum experientiſſimum, in omni bene inſtituta Societate, utcunque legibus de Gubernandi jure cautum ſit, externa tamen authoritatis decora nequaquam fore inania: neque quicquam ille, quo res noſtræ adjuvari & honeſtari poſſent, leve aut exiguum

arbitratus eſt. Fuit enim ſingulari in hoc domicilium ſtudio atque amore affectus; quod cum alias, tum hinc etiam liquet, quod, tametſi libros ſcripſit & multos & eruditos, nullos tamen ſcripſerit vel diſtinctius, vel elegantius, vel, quod Annalium eſt longe maximum, candidius, quam quos magni muneris loco nobis reliquit, rerum noſtrarum, per luſtra fere quatuor geſtarum, Commentarios.

Atque ea quidem fuit iſtorum temporum felicitas, ut paucorum ſive invidia, ſive pervicacia, ſive ipſa animi egeſtas, haudquaquam obſtiterit, quin optimus quiſque, honeſta æmulatione incenſus, in Collegii rebus amplificandis ſtudium omne navaret. Præ cæteris emicuit Caldwaldi liberalitas: qui, cum uno eodemque die, quod alii fortaſſe nemini contigit, & ſub examen vocatus, & ſimul admiſſus, & etiam ad Cenſorium munus evectus fuiſſet, hanc, quæ ei indulta eſt, gratiam pio animo retulit: Viroque prænobili Lumleio in honoris partem aſcito, ut hæc intra mœnia res Chirurgicæ & explicari & excoli perpetuo queant, munificentia ſua effecit. Senſit nimirum Vir in Medicina peritiſſimus artem noſtram ita cum illa altera eſſe conjunctam, ut nemo Medici munus pro dignitate exequi poſſet, niſi qui aliqua ſaltem ex parte attigerit Chirurgiam. Etenim ſi vix in ullo eruditionis genere rudem eſſe oporteat eum, qui mederi præ ſe fert, in hoc, quod ad provinciam ſuam propius ſpectat, non mediocriter ſaltem eſſe verſatum, videbatur ei cæptum plane impudentiſſimum.

Quem ex hac Cathedra Caldwaldiana fructum perceperit res Medica, loquantur noſtri Annales: vel potius unus inſtar omnium teſtis loquatur, immortale illud & Cathedræ iſtius & Collegii noſtri ornamentum, Harvæus. Harvæo munus hoc gnaviter obeunti, omnique anni tempeſtate, idque iteratis vicibus, magnam auditorum frequentiam docenti, aditum aperuit non ad famam modo, ſed ad Praxin etiam eximiam culter Anatomicus: neque effecit egregia illa de Generatione meditatio, ut in inveſtigando vitæ fomite, quam in eodem conſervando felicior videretur. Naturæ intima penetralia rimatus, Cordis fabricam perpetuumque ſanguinis recurſum incredibili acumine primus non modo deprehendit, ſed explicuit uberrime, & demonſtravit: opus ſane & perfectum ingenio, & ſumma elaboratum induſtria. In quo quidem, quod divinitus poſuit, Medicinæ Practicæ fundamento ſatis oſtendit, utcunque fabricam ipſam exſtruendi facultas poſteris defuerit, Architecto non defuiſſe judicium. Sed ut fere invidia premitur, quicquid eminet, quique omnibus antecellit, multos ut plurimum habet inimicos, fuerunt futiles quidam homunculi, ignari perinde atque invidi, qui divinis illius laboribus obtrectarent: quos quidem ille, qua fuit animi conſtantia, contemptui habuiſſet, niſi amplius quid & enucleatius de iiſdem rebus a ſe dici poſſe putaſſet. Sed ubi mors hominum odia extinxerat, inventum hoc admirabile enituit pulchrius multo, atque omnium allexit ſuffragia: nimirum quo longius diſtat inſignis aliqua

qua virtus, tanto minus fulgore ſuo urit, nec tamen debilius ſpargit lumen.

At parum fuit Harvæo honorem Collegii Scriptis ampliaſſe, niſi ædes ipſas locupletaret ornaretque; niſi Cœnaculum & Muſæum conderet; niſi Bibliothecam ſuo ſumptu inſtrueret; niſi demum exemplo pluſquam Attalico & prope inaudito, ipſe alacer pleno in ſodalium conſeſſu, ut ut admodum Senex, cum adeſſet, ſponte ſuo ſe exueret Patrimonio, ad nos ut pertineret illa, ipſo vivente, hæreditas. Omitto minora, inſtrumenta Chirurgica Profeſſorum uſibus deſtinata; Convivium menſtruis Cenſorum comitiis inſtructum: licet cum in beneficiis æſtimandis id præcipue attendi debeat, quo ea quiſque animo ſtudio atque voluntate fecerit, etiam leviſſima munuſcula, utcunque parum habeant gloriæ atque ſplendoris, tamen neque gratia ſua carent neque dignitate. Illud vero præterire nefas eſſe arbitror, Epulum hoc hodiernum, & nunc tandem, uti auguror, futurum, prout eſſe debuit, annuum, non magnifice magis, quam ſapienter fuiſſe inſtitutum. Videre videor, qua vultus hilaritate, qua animi lætitia munificentiſſimus ille ſenex ſuo interfuerit conviva convivio: quam fauſta omnia de hoc ſodalitio ominatus ſit, cum ſenſerit id, quod in omni Societate maxime valet, ſe eſſe conſecutum, ut hac convictus ſermonumque liberalium jucunditate recreati, ad vitæ morumque comitatem, ad concordiam atque amicitiam traheremur. Hunc ipſum in finem, & fortaſſe etiam ut Epulo ſuo aliquid condimenti accederet, annuum & honeſtis præmiis ornatum Oratorem conſtituit, qui virorum de nobis noſtriſque rebus optime merentium res geſtas memoraret. Quorſum enim hoc? niſi ut animi noſtri eorum, qui in hoc nos curriculo præceſſere, fama gloriaque accenſi, ad omnem Scientiæ laudem, ad omnia humanitatis officia provocentur.

Hujuſce viri, cui tanta debemus beneficia, præconiis immorari, & mihi eſſet jucundum, & vobis forte non moleſtum. Sed de aliis, ſic enim ille voluit, non eſt tacendum: quorum quidem tanta eſt copia, ut, cum omnes enumerare non poſſim, tum quos e multis ſeligere velim, omnino hæream. An in memoriam revocabo Eruditiſſimum Gulſtonum, ſui in facultate Rhetorica Ariſtotelis, ſui in Medica atque Anatomica Galeni æmulum? qui Medicæ artis promovendæ ſtudio incitatus, beneficentia ſua cavit, ut quotannis hoc in Theatro res duas ad medendi Scientiam maxime pertinentes, & Viſcerum Structuram & Morborum ſigna ediſceret juventus Anatomica. An de Cronio loquar? qui eadem veſtigia inſecutus, humanæ fabricæ Muſculos, quorum uſum magna cum ſua laude ipſe elegantiſſime explicuerat, hic non ſine multo & Auditoris & Diſſecatoris emolumento ſecandos curavit. An Virum nobiliſſimum Durnovariæ titulo inſignem prædicabo? qui ſe huic Collegio lautiſſimamque librorum ſupellectilem donavit: cujus exemplum tanti fuit, ut in Senatum hunc noſtrum libenter jam cooptetur ſanguis Patricius: ut Vir prænobilis, natalium ſplendore illuſtris, ſuis virtutibus illuſtrior,

non

non ſe inhonoratum reputet, ſi noſtras tabulas ſui nominis honore dignatus ſit. Benefaciendi genera ſecuti ſunt alii alia: Hamæus fere in omnibus inclaruit. Poſitumne eſt ſub haſta, temporum iniquitate, Collegium? ſua id pecunia redimit Hamæus. Incendio ædes collapſæ ſunt? novas ſurgere exemplo ſuo jubet Hamæus. Ornamentis caret Cœnaculum? id continuo ornatiſſimum ut fiat, ſumptus erogat Hamæus. Noſocomiorum ratio habenda eſt? iis ut nunquam defuturi ſint Medici ex hoc veſtro ordine peritiſſimi, ampla ſtipendia porrigit Hamæus. Quid mirum itaque, ſi, qui vivens nos modis omnibus coluit atque amplificavit, idem moriens prædiorum hæredes reliquerit Hamæus?

Nobis interim gratulari liceat, Collegæ ornatiſſimi, qui hac illuſtri Anteceſſorum ſpecie excitati, generoſum quid & magnificum intus ardeſcere ſentimus; qui quantulicunque ſimus, dum noſtro nos modulo metimur, cum tamen nos tanquam illis propinquos atque affines æſtimamus, grandeſcere illico videmur, & ad illorum quodammodo menſuram paulatim aſſurgere. Nos non tam arrogantes nos ducimus, ſi magna ſpondemus, quam degeneres, ſi nihil illorum cura atque beneficentia, nihil illorum cognatione dignum præſtamus. Habent quippe vim, cui haud facile obniti poſſumus, bonorum exempla; facilius volentes trahunt, ſi fuerint domeſtica: eadem tamen neſcio quo modo, ab oculis remota, fortius ac vehementius abripiunt.

Vos itaque, Socii præſtantiſſimi, veternum illud, quod parietes hoſce nimium diu occupaverat, erecti tandem aliquando excuſſiſtis: Veſtræ vigilantiæ debetur, quod ſingulari fide ac prudentia adminiſtratum haud ultra jam fatiſcat ærarium: quod novo ſplendore eniteſcant mœnia: quod reviviſcat antiquus ille loci hujuſce genius; quod floreat diſciplina, floreant literæ: quod ad examen ſubtilius revocentur inque melius refingantur Pharmaca: quod facultates veſtras amplificandi jam primum aperiatur via: quod demum Authoritas veſtra, quæ, utcunque rerum veſtrarum palmaria, fere elangueſcere cœperat, pondus ſuum denuo habeat atque momentum: ita ut, quantum Vos Majoribus veſtris debetis, tantum vobis debituri ſunt poſteri. Quin pergite, tali tamque munifico ſub Præſide, Viri eximii: quæque arti medicæ plurimum inſervitura eſt, dignitatem veſtram conſtanter defendite: Apollineam hanc Medicinæ arcem omni ſtudio tuemini; & nova edite virtutis veſtræ ſpecimina, non ingrata futuris Oratoribus argumenta.

HISTORIA MEDICINÆ
A
GALENI TEMPORE
USQUE AD
INITIUM SÆCULI DECIMI SEXTI.

In qua ea præcipue notantur quæ ad PRAXIN pertinent.

Anglice ſcripta a
JOHANNE FREIND, *M. D.*
Latine converſa a
JOHANNE WIGAN, *M. D.*
A D
RICARDUM MEAD, *M. D.*

HISTORIA MEDICINÆ

A

GALENI TEMPORE

USQUE AD

INITIUM SÆCULI DECIMI SEXTI

In qua ea præcipue notantur quæ ad Praxin pertinent.

Anglice scripta a

JOHANNE FREIND, M. D.

Latine conversa a

JOHANNE WIGAN, M. D.

A D

RICARDUM MEAD, M. D.

LECTORI.

CHARTÆ *ſequentes, magna ex parte, eadem quam nunc obtinent forma, pridem exaratæ ſunt: eo tantum conſilio ut horas aliquas ſubciſivas inſumerem; neque de illarum Editione per aliquod tempus cogitaveram.*

Has ut retractarem poſtea ſum adductus: & pauca quædam, prout res exigebat, paſſim attexui. Quod plures mihi neceſſario excutiendi fuerint Libri, quam quos in iſta temporum meorum aſperitate adeundi copiam haberem, Lector facile exiſtimabit. Quoſdam ſane adhibui poſt primam hujuſce Operis compoſitionem publicatos; Chirurgiæ tamen a Garengoeto ſcriptæ Tranſlationem nondum videram, cum ea, in quibus de Hernia Inguinali agitur, Folia prælo jam exierant: neque Auctorem, qui de Hernia Crurali mentionem fecerit, cognovi alium. Summa certe eorum, quæ de Argumento iſto hic habentur, in Conſeſſu Publico a me quatuordecim abhinc annis expoſita eſt.

Quod ſi brevis hæc Medicinæ Hiſtoria iis qui in Antiquorum ſcriptis verſati ſunt utilitatem aut delectationem ullam afferre, vel alios ad pleniorem Veterum notitiam excitare poterit, non male operam meam poſuiſſe mihi videbor; ſin aliter, tamen haudquaquam me voluptatis in hac diſquiſitione captæ pœnitebit.

IGNOSCES

IGNOSCES mihi, Vir Amiciſſime, ſi novam Libri Editionem, quem de Medicinæ Hiſtoria conſcripſit V. C. Daniel Clericus, aliqua cum aviditate expectaverim. Scis enim probe quanti ſemper fecerim Auctoris hujus graviſſimi eruditionem ac judicium, quorum utrumque in tribus antea vulgatis ab illo ſuper hac re Partibus ſummopere eluceſcit. In eo opere Hiſtoriam hanc ad finem uſque Galeni temporum deduxit: cujus quidem Scriptoris Græci, uti aliorum quoque omnium, qui per ſexcentos hunc ac ſupra annos anteceſſerunt, Libris diligenter excuſſis, Commentarios ſuos labore indefeſſo & exquiſita arte contexuit. Ac Veterum quidem Medicorum Philoſophiam, Theoriam, atque Praxin omnem ita fuſe ac dilucide a Clerico explicatam invenimus, ut neque placitum ullum, aut Opinio quævis, neque Morbi, aut Medicamenti, neque Scriptoris quidem cujuſquam nomen apud iſtos occurrat, cujus non enarrationem ille plenam & accuratam tradiderit.

Ad calcem novæ hujus Editionis, Specimen quoddam ſex & quinquaginta Paginis conſtans ſubjicitur; in quo eadem Hiſtoria uſque ad Medium Sæculi Decimi Sexti (nam quod in Libri Titulo, Decimi Septimi, legitur, id errore aliquo accidit) breviter continuari dicitur. Verum illud temporis ſpatium, utpote annorum mille ac ducentorum, nimis amplum eſt, quam ut in Opuſculo tam exili plene deſcribi potuerit: licet dimidia ejus pars in vanis obſcuriſque enarrandis non fuiſſet illiterati hominis ac Fanatici iſtius, Paracelſi, ſomniis abſumta.

Rogas ut meam de hoc Specimine ſententiam Tecum communicem. Utinam eſſet eadem quam de Hiſtoria ipſa jure optimo pronuntiavi. Sed, ut vera fatear, ita parum abſoluta aut elaborata mihi res videtur, ut ibidem multa negligenter, multa perperam dicta exiſtimem. Quare Tibi obſequans, de Medicinæ Hiſtoria intra idem ſpatium, pauca quædam obiter animadvertam. Quoniam vero ad Libros mihi aditus non ita facile pateant, licet otium abunde ſuppetat, cave ne perfectum aut limatum quippiam deſideres; ſparſas tantum Obſervationes aliquas velim expectes, quas mihi hoc tempore vetus præſertim recordatio, partim tamen etiam quorundam de his Auctorum feſtina retractatio ſuppeditavit.

Oribaſium, Aetium, Alexandrum, Paulumque Clericus, ſine ullo diſcrimine, in Quarto Sæculo ponit. Non diffiteor ſane apud optimos Hiſtoricos de horum Virorum ætate perturbata omnia & confuſa reperiri; iique haud magnopere laborant, modo non plus centum aut bis totidem annis a vero aberrent. Facile tamen animad-

verti poteſt, hunc, ſi, qua animi intentione atque cura Hippocratem & Galenum antea pervolverat, horum itidem Medicorum ſcripta verſaſſet, ſine ulla alia ope propius ad veritatem accedere potuiſſe. Id ego paucis oſtendam. Oribaſius, quanquam Collectiones ſuas Juliani Imperatoris temporibus, circiter A. D. CCCLX, conſcripſerit, tamen uſque ad finem quarti Sæculi, uti ex eo ipſo ac familiari ejus Eunapio [a] plene colligi poteſt, ſuperfuit; Aetiuſque qui ex Oribaſio quædam ſe deſumere ſæpe teſtatur, de eo minime, quaſi de homine ſemetipſo paulo duntaxat anteriore, loquitur. Quod ad Aetium pertinet, ex ipſis ejus Libris conſtat, hos ab eo, ante finem Quinti, vel initium Sexti Sæculi, ſcriptos non fuiſſe: quoniam in his non modo Sanctum Cyrillum, Archiepiſcopum Alexandrinum, qui A. D. CCCCXLIV obiit, ſed Petrum quoque Archiatrum Theodorici Gothi Medicum, atque adeo Cyrillo ipſo juniorem, nominat. Alexander Aetio inferior eſt, ſiquidem hic ab illo prædicatur; tamen inter illos nonniſi exiguus annorum numerus interceſſit. Nam præterquam quod is [b] Jacobum Pſychreſtum, Medicum nobilem, Leonis itidem Thracis, ante A. D. CCCCLXXIV, Archiatrum, extollat, cujus mentio pariter apud Aetium reperitur: Agathias, qui Hiſtoriam ſuam ſub initia Juſtini Junioris A. D. DLXV aggreſſus eſt, refert quanto in honore fuerit Alexander, imperante Juſtiniano Romæ agens; eumque una cum quatuor ejus Fratribus, quorum in ſuo quiſque genere præcelluit, eximie collaudat. Neque Alexander fortaſſe multo tempore Agathiam præceſſit; ſiquidem, ut ipſe ait, eum quem habemus de Medicina Librum provectiſſima ætate contexuit, cum ob laboris intolerantiam artem hanc exercere jam deſiſſet. Lindanus parum conſtare exiſtimat, utrum A. D. DC, CCCCXIII, aut CCCLX, viguerit. Verum errores hi Chronologici, leves cenſeri debent in eo homine, qui Aretæum iiſdem temporibus cum Strabone & Sancto Gregorio Nazianzeno vixiſſe ſcribit, omneſque ſub imperio Cæſaris Auguſti collocat.

Eo dehinc ſerior extitit Paulus, nam Alexandrum nominat: & Abulpharagius Arabs, qui explicatiſſimam temporum illorum Hiſtoriam reliquit, Paulum ſub regno Heraclii, circiter A. D. DCXX, ponit: haud, uti perperam a [c] Fabricio dicitur, regnante Conſtantino Pogonato, circiter A. D. DCLXXX. Nam ab [d] Arabico iſto Scriptore Paulus ante Othmanis Chaliphatum ſpatio perquam exiguo floruiſſe traditur. Et hic quidem A. D. DCXLIII, duobus poſt Heraclii mortem annis, imperare cepit. Accedit ad hæc, quod ipſe Paulus ſeſe [e] Alexandriæ literis operam dediſſe prodat; neque id fieri potuit, niſi antea quam civitas illa ab Amruo eſſet, A. D. DCXL, capta ac direpta. Id obiter ex hoc diſci poteſt, Scholam Alexandrinam illis quoque temporibus fuiſſe celebrem, cum etiamnum ob Medicinæ ſtudia nomen ejus inclareſceret. Quodque de homine pererudito, Johanne Grammatico, ibi tunc temporis degente, narrat [f] Abulpha-

a In Chryſanthio. b 5. 4. De Jacobo hoc plura in ſequentibus. c Biblioth. Gr. Vol. 12. d 114. e 4, 49. f Ibid.

ragius,

ragius, luculenter nobis oſtendit, quam immenſus fuerit illic, poſt Bibliothecæ Ptolemaicæ ſub Julio Cæſare incendium, Librorum numerus, munificentia Principum congeſtus. Quippe cum Amruus Libros omnes a Chalipha juſſus eſt comburere, illos Balneatoribus diviſit; ac licet in ea Urbe Thermarum eſſent quattuor millia, iique harum uſibus accommodati, vix tandem ſex menſibus igne conſumti ſunt.

Ex brevi hac narratione diſci poteſt, quantam erudito cuidam Tractatui[a] fidem adhibere debeamus, ubi Medicorum ſupra dictorum una cum Dioclis ætate hoc modo tempora diſtinguuntur.

	A. D.
Oribaſius	CCCL.
Alexander	CCCLX.
Aetius	CCCC.
Paulus	CCCCXX.
Diocles Caryſtius ...	D.

Incredibilis videtur error hic de Diocle; ſiquidem haud modo Epiſtolam ejus de tuenda Sanitate ad Antigonum in eo ipſo Scriptore, qui octoginta annis Diocle poſterior vixiſſe cenſetur, in Paulo conſervatam habeamus, ſed etiam omnibus notiſſimum ſit, Virum illum, uti Plinius loquitur, ab Hippocrate ſecundum ætate famaque extitiſſe, idque trecentis ad minimum annis ante Chriſti nativitatem. Igitur in hac una re lapſus eſt annorum fere octingentorum. Illud amplius animadvertam: ſi Epiſtola hæc germana eſt, ad Antigonum Gonatam Macedoniæ Regem, uti conjicit Fabricius, ſcribi non potuit. Rex enim iſte annos circiter CCXL ante Chriſtum floruit: ita ut ſub eo Rege Diocles nimio ab Hippocrate intervallo remotus videatur; ideoque magis veriſimile eſt miſſam fuiſſe ad antiquiorem aliquem Antigonum, illum fortaſſe qui Alexandro Magno ſucceſſit, Anno circiter CCCXX ante Chriſtum, ſive poſt Hippocratis ortum CXXX. Quod autem a Paulo ſenex dicitur, deſcriptioni huic Antigonus noſter æque, ac Gonatas, congruit: quippe cum interfectus ſit annos natus pluſquam octoginta.

Nonnullis fortaſſe primo intuitu Chronologicæ tantum videbuntur hæ minutiæ; eoſdem tamen re bene perpenſa faſſuros eſſe confido, non ſtatuta primum Auctoris cujuſque ætate, truncam omnem in Hiſtoria & confuſam de Medicinæ Statu narrationem futuram: neque ullo modo mutationes ejus ac progreſſus percipi poſſe, neque quemadmodum horum quodque ſingulis temporibus obtigerit.

Quæ de quatuor ſupra memoratis Scriptoribus diſſerit, omnia quatuor paginis abſolvit Clericus: atque idoneam brevitatis hujus cauſam afferre ſe credit, ideo quod Collectores ſint. Fuerunt certe maxima ex parte ejuſmodi, duo primi ac poſtremus. Longe vero abeſt, ut immenſis illis quæ aliunde collegerunt Voluminibus non

a Biblioth. Literar. N. 2. 4.

aliquid

aliquid etiam recens ac de ſuo immiſcuerint. Fateor equidem, ſi Librorum molem ſpectemus, haud utique in illis multa reperiri, quæ in Galeno aliiſque Auctoribus deſiderentur, (ſunt tamen illic quoque quædam ad verum Artis noſtræ incrementum pertinentia) nihilominus e Scriptoribus iſtis magna rerum ſylva excerpi poteſt, quæ Medicinæ Hiſtoriam, (idque hujus diſquiſitionis argumentum eſt) copioſe inſtruant: Medicique, ſi non ratiocinantis judicium dirigant, curioſi tamen animum oblectent. Id utique in Scientiarum pariter ac in Regnorum conditione obtinet: ut Lectori non minus utile ac jucundum ſit, utrorumvis inclinationem ſenſim factam contemplari, quam aut adoleſcentium incrementa ſpectare, aut vigentium gloriam ſuſpicere. Sed de his Auctoribus ſingulatim aliqua dicenda ſunt.

ORIBASIUS Oribaſius Aetiuſque Volumina ſua, & ea ſatis ampla, præcipue quidem ex Galeno, ſed & ex aliis quoque plurimis Scriptoribus, contexuerunt. Oribaſius magna in dicendo varietate utitur: ex qua re id emolumenti capimus, ut in eo alius alium vel Auctor Auctorem, vel ſententia ſententiam explicet; eique acceptum referri debet, quod ejus ope multa clarius in Galeno, tam ad Anatomiam quam ad Medicinam ſpectantia, intelligamus. Aetii dilucidior eſt oratio; idemque de pluribus morbis agit, quam aut in Synopſi, aut in Libris ad Eunapium comprehendit Oribaſius: eoque uberius & Symptomatum deſcriptionem & medendi rationem exequitur.

Ex his duobus hauſtum eſſe dicit Clericus quicquid in Theoria vel Praxi alicujus momenti ſit, ac præſertim in re Anatomica & Chirurgica. Id autem animadvertere neceſſe habeo, ab Aetio in prolixo ejus Opere penitus omiſſam eſſe Anatomiam, uſumque Partium; quicquid autem unice ad Chirurgiam ſpectat hic atque illic confuſe diſperſum, mancum eſſe & ordinis expers, ſi cum iis conferatur, quæ de eodem argumento ſcripta ſunt a Paulo; unde factum puto ut inſignis ille Chirurgiæ Magiſter Fabricius ab Acquapendente ſemper fere hujus Scriptoris auctoritatem potius quam Aetii ſequatur. Oribaſius quidem in duobus Libris haud exiguis (qui Collectionum ejus quæ reſtant ſunt poſtremi) omnes tum cognitas humani corporis partes deſcripſerat, & ſuum cuique aſſignaverat officium: verum is perpauca iis adjecit quæ in Anatomicis ſuis Operibus tradidit Galenus; atque hujus ratione Tractatus magis, quam alius cujuſvis ab eo ſcripti, Simia Galeni, quod ei nomen inditum eſt, vocari meruit. Una duntaxat res, quæ vel a Galeno omiſſa eſt, vel cum deperditis Galeni Libris interiit, in Oribaſio reperitur: prima ſcilicet Glandularum Salivalium deſcriptio. Hæc verbis ſequentibus concepta eſt; "[a] Ex utraque Linguæ parte ora Vaſorum, quæ Sali-
" vam excipientia dicuntur, invenies, in quæ deſcendere ſtylus poſ-
" ſit. Initium ducunt hæc Vaſa ab radice Linguæ, ubi ejuſdem
" quoque Glandulæ ſunt; exoriuntur enim ex eis forma Arteriis

[a] Lib. 24. 8.

" perſimili,

50. " perſimili, per quæ humor pituitoſus comportatus & linguam ip- ORIBASIUS
" ſam & partes inferiores, & item obliquas, & denique omnes oris
" partes in orbem humectat."

Quanquam vero Anatomiam Oribaſius ita plene explicet, in tribus tamen quæ ſuperſunt Operibus ab eo factis vix quicquam ad Chirurgiam ſpectans continetur, in quo quidem Artificis manus poſtuletur; niſi fortaſſe duo illi libelli de Laqueis & Machinamentis ex Heracla & Heliodoro contexti huic aſcribi debeant; qui ſi ad Oribaſium revera pertinerent, quantulam tamen Chirurgiæ partem comprehendunt? Aetius, qui ſine dubio Chirurgiam ipſe [a] exercuit, narratiunculam aliquam Operationis fere cujuſque tradit, ac præſertim in Oculorum morbis uberior eſt quam ipſe Celſus; nihilominus Chirurgiæ partem minime contemnendam, Fracturas & Luxationes, omittit: de quibus Librum Celſus integrum conſcripſit.

In Oribaſio atque Aetio diverſa Veterum fragmenta, pretii non exigui, neque alibi extantia, conſervantur; multa ſcilicet, uti cætera omittam, ex Archigene, & Herodoto, Viris de Sectæ Pneumatica clariſſimis: ex Poſidonio, & Antyllo, quorum uterque Auctor inſignis videtur. Tamen ex his is qui ſecundo loco ponitur, ſtrictim tantum a Clerico memoratur, poſteriores duo ne nominantur quidem, licet ambo, ac ſpeciatim Poſidonius, a Galeno multa cum laude celebretur. Antyllus, uti ex [b] Oribaſio diſcimus, plures Libros compoſuit; quibus multa paſſim inſerta ſunt de Arte Gymnaſtica. In Fragmentis iſtis apud Oribaſium extantibus, multa exercitationum genera reperimus, neque a Galeno, neque ab alio quovis qui huic præceſſerit memorata: atque inter cætera, [c] Cricilaſia eſt, uti perperam a Traductoribus dicitur, cum Cricoelaſia vocari debeat. Hanc, cum per multas jam ætates in deſuetudinem abierat, Mercurialis ipſe, qui argumentum hoc exquiſitiſſime pertractavit, explanare non aggreditur; & naturam ejus, utcunque ab Oribaſio propoſitam, haud facile comprehendi poſſe arbitror. Quædam ex iiſdem aliiſque Antiquis Scriptoribus, e Sorano præcipue Methodico, & Leonide Secta quidem Epiſynthetico, Chirurgiæ vero peritiſſimo, ſubminiſtravit nobis Aetius. Illud his adjicere debeo, quod multa apud hunc & Oribaſium medicamenta, a ſuperioribus non deſcripta, occurrunt.

Oribaſius, vel Apollonium ſecutus, vel ſua ipſius authoritate, Sanguinis per [d] Scarificationem detracti commoda fuſe prædicat. Cujus quidem medendi viæ a prioribus vix ulla facta mentio eſt. Is autem hanc ſæpiſſime expertus, in Menſium Suppreſſione, in Oculorum Deſtillationibus, in dolore Capitis, in Spirandi difficultate, etiam ubi æger in extrema ſenectute eſſet, miros ejus effectus narrat. De ſe ipſo ſpeciatim commemorat, quemadmodum Peſte tunc per Aſiam graſſante correptus, poſtridie crure ſcarificato, duas inde ſanguinis Libras emiſerit: qua curandi ratione & ipſe convaluit, & alios complures ad ſanitatem perduxit.

[a] 4, 3, 3. 4. 4, 39, &c. [b] Collect. 6. 21. [c] ib. 26. [d] Collect. 7. 20.

ORIBASIUS Id hic animadverti debet, hanc Scarificandi rationem ab ea diverſam eſſe, quæ Cucurbitularum ope efficitur. [a] Poſterioris tantum generis notitiam habuiſſe videntur Arabes: verum ex hoc loco, ſicut etiam ex aliis quibuſdam apud Galenum, patet, Veteres cutim alte ſcalpello incidiſſe; qui, eo quod magna Sanguinis copia iſto modo commode educi poſſet, idem in hoc auxilio, ac in Vena ſecta, præſidium eſſe cenſebant. Eodem uſque ad hunc diem utuntur Ægyptii; omnemque ejus Apparatum fuſe ita deſcribit [b] Proſper Alpinus: Arctam primum ſub poplite faſciam injiciunt, crus deinde, poſt ejus fricationem, in aquam tepidam demittunt, id poſtea arundinibus percutiunt donec intumuerit, atque ita demum ſcarificant. Ratio hæc omnis a Cucurbitularum uſu prorſus differt; ideoque Oribaſius, in Curatione Vertiginis [c], duas has Operationes luculenter diſtinguit. A

In Auctore hoc miri cujuſdam morbi prima mentio eſt; is Λυκάνθρωπος, ſive Λυκανθρωπία [d], dicitur, eſtque Melancholiæ, aut Inſaniæ, ſpecies quædam ita ab illo deſcripta: "Quos hoc malum infeſtos "habet, nocturno tempore domo egreſſi, Lupos in omnibus rebus "imitantur, & ad diem [e] uſque circa tumulos vagantur mortuorum. "Hos ita cognoſces; pallidi ſunt, oculos hebetes & ſiccos, non "illachrymantes, coſque concavos habent: lingua ſicciſſima eſt, "nulla penitus in ore ſaliva conſpicitur, ſiti enecti: crura vero, "quia noctu ſæpe offendunt, ſine remedio [f] exulcerata." Eandem ejus, paucis immutatis, deſcriptionem facit Aetius: cum eo, ut Κυνανθρωπίαν illam, perinde ac Λυκανθρωπίαν, nominet, & menſe [g] Februario potiſſimum invaleſcere prodat. Locum hunc ille ſe deſumere inquit, id eſt, fuſius proponit, ex Marcello Sidete, qui ſub Hadriano Marcoque Antonino floruit, Libroſque duo & quadraginta de Morbis Verſu compoſuit Heroico, uti liquet non e Suida modo, ſed ex Epigrammate [h] antiquo etiamnum extante. De morbo eodem eadem ad verbum exſcripſit Paulus, in eo capite cui Titulus eſt, περὶ Λυκάνθρωπου [i], &c. Quemadmodum vero in hunc locum error hic Λυκαονος, & in Suidam is Λυκάνθ, irrepſerit, ex abbreviatione in Manuſcriptis Codicibus perperam lecta, recte videtur explanaſſe [k] Lambecius. In ea vero obſervatione, quam ſuper verba quædam Aetii profert, mihi cum illo diſſenſio eſt. Ea hoc modo, tam in Manuſcriptis quam in impreſſis Codicibus, leguntur: ἐν μέχεις ἀμέχας τὰ μνήμαλα μάλιτα διανύσεσι, unde Sepulcra ab ægris aperiri ſignificatur. Locum hunc correxit Gorræus, atque ita legi debere ſcribit, περὶ τὰ μνήμαλα μάλιτα διάγουσι, "inter Sepulcra maxime vivunt, ſive commorantur:" nam Paulus eodem ſenſu habet, περὶ τὰ μνήμαλα διαλαβόντι. Emendationem hanc

a Albucaſ. Lib. 2. b 3. 5. c Synopſ. 8. 5. d l. 8, 10. e Actuarius addit, tunc eos reverti, & ad ſeſe redire. Meth. Med. 1, 16. f Inter ſaxa & ſpinas, Actuar. & ex canum morſibus, Aet. 6, 11. g Vera hæc Lectio videtur, quanquam Lambecius φίεγίλα, loco vocis φευρέαιον, probet: ut per illud intelligatur, Menſis qui morbum infert. Sed is certe ſenſus per vim detortus eſt, neque ſermo Græcæ linguæ apte congruit. Ac licet miras quoque quaſdam Hiſtorias adducat, quas C. Peucerus Magiæ ſcriptor perquam credulus de Lycaonibus profert, qui quidem Lycaones, uti ab eo dicuntur, in Borealibus Europæ & Aſiæ plagis degentes, hujuſmodi morbo tentari ſolerent, idque nonniſi per duodecim a natali Chriſti dies, nullo modo hæc, ut mihi videtur, authoritatem Aetii infirmare debent. Curatio Dæmoniaci a Chriſto facta hoc anni tempore obtigit. h Kuſter in Suid. i 3. 16. k Biblioth. Cæſar. lib. 6. 149.

improbat

360. improbat Lambecius, quia contra ſtat Manuſcriptorum Codicum authoritas; vereor autem ne is in hac re pluſquam par eſt Librariis confidat, ſiquidem vox διάγουσι morbi hujus deſcriptioni, quæ a ſingulis his Scriptoribus proponitur, multo aptius reſpondet. Traductor Oribaſii per vocem "vagantur," id Latine exprimit; hominesque ita affectos per Sepulchra ac Deſerta curſitare dicit Actuarius ὅτι κἀκεῖσε περιέρχονται, quæ fortaſſe verba ex Oribaſio ſumſit. Id utique ab aperiendis Sepulchris plurimum diſtat, de qua re in quovis horum Scriptore ne minima quidem habetur mentio. Interpretationem noſtram confirmat etiam Dæmoniacus in Sacra Scriptura memoratus, qui eodem Inſaniæ genere laborans, inter Sepulchra [a] habitare, & in Sepulchris [b] verſari, & lapidibus ſeſe incidere dicitur. Ad hæc, vox, μάλιστα, Gorræi correctionem ſanam eſſe declarat; neque enim ex ea, ſi cætera aliter legantur, ullus elici poteſt ſenſus; quanquam [c] Donatus ab Altomari utramque lectionem ſervet, vel potius confundat, locum ita convertens: "circa defunctorum monumenta plerumque verſantur, eaque maxime aperiunt." Criticam hanc non feciſſem digreſſiunculam, niſi oſtendere vellem quemadmodum Viri etiam eruditiſſimi in errorem ſæpe, circa res ad Medicam Artem pertinentes, delabi poſſunt, niſi aut ſcientia aliqua in hac Profeſſione inſtructi ſint, aut in ſingulis Auctoribus qui de eo Argumento ſcripſerint probe verſati. Quod ad morbum ipſum attinet, ſi peregrinantibus fides adhibenda eſt, fuit olim in quibuſdam regionibus, ut in Livonia, Hibernia, & aliis locis, viſu non infrequens; & ejuſmodi quoque narrationes inter recentiores Medicos occurrunt. Duos homines ita affectos ſe vidiſſe teſtatur, modo memoratus Auctor, Donatus; & ea quam [d] Foreſtus refert ſingularis eſt Hiſtoria: nam Oribaſii deſcriptioni plane convenit, non modo quoad Ulcera in Cruribus, verum etiam in illa re de qua ſupra diſſeruimus, Cœmeteriorum ſcilicet frequentatione. Græcum morbi nomen naturam quoque ejus valde ſignificanter exprimit: tamen in ſcribendo ita negligens eſt Lindanus, ut id nihil aliud quam Luporum ipſorum Rabiem indicare proponat.

ORIBASIUS

In Oribaſio, vides, quantumvis Collectore, nova aliqua de Morbis occurrunt, vel talia certe qualia apud neminem eorum qui ſuperſunt illo antiquiorum reperiuntur. Erat Vir ille, omnium teſtimonio, non modo excelſæ indolis, ſed in morborum quoque curatione experientiſſimus: ac ſi diligenter ejus Commentarios evolvamus, quod a nemine eorum factum puto qui judicium de eo fidenter protulerunt, curandi regulas in variis ab illo caſibus commodiſſime præceptas obſervabimus. Unum, de [e] Epilepſia, exemplum proferam, in qua medendi rationem, tam in acuto, quam in diuturno genere, deſcribit, id eſt, in acceſſione, & extra hanc. Ubi acceſſio deſiit, mitti ſanguinem jubet: poſt dies quatuor vel quinque, refecto paulum corpore, Purgationem: tribus poſtea, Cucurbitulas, & Scarificationem. Eaſdem Evacuationes, adjectis interdum

a. St. Marc. 5, 3. b St. Luc. 8, 27. c Meth. Med. c. 9. d 10. 25. e Syn. 8. 3.

Sinapiſmis,

ORIBASIUS Sinapiſmis, repeti commodis intervallis præcipit; atque interea nutrimentum idoneum exhibet una cum calefacientibus Medicamentis, qualia ſunt, Caſtoreum, Mentha, Ruta, Succus Cyrenaicus. An ex Poſidonio hæc iſta hauriantur, uti de eodem argumento [a] Aetium conſulens ſuſpicari quiſpiam poſſit, equidem ignoro; ordo certe ac genus curationis & experientiæ & rationi convenit. In proximo quidem Capite, Epitome eorum quæ Galenus, de Epilepſia item, dixerat, neutiquam adeo plena eſt, neque res ita ſingulatim exponit. Illud etiam obſervatu dignum eſt, quod utcunque Oribaſius de Specificis loquatur (etenim haud minorem quam noſtræ ætatis homines de iis opinionem Antiqui conceperant) inter quæ Radix Pæoniæ eſt, & ea Epileptici Torquis modo gerenda: adeo non his per ſe confidit, ut maximam ſpem, uti par eſt, in Evacuantibus ponat. Id inſuper notabo, quod Galenus in celebri illa ad Cæcilianum Epiſtola, quod primum hujuſmodi conſultationis in Antiquitate exemplum eſt, tam accuratam medendi rationem non tradiderit: quamvis hanc conſulto ſuper iſta re ſola conſcripſerit, cumque ſingula ad morbum & ægrotantem pertinentia ignoraret, adverſus omne quicquid evenire poſſet præmunire hunc debuerit: quare ipſe huic Epiſtolæ Titulum dedit Τροφήκης. In qua, cum ſatis longa ſit, nullam tamen ordinate medendi rationem exequitur: ſed poſt levem Purgationis mentionem, pauca quædam Medicamenta ſimplicia, Scillam nempe, Apſinthium, &c. ad hunc morbum utilia commendat: poſtea vero victui præcipue inſiſtit, quæ res ſuſe quidem ab eo tractata eſt. Ex iis quæ dicta ſunt, cave ne in animum inducas me de Galeno inique ſentire, quem & hominem doctum, & Medicum inſignem, neque in ulla re Oribaſio inferiorem cognoſco; nunc enim, tanquam Hiſtoricus duntaxat, loquor, reſque omnes ita propono quemadmodum eæ in Antiquorum monumentis apparent.

Animadvertis in Oribaſio curationem Evacuantibus atque Corroborantibus maxime niti; quam Medici quidam judicio minus valentes non modo inidoneam ſed ſecum diſcordantem exiſtimarunt: multumque ſane error iſte obtinuit, ut cum Medicus alia ex his adhibeat, alia neceſſario damnare videatur. Ab Experientia docemur, utrorumque uſum ita parum repugnantem eſſe, ut nihil magis rationi conveniat; ac perſæpe, non modo in hoc cæteriſque Capitis morbis, ſed etiam in variis Febrium generibus, requiri. Id e ſua ipſius Praxi facile peritus quiſque perdiſcat: & is qui Oeconomiæ Animalis notitiam animo perceptam habuerit, cauſam hujus rei ſatis comprehendet; ac neceſſitatem illam, quæ frequenter incidit, aut Evacuandi aut Revellendi, quo præſentius diſcutiantur obſtructiones ab humorum ſive redundantia ſive viſciditate ortæ, facile concipiet; ſimul eodem tempore idem cognoſcet, quanti viciſſim uſus eſſe poterit ejuſmodi Remediorum adminiſtratio, quæ ſanguinem exſuſcitent, vel ut magis Phyſice loquar, quæ natura-

[a] 6, 11.

lem

lem Fluidis circulationem, Solidisque Partibus Tonum suum re- ORIBASIUS
stituant.

Ita Scriptor ille, quanquam Collectoris præcipue nomen mereatur, Observationes aliquas nobis in Medicina suppeditat recentes nec inutiles, uti ex paucis istis Exemplis liquet; quique hoc proposito ejus Opera pervolverit, is similia nonnulla, apud Antiquiores frustra quærenda, inveniet.

Oribasius, Sardianus vulgo creditus, Pergami [a] natus est, ibique una cum Magno & Ionico, in Schola Zenonis Cyprii, institutus: quem quidem Zenonem Sardibus eo tempore docuisse conjicio, licet Alexandriam postea migraverit, in qua Urbe [b] Professor celebris evasit. Eunapius, qui Scientiam in Medicina haud contemnendam habuit, idemque verisimiliter cum eo est, cui quatuor de Euporistis Libri aliique nonnulli inscribuntur, Oribasium, & Virum sui temporis doctissimum, & inter Medicos peritissimum, & Sermonis admodum faceti ac jucundi fuisse prodit. Eodem teste, haud minus auctoritate quam doctrina viguit; nam Juliano ad Imperium obtinendum non mediocrem opem præstitit, qui vicissim Oribasio Quæsturam [c] Constantinopolitanam assignavit, & in eo summam, ut ex [d] Epistola quadam ab eo imperante scripta constat, posuit fiduciam. Sub proximo Imperatore, gratiam omnem amisit, bonis omnibus spoliatus est, in exilium missus, atque in Barbarorum potestatem traditus: inter quos brevi tempore, virtute ac medendi peritia tantum sibi amoris ac reverentiæ conciliavit, ut hunc illi, miris curationum successibus moti, quasi Deum suspicerent. Revocatus tandem a Romano Imperatore est, posteaque semper opibus atque dignitate floruit ad id usque tempus, quo Eunapius hæc de eo literis mandavit. Quod circa A. D. cccc incidere debuit: siquidem jam tum Eunapius, uti videtur, inter Medicorum primos [e] habebatur, cum sub Juliani obitum A. D. CCCLXIII, duodecimum duntaxat ageret annum.

Septuaginta, juxta Photium, vel duo & Septuaginta, ut vult Suidas, Collectionum Libros composuit Oribasius; quos non modo ex Galeno, sed ex aliis omnibus hunc ætate antecedentibus Medicis, & e propriis experimentis haustos, Juliani rogatu, in unum redegit. Horum supersunt soli quindecim priores, una cum duobus aliis Rem Anatomicam tractantibus, quos vigesimum quartum atque quintum ejus Collectionis vocat Tractor Rasarius. Scripsit etiam ille, sicut antea dictum est, ad familiarem suum Eunapium, de Morbis & Medicamentis Libros duos. Præter hæc, duo Volumina suo tempore extantia memorat Photius, quorum alterum ex quatuor, alterum ex septem Libris constabat; his continebatur Galeni Operum Epitome, Juliano pariter inscripta. Mentionem ejus habet Paulus; verum ea nunc desideratur, una cum aliis quibusdam Tractatibus a Suida nominatis. Plurimæ Medicamentorum Compositiones apud Aetium inveniuntur Oribasio tributæ. Spurii sine dubio sunt Com-

a Eunap. in Oribasio. b Julian. Epist. 47. c Suidas. d Epist. 17. e In Chrysanthio.

Oribasius

mentarii in Hippocratem, ſub ejus nomine a Guintherio vulgati. A Quibus rationibus adductus illorum Editor, homo certe non ineruditus, germanos fuiſſe cenſuerit, non poſſum exputare; nam præterquam quod opus plane nugatorium eſt, & materia ejus neutiquam Oribaſio digna; Auctor, quicunque is erat, ita parum artificioſe nobis fucum facit, ut Oribaſium hæc, impulſu Ptolemæi Euergetis[a], ſcripſiſſe ponat: cum hi duo Viri non modo non eodem tempore extiterint, ſed eorum ætatibus ſexcentorum annorum interponatur diſtantia. Id utique in eo etiam magis abſurdum eſt, quod modo Sacræ Scripturæ, modo Terentii ac Virgilii[b] lectionem in certis caſibus utilem eſſe proponat, quodque Hemiſtichium hoc ex[c] Ovidio ſumat "Timor addidit alas." Ex his veriſimile eſt Commentarios iſtos, quales quales ſint, & Latine ſcriptos fuiſſe, & ab homine Chriſtiano.

Oribaſii, quoad Morbos, Theoriam nuper expoſuit Barchuſen: verum operæ ſine ullo detrimento pepercifſet, cum de hac re Scriptor iſte Græcus ne verbum quidem proferat, quod non ſit a Galeno mutuatus. Eadem illi, quam de Aetio loquens affert, etiam hic tacenti cauſa valuiſſet; & eo magis, quod non modo juxta Galeni, ſed & aliorum complurium ab Oribaſio prætermiſſorum ſententiam Aetius de morborum cauſis prolixius differuit. Sæpe mirari mihi ſubiit Recentis hujus Auctoris conſilium ac judicium, qui ſub diverſis duabus formis, in elegantibus primo, uti hos credit, Dialogis, nuper autem in Diſſertationibus ſeriis, longum de Medicinæ Hiſtoria opus conſcribere aggreſſus, in explicanda uniuſcujuſque Medici Theoria ſibimet ipſi ſatisfecerit: quaſi minoris momenti ſit eorundem in Arte Medica & Chirurgica Praxin contemplari, & hanc curandi modis tam per antecedentia quam inſequentia ſæcula adhibitis conferre.

Aetius.

Dixi quædam antea de Aetio; nunc illud amplius animadvertam, A quod in iis quæ ad Chirurgiam ſpectant multa ſint notatu digniſſima: varias enim quarundam Operationum vias docet, quarum & ipſe non paucas ſuo tempore præſtitas vidit: & ab experientia ſua, non modo in Capite de[d] Caſtratione, ſed etiam alibi ſæpe loquitur. Multa in eo certe de Re Chirurgica continentur, de quibus tacent Celſus & Galenus: & adminiſtrationes quæ manum exigunt, ab Aetio in hujuſmodi caſibus deſcriptæ bis totidem ad minimum ſunt quot in illorum utroque reperiuntur; immo nonnullæ ſunt ab ipſo quoque Paulo prætermiſſæ. Unum aut alterum Exemplum proferam: ex Aſclepiade accuratiſſime tradit, quemadmodum[e] Hydrops Anaſarca curari debeat; id fit interiorem crurum partem incidendo quatuor digitorum a talis intervallo, ea altitudine qua in miſſione Sanguinis vulgo fieri ſolet. Ita exiguus primo Sanguis profluit; dein, ſine inflammatione, continuus aquæ curſus eſt, ita ut foramen uſque pateat, dum humor omnis ſit exhauſtus, locuſque detu-

a Præfat. b 2. 39. c 2. 35. d 4. 1. 122. e 3, 2, 30.

muerit:

500. muerit: morbus autem per hanc quaſi ſentinam effunditur, nullo medicamento intus adhibito. Leonides Alexandrinus, qui poſt Aſclepiadem, Galeno propior floruit, is cujus fragmenta ab Aetio potiſſimum conſervata ſunt, illud inſuper addit, ſi per crurum inciſiones humor non ſatis copioſe emittitur, alias in aliis corporis partibus plagas eſſe faciendas, in femoribus nempe, aut in brachiis, aut etiam in Scroto, ſi id tumet, per quas ingens aquæ vis educi poſſit. Archigenes autem affirmat per has Scarificationes, non modo crurum & brachiorum, ſed nonnunquam ventris etiam Tumores ſubſediſſe. Proculdubio, ubi Anaſarca Aſciti conjungitur, id auxilium opis alicujus eſſe poſſit; licet in Aſcite ſimplici nihil conferre valeat. Ipſa Operatio ab Hippocrate memoratur, & ab ejus temporibus uſque ad hunc diem multo ſæpe cum ſucceſſu adhibita eſt. Aliam, Punctura ſcilicet per Acum, viam proponit Sylvius de le Boe, hanc a ſe primo excogitatam glorians; quanquam evidens ſit ea omnia ex hac deſcriptione deſumta eſſe, atque totidem verbis ab Avicenna expreſſa. Verum haud ſola hæc inventio recens dicitur, quam Antiqui nobis Medicinæ Scriptores diſerte tradiderint. Id autem omnibus in Chirurgia vel minimum verſatis conſtat, Lanceolam longe præferendam eſſe cuivis Acui, in aperiendis iis, quæ Anaſarcam comitantur, Tumoribus. AETIUS.

E plurimis Auctoris hujus locis cognoſcitur, quanto iſtis ſæculis in uſu fuerit Cauterium tam Actuale, quam Potentiale; ac ſpeciatim in [a] Paralyſi, ex Archigene, Eſcharam utrovis modo ſine ulla cunctatione fieri jubet, idque in variis partibus: in Nucha, qua Medulla Spinalis ortum habet, unam; duas utrinque; tres vel quatuor in vertice Capitis, unam in ipſo ejus medio, circaque hanc tres alias. Adjicit etiam, ſi per Ulcera diutius humor profluat, magnam ſpem eſſe de redintegranda hominis ſanitate. Multi Fontanellorum inventionem recentem, nec ullatenus Veteribus cognitam exiſtimant: verum is qui deſcriptionem hanc animo perpenderit, rem omnem, perinde ac nobis hodie, illis quoque olim innotuiſſe diſpiciet. Neque in Aetio id unicum hujus rei exemplum eſt. Nam de hoc auxilio ſubtilius etiam diſſerit in eo loco ubi id contra [b] Aſthma inveteratum præcipit, poſtquam alia omnia remedia parum profecerint. Ulcus unum utrinque, prope mediam Claviculæ articulationem fieri vult, cum eo tamen ne Aſpera Arteria convulneretur: duo deinde alia exigua prope Arterias Carotidas ſub maxilla, utrinque unum, ita ut Cauterium haud ultra cutim pervadat: alia duo ſub mammis inter tertiam quartamque coſtam: duo rurſus alia in dorſo juxta coſtam quintam atque ſextam: aliud itidem in medio thorace prope ortum Cartilaginis enſiformis, ſupra os ventriculi: ſimiliter unum utrinque inter octavam nonamque coſtam: tria demum in dorſo, in medio ſcilicet ejus unum, ac paulo infra reliqua duo ex Vertebrarum parte utraque. Quæ infra collum ſunt, ſatis ampla eſſe debent, neque ſuperficiem tantum

[a] 2, 2, 28. [b] 2, 4, 68.

radentia,

Aetius. radentia, neque nimis alta; omnia vero diutius ſervanda. Eandem operationem in Empyemate ac Phthiſi imperat: & in utroque caſu Eſcharam circuli forma faciendam eſſe admonet, quæ res ulcera diutius a ſaneſcendo prohibet: atque hoc modo Fontanelli Cauſtico hodieque inuruntur. Ea quæ de Aſthmate dicta ſunt fere ad verbum exſcripſit Paulus; & idem conſilium præbet in curando Empyemate, hoc ſolum adjiciens quod radix Ariſtolochiæ oleo madens actuali Cauterio accendi debeat. In eodem morbo ex Leonide refert, quemadmodum per Pleuram ferramentum acutum igne candens demittatur, ad pus educendum ex Thorace. Vulgarem quoque Paracenteſis faciendæ viam commemorat; cum eo tamen ut operationem hanc vel a ſubita morte excipi notet, vel a Fiſtula inſanabili. Id ex Paulo ſumit Albucaſis. Nequaquam tamen perpetuum eſt, ut in hoc caſu exitium ita immineat; atque in re tam ancipiti bene de eo agi putandum eſt, cui prioris mali loco Fiſtula tantum relinquitur. Aetius & in aliis locis, & ſpeciatim in curatione Iſchiadis, varias Cauteriorum Potentialium, tam in cruribus quam alibi, efficiendi vias deſcribit; docet etiam quemadmodum Ulcera ſervari poſſint ut ex iis humor diu profluat; nec ab eo in hac re unquam diſcedit [a] Paulus. Hæc quæ ex Aetio hauſi, ut mihi quidem videtur, diſerte probant, Fontanellorum effectus ab Antiquis probe fuiſſe cognitos; ſimul etiam Operationem ab his Cauſticorum ope fieri conſueſſe, quæ plerumque commodiſſima iſtos efficiendi via eſt. Porro in iis ipſis Morbis, adverſus quos ab Aetio maxime prædicantur, etiamnum inſigniter proſunt. Notari poteſt, tria Capita, de Paralyſi, Empyemate, & Iſchiade, ex Archigene ſumi; ideoque Operationis hujus vetuſtas Domitiani ſaltem tempora attingit. Cauterii modum utrumque nominat Cælius Aurelianus in Dolore Capitis & Iſchiade, licet in priore caſu remedium illud improbet. Eo tamen referente, id in Phthiſi commendat, Celſo antiquior, Themiſon. Hunc Cauterii uſum Hippocrati notum fuiſſe liquido conſtat; idque diſerte a Celſo collaudatur, Actuale ſemper, in [b] Hydrope, [c] Epilepſia, [d] Iſchiade, ac [e] Phthiſi; atque ut melius ſciamus quam ſane Vir ille judicaverit de materiæ per vulnus profluentis utilitate, legem hanc perpetuam tradit in omnibus hiſce caſibus: "Ut Ulcera aliquis ſaneſcere vetet, & humorem fluere "ſinat, donec is omnis exhauriatur, & levetur morbus." Ita in rabioſi Canis morſu, aperta ſervari Aetius per quadraginta aut ſexaginta dies, & ſi coierint, rurſus aperiri jubet. Fuit hic rei hujus apud Veteres uſus, modo nunc dierum uſitato idem ſine dubio valens. Quidam inter Veterum Cauteria & Recentiorum Fontanellos diſtinguunt; ſed ex iis quæ de auxilio iſto breviter dixi facile apparebit, inter res iſtas nullam momenti cujuſvis eſſe diſcrepantiam. Recentiores in eo quidem experimentum in melius deflexerunt, quod Rhazem [f] ſecuti Fontanellos plerumque in carnoſa aliqua corporis parte, vel potius in Muſculorum interſtitiis fieri præcipiant; cum

a 6, 2, 3, 73, 53. b 3, 21. c 3, 23. d 4, 23. e 3, 22. f De Cauteriis.

Antiqui

50. Antiqui illos aliquando juxta os aperuerint, ſicut in Sterno, Nucha, Claviculis, &c. quibus locis ſi qua res Ulceri inditur, quo diutius ſervetur, Perioſteo preſſo ingentem dolorem moveat neceſſe eſt, præterquam quod humor, in cujus exitu curationis cardo vertitur, nequeat ex iſtiuſmodi loco ita copioſe exire. Hæc ſola Veterum erat, nempe Cauteriorum ope, Fontanellos efficiendi ratio; horum enim per Scalpellum inciſio recentius eſt inventum. Multi Cauterium Actuale Potentiali anteponunt, quia citius Eſchara ſecedit; ſed quoniam prior modus crudelior videtur, poſteriori frequentius utimur, ut ægrorum mollitiei indulgeamus: tamen ob hanc ipſam rem, commodiſſime hoc modo major fit ulceris profunditas. Glandorpius autem, qui argumentum hoc accuratiſſime tractavit, Actuale Cauterium adeo probat, ut ſex hoc modo factos ſubire, quam altero unum, malit: neque in quatuordecim annorum uſu Potentiale pluſquam bis adhibuit. Aetius.

In hoc loco non ineptum erit aliqua de certo quodam genere Fontanellorum adjicere, quæ Setacea vocantur: a [a] Lanfranco quadringentis abhinc annis planiſſime deſcripta. Ac ſi Medicos Lanfranco priores conſulamus, reperietur uſus eorum etiamnum illo antiquior. Rolandus, qui maturius decimo tertio ſæculo vixit, non modo rem ſed [b] vocem ipſam exprimit: ac docet etiam quemadmodum acus cum filo trajici debeat. Camanuſali, qui Baldachi, ſive Bagdadi, Medicinam exercuit, vixitque, ſi non multo antea, ſaltem priuſquam Civitas iſta a Tartaris capta eſt A. D. MCCLVIII, quique, de Oculorum morbis ſcribens, omnia de eadem re ab Arabibus, Chaldæis, Judæis, Indis, dicta expoſuit, Setacei bis mentionem habet: primo, in [c] Cataractæ curatione, deinde in affectu qui ab eo [d] Lunella dicitur, eſtque ſuppuratio inter Tunicam Corneam atque Uveam. Videtur etiam Operatio hæc ab Albucaſi clariſſime deſcripta in eo loco ubi agit de Cauterio axillæ applicando, quo curetur humeri luxatio, quando ſcilicet ab humorum nimio fluxu orta eſt; & ejuſmodi Cauterio utitur quod duas vel tres cuſpides tenues admodum atque acutas habeat, quodque ab una cutis parte inſerta, altera [e] exeat. Idem facit in Lienis [f] Tumoribus, & ulcus diutius ſervandum eſſe præcipit. Franciſcus Pedemontanus, Roberti Siciliæ Regis A. D. MCCCX Medicus, verba Albucaſis exſcribit, de luxatione ejuſdem partis [g] loquens. His teſtimoniis jam tum illis temporibus innotuiſſe Setaceum evincitur; quin & Rhazis ætate id frequenti in uſu fuiſſe, ex hujus Sermone de Cauteriis conſtat. Is enim locos diverſos indicat, quibus id fieri convenit, cervicem nempe, coſtarum intervalla, in ventre, & aliis locis, nec non & contra quos morbos idem proficiat. A Tranſductore Sectorium appellatur; Ulcera vero aperta ſervari jubet "cum tentis & petiis:" ita ut Setaceum luculentius, quam per hæc verba depingi nequeat. Contra dolores aurium, oculorum, atque dentium, id in Auris vel media

a 3, 3, 18. b 1, 34, 36. c 6, 3. d 6, 4. e 1, 26. f 1, 31. g Ægritud. Junctur. 3.

Aetius. vel molli parte factum magnopere commendat, fluxumque quam A.
diutiſſime promoveri hortatur. Illud utique eo magis animadvertere lubet, quod mihi haud improbabile videtur, auxilium hoc, ſicut multa quoque alia, primo inſtitutum fuiſſe ad ſimilitudinem Operationis inter Medicos Veterinarios multum celebratæ. Quam Columella, qui Claudii temporibus floruit, ſequentibus verbis fuſe & eleganter exponit. "[a] Præſens etiam remedium cognovimus "radiculæ, quam paſtores conſiliginem vocant. Ea in Marſis mon- "tibus plurima naſcitur, omnique pecori maxime eſt ſalutaris. Læva "manu effoditur ante ſolis ortum, ſic enim lecta majorem vim "creditur habere. Uſus ejus traditur talis; ænea ſubula pars auri- "culæ latiſſima circumſcribitur, ita ut manante ſanguine tanquam "O literæ ductus appareat orbiculus. Hoc & intrinſecus, & ex ſu- "periore parte auriculæ cum factum eſt, media pars deſcripti orbi- "culi eadem ſubula tranſuitur, & facto foramini prædicta radicula "inſeritur; quam cum recens plaga comprehendit, ita continet, ut "elabi non poſſit: in eam deinde auriculam omnis vis morbi, pe- "ſtilenſque virus elicitur, donec pars, quæ ſubula circumſcripta eſt, "demortua excidat, & minimæ partis jactura caput conſervatur." Ratio hæc inter Armentarios etiamnum obtinet; a Columella vero contra Boum Peſtilentiam vel Epidemicam contagionem proponitur. Igitur idem in eodem morbo remedium, ſub Fontanellorum ſpecie, humano corpori poſtea adhibitum videmus a Johanne primum Arculano, qui Sæculo decimo quinto viguit; cujus exemplum proximo Sæculo Medici complures ſecuti præſidium hoc ad cavendam Peſtem efficaciſſimum concelebrarunt.

Quod ad Setaceum ipſum pertinet, id Albucaſis tempore, & per annos poſtea quadringentos, video ope Cauterii ſemper fieri conſueſſe. Hollerius, vel primus, vel certe inter primos, rem hanc, uti nunc vulgo fit, Acu non candente præſtitit; unde mirari ſubit, Hildanum ita multo poſt viam hanc, tanquam a ſe repertam, venditaſſe. Quanquam inciſio Setacei ſine Cauterio fortaſſe ſit antiquior; nam Critica Severini obſervatio aliquo fundamento nititur, cum per vocem Sectorium, in verſione Rhazis poſitam, declarari exiſtimet non adhibitam fuiſſe Uſtionem. Conſtat certe, duos Operationis hujus adminiſtrandæ modos, quorum alter incidendo, alter urendo fit (interdum autem una ambo junguntur) a Rhaze diſtingui. Porro in eo loco ubi Setaceum inter Umbilicum & Claviculam, adverſus Aſthma, Phthiſin, ac Pleuritidem, incidi jubet, illud adjicit, ob eaſdem cauſas in eadem parte non alienum eſſe uti Cauterio. Id in argumento hoc amplius animadvertam, quod quicunque breve illud Rhazis capitulum perlegerit, conſideraritque quibus in morbis varia hæc Fontanellorum genera ſint præſcripta, facile ſibi perſuadebit, haud minus ab Antiquis quam a Recentiorum quolibet vim eorum omnem eſſe perſpectam. Diſputationem hanc cum Severini obſervatione in ſequentia Rhazis verba finiam: "Nota

[a] De Ruſtica, 6, 5.

"hoc

500. "hoc generale esse, in omni loco Fontium cauterizandum est, per AETIUS.
"quem Fluxus humorum transire videtur ad membrum aliquod,
"sive deorsum sive sursum, ad intercipiendum Fluxum." Huic loco Fonticuli vocem, sensu isto usurpatam, ortum suum debere conjicit. Quæ quidem observatio & acuta est & probabilis; ac prout ista appellatio sine dubio recens est, ita ab hac origine forsan optime derivatur.

Primus, ex Leonide, [a] Dracunculorum mentionem nobis tradidit Aetius. Id Vermium genus est, modo exiguum, modo amplum, quod cruribus plerumque innascitur, aliquando autem in brachii musculis; costas quoque in pueris, si Paulo credimus, occupant, Pueros item morbus maxime invadit, & in Æthiopia præcipue Indiaque familiaris est. Hujusmodi affectum in [b] Arabia fuisse vulgarem auditione cognovit, sed nunquam a se conspectum perhibet Galenus: quare nullam ejus descriptionem aggreditur. Sub cute Vermes hi moventur, nec dolorem excitant: temporis spatio tamen locus circa Vermis extremitatem suppurat, cutis perrumpitur, & animalis caput prodit. In eo cura versari debet ut Vermis integer vel sponte exeat, vel saltem ope funiculi aut incisionis: nam si rumpitur, & ejus pars intus remanet, sævissimos dolores facit. Aliam ejus eliciendi viam proponit Paulus, qua ei plumbi pondus exiguum annectitur, ut ita sensim educatur; quanquam alios vereri dicat, ne per hoc experimentum animalis ruptio contingat. Id aliquando longitudinis immensæ est, decem vero aut quindecim palmas ut plurimum exæquat; unum Albucasis viginti palmis non minorem vidit; Rhazes autem hominis imeminit, qui cum quadraginta hujusmodi Vermes in corpore habuisset, ad sanitatem pervenerit. Multa eodem pertinentia in aliis quoque Recentioribus [c] Historicis occurrunt. Arabes, quia morbus Medinæ frequens esset, Venæ ei Medinensis nomen imposuerunt; Venamque ideo appellarunt, quod, sicut Soranus antea fecit, utrum animal vivens esset, annon materia potius aliqua concreta nervi similis, addubitarent; unde Avicenna, contra ordinem Pauli, de eo agit, haud inter Vermes, sed in Abscessibus. Verum hi proculdubio in errore versantur; animalque id Leonides, uti videmus, diserte vocat. Velschius, ut Arabicam eruditionem ostentet, qua quidem illum non mediocriter instructum video, Commentarii loco super Caput quoddan Avicennæ integrum de hoc argumento Librum conscripsit: verum Avicenna descriptioni ab Aetio factæ vix quicquam adjicit; ac si Velschius Arabem duntaxat Auctorem commentari voluisset, Avicennæ Rhazem merito præferre potuit, cum hic multis ante illum annis rem istam haud minus copiose tractasset. Vena Medinensis & a multis Scriptoribus & ab ipso Clerico in Appendice idem atque alter morbus ab Arabibus descriptus putatur, qui Affectio Bovina dicitur, estque Vermis exiguus in Vaccis sæpe reperiendus. Verum Aetius duo

[a] 4. 2. 85. [b] 4. 59. [c] Loc. affect. 6. 3. [d] Cleric. de Vermibus, Kempfer, & Acta Philosoph. N° 225.

Vermium

Aetius. Vermium genera clariſſime diſtinguit, amplum atque exiguum; & A. I
Albucaſis[a] duo ſeorſim Capita habet de duobus his Affectibus, quorum deſcriptio quoque multum diverſa eſt.

Morbo huic ſæpe accedit Febris per duos vel tres dies continuans, iſque nonnunquam horrenda inducit Symptomata, & in Abſceſſus deſinit, quorum curatio multis menſibus vix abſolvitur. Familiaris admodum in Guinea eſt, præcipue inter homines illic natos. Kempferus[b] frequentem quoque Ormuzi in Freto Perſico eſſe reperit, ideoque Dracunculum Perſarum nominat; & in Tartaria etiam vulgarem eſſe tradit. Vitium hoc in ferventiſſimis regionibus calidiſſimiſque tempeſtatibus maxime ſævire animadvertit; Vermiumque horum generationem ſtagnanti aquæ pluviali tribuit, cujus in his locis valde frequens uſus eſt. In ea regione ubi oritur, uti in quit ille, facilius curatur. Bis hujuſmodi Vermem vivum conſpexit, ejuſque extrahendi modum fuſe narrat: qui ei fere ſimilis eſt quo Chirurgi hodie per Indiam Occidentalem inter Nigros homines utuntur.

Aetius externis ubique Remediis abundat, ac ſpeciatim [c]Librum prope integrum in Emplaſtris ponit; ubi non modo illa congeſſit quæ in Galeni Commentariis de Medicamentorum compoſitione occurrunt, ſed quotcunque etiam in Recentiorum Voluminibus reperire potuit, ſive ii Græci fuerint, ſive Perſæ, ſive Ægyptii. Hæc ille ſecundum varias facultates quibus prædita, varioſque uſus quibus accommodata ſunt, ordinatim diſponit. In explanandis rationibus, deſcribendiſque formulis eorum quæ longe majorem hujus Claſſis partem conſtituunt, & accurate & diſtincte differit; de iis loquor quæ ad Diſcutiendos aut Suppurandos Tumores parantur. Scienter autem iſtam rem tractat in hunc modum ſcribens: "Inchoantibus ergo "duritiis, & debilem aliquem ſenſum adhuc habentibus, medica- "menta Emollientia adhibebimus, quæ ſimul moderate etiam diſ- "cutiunt; & talia ſane ſunt, quæ & molliendi ac diffundendi fa- "cultatem habent. Nam quæ vehementer diſcutiunt, & ſine mol- "litione ſtatim evacuant, manifeſte quidem tumorem imminuunt, "relliquias vero affectionis incurabiles efficiunt. Diſcuſſis enim te- "nuioribus humoribus, quod exacte terreum ac ſolidum eſt perti- "naciter reſtitat; quapropter in hunc uſum medicamenta adhibenda "ſunt, quæ molliendi ſimulque diſcutiendi vires habent. Primum "igitur mollientibus utemur, deinde ad diſcuſſoria procedemus, "eaque mollientibus paulatim miſcebimus. Conſiderandus tamen "eſt & curandi corporis habitus, & affectionis ſtatus quantum pro- "ceſſerit. Hæc vero ſi recte conſideraveris, conjecturalem quidem, "non tamen penitus arte carentem, peritiam acquires; prima enim "die ſtatim mollientia adhibebis, altera deinde aut tertia tranſacta "facile intelliges an augere aut remittere medicamenti vim oporteat." Porro ad Diſcutientium ac Suppurantium Medicamentorum differentiam veniens, etiamnum explicatius loquitur: "Qui compoſito-

a 2. 91, 92. b Faſcicul. 524. c 4. 3.

"rum

500. "rum, inquit, pharmacorum facultates deſcripſerunt, quædam AETIUS.
"Emplaſtra Attractoria appellaverunt, ſicut quædam Diſcuſſoria:
"aliquibus vero teſtimonium præbuerunt utriuſque facultatis: ſunt
"enim vicinæ inter ſe facultates, Attractoria ex profundo, & Diſ-
"cuſſoria attractorum. Nam quæ attrahunt, omnino etiam diſcu-
"tiunt: & quæ diſcutiunt, etiam attrahunt; & prædominatur, in
"Diſcuſſoriis quidem medicamentis facultas Diſcuſſoria, in Attracto-
"riis vero Attractoria. Quo itaque Emplaſtri forma fiat, alii ſpuma
"argenti miſcetur, alii reſina, alii oleum, alii cera, alii pix; quum talia
"neque Diſcuſſoriam memorabilem, neque Attractoriam vim ha-
"beant." Nihilominus de Emplaſtris iiſdem ſigillatim agens, quod ad eorum Operationem pertinet, omnia confuſa & incerta tradit; neque commode definit, quænam Diſcutiendo, quænam Suppurando ſint idonea; immo idem ſæpe Emplaſtrum in utrumque opus commendatur. Et quæ de quibuſdam Emplaſtris Diſcutientibus affirmat, mira, ne dicam, abſurda ſunt; unum habet, quod in Abſceſſibus [a] Diſcutiens mirificum appellat; & id, quod [b] Helladicum vocat Abſceſſus diſſipare inquit jam in Pus converſos. Illud autem affirmare non verebor, nullius cujuſvis Medicamenti ope adeo miraculoſam fieri poſſe in iis Abſceſſibus mutationem qui ab Inflammatione ortum traxerint. Nam uti frequenter nullo Remedio Puris in Tumore generatio prohiberi poteſt, ita hoc ſemel generato, pro certo credo nullam ab arte reliquam eſſe curationem, niſi qua id educitur. Quoniam vero argumentum hoc majoris explanationis indiget, de eo fuſius lubet, quatenus Auctor iſte viam mihi commonſtrat, diſſerere. Haud ſine cauſa quiſpiam exiſtimaverit, Externorum Remediorum uſum, cum hæc & ab initio Medicinæ adhibita ſint, & per omnes ætates in honore permanſerint, definiri tandem deſcribique ſumma cum accuratione potuiſſe. Nulli frequentius morbi viſi ſunt, quam Tumores Humorales: tamen ſi Chirurgiæ Scriptores vel Antiquos vel Recentes conſulamus, quanquam ii de Tumoribus in ſuas ſpecies ac familias redigendis ſatis ſuperque dixerint, argumentum hoc ita perplexe & confuſe tractatum reperiemus, ut Indicationes ac Remedia pariter incerta videantur. Duos tantum retractabo maxime uſitatos, quorum mentio ſupra facta eſt, modos, quibus Tumores curantur; (hi autem a ſe diſcrepant ſibique invicem repugnant) Diſcuſſionem ſcilicet ac Suppurationem. Si medentis conſilium a Librorum lectione dirigi debet, magna ſæpe in dubitatione relinquemur, cuinam viæ potiſſimum inſiſtere expediat: vel ſi de ea conſtat, tamen ambiguum erit quibuſnam Medicamentis utendum ſit, ut id quod volumus conſequamur; ſiquidem inter Auctores alter id Diſcutiendo commodiſſimum inquit, quod ab altero, tanquam Suppurationi promovendæ efficaciſſimum, æque prædicatur; quanquam, ſi ea luce uti libeat, quam ad cognoſcendam Cutis texturam nobis Anatomia prætulit, nihil profecto poſſit harum Operationum natura ac ratione dilucidius explicari. Ut igitur rectam

a 14. b Ibid.

AETIUS. Diſcuſſionis notitiam animo perceptam habeamus, primo ponendum A
eſt Fluida omnia, quæ his Tumoribus originem præbent, ſuis etiamnum Vaſis comprehendi: verum incipiente in Arteriis Capillaribus obſtructione, ſive ex vitio ſanguinis, ſive ab externis cauſis, humores, quos per Circulationem propelli oportuit, in affecta parte ſtagnant, perpetuoque affluxu vaſa ultra naturalem eorundem capacitatem ita diſtendunt, ut inde Tumor excitetur. Ex hoc Tumoris ortu rite cognito luculenter patet, quid per Diſcuſſionem apte moliri atque aggredi debeamus. Sunt autem duæ res: altera, ut aperiantur pori, quo facilius materiæ ſupervacuæ pars aliqua per tranſpirationem excernatur; altera, ut attenuentur & quaſi refingantur humores (idque non per externa tantum, ſed & per interna etiam remedia) quo per Vaſcula Capillaria uſitatum curſum renovent. Has vero ambas res junctim promoveri oportet: quod cum probe adminiſtratum eſt, Tumor his modis diſcuſſus evaneſcit. Nam ſi primam duntaxat, Poros ſcilicet aperiendi, indicationem ſequamur, tenuiori materiæ, ſicut ab Aetio recte animadverſum eſt, exhalata, reliqua glutinoſior fit, & obſtructionem confirmans membranarum craſſitudinem auget. Hinc ita frequenter, ex eorum applicatione quæ, quoniam nimis calida ſunt nimiſque vehementer diſcutiunt, tranſpirationem citant immodicam, fit, loco indureſcente, Schirrus inſanabilis; eodem plane modo, quo in quibuſdam Febribus, ac ſpeciatim iis quæ Lentæ vocantur, ex liberaliori Diaphoreticorum uſu, omiſſis Evacuantibus, viſcidior ſanguis magiſque in ſtagnationem proclivis efficitur; quæ quidem male inſtituta ac præpoſtera medendi ratio ita parum affectus a principio inhærentes levat, ut novorum complurium, quique illos malignitate exſuperent, fundamentum jaciat. Si rem hanc paulo attentius conſideremus, patebit illico quam male a quibuſdam Inſtitutionum Scriptoribus Diſcuſſio definiatur, Evacuatio inſenſibilis; ſecundo interim propoſito, humores nempe attenuandi ac refingendi, quod æque neceſſarium eſt, definitioni non addito. Aetius autem, & poſt hunc Hildanus, quo Diſcuſſio melius procedat, aliquam ſemper eorum, quæ emolliunt, portionem admiſcent; ut hujuſmodi particulæ vim cæterarum temperent, nimiſque violentam ac præcipitem, quæ aliter contingeret, per cutim diſſipationem cohibeant. Eodem conſilio ita vehementer Scriptores quidam Practici Medicamentorum Spirituoſorum cum Oleis mixturam, non modo ad diſcutiendos Tumores, ſed ad dolorem etiam levandum, prædicant. Et Experientia ſane commonſtravit quantæ ſit in iſtis caſibus efficaciæ Oleum Terebinthinæ, uti cætera quoque Olea, quæ per Chymiam eliciuntur: ſunt enim illa nihil niſi Spiritus concluſi, vel, ut vulgo dicitur, concentrati a materia aliqua Oleoſa: idque argui poteſt ex rarefactione iſta expedira celerique aſcenſu quem ab igne obtinent; ideoque Olea hæc, poſt repetitas Diſtillationes a glutinoſis particulis liberiora reddita, in Spiritus, quod eorum quoque nomen eſt, convertuntur. Itaque neceſſario ſimul humorum attenuationem debemus,

æque

500. æque ac exitum, moliri. Unde eas compoſitiones, quæ Mercurii aliquid recipiunt, efficaciſſime diſcutere comperimus: & Medicamentum, quod ex Cinnabari maxime conſtat, præter alia omnia ab Alexandro celebratur, ad reſolvendas eas, quæ oriuntur in Rheumatiſmo & Podagra, concretiones. Neque effectum minus felicem ſperare poſſemus, ſi Opium & Camphora, quæ ſunt omnium fortaſſe Medicamentorum Attenuantium validiſſima, Compoſitionibus Diſcutientibus liberalius admiſcerentur. Contra vero, id attenuandi inſtitutum eo modo ſequi par eſt, ut vitentur illa, quæ cutis exitus inferciunt atque obſtruunt. Sub hoc genere Olea, utpote admodum glutinoſa, comprehendi debent; quamobrem Aetius, in applicatione Emplaſtri [a] Perſici ab eo deſcripti & ultra modum prædicati, magnam, ne pars Oleo inungatur, cautionem ſubjicit. Oleo Poros occludi, diſerte tradit Galenus; & ob hanc ipſam cauſam poſt Balnea Unctionem præcipit, ne iis tranſpiratio nimia ſuccedat. Et ab Auctore noſtro Oleum Maſtichinum [b] magni æſtimatur ad ſudoris immoderati cohibitionem, ideo quod Poros obſtruat. Iiſdem argumentis Cælius Aurelianus contra uſum Olei Roſacei, in acceſſione Phrenitidis, diſputat. Multoque magis ob hanc cauſam ſine dubio Veteres Athletæ, quam ob illam, quæ vulgo fertur, ut ita melius ex amplexibus contendentium elaberentur, corpus oleo perungebant: nam tranſpiratione intercepta, majori copia muſculis ſubminiſtratur Sanguis ac Spiritus, quo fit ut in exercitationibus vis atque robur auctius ſuppetaat. Hinc fortaſſe Unctionis inventio a pleriſque Herodico tributa eſt, qui primus Medicinam inſtituit Gymnaſticam. Uſum olei atque adipis in recentibus vulneribus ulceribuſque vetant Hippocrates & Galenus, ideo quod materiam, quæ exire debet, hæc intus concludunt, & Fungo ſæpe originem præbent. Hildanus autem in Compoſitione Unguenti Ægyptiaci, tantopere ab ipſo & aliis ad Gangrænam prædicati, licet id jam in deſuetudinem abierit, neque Oleum neque adipem miſcet: neque abſurda cautio eſt quam de Cataplaſmate ad idem valente profert, ut magna in eo cura ponatur ne farina fabarum, lentium, &c. quæ in ea compoſitione adhibentur, nimia coctione lentior evadat, ex quo tranſpiratio ſiſti poſſit. Cauſa ejus rei facile cuivis patebit in harum Anatomia partium verſato: ſiquidem Cuticulæ lamellas, quarum alia alii ſubſternitur, ita diſpoſitas videmus, ut ab illa ipſa materia, quæ perſpiratur, tenui admodum ac ſubtili, ſæpiſſime conglutinentur. Ita in Inflammationibus & Contorſionibus, Olea glutinoſa valde nocent, ac Tumorem ita non diſcutiunt, ut Pus etiam moveant; quod ſi in ſuperficie juxta os inciderit, periculum eſt ne in eo caries oriatur. Idem incommodum deprehenſum eſt, cum in initio adhibita ſint Paronychiæ medicamenta vehementer ſuppurantia, quando Tumor altus fuerit atque oſſi vicinus: quo in caſu diſcrepantem huic curationem ab Aetio [c] inſtitutam videbimus. Chirurgi noſtrates Tumorem hunc magno cum judicio ſecundum digiti longitudinem, ex altera Ten-

Aetius.

a 14. b Lib. c 3. 2. 75.

dinis

Aetius. dinis parte, aperiunt; quo facto, & multum doloris & discrimen A. D
omne æger effugit. Cera, quæ a Celso Suppurantibus tantum annumeratur, sine dubio ad hanc classem pertinet: quanta vero nunc dierum ejus partes sunt in Remediis Discutientibus? Gummi, & Resina, licet compositæ sint naturæ, & partes aliquas penetrando aptas contineant, quasdam tamen etiam glutinosas habent, quæ, ut fatetur ipse Aetius, ad Poros occludendos potius quam reserandos valeant; ideoque ista a Fallopio, qui cæteris fere quibusque Auctoribus Discutientium ac Suppurantium differentiam penitius intellexit, Discutiendo inidonea judicantur. Hildanus multa nobis noxarum exempla profert, quas, magnopere ad curationem vulnerum suo tempore jactatum, ediderat Stictícum Paracelsi Emplastrum: hosque effectus Gummosorum in eo abundantium facultati tribuit, a quibus humorum in eam partem cui applicantur fluxum semper augeri contendit. Ita in Phlegmone, Emplastra Gummosa, maturius imposita, Tumorem augent, & dolorem intendunt. Nam cum rarefactis attractisque humoribus, simul obstruuntur pori, ac liber istis exitus negatur, adeo non promovetur Discussio, ut Naturam aliud longeque diversum opus, Suppurationem scilicet, aggredi cogamus. Tamen, si eorum quæ nunc obtinent Emplastrorum Discutientium compositionem inspiciamus, vereor ne multa ex his culpæ hujus argui possint. Fuit proculdubio magis simplex & uniformis Antiquorum ratio. Hippocrates, in qua re universi consentiunt, Chirurgiam probe intellexit; atqui in ejus scriptis nulla Emplastrorum mentio est: Ceratis tantummodo nonnullis, idque raro, utitur. Unguenta ab eo memorata iis, quæ hoc nomine hodie vocantur, neutiquam similia sunt: cum vel ex Oleo simplici, vel infusis Oleo herbis constent. In Discussione autem, Fomentis unice nititur: qua via fortasse, & optime vim Plantarum educi, & in vasa Tumorem constituentia facillime deferri posse, judicavit. Celsi ætate, Materia Medica multum ampliata est; utque in iis ille, quæ ad Chirurgiam spectant, Scriptis præcipue excellit, ita maximam horum partem Remedia implent Externa. Tamen si Malagmata examinemus, quæ Discutiendo apta proponit, minorem in iis, quam in Recentiorum Formulis, Olei, Adipis, & Ceræ portionem reperiemus. Medicamentorum compositio, Andromachi tempore, ulterius provecta est, ac magis etiam, Galeni ætate, perfecta: post quod, ut ex Aetio disci potest, multum quoque huic Pharmaceutices parti adjectum est; & quanquam numerosa jam Simplicia commiscerentur, tamen haud prorsus sibi invicem repugnabant. Aut enim nihil erat crassæ istius materiæ Discutientibus admixtum, sicut observari potest in eorum plurimis quæ in quinto Capite descripta, & ad Strumarum curationem a judice haud imperito commendata sunt Leonide, quorum pars maxima e Ceratis maxime constat: aud siquid ejusmodi, formulæ gratia, adjectum erat, ad illud corrigendum major semper adhibebatur rerum calidarum abundantia. Quod siquis hanc rem diligenter excusserit, istas, credo, regulas in posterioribus sæculis

haud

haud æque ſervatas eſſe comperiet, præſertim in Diſcutiendi propoſito melius ſortaſſe reſponderent, ſi Mercurius cum Axungia tantum, eo quo Fallopius his uti ſolebat modo, admiſceretur, vel cum Terebinthina, quam, uti vulgo fit, cum ingenti glutinoſorum & mucilagine abundantium copia, quæ cum Poros obſtruant, nihil aliud quam Hydrargyri operationem interturbant, idque vero, non tranſlato, vocis ſenſu, extinguunt. Galenus quidem contra ipſam Emplaſtrorum, in Diſcuſſione, formam, utpote nimis duram atque viſcoſam, differit; igitur cum Phlegmone diſcutienda eſt, Linimenta tantum adhibet, quia hæc Poros minus occludunt. Cujus conſiſtentiæ ſunt Emplaſtra e Succis ab [a] Aetio deſcripta; nam ab eo Succi Plantarum Oleo tantum incoquuntur. Tamen in Oedematoſis ſaltem Tumoribus Emplaſtra conveniunt, & faſciæ vel pulvilli loco ad humores intra Vaſa compellendos quodammodo inſervire poſſunt. 600. Aetius.

Hi ſunt modi maxime idonei, quos Natura, ejuſque optimi Interpretes, ad Diſcuſſionem præſtandam nobis indicaverint; & ex iis quæ de hac re dicta ſunt, Suppurationis facile notitia obtinebitur: ad quam quidem peragendam & Pori occludi debent, & eodem tempore ita rarefacti humores attrahi, ut ingenti diſtentione vaſa perrumpantur: hique humores extravaſati & ad digeſtionem perducti ſub Puris ſpecie apparent. Inde evenit, ut ſi citius quam par eſt aperiatur Tumor, quando ſcilicet materia cruda eſt, id ejus maturationem prohibeat. Igitur omnia iſta Medicamenta quæ Diſcuſſioni inepta eſſe poſui, ad Suppurandum maxime valent; cui conſentit id quod a Galeno dicitur, hæc ex partibus craſſis debere conſtare; Tetrapharmacum vero, quod ex Pice, Adipe, Reſina, & Cera fit, inter ea quæ Pus movent valentiſſimum vocat Celſus. Ita in Vulneribus, materia tandem Medicamentorum Emplaſticorum ope ad Digeſtionem pervenit. Utque in Diſcuſſione animadverſum eſt, glutinoſas res nullo modo admittendas eſſe, ita nihil quod vehementer Diſcutiat Detergeatve iis miſceri debet per quæ Pus movere cupimus; idque ob cauſam ab Hollerio de hac re allatam, ne hoc modo Poros aperiamus, quos occludi expedit. Verum haud pauca contigiſſe exempla notamus, ubi remedia ad Diſcuſſionem idonea ſint adhibita, cum propoſita eſſet a Medente Suppuratio. Nam cum per ſe materia ad Suppurationem tendit, quicquid Diſcuſſionem, Revulſionem, aut Evacuationem præſtat, id eam a matureſcendo prohibet, atque ita curationem, ſi non fruſtratur, ſaltem differt. Contra, cum Diſcuſſionem fieri volumus, liquet omnia etiam intus danda eſſe, quæ vaſa exinaniant, obſtructioneſque in his amoveant, quod paſſim ab Aetio inculcatum eſt: aliter enim non diſcutitur, ſed ad Suppurationem venit, Tumor. Natura ſemper via ſimplici & uniformi procedit; & Ars, quæ hanc feliciter ſequi nititur, eodem ſemper collimare debet. Et profecto, ſi pars hæc Chirurgiæ ab ejus Magiſtris eſſet diſtinctius explicata, clariuſque deſignati & expoſiti

[a] 14.

Aetius. Remediorum Externorum effectus, nihil aliud majorem Internorum A Medicamentorum Operationibus atque Virtutibus lucem affunderet.

Alia multa, in Chirurgia, minime contemnenda, tradit Aetius; & inter hæc, nonnilla quibus Medicus etiam utiliter inſtrui poſſit. Unum eo ſpectans exemplum proferam, in quo curandi nobis regula ad imitandum aptiſſima proponitur. Hæc in [a] Capite quodam invenitur, quod ſi non omne, pars ſaltem ejus de Herodoto ſumta eſt; ubi tractantur Ἐξανθήματα, ſive Eruptiones Cuticulares cujuſcunque generis, quæ vel Febri ſuperveniunt, vel huic ab initio junguntur: eæ præſertim, quæ pruritum movent, & in cute pulicum morſibus ſimiles efflorescunt. In hoc caſu, Naturam redundantibus ac vitioſis humoribus onerari dicit: quæ niſi Evacuatione aliqua, aut per Vomitum, aut per Alvum exhauriantur, partes Vitales adoriendo multum periculi intentant. Quamobrem in initio ſtatim, ſi Febris violenter exarſerit, Sanguinem mitti jubet. Minime dubito, quin, uti nunc obtinet, ita illis quoque temporibus vulgaris iſta opinio obtinuerit, ut ab Eruptione Cuticulari hujuſmodi medela vetaretur: cujus hæc plerumque ratio affertur, ne eo modo humor a Circumferentia ad Centrum recedat. Verum argumentationis iſtius fallacia, ſi ad Oeconomiæ Animalis normam exigatur, facillime detegi poteſt: atque in promtu eſt demonſtrare, quemadmodum in multis caſibus, ubi abundat ſanguis, vel is nimum glutinoſus eſt, detractio ejus lentorem partium attenuet, ac liberiorem earum reddat circulationem: quo fit ut non modo non cohibeatur, ſed benignius etiam procedat Eruptio. Igitur in Eryſipelate, Variolis, Morbillis, Febre Scarlatina, aliiſque ſimilibus vitiis, ſi vehementia ſint ſymptomata, & caput vel pulmonem afficiant, aut in alia quavis parte dolorem ingentem moveant, haud abſque ratione ac tuto prorſus Vena inciditur. Ego certe, quanquam haud aliud frequentius experimentum inſtituerim, ne ſemel quidem animadverti quamlibet harum Eruptionum poſt miſſionem Sanguinis retroceſſiſſe, ubi affectus ipſe id auxilii requireret. In Eryſipelate præſertim, ſed & in aliis quoque caſibus, ubi Inflammatio adeſt, Experientia docet, per ipſius partis affectæ Scarificationem, cum Membranæ illic onere gravatæ craſſiores appareant, frequenter malum omne mira cum celeritate diſſipatum evaneſcere.

Aetius Amidæ in Meſopotamia natus eſt, Alexandriæ litterarum ſtudiis operam dedit, fuitque Relligione veriſimiliter [b] Chriſtianus; unde fieri potuit, ut multi hunc cum altero ejuſdem nominis confuderint Antiochia oriundo, qui Juliani tempore in Ariana Secta celebris exſtitit. Noſter in quibuſdam Manuſcriptis Codicibus appellatur [c] Κόμης ὀφικίων, Comes Obſequii, id eſt, iis Præfectus, qui loco Comitum & Præcurſorum, Imperatorem antecedere ſolerent. In eo multa ad Pharmaceuticen Ægyptiam ſpectantia reperiuntur. Ingentem quoque Formularum numerum collegit, earum præſertim

a 4. 1. 129. b A Deo miſſum, Dei munus, 4, 3, 14. c Bibl. Cæſar. 6, 102.

quæ,

500. quæ, ut Secreta, ab Inventoribus ſuis venditata ſunt. Quaſdam ex his videtur nulla alia, quam ipſas irridendi, cauſa proferre, ac docendi quam immenſo credulis hominibus pretio conſtiterint: ſicut, exempli gratia, Collyrium [a] Danai centum ac viginti Numiſmatis Conſtantinopoli vænibat, idque ita care venditum emptores pro beneficio ei acceptum referebant. Duobus talentis æſtimabatur Colicum Antidotum Nicoſtrati, impie dictum Iſotheon. Id, inquam, videtur Aetii fuiſſe conſilium, ut vilitatem harum oſtenderet Formularum, quamprimum publice innotuiſſent, quibuſcunque cæ fuerant titulis inſignitæ, aut quantacunque in exiſtimatione habitæ; igitur illas neque extollit, neque, ut eas expertus ipſe, commendat, ſicuti, de [b] Philonio loquens, merito facit; nudamque fatagit harum enarrationem tradere, ut venditorum fraudes una cum emptorum credulitate perſtringat. Quiſquis Medicam Artem vel primoribus labris attigerit, nequit ignorare, Univerſale quodvis Remedium nihil aliud quam verba eſſe; nam utcunque ipſum Medicamentum ſit per ſe præſtans atque efficax, tamen nullo modo fieri poteſt, ut id hominibus æque omnibus conveniat, in omni caſu, atque in omni occaſione: unde peritus ſemper Medicus requiritur, qui cum morbi naturam ac ſymptomata penitus intellexerit, prudenter judicet, quando id expediat offerre, & quando ab eo temperare præſtet. Hujus rei non longe petenda eſt demonſtratio; cum manifeſta ſit in magno illo ac fortaſſe unico Specifico, Cortice ſcilicet Peruviano: qui ſi indiſcriminatim ac ſine judicio, etiam in Febribus Intermittentibus, adhibeatur, poteſt æque nocere ac proficere. AETIUS.

Primus Græcorum Scriptor e Chriſtianis, niſi fallor, Aetius eſt, qui Incantationes Medicis uſibus accommodatas docuerit: hæ autem magnopere inter Veteres Ægyptios valde celebratæ ſunt. Unam hujuſmodi profert, ſub nomine Sancti Blaſii [c], ad extrahendum os quod in gutture hæſerit; & alterum adverſus [d] Fiſtulam.

Sedecim Librorum Aetii in quatuor Τετραβίβλους diviſio non ab ipſo Auctore facta, uti Fabricius animadvertit, ſed ab aliquo Recentiorum excogitata eſt; nam quandocunque ii vel ab ipſo vel a Photio nominantur, id fit juxta Librorum ipſorum numerum ac ſeriem. Quanquam in uno loco voce, Quaternionibus [e], Tranſlator utitur, quam illic per incuriam irrepſiſſe arbitror.

Nihil amplius de hoc Auctore dicam, cum ex eo Remedii contra Podagram ſpecimen protulero, eo quod ſit parum vulgare, & omnium quæ in Hiſtoria Medica tradantur in ſuo genere primum. Medicamentum id Externum eſt, & ab eo Magnus [f] Exſiccator dicitur: eo per annum integrum aliquis uti debet, ſervata inſuper per ſingulos menſes ſequenti victus ratione. Menſibus Alexandrina ille, ſive Ægyptia nomina, imponit; qui ſi noſtro more vocentur, hæc præſcriptionis formula eſt: "Æger, menſe Septembri, pro "omni cibo ac potione Lacte ſit contentus; Octobri, allium edat;

a 2, 3, 98. 351, 32. b ibid. c 2, 4, 50. d 4, 3, 14. e 4, 1, 19. f 3, 4, 48.

"No-

AETIUS. "Novembri, a balneo abſtineat; Decembri, braſſicam ne come- A. D
"dat; Januario, vini meraci hauſtum mane ſingulo bibat; Fe-
"bruario, betam ne comedat; Martio, dulcia cum eſculentis &
"potulentis miſceat; Aprili, Raphanum ruſticanum ne comedat;
"neque, Maio, piſcem Polypum; Junio, mane frigidam bibat;
"Julio, a Venere abſtineat; Auguſto denique, malvam ne come-
"dat." Inde Hiſtrionum iſtius temporis in Medicina artes vide-
mus; tamen ab Alexandro ad eundem affectum etiam magis ridi-
culum [a] Antidotum præſcribitur, qua quis uti per integrum quoque
annum debet, ſervato interim hoc ordine, "ut menſibus Januario,
"Februario, Martio, Aprili, quinquies, alternis diebus, exhibeatur;
"Maio, ter, Junio, bis, diebus etiam alternis: Julio, Auguſto, &
"Septembri, ſemel, in menſe ſingulo: Octobri, & Novembri, bis:
"Decembri, quater, alternis diebus." Ita in toto anno Doſes con-
ficiuntur triginta & ſex. Simul abſtinere debet æger a vino, carne
porcina & bubula, a lepore, braſſica, ſinapi, lacte, &c. Aliud idem
Auctor Antidotum habet quod ex trecentis ſexaginta & ſex Potio-
nibus conſtat, quæ ita ſumi debent, ut curſus integer annis duobus
expleatur. Ac promittere audeo, ſiquis huic Regimini patienter ſe
ſubjicere, & præceptorum ſeveritati vitam ſedulo velit accommodare,
minus hunc aliquanto de Podagra conqueſturum, quam a pleriſque
nunc dierum fieri ſoleat.

ALEXAN-DER. His non obſtantibus, Alexander cæterorum longe diſſimilis eſt; A.
magiſque certe omnia, ut fatetur ipſe Clericus, de ſuo penu promit.
Nam ex magna parte & ſtylum & ordinem habet, ſi cum Galeno
ejuſque exſcriptoribus conferatur, ſibi ipſi peculiarem. Illic quoque
ubi veſtigia Antiquorum, aut in deſcribendis Symptomatis, aut in
affectibus curandis perſequitur (ſicut ab eo neceſſario factum eſt,
& ab omnibus, qui Medicinæ Syſtema conſcribendum ſuſcipiunt,
fieri debet) ſuo ſemper ordine ſuiſque verbis utitur. In eo ſtylus
eſt, ut ſummatim loquar, ſincerus, brevis, perſpicuus, &, ut ipſe
ait, ex communibus præcipue verbis compoſitus: ac licet ob vocum
quarundam exterarum admiſtionem (quod ob multas ejus peregri-
nationes fortaſſe contigit) haud uſquequaque elegans, valde tamen
ſignificans & comprehenſibilis. Cæteri morbos admodum pertur-
bate collocant; hos ille conſequenter a Capite ad Pedes diſponit.
Igitur ſolus Græcorum eſt, qui ordine poſſit (quanquam uterque ſuo
modo utitur) cum Aretæo contendere; hique Auctores duo, quos ab
Hippocrate præſtantiſſimos judico, in altera quoque re conveniunt,
ut de paucis tantummodo affectibus ſcribant, qui numero quinqua-
ginta aut ſexaginta non excedunt, quoſque ea de cauſa frequentius
ipſis in Medicina tractanda obverſatos conjicio. Nam ſi ab aliis ex-
ſcribere ſategiſſent, Oribaſii atque Aetii volumina mole veriſimiliter
æquare tentaſſent. Id unum miror, quod Alexander de nullo quo-
quam Mulierum affectu mentionem fecerit. In explanandis morbo-

[a] Lib. 11.

rum-

60. rum cauſis ſatis accuratus eſt, & in proponendis curationum ſcopis admodum ſagax. In Diagnoſticis autem magnopere præcellit; quippe cum affectus illos qui magnam inter ſe ſimilitudinem habent, exactiſſime diſcriminet; ſicut a Jecoris Inflammatione Pleuritidem: a Calculo dolorem Colicum: Febres Hecticas a Quotidianis cæteriſque Febribus. Primo intuitu perſpicere licet quantum in hac re deſit cum Aetio Oribaſius. Duorum caſuum, & curationum a ſe inſtitutarum Hiſtorias, unam in Febre Tertiana, alteram in Lienis Scirrho, tradit: quæ, præter illas ab Hippocrate & Galeno memoratas, ſola ſunt ex omni Antiquitate hujuſmodi ſcriptionis exempla. ALEXANDER.

Idem eſt in Compoſitione Medicamentorum enarranda, horumque exhibendorum modo ac tempore præfiniendo, perquam diligens: inter quæ, multa extant ab ipſo inventa. Et, ſi vera fateamur, tam amplus horum in eo delectus eſt, ut nimis multa potius quam nimis pauca ſint. Magnam videtur in omnium Medicamentorum ſuorum viribus fiduciam habere; neque ſilentio præteriri debet ſuperſtitioſa iſta ac ridicula fides quam in Amuletis & Incantationibus ponit; longe ſupra quam quod in homine exquiſito illo judicio abundante credi poſſit. Aliquas harum rerum rationes adducere conatur [n], & Galeni authoritate ſe tuetur. Quod Magiæ ſtuduerit, multa proferri poſſunt argumenta; ſoluſque fortaſſe Medicorum eſt, qui ex Oſthane quædam, uno ex antiquiſſimis apud Perſas Magis, depromſerit. Huic autem, ſive ex temporum ſuperſtitione, ſive ex hominis ſenectute originem duxerit, in Alexandro credulitati ignoſcamus. Id ſolum animadvertam, hujuſmodi ab eo remedia, nonniſi in Febribus Intermittentibus, Calculo, dolore Colico, ac Podagra commendari; & per omnia fere inſequentia, credo, tempora mos invaluit, ut Magicæ iſtæ applicationes in iiſdem præcipue Morbis obtinerent. Cæteris [o] haudquaquam inferior eſt Homeri verſus,

Τλῆκέ δ' ἀγορὴ, κατὰ δ' ἰσοταχίζετο γαῖα·

Neque ideo minus æſtimari debet, quod minimo conſtet.

In cæteris rebus, quantumlibet Antiquorum ſit amator, tamen in ſententia ſua proferenda, atque adeo cum illis [p] diſſentiendo, libertate omni utitur; ac ſpeciatim cum [q] Galeno ſæpiſſime diſcordat: modo ſe mirari dicens, quanam ratione doctrinan is ita perturbatam atque ita parum [r] diſtinctam tradiderit: modo diverſam ab eo medendi [s] viam, non, uti profitetur, contradicendi, ſed veritatis indicandæ ſtudio, proponens. Utque ſummatim loquar, haud ſolum in unoquoque morbo totum curandi modum diſtinctiſſime explicat, ſed plerumque etiam quæ [t] vitanda ſint Lectorem commonet: quod exemplum ſi alii omnes Auctores eſſent eadem accuratione imitati, haud minorem inde utilitatem, quam a traditis in quaque occaſione agendi præceptis, haurire licuiſſet.

n 1, 15. 9, 4. o 11. p 1, 17. 7, 13. 9, 3. q 6, 1, 12, 1, 6. r 12, 1, 6, 7, 8. s 12, 6. t 3, 7. 4, 1, 3. 10, 13. 12, 7.

ALEXANDER. Alia quoque res Alexandri ſcriptionem a ſupra memoratis Auctoribus diſcernit, quod morborum ſignis & curationum modis explicandis unice incumbat: in Materia Medica, in Re Anatomica, & Chirurgica, contra ac alii fecerant, nihil prorſus attingens; quanquam Librum ſcripſerit, aut certe ſcribere inſtituerit, de [u] Fracturis, & aliquid etiam de [x] Oculorum morbis contexuerit.

In tractanda Podagra, de qua nihil quicquam prodidit Galenus, Librum Alexander integrum ponit; unde fortaſſe morbum hunc hujus tempore magis invaluiſſe jure quis crediderit. Quem præcipue Purgantium ope is levare nititur: & in pleriſque hujuſmodi ab eo ordinatis compoſitionibus Hermodactyli (quas quidem ille vix ab Oribaſio Aetioque memoratas quantivis facit) maximam partem gerunt. Vides quam parum recens inventio ſit, ſicut vane a quibuſdam putatur, Podagræ per Purgantia mederi velle: quod malum fortaſſe omnino non curari magis expedit, quam ſiquis in eo eximias iſtas Formulas ab Alexandro præſcriptas adhibuerit; licet hæ virtute haudquaquam cedant iis, quæ hodierni paſſim Medicaſtri venditant.

Fui in hac re paulo fuſior, ut ex ipſo ejus Opere Scriptorem hunc potius, quam Exſcriptorem, dici debere oſtenderem. Trallibus natus eſt, Civitate illa Lydiæ celeberrima: cujus incolæ ſermonem Græcum puriſſime loquebantur, ob Ionicarum urbium vicinitatem. Ipſe autem non modo ſub [z] Stephano Parente ſuo, eodemque Medico, inſtitutus eſt, verum etiam in hac Arte Magiſtrum habuit Coſmæ Patrem; cui quidem Coſmæ, partim ipſius rogatu, partim ut beneficiorum gratiam aliquam Patri ejus perſolveret, Volumina ſua ſcripſit & dicavit. Ipſe in Medicina fuit exercitatiſſimus, Experientiæ longiſſimæ, famaque multum cognitus, non modo Romæ, ſed etiam quocunque peregre proficiſceretur, ſive per Galliam, ſive per Hiſpaniam, ſive per alias regiones: unde, tanquam cæteris præcellens, Alexander Medicus vocabatur. Ideoque in parte Therapeutica Medicis ſuperioribus frequenter plenior eſt & accuratior, quod ea præſertim remedia concinnaverit, quæ ex repetitis obſervationibus maxime efficacia compererat: quod alibi ſæpe, ſed diſertius narrat, in Præfatione ad Librum duodecimum; ubi primo Febres generatim, ac deinde ſingulæ harum ſpecies pertractantur. Et hunc quidem Librum quiſquis verſaverit, illum cæteris undecim præponi debere perſpiciet; ſed & alioqui ipſe Alexander, in poſtrema parte undecimi, opus illic ſe concluſurum eſſe pronuntiat.

Hactenus quibuſdam, quæ Auctorem noſtrum Eruditorum lectioni ſaltem commendent, ſummatim expoſitis, id amplius exequar, ut nonnulla ab eo maxime notabilia obiter decerpam: quæ quanquam Praxi magnopere inſerviant, tamen ab aliis vel omiſſa vel parum explicata invenio. Volo autem in hac re ipſius ordinem ſequi.

[u] 1, 14. [x] 2, 1. [z] Lib. 4.

In

D. 560. In [a] Cauſo, ſive Morbo qui ab illo Febris Ardens Spuria dicitur, ubi redundat Bilis, & materia Evacuationi ſeſe offert, & Febris haud intenſa eſt, Purgationem Venæſectioni præfert: cum alii Sanguinis miſſioni maxime nitantur. Obſervationem hanc adjicit peracutam & perutilem: "Memini me, inquit, etiam acuta laborantem Febri "purgaſſe; verum hæc res non modo multam & exquiſitam ani- "madverſionem ac judicium, ſed & Medicum quoque deſiderat fidenti "præſentique animo." Ii qui Experientiæ rationem adjungunt, hujuſce obſervationis facile vim perſpicient; neque viam hanc negabunt in quibuſdam caſibus, ſiquis huic prudenter inſtiterit, mira cum felicitate tentari. Hic enim frequenter aut ſequendæ aut adjuvandæ Naturæ modus eſt aptiſſimus. Caput apud Oribaſium eſt ex Archigene ad hanc [b] rem ſpectans; idque recte animadvertit Galenus [c], Diarrhœam ex naturalibus iis auxiliis eſſe unam, per quæ Morbus iſte ad Criſim perducitur. Porro neutiquam violenta Trallianus, ſed lenia tantum, in Febre Tertiana & Quotidiana, exhibet Purgantia: quæ res animadverſionem ſeriam meretur, Virumque illum, non modo acri cum judicio, ſed caute ac fideliter, Artem ſuam exercuiſſe comprobat. ALEXANDER.

In eodem Morbo, Cauſo ſcilicet, ſi Syncope ab humoribus crudis ac redundantibus incidat, Venæſectionem præcipit: idque eo magis animadverto, quod in hac re nullum ducem habuerit, excepto [d] Aretæo, qui idem in eodem caſu auxilium adhiberi jubet. Sane quoad Syncopen generatim, Scriptores Practici, etiam inter Recentiores, uno fere conſenſu de miſſione Sanguinis prorſus ſilent: iique pauci, qui ejus mentionem faciunt, eam improbant; ita ut vix quiſquam ſit, præter Sennertum, ejuſque exſcriptorem Riverium, qui id remedii ullo modo admittat; deque eo Riverius ſtrictim duntaxat loquitur, neque illud adminiſtrari debere, præterquam in duobus caſibus, Plenitudinis nempe ac Terroris, exiſtimat. Minus fortaſſe cautionem hanc ingentem admirabimur, ſi ea quæ de hoc argumento pronuntiaverint Antiquorum nonnulli, nobiſcum reputemus. Id [e] Aetius & [f] Oribaſius, etiam in Plenitudine, metuunt; Cælius autem Aurelianus hæc verba pro univerſa lege ſtatuit, "Phlebotomiam nihil jugulatione differre ratio teſtatur [g]." Aliam vero de hac re ſententiam inveniet, quiſquis ad ipſos Medicinæ fontes acceſſerit. Hippocrates enim, aut aliquis ex diſcipulis ejus, in Acutorum Morborum explicatione diſerte tradit, ſiquis ſubito obmutuerit, id a Venarum obſtructione, ſive interceptione, proficiſci; ἢν ὑγιαίνοντι τόδε ξυμβῇ ἄνευ πυρέτου [h], ſi id in valetudine integra, abſque evidenti cauſa, obtigerit; quare miſſionem Sanguinis e brachio neceſſariam eſſe judicat. Galenus, qui Hippocratis ſenſum intellexit optime, vocem Ἄφωνον ita interpretatur, ut ea non modo Apoplexiam, ſed Syncopem etiam, ſignificari putet; & in utroque caſu Venæſectionem adeo vehementer commendat, ut multos diverſa curatione

[a] 12, 3. [b] Collect. 8, 46. [c] De Criſ. 3, 3. [d] Cur. Acut. 2, 3. [e] 2, 1, 96. [f] Synopſ. 7, 26. [g] 2. Acut. 38. [h] Vict. Acut. 4, 23.

interfectos

ALEXANDER. interfectos esse affirmet. In Aphorismo hoc, (qui a nullo quoquam Interpretum, quasi huc pertineret, diligenter examinatus est) sedulo perpensa ac significanter expressa conditio ponitur, "Si in valetudine integra, absque evidenti causa, obtigerit:" hoc enim præfinito, vix fieri potest, ut oriatur Syncope, nisi ab aliquo Sanguinis vitio, unde major in ejus transitu per Cor Resistentia efficitur, quæ nulla ope æque cito, ac per Venæsectionem, tollitur. Hanc Syncopen, a Plenitudine ortam, Germanis, quippe qui vulgo corporis admodum obesi sint, valde familiarem esse notat [k] Riolanus; horumque negligentiam incusat, quod in ea curanda Sanguinis detractionem omittant. In Praxi certe animadvertimus, soliti cujusvis fluxus suppressioni, ut ex Naribus aut ex Hæmorrhoidibus, Syncopen frequenter succedere. Solus inter Recentiores casum hunc penitius examinavit [l] Petrus Salius, verum haud cum exceptionibus ab Hippocrate positis: & eundem a Practicis Scriptoribus semper omitti recte ab eo animadversum est. Duo vel tria hujus rei, Experientia sibi nota, exempla profert lectu dignissima: idque subjicit, hoc Syncopes genus per diem unum aut alterum præsentiri solere, vel ex Suffocationis cujusdam invasione, vel ex Pulsu intermittente; seque accessiones morbi Venæsectione prævertisse, quam una cum Frictionibus contra eundem commendat, quod Alexandri præceptis plane convenit. Præter hæc, Salius multis periculum sese prædixisse narrat, qui spretis ejus monitis morte subita interierint; quibus dissectis, sanguinem eorum ita concretum repperit, ut hunc, perinde ac si solidus esset, de venis eduxerit. Hoc in casu, Sanguinis detractio sine dubio apprime necessaria est; ac facile existimare licet, si frustra fuerit hoc remedium, omnia æque alia nihil profutura. Hujusmodi erat, ab Alexandro instituta curandi ratio; ea vero ex quibus hanc deducit, Diagnostica, admodum perspicua sunt ac distincta: uti, facies solito tumidior pallidiorque, habitus corporis inflatus, pulsus exiguus, piger, quique longa ictuum intervalla habeat. Hæc certe istiusmodi medelæ indicationes evidentissimas præbent.

In Febribus Tertianis, & eo magis in Quartanis, Vomitum ante accessionem supra cætera omnia remedia laudat: idemque Quartanas etiam inveteratissimas solo hoc auxilio depulit. Quæ quidem curatio ab Antiquis cæteris memorata, nunquam vero in consuetudinem adducta est; quanquam naturæ certe prorsus conveniat, multumque emolumenti non modo in hoc, sed & in plerisque aliis affectibus diuturnis præstet. Antidotum quidem hic descriptum, & ab eo Mirabile appellata, nimiam cum Circulatoris Formula similitudinem habet: estque Catholicon quoddam Mithridatio non absimile, quod & huic & aliis fere triginta ab eo enumeratis morbis medeatur. Illud etiam Senex adjicit, hominem qui id ei Medicamentum dono dedisset sanctissime asseverasse, nullum aliud illi ob eximias virtutes esse conferendum. Has omnes Alexander virtutes, Compositio-

[k] Enchirid. Anatom. 3, 8. [l] De Affect. Partic. 4.

nemque

560. nemque ipſam fuſe narrat: quam, ut ſibi communicatam, ita ſine fuco quoque omnibus impertit; quæ ſane hominis probitas alibi etiam ſæpenumero apparet. Haud raro Veterum virtutem admiratus ſum, qui utcunque ſine ratione interdum iis, quæ Specifica vocabant, mirificam ineſſe vim putaverint, & ea ſupra modum ſuſtulerint, tamen pro Secretis neutiquam celarent. In eo ſcilicet elaborabant ut Artem ſuam probe callerent, utpote communis emolumenti ab ea redundantis magnitudinem intelligentes: ideoque longiſſime a privato lucro abhorrentes, ac profeſſionis dignitatem tuentes, quicquid aut per Experientiam ſuam adinvenire, aut ab aliorum Obſervationibus excerpere valuerunt, quod morbos poſſet humano generi inſidiantes depellere, id omne generoſe ac libere in vulgus edebant. Hic Antiquorum mos erat, perpetuumque iis Medicis exemplar eſſe debet, qui illos vel ſcientia vel virtute imitari exoptant. ALEXANDER.

Phrenitis [o] ab eo accuratiſſime deſcribitur: & rationes optimæ adducuntur, quamobrem haud a Diaphragmatis, ut a pleriſque creditum eſt, ſed ab ipſius Cerebri affectu oriatur. Cumque in brachio vena ſeſe inciſioni ſubtrahebat, hanc quæ in Fronte eſt aperire conſueverat, quod poſt eum a Rhaze quoque commendatum eſt. Licet in obſtinata Phrenitide Diacodium aliquando præbeat, de eo tamen peridoneas cautiones ſubjicit: ut, ſi æger temperamenti ſit Phlegmatici, furor non admodum vehemens, vireſque corporis infirmæ, uſum ejus remedii dehortetur. Nam in iſtis caſibus ſemper nocent, interdum pernicioſa ſunt Opiata. In Pleuritide ac Tuſſi, fere eadem monet. Si, quæ ab eo de Phrenitide ac Pleuritide dicta ſunt, cum iis quæ de iiſdem affectibus tradidit Oribaſius Aetiuſque, conferantur, harum rerum multo explicatior apud hunc, quam apud illos, doctrina reperietur. Nam in utroque morbo nihil aliud Paulus quam Alexandrum exſcribit.

Medicamenta idem Veſicantia, in [p] Lethargo, Scillam: in [q] Epilepſia, Lepidium, adhibet; alia quoque multa, præſertim in [r] Podagra, uti Allium, Euphorbium, Sinapi, &c. inter quæ ſunt Cantharides: haſque, magna Seri copia profluente, ſubitam levationem afferre tradit. Sed & hoc quoque monitum commode ſubjicit, nequis Topicis tantum Remediis confidat.

Ad [s] Paralyſin, novum Hieræ genus, idque optime confectum, laudat; ac majorem poſtea Scammoniæ modum injici vetat: hanc præterea obſervationem ſubjungens, quam alibi nuſquam reperio, quæque, ſi ei bene attendatur, magnum in Praxi uſum præſtabit: "Multi enim, inquit, ita faciunt, vim medicamenti ad evacuandum "augere ſe credentes, neque hoc modo id minus utile reddi cog- "noſcunt. Haud enim eo ſpectamus, ut id per alvum expedite "deferri in velimus, ſed potius in membra diſtribui, in corpore "morari, humores illic attenuare & corrigere, meatus dilatare, ner- "vorum obſtructiones diſcutere, ut ita ſpiritus in hos abſque impe- "dimento derivetur." Idque potiſſimum in Temperamento Phleg-

o 1, 13. p 1, 14. q 1, 15. r 11. s 1, 16.

ALEXANDER. matico fieri debere admonet. Facile quis oſtenderit, quantum in hac doctrina momenti ſit, quamque late hoc de tarde purgantibus præceptum ad morbos quoſdam Diuturnos pertineat. Nam quotidiana quidem Experientia videmus, miro id cum ſucceſſu fieri: uti præcipue cum Aquas Minerales, Bathonicas puta, ordinamus, aut Calomelas, idque in variis affectibus. Ita quoque in dolore Colico, aut Iliaca Paſſione, ea quæ vehementer purgant, nimiſque inteſtina compungunt, morbum ſæpe augent, & periculum, ut ipſe alibi notat, inflammationis faciunt, niſi eorum vis Opiatis prudenter hebetata atque imminuta ſit. A. D.

Varia [t] Melancholiæ genera luculenter ab eo deſcripta ſunt: vires Imaginationis vividis coloribus depictæ; & multa hujus rei exempla commode prolata, ad Aretæi fere ſimilitudinem. Ea vero curat ille, Victu potius, atque Balneis, & oblectamentis, quam Medicamentorum farragine; a Veteribus autem in eo diſcordat, quod non ita frequenter Cucurbitulas, Hirudines, ac Sinapiſmos adhiberi velit. Etiam in Purgatione, licet ab iis Helleborus albus tantopere prædicetur, Lapidem Armeniacum ei præfert, qui tuto admodum atque efficaciter alvum movet, ſine eo diſcrimine aliiſque incommodis, quæ nimium frequenter ab alterius iſtius Medicamenti violentia naſcuntur. Sententia hæc, ab Alexandro de Helleboro albo pronuntiata, cum eorum temporum Hiſtoria probe convenit: ex qua docemur, Medicamentum illud, ita a Veteribus celebratum, poſtea in deſuetudinem omnino abiiſſe: donec [u] Aſclepiodotus, Vir & in Mathematicis diſciplinis & in Muſica verſatiſſimus, id in uſum denuo revocarit, circiter A. D. D. multaſque ope hac in morbis obſtinatiſſimis admirandas curationes præſtiterit. Tamen id Remedii ab Auctore noſtro, qui non ita multo poſt floruit, minime comprobatum videmus.

In [x] Parotide optimam hanc legem ponit, ut mittatur Sanguis ante Diſcutientium aut Attrahentium quorumvis uſum; & eos ait qui ante Venæſectionem nimis mature hæc ordinaverint, ægris ſtrangulationem induxiſſe. Eadem ratione vehementer Aſtringentium ac Repellentium uſum merito repudiat, qualia ſunt, Solanum, Alumen, &c. Medicamenta enumerat ad Diſcutiendam Parotidem idonea: quam profecto rem, ubi caſus hanc medendi viam recipit, potius quam Suppurationem, moliri ſemper magis convenit. Quod ſi irritus fuerit hic conatus, Tumorque nihil quicquam ſubſederit, ac dolor etiamnum inhæſerit, omnibus modis, inquit, Pus movendum eſt; cjuſque generationis ſignum eſt, ſi una cum doloris incremento Rigor atque Febris, quæ antea non erant, nec opinato invaſerint. In hoc, de rei ſumma cum Celſo convenit, qui in iſto caſu diſtinctiſſimum nobis documentum præbuit: id eſt, "Si Tu-
"mor per ſe primario, nec alii cuivis morbo conjunctus, appareat,
"moderata primum Repellentia ac Diſcutientia tententur; ubi vero
"alii alicui affectui ſupervenerit, quo nihil frequentius incidit, id
"tum maturari quamprimum atque aperiri debet." Nam in hoc

t 1, 17 u Photii Biblioth. 500. x 3, 7.

caſu

560. casu Tumor Criticus est, ac morbum solvit. Hippocrates autem Parotides illas, quæ longis Febribus succedunt, exitiales pronuntiat, nisi suppuraverint. Ubi vero obstinatæ istæ diu permanserint, neque per Externa Remedia maturari potuerint, Ustionis ope aliquándo ad Pus perductæ sunt. Nam Severinus, & ante hunc Vallesius, exposuit, quemadmodum ipsi hanc rationem in Magnis Parotidibus cum successu tentaverint. ALEXANDER.

Medicatio, quam in [y] Angina fieri vult, omnibus numeris absoluta est; Repellentia sola in initio probat, Relaxantibus omnibus ex toto rejectis. Multum, ut ab Aretæo quoque factum est, Antidotum διαβητασῶ commendat, ita dictum a Ruta Sylvestri, quæ præcipua est inter ea quæ Compositionem hanc constituunt ab illo descriptam. Venæ sectionem supra alia omnia necessariam judicat; idque per tres aut quatuor vices, prout occasio postulat, repeti jubet, cum ea cautione nequis Sanguinem ad deliquium mittat. Quod si per hæc auxilia vitium nihil levetur, Venæ sub Lingua incidendæ sunt; (quanquam Cælius Aurelianus id, tanquam superstitiosum, damnet) neque res in posterum diem differenda, sicuti Aetius quoque de missione Sanguinis præcipit, sed eodem die præstanda est. "Sæpius, inquit, "malo urgente, Venam mane aperui, sub vesperam eas quæ sub "Lingua sunt: nocte, Purgationem instituí: atque ita quoque diffi- "culter strangulationem resolvi. In alio, post missionem Sanguinis, "statim Medicamentum Purgans, sequenti die non expectato, ob- "tuli. Id autem faciendum est, ubi discrimen ingens imminet, "neque inducias morbus admittit. Venas etiam Jugulares magno "cum successu aperui: ut Saphænam quoque in Fæminis, cum "Menses una suppressi essent, ex quo duplex commodum obtigit, "ut non modo Menses erumperent, sed Tumor etiam in Gutture "subsideret." Vides hæc, sicuti alia prope omnia, a perito Artifice ac Magistro dictata; neque sane hæc laus illi sine injuria denegari potest, quod medela ab eo ordinata rationi exactissime conveniat: ita ut post Medicinam tot inventionibus & incrementis locupletatam, vix quicquam his adjicere valeamus.

[z] Tuberculi in Pulmone mentionem habet Alexander, unde Spiritus difficultas oritur, Expectorationis tamen atque Febris expers. Morbus hic a [a] Galeno memoratur, qui eam Tabis esse speciem ait; & hæc sane frequentissima in nostra regione est, præsertim in corporibus Strumosis. Hæc licet vera Phthisi tardius procedat, in qua Febris Hectica, Tabem inducens, Pulmonis Ulceri supervenit, utplurimum tamen in Raucitatem & Atrophiam desinit, & æque certam perniciem minatur. Casum itidem narrat, inauditum sibi ac valde admirabilem visum, de extussito [b] Calculo: non materia quadam concreta, sed vero Calculo, lævi, duro, sonitum ex lapsu in terram reddente. Hujusmodi Calculorum per Tussim excretorum plurimos vidi, & ex his aliquos Nucis Avellanæ magnitudinem æquantes; nulla autem Tabis suberant indicia, inveterata licet usque persistente Tussi. Novi quen-

y 4, 7. z 5, 3. a Loc. Affect. 4, 6, 7. b 5, 4.

dam

ALEXANDER. dam, qui longis intervallis quatuor aut quinque tales exſpuerit; is A. quem memorat Alexander, Tuſſi diu conflictatus eſt, neque ullam levationem ſenſit, donec Calculum ejeciſſet: eratque tenui naturaliter corporis habitu, morboque & macie pene confectus: qui Tabe, juxta illum, veriſimiliter interiiſſet, niſi medelam humectantem & refrigerantem ſervando duram hanc excreviſſet materiam. Alexander adeo curationem hic a Galeno præceptam magna cum ſeveritate, tamen haud injuria, reprehendit: qui aſperam quandam materiam ita eductam viderat, grandinis quidem, neutiquam vero [c] Calculi ſimilem; & in eo caſu Medicamenta tantum calida atque exſiccantia adhibuerat, qualia ſunt Mithridatium, & Theriaca: illo inſuper animadverſo, neminem ita affectum convaluiſſe. Id Alexander ſine hæſitatione aperte damnat: ſeque de homine tam ſolerti haud ita libere prolocuturum fuiſſe dicit, niſi amore Veritatis impulſus hanc celare nefas eſſe judicaſſet: ſermonemque concludit prolato celebri illo Ariſtotelis dicto, "Amicus Plato, ſed magis "amica Veritas." Deeſt plane hæc libertas quibuſdam Galeni admiratoribus, qui, Maſſariæ ſimiles, nobilis cujuſdam in Italia Profeſſoris, cum Galeno errare malunt, quam cum alio quovis recte ſentire.

Obſervatio, de Liquidorum uſu in [d] Pleuritide, attentionem meretur; nam ab eo facta eſt, qui & Fluidorum Animalium & Medicamentorum vim probe intellexerat. "Humor, inquit ex Hip- "pocrate, alimenti vehiculum eſt. Quamobrem Ἔυκρηστον, id eſt, "aquam tepidam, inter cæteras potiones ac cibos exhibere ne de- "ſinas. Neque enim ſiccum quodvis medicamentum abſque hu- "more in altum poteſt deſcendere, ſed in ſuperficie actionis expers "remanet: ubi vero humido aliquo mixtum eſt, vires ſuas exerit, "& calorem aut refrigerium largitur. Igitur Aqua, licet a quibuſ- "dam, eo quod ſimplex ſit, nulli Alimenti eſſe putetur, tamen ad "omnium nutritionem neceſſaria eſt, cibos in corpus univerſum "diſtribuit, & diviſas continet unitque particulas. Nam ſi hæc "ſiccam & parum cohærentem terram conjungit, eique continui- "tatem impertit, ut ex illa varii generis effingantur Vaſa: ſi panem "ipſum, qui a nobis comeditur, una cum farina componit: ſi "eadem & in Animalibus & in Stirpibus præcipua Generationis cauſa "eſt, quidni rationi conſentaneum videatur, eadem hanc in Hu- "mano Corpore munia præſtare?" Hæc obſervatio ingentis momenti eſt, lateque in omnem Medicinæ uſum ſe diffundit, præcipue vero in Acutis Affectibus; & is qui Hippocratis Librum De Victu Acutorum attente perlegerit, (ex quo quidem, Antiquitatis Monumento pretioſiſſimo, longa aliquot de Febribus contexta ſunt Volumina) facile concipiet, quam ſalutares in morbis periculoſiſſimis effectus, etiam abſque Medicinæ ope, producat ſola per ſe Dilutio. Itaque fundamento hoc in tradenda curatione [e] Febrium innititur Trallianus, "ut omnia fiant per quæ humiditas augeatur;

[c] Loc. Affect. 4, 6. [d] 6, 1. [e] 12, 1.

omniſ-

60. omnisque ejus Medicina per Acutos hos Affectus in Refrigerantibus ac Diluentibus potissimum consistit, qualia sunt Ptisana, Hydromel, &c. ita ut, quanquam Attenuantia eodem fere spectent, tamen Calidiorum usum detrectet, & Galenum ipsum ob eam rem incuset. Id unum in hoc Auctore amplius animadvertam, quod ubicunque Simplicium Medicamentorum, quæ calorem moveant, assumtionem idoneam judicat, ea vix unquam solida, sed Aquæ fere semper incocta exhibeat: id quod non modo ejus ratiociniis congruit, sed etiam optima ratione firmatur. ALEXANDER.

In Sanguinis [f] Sputo, venam se in Talo incidisse prodit, idque melius, quam idem in Brachio factum, respondisse. Atque hanc ejus rei causam adducit, quod Materiæ ad remotiores partes attractio Revulsionem magis efficacem reddat: quæ quidem ratio neque minus clare exposita, neque minus solida est iis, quæ nunc jam post inventam Circulationem proferuntur.

Observationem tradit in [g] Βελίμῳ, sive Fame immodica, novam ac plane suam; cujus ne minima quidem apud alios extat mentio: quod is morbus scilicet a Lumbricis interdum nascatur. Fæminæ casum memorat, quæ voraci hoc appetitu laborans perpetuam in Ventriculo rosionem sentiret, cum dolore jugi Capitis; ea post Hieræ sumtionem Lumbricum longitudine duodecim cubitorum dejecit, unde omni malo statim levata est. Idem in Praxi frequenter occurrit.

Novum etiam aliquid, licet haud magni referat, & nobis jam familiare sit, de Singultu notat; hunc scilicet a subito terrore, aut ab animi intentione, ut in numeranda pecunia similibusque rebus, statim tolli.

Ad Choleram, in quibusdam casibus, [h] Vinum meracum laudat: idque in eo singulare est, quod in plerisque morbis separatim de Vino loquitur; cujus in delectu valde accuratus est, prout diversæ ejus qualitates ægrotantis conditioni accommodatæ sunt.

In debilitate Jecoris, & Dysenteria, Rhabarbari apud illum invenitur mentio: quæ quidem Planta ab eo, ni fallor, memorata primum est; quanquam usum ejusdem ab Arabibus indicatum putet Clericus. Arabes quidem in convertendo Dioscoride ac Medicis Græcis, Radicem hanc cum Rha Pontico confundunt: virtutesque ab Antiquis in hoc animadversas ei ascribunt quod proprie Rhabarbarum est: uti cuivis constabit, qui descriptionem ejus a Rhaze proditam inspexerit. Atque in eodem errore ipsum versatum puto Alexandrum, licet hujus tempore sine dubio innotesceret jam Rhabarbarum; hoc enim in Astringentibus tantum ponit, uti Rha Ponticum cæteri Græci, neque de Purgante ejus vi quicquam commemorat. Cujus quidem facultatis in Rheo (id enim ita simpliciter vocat) mentionem primus videtur feciſſe [i] Paulus: qui narrat etiam quemadmodum hujus additione Laxantia quædam validiora fieri possint. Prosper autem Alpinus refert quosdam anim-

[f] 7, 1. [g] 7, 4. [h] 7, 14. [i] 1, 43.

ALEXANDER. advertiſſe Purgantem aliquando Rha Pontico ineſſe vim, quanquam A. D
ea mitiorem quæ in [k] Rhabarbaro eſt. Recentiores Græci Radici huic, Barbaricæ nomen, impoſuerunt, haud ex eo loco ubi orta, ſed ex eo in quem apportata eſt; ſiquidem Æthiopiæ ſuperioris regio, Barbaria dicta eſt, eo quod, ut a [m] Salmaſio recte animadverſum eſt, Sinui Barbarico prætenderetur, in quo plurima eſſent Emporia, præſertim Rhapta, totius plagæ Metropolis. Fretum hoc, ab Oriente, cum Indico Oceano conjungitur; ideoque Actuarius, ac poſt hunc Myrepſus, Plantam hanc vocant Ῥιον Ινδικὸν. Iis temporibus ſine dubio hac via Alexandriam allatum eſt, atque ita Medicis Græcis innotuit. Illud autem notare debeo, quod Alexandrum Rhabarbari mentionem feciſſe minime advertat Salmaſius: Paulum vero teſtem adducat, qui de ea re ne verbum quidem dixerit, & generatim tantum Rha deſcripſerit. Garcias ab Horto, Proregis Hiſpani Medicus, ait ſe in India didiciſſe, Rhabarbarum omne quod eo atque in Perſiam apportaretur, in China naſci: vecturam autem, & terra & mari fieri ſolere; terra vero per Tartariam ad Ormuzum commodius vehi, quoniam in mari eſſet putrefactioni opportuna.

In [n] Dyſenteria, quam Rheumaticam vocat, Sanguinem ad duas Heminas detrahit. Neque injuria temerariam ac ſine ratione ab aliquibus uſurpatam conſuetudinem improbat, qui ſtatim Opiata ingerunt; hæc enim in tempus quidem humores cohibent, verum & caput afficiunt, & vires infirmant, & poſtea fluxum incitant; quamobrem eorum uſum, niſi urgente neceſſitate, prohibet. Notatque in vera Dyſenteria, ubi exulceratio adeſt, id ſæpe Mucum videri quod revera Pus eſt; & ego contrarium quoque huic errorem haud raro evenire arbitror, ut Mucus videatur eſſe Pus.

In Lienis [o] Scirrho, multa de Ferri virtutibus commemorat. Id autem, & liquori infuſum, & per ſe datum, commendat; quod cum ab illo primum, quod ſciamus, adhibitum ſit, ad eos refutandos valet, qui Medicinales hujus Metalli facultates Chymicis fuiſſe Operationibus repertas prædicant. Profecto in Hippocrate nulla ejus mentio eſt, licet is pleraque ex his, quibus nunc utimur, Medicamenta Simplicia enumeret. Plinius in referendis omnibus ad Medicinam aptis Ferri virtutibus, unum duntaxat id intus adhibendi modum proponit; ſcilicet ubi in Aqua candens extinguitur & propinatur contra Dyſenteriam: idemque in Vino facit ad eundem morbum Dioſcorides. In Aqua ſimiliter a Celſo extinguitur ad Lienem coercendum. Ferrum quidem, ita proprie dictum, ſcilicet σίδηρος Ferri, ab Aetio & Oribaſio memoratur: ſed ut extrinſecus tantum, in Malignis Ulceribus, aptum. Ita ſi inſequentium temporum Auctores conſulamus, metallum hoc nonniſi rarius uſurpatum videbimus; idque, ſive interne ſive externe, vix ſub alio quam ſub Aſtringentis nomine. Immo Avicenna ita vehementer noxam ab eo metuit, in Subſtantia dato, ut ad præcavendum ma-

k Plant. Exot. 2, 5. m Plin. Exercit. 798. n 8, 8. o 8, 13.

lum

560. lum omne, Magnetis aliquid poſtea aſſumi præcipiat: quanquam, Arabs itidem, Rhazes, hunc ejus dandi modum ſæpius laudet, diverſaſque id agendi formulas enarret. Poſt Rhazem, haud ſcio an quiſquam de vi ejus Deobſtruente intus ſumti loquatur, ante Monardem, qui Anatomia jam tum refloreſcente ſcripſit: quæ ut clariorem nobis certioremque in eruendis Morborum Cauſis lucem ſuppeditavit, ita quoque efficaciores quaſdam ad horum depulſionem vias adinvenit. Neque ex ulla re magis, quam ex ea de qua nunc agimus, evinci poteſt, quantam opem conferat ad Medicinæ uſum Anatomia. Quanam enim alia ratiocinatione quis adductus Ferrum in Jecoris aut Lienis Scirrho adhibuerit, niſi oculata demonſtratione, in Diſſectionibus, cauſam ab Obſtructione ortam cognoſſet: ex quo facile colligi potuit, quicquid ad Obſtructionem ſubmovendam maxime valens eſſet, id aptiſſimum in curando fore auxilium. Hujuſmodi remedium eſt Ferrum, quod præterquam quod attenuandi facultate præditum ſit, majorem quoque in hoc caſu ex Particularum Gravitate vim obtinet. Nam cum Vegetabile quodvis pondere Specifico ſepties excedat, fortiori, ſecundum hanc proportionem, impulſu agit, atque inde Deobſtruens validius evadit. Quiſquis aut Recentiorum ſcripta pervolverit, aut in Praxi fuerit unquam ipſe verſatus, facile cognoſcet, nobiles multas, in variis Affectibus Diuturnis, non modo Aquarum ſed & Medicamentorum Chalybeatorum ope, curationes poſſe præſtari. Iique qui perſuadere nobis volunt, nullam huic Metallo Alterativam ineſſe virtutem, æque parum ex aliorum, ac e ſua ipſorum Experientia profecerunt. ALEXANDER.

Venæ ſectio, in [P] Paroxyſmo Calculi, a nullo alio æque vehementer, ac ab Alexandro, requiritur. Id certe optimo judicio: præſertim ſi, uti vulgo fieri conſuevit, Urinæ quoque difficultas urgeat. Nam Experentia docet, obſtinatum hunc Affectum, ubi cætera omnia auxilia nihil proſint, Sanguinis detractione, ſine alius cujuſvis Medicinæ ope, interdum tolli.

Quid de Podagra ſenſerit, antea expoſui: illud autem ex eo adjiciam, morbum hunc illis temporibus inſanabilem eſſe judicatum; a qua ipſe opinione differt, modo idoneæ curandi viæ inſiſtatur. Quæque ab eo præſcripta eſt, rationi profecto optime convenit: Victuſque ac Medicamentorum uſus magna cum accuratione ac delectu traditur. Ac ſiquis his patienter obtemperare velit, nulla ab alia re felicem æque ſucceſſum ſperaverit.

Præter duodecim iſtos Alexandri Libros, extat Epiſtola ejuſdem ad Theodorum, pro Filio hujus, de Lumbricis, conſcripta, fere ad ſimilitudinem ejus quæ ad Cecilianum a Galeno miſſa eſt. Commodeque ab illo notatum video, quanta cum difficultate conſilium præberi poſſit in eo caſu, qui generatim tantum ab alio homine refertur; ideoque, cum ipſum ægrum facultate viſendi careat, ac particulari ſingularum rerum cognitione deſtituatur, multo plura, quam

ALEXANDER. quæ fortaſſe ad rem pertineant, litteris complecti neceſſarium exiſtimat. Igitur a deſcriptione Lumbricorum orditur, qui in tria genera dividuntur; unum, tenue, & exiguum eſt: Aſcarides vocantur; alterum, Teres eſt: tertium, Latum, ſive Tænia dicitur. Hujus poſtremi generis unum Alexander vidit pedum fere ſedecim longitudine. De ſingulis generibus agit, tam cum adeſt Febris, quam cum abeſt; ac Medicamenta in his caſibus utilia, & Antiquorum temporibus uſitata, enarrat: quæ cum his quibus nunc utimur, prope eadem ſunt, exceptis Mercurialibus. A. D.

Ignoſces mihi credo, quod tam diu ſim huic Auctori immoratus: ſiquidem inter Antiquos Scriptores Practicos hunc multum eminere judico, & eum eſſe qui a Recentiore quovis diligenter legi mereatur. Ex formulis quibuſdam in fine Libri undecimi comprehenſis forte quis conjecerit, Chriſtianum fuiſſe, aut Judæum. Paganum enim tantam in rebus nonullis e Sacra Scriptura ductis, quantam is facit, fidem poſuiſſe haud putandum eſt. Scio Ethnicos Incantationes adhibere ſolitos, quæ verbis de Scriptura exceptis conſtarent; verum id præcipue, ſi non unice, in Dæmoniacis, ac vix in alio quovis Morbo, factum arbitror. Conſuetudo hæc videtur a Chriſtianis primum inducta, ſicut in Aetio antea animadverti: idque clarius apparebit, ſi Marcellum Empiricum adeamus, qui hujuſmodi Incantationibus abundat, ac ſine dubio Chriſtianus exſtitit.

Fabricius Sectam Alexandri reperiſſe ſe exiſtimans, Methodicum fuiſſe autumat; idemque miratur unde factum ſit, ut Proſper Alpinus, qui Methodicorum doctrinam plene ac minute expoſuit, Auctorem hunc omiſerit. Conjecturam in eo fundat Fabricius, quod Alexander de Methodo in Arte Medica loquatur. Id utique verum eſt; ſed ejuſmodi Methodum neutiquam ſignificat qualis a Methodicorum Secta inſtituta eſt, ſed eam deſignat quam ſecutus eſt Hippocrates, ut ab eo ipſo alibi explanatum eſt. Porro forma hujus Scriptoris a Methodico plane diſcrepat; cujus is eſt animus, ut Evidentes tantum cauſas examinet, & quid commune inter ſe alia res cum alia habeat, & utrum a Contractione an a Relaxatione morbus oriatur: abditis cauſis, ſymptomatis, ægri ætate, regione, ac temperamento, a cogitatione rejectis. Quin & ſcribendi modus, quem Alexander tenuit, ab horum norma toto cælo differt; idque in omni fere pagina videri poteſt. Et præterquam quod magnam illam, de qua ſupra dixi, a Methodicis poſitam, Morborum diſtinctionem haud unquam nominet, neque uſpiam de Reſumptivo aut Metaſyncritico Cyclo aut de Diatrito cogitare videatur, quæ omnia Methodici ſemper in ore habent: perpetuus Purgantium uſus ab eo in pleriſque Morbis, ac præſertim in Arthritico, traditus, horum præceptis ac rationibus omnino repugnat. Deque Sectis id in univerſum dico, nulla harum veſtigia poſt Galeni ætatem reperiri, ne Alexandriæ quidem, quæ per aliqua inſequentia Sæcula maxime celebris Medicinæ Schola extitit: niſi fortaſſe excipi debeant Vindicianus ac Theodorus Priſcianus, qui duo Methodici circa Valentiniani

60. niani Secundi tempora floruerunt, quique omnia ex Antiquioribus ejuſdem Sectæ Scriptoribus videntur exſcripſiſſe. A Galeno quidem ita ſtabilita eſt Secta Rationalis, ſive Dogmatica, ut poſtea ſemper invaleſcens cæteras omnes extinxerit; quanquam, ſi magis proprie loquamur, hæc non Secta quædam peculiaris eſſet ipſa, ſingularibus quibuſdam Sententiis innixa, ſed optimarum potius doctrinarum delectus, quas unicuique Sectæ propoſitum eſſet amplecti & docere. Igitur in multis rebus Dogmatici cum Methodicis conveniunt, ac præcipue in curandi ratione. ALEXANDER.

Alexander Medicos complures nominat, quorum aliqui circa ipſius ætatem viguerint: præſertim vero Jacobum Pſychreſtum inſigniter collaudat, qui & in Medicina & in Philoſophia magnopere excelluit, præceptore uſus Heſychio, qui ſcientiæ adipiſcendæ gratia plurimas regiones peragraverat. Jacobus a Leone Magno, ſive Thrace, Comes & Archiater factus eſt, adeoque ab Imperatore ac populo dilectus, ut ei Senatus in Zeuxippi Thermis, a [r] Severo ſtructis, ſtatuam poſuerit. Iſidorus Gazenſis, ab aliis Peluſiota dictus, qui Juſtiniani temporibus floruit, alteram ei [s] Athenis poſitam vidit. Idemque auctor eſt, Pſychreſtum Alexandria oriundum fuiſſe, quanquam gens ejus originem ex Damaſco traheret; fuiſſe autem in Medicina exercitatiſſimum, multaſque curationes eximias præſtitiſſe: Enemata ac Suppoſitoria frequenter admodum præcepiſſe: in Chirurgia raro adhibuiſſe ferrum aut ignem. Omnibus Recentioribus Medicis prælatus eſt a diſcipulo ſuo Aſclepiodoto, qui ob renovatum Hellebori Albi uſum inclaruit: nam is Helleborus eo tempore in deſuetudinem abierat, ita ut ne Pſychreſto quidem innoteſceret. Fuſior etiam in Jacobo hoc laudando Suidas eſt, quem perfectam in Theoria & Praxi Medica ſcientiam conſecutum eſſe prædicat: coætaneis autem omnibus præcelluiſſe, & cum Antiquorum quolibet potuiſſe conferri, ac pleriſque ſuperiorem extitiſſe: ab ægris item cultum ac dilectum, ut quem divinitus inſpiratum crederent, in eoque fidem inconcuſſam haberent, quoniam in Prognoſticis nunquam hunc erraſſe comperiſſent. Eo ſtudio ad Artem ſuam promovendam ferebatur, ut Æſculapii animam in illum transfuſam arbitrarentur. Kuſterus verum ei nomen (Ψύχριστος) ex Malela reddidiſſe ait, cum in prioribus Editionibus (Ψυχόχριστος) impreſſum eſſet; tamen in Tranſlatione Aetii legitur Pſychriſtus. Utramque ego Lectionem falſam eſſe judico; & ſi Alexandrum conſulamus, facile perſpiciemus legi debere (Ψυχόχριστος aut Ψυχιόχριστος) nam utrovis modo recte dicitur, ſimiliter ac φιλόχριστος, compoſitum: is enim diſerte ait, hoc illi nomen inditum fuiſſe, ὅτι ὑγιαίνοντι τοῦτῳ ἐκέχρητο. Alexander illum Θεοφιλέσταλον appellat, ac poſt hunc Suidas, Θεοφιλῆ: quare in Photio error eſt, ubi de illo ac Patre ejus dicitur, ἀσεβὲς ἄνδρε: & quiſquis ea quæ ſequuntur in Photio attenderit, εὐσεβὲς legi debere facile percipiet.

r Malel. in Vit. Leon.

s Photius.

Uranius. Coætaneus Alexandro fuit Uranius quidam, qui Conſtantinopoli A. D.
Medicinam exercuit. Quoniam Homo eſſet animo ita ſingulari ac memorabili, ut imaginem ejus Agathias Hiſtoriæ ſuæ inſerere voluerit, brevem ego quoque ex Auctore eo Viri iſtius deſcriptionem huic Operi meo interponere non alienum putavi. Fuit is natione Syrus, profeſſione Medicus; ac licet vel Ariſtotelica, vel alia quapiam vetere Philoſophia, ne leviter quidem imbutus eſſet, ingentem eruditionis ſuæ opinionem conceperat: cum in verborum curſu quodam & audaci Paradoxorum defenſione virtus ejus omnis conſiſteret. Verſabatur autem plerumque aut in Bibliopoliis, aut in Foris Aulæ adjacentibus; ibique cum hominibus morum æque ac doctrinæ expertibus diſputationes inſtituebat: levia multa ſuper quæſtionibus arduis Speculationibuſque humanæ mentis captum prorſus excedentibus, uti ſunt Attributa & Eſſentia Dei, argumenta, coram Auditoribus æque impiis, magna cum temeritate effutiens. Poſt diem comeſſationibus abſumtum, veſperi plerumque conveniebant nobiles hi Sodales: ac profano more res ſublimes ac perplexas eo modo diſcutiebant, ut nemo vel alium convinceret vel ab alio convictus digrederetur; ſed in ea quiſque opinione, quam cum præjudicio attuliſſet, obſtinate perſiſteret: &, luſorum more, diſceptationes ſuas haud raro cum altercatione & verborum aculeis concluderent. Iſque erat argumentorum finis, ut animis mutuo plerumque odio exulceratis diſcederent. Hos inter princeps eminebat Uranius, Therſitis inſtar apud Homerum, turbas movens. Verum, ut ſanæ cujuſcunque diſciplinæ expers erat, argumenta modo atque ordine legitimo diſpertiri neſciebat; ita ut interdum rebus dubitatis, antequam eæ proferrentur, reſpondere vellet, interdum, reſpondendi loco, rationem quare eæ propoſita eſſent exquireret. Omnes denique, quæ in collocutionibus rite ordinatis obtinent, & ad veritatis indagationem neceſſariæ habentur, Leges aſſidue invertebat. In omni re Scepticorum opiniones affectans, reſponſa omnia ad Pyrrhonis Sextique Empirici normam effingebat. Ab hac ſua ſententia, qua nihil certo ſciri poſſe credebat, perfectam animi tranquillitatem, & integrum a cruciatu omni & angore liberationem ſperabat. Cum indolis eſſet adeo anguſtæ, neminem, præter fatuos admodum atque credulos, decipere valebat; utque omnibus literis deſtitutus, ita erat etiam communis hujus ac civilis ſcientiæ, quæ in excolenda Politiorum virorum familiaritate verſatur, plane rudis. Nobilium domos frequentabat, ubi cibo vinoque ultra modum ſatur, cætui pro ludibrio erat: cumque omnem ſibi verborum licentiam permitteret, modo riſum movebat, modo injurias ac verbera in ſe trahebat; ita epulis plerumque, pro Scurra, interfuit. Talis cum eſſet Uranius, una cum Arebindo in Perſiam Legato profectus eſt; ubi Impoſtoris partes accuratiſſime egit, vitia ſua obtegens, & facta omnia Virtutis ſpecie quadam adumbrans. Habitum veſtitumque Philoſophi induit; & quo tempore primum in conſpectum Choſrois venit, vultum præ ſe tulit adeo gravem & ſeverum

560. ſeverum, ut exiſtimationem de ſe haud incommodam Regi huic impreſſerit, adituſque ad eum non difficiles ſibimet aperuerit. Magos ſtatim, ut cum eo ſermones haberent, convocavit Choſroes; inter quos Quæſtiones plurimæ ad Naturalem Philoſophiam pertinentes propoſitæ ſunt: uti hæc, Fueritne ab omni Æternitate Mundus: & illa, An Rerum omnium Unica ſit Cauſa, ſive Principium. Uranius, licet horum Argumentorum omnino ignarus, confidentia tamen præceptam de ſe opinionem ſuſtinuit: ſiquidem id ei profuit, ut in Gorgia inquit Socrates, "Quod, quanquam ipſe parum "ſciret, tamen ii quibuſcum diſputaret etiam ipſo magis inſcientes "eſſent." Eamque Empiricus iſte apud Choſroem gratiam iniit, ut huic eidem ſecum Rex menſæ accubanti propinaverit, ſuumque illi, ut ex eo biberet, poculum porrexerit, quem honorem nemini mortalium antea detulerat; illud etiam adjiciens, quod ex omnibus Philoſophis (horum autem celeberrimum fere quemque viderat, cum in Perſiam ex Græcia venire conſueſſent) ſubtiliſſimus eſſet omnibuſque numeris abſolutiſſimus Uranius. URANIUS.

Conſtat ſane, Damaſcium patria Syrum, Simplicium Cilicem, Diogenem Phænicem, & Iſidorum Gazenſem, alioſque ex optimis doctiſſimiſque ejus Sæculi Philoſophis, paulo ante hæc tempora in Perſiam migraviſſe, eo quod a Religione dominante abhorrerent, deque Regionis hujus Imperatore pariter ac populo multa præclare dicerentur; Principem ſcilicet æquitate ac juſtitia florere: ſubditos in obſequio & morigeratione inviolabili felicitatem ſuam ponere: expilationes illic & latrocinia nuſquam exerceri: omnia agi cum ſinceritate ac fide. Ii autem, quamprimum eo pervenerant, cuncta memoratis contraria repererunt: ſiquidem omnia per injuſtitiam ac vim adminiſtrari cernerent; ſimiliterque falſæ ſe de Principe famæ credidiſſe agnoverunt, ubi coram, hunc de Philoſophia faſtuoſe quidem, ſed abſque ulla hujus argumenti notitia, diſſerentem audiſſent: &, quanquam de eorum merito bene ſentiret Choſroes, maximæ tamen apud eum exiſtimationis Uranium eſſe perciperent. Cujus rei clara admodum naturæque humanæ congrua videtur eſſe ratio: quod unuſquiſque ſit ad ſui ſimiles proclivis, ſeque ipſo eminentiores averſetur. Poſt reditum ex peregrinatione humaniſſimas Uranius a Choſroe accepit litteras, in quibus ab eo frequenter nomine Magiſtri appellatus eſt. Ex illo nemini non intolerabilis factus eſt Uranius, cum ex amicitia Choſro is eo arrogantiæ veniſſet, ut omnes magna cum ſuperbia deſpiceret. Nunquam enim convivio interfuit, quin beneficia ab eo Principe in ſe collata, ſermoneſque cum eodem habitos commemoraret: ita ut nihil ſecum ab exteris iſtis Regionibus niſi vanitatis & inſolentiæ, quibus vitiis ante diſceſſum a patria ſatis abundabat, incrementum reportaſſe videretur. Elogia ab eo in Principem illum facta apud credulos homines eruditionis Regiæ fidem pepererunt. Iique qui novas ac miraculoſas narrationes curioſe aucupabantur, cum neque de laudatore neque de laudato judicium ferre poſſent, ab artificioſis Impoſtoris adumbrationibus

URANIUS. brationibus ſæpius decepti ſunt. Id utique fatendum eſt omnes, A. D
quæ ad ſummum Imperatorem effingendum requiruntur, Choſroi obtigiſſe virtutes; cujus fortitudinem, neque ætate neque belli laboribus fractam, jure miremur: doctrinam vero ejuſmodi fuiſſe, qualem ab Uranio quiſpiam Magiſtro haurire debuit, credibile eſt.

Ex hac Agathiæ deſcriptione veram & Choſrois & Uranii imaginem efformare poſſumus. Liberque, De Sapientia Indorum, ſimilem prope nobis ejuſdem Principis ſpeciem repræſentabit, qui, uti docebimus, alterum quoque Medicum, nomine Pezroem unice dilexit.

PROCOPIUS. Blondus, Sabellicus, & Tiraquellus Procopium, inſignem illum A. D
Hiſtoricum, qui Juſtiniani tempore floruit, Medicum fuiſſe exiſtimant, licet opinionis ſuæ nulla argumenta proferant: unde alii id eos ſomniaſſe credunt. Tamen ſi locos quoſdam in ejus ſcriptis conſideremus, hujus rei aliqua inde conjectura duci poteſt; ſiquidem in nonnullis ad Medicinam pertinentibus, multa cæteris quibuſcunque Hiſtoricis, etiam prædicatore ejus vehementi & imitatore Agathia, magis minute ac ſingulatim narrat; qui quidem, utpote in Foro educatus, plurimas de [u] Legibus obſervationes Hiſtoriæ interſerit, Profeſſioni ſuæ non incongruas. Pauca e Procopio exempla proferam. Ab Aqua [x] Padi Militum Stomachos adeo debilitatos fuiſſe & imminutam concoctionem ſcribit, ut periculoſiſſimæ eos inde Diarrhœæ ac Dyſenteriæ exceperint. In deſcribenda [y] Fame illa horribili, qua per id tempus Æmilia omnis laborabat, naturalem ait Stomachi calorem penitus fuiſſe extinctum; ita ut niſi puerorum more paulatim alerentur, etiam eo, difficulter reperiebant, quem cibo obruti perirent: Bilemque, quæ in eorum Temperamentis dominaretur, corpus univerſum flavo colore infeciſſe. Animadvertit etiam, Regionem omnem, quocunque Veſuvii [z] Sulphur pertingit, admodum feracem eſſe; & ob eandem cauſam per multas ætates Aerem hunc a Medicis pro Tabidorum curatione commendatum exiſtimat. Neque nimias me, ut ſpero, argutias perſequi putabis, ſi id Tibi in memoriam revocavero, quamlibet ab eo occaſionem arripi ſolere, ut Profeſſioni noſtræ honorem tribuat. Illo enim referente, [a] Theodoricus morti jam vicinus Elpidio Archiatro ſuo ſententiam aperuit, ſeque injuſtitiæ apud illum in perimendo Symmacho & Boethio accuſavit. Cumque Legati, per obſidionem Edeſſæ, ad [b] Choſroem miſſi eſſent, Stephanus nobilis Medicus ex eo loco oriundus, iſtius olim Regis Præceptor, quique Patri ejus Cavadi ſanitatem reddiderat, non modo in eorum numerum delectus, ſed etiam Orator pro cæteris apud Principem deſignatus eſt. Paulo poſt idem Choſroes, de pace cum Juſtiniano agens, ne inducias quidem cum eo facere voluit, niſi ea conditione, ut Tribunus, cujus ope in Medicina indigeret, & quocum familiaritatem

u Lib. 2. Berytus & Alexandria. Lib. 4. Tribunal, cui præfuit Anaſtaſio. x Bel. Goth. Lib. 2.
y Ibid. z Ibid. a Ibid. b Bel. Perſic. 2.

habuiſ-

60. habuiſſet, ad eum mitteretur: quod ubi factum eſt, in quinquennium, ſicuti narrat Hiſtoricus, factæ ſunt induciæ. Alio loco plura de eodem Medico commemorat, ſcilicet in Palæſtina natum ac popularem ſuum fuiſſe; item Artis ſuæ peritia eminuiſſe; prudentem quoque, temperatum, ac pium extitiſſe. Is antea Choſroem morbo aliquo laborantem curaverat; unde magna munerum vi cumulatus in Patriam rediit. Poſt inducias ſupra memoratas, apud Choſroem annum integrum permanſit, cui Rex, quicquid poſtulare vellet, conceſſit; verum is pecuniæ loco illud tantum popoſcit, ut Romanis quibuſdam illic in captivitate detentis libertas redderetur. Rogatu ejus, non modo Viros ab illo nominatos, ſed alios etiam ad tria millia remiſit Choſroes; unde per univerſum Imperii ambitum Tribuni nomen inclaruit. In eo ſaltem mecum convenies, quod Procopius Medicis ſpeciem ac dignitatem minime contemnendam tribuat; ex cultu autem & honore his ab omni hominum ordine tributo exiſtimandum eſt, pleroſque tunc temporis in ea opinione fuiſſe, ut in diverſis illos Scientiæ partibus, ac præſertim in omnibus ad Artem ſuam pertinentibus, probe verſatos eſſe cenſerent. Aliqua idem Auctor in deſcribendis Vulneribus habet, quæ ad rem propius accedunt; nam de ea plaga loquens qua periit Artabazes, caſum adeo minute explicat, ut [e] Arteriam in collo præciſam eſſe dicat, unde factum eſt ut Sanguis ſupprimi non potuerit. Supra dextrum Oculum juxta os naſi ictus eſt [f] Trajanus, in quo Sagittæ Cuſpis ferrea, utcunque ampla ac longa, ita alte deſedit, ut conſpectum effugerit: ac ſententiam ſuam de hac re liquido declarat, parum ſibi conſtare quem in locum illa penetrarit, id autem minime dubium eſſe, quin alicubi intus hæſerit, nullum dolorem excitans: nam poſt quinque annos mucro in ejus facie apparuit; id etiam Auctor iſte adjicit quo tempore iſta ſcriptitaret, telum per tres jam annos viam ſibi perpetim feciſſe, ac ſpem ſubeſſe aliquam fore ut brevi ſine cruciatu integrum exiret, cum homo adhuc omni moleſtia vacaret. Similiter ejus vulneris, quod in facie acceperat [g] Arſes, narrationem plenam exponit: illud etiam commemorans, quemadmodum Chirurgi telum extrahere cupientes in eo valde hærerent, quod & de Oculo magna deſperatio eſſet, metuſque ne in ipſa Operatione convulnerarentur Nervi ac Membranæ, per quod æger in ſubitum atque ingens diſcrimen adduceretur. Ex iis unus, nomine Theoctiſtus, vulnerati cervicem manu premens, eum interrogavit, an dolorem vehementem perſentiſceret: cumque reſpondiſſet Arſes, Vehementem, Sanaberis igitur, inquit ille, neque Oculum amittes; idque eo conſtantius affirmavit, quod ex hac re teli mucronem haud alte intra cutim deſediſſe judicaret; tum lignea teli parte, quæ foris appareret, abſciſſa, Muſculorum carnem eo loco aperuit quo dolor maxime urgebat: & reliquam ligni partem una cum Ferro in tres cuſpides diviſo ſine difficultate exemit, vulnuſque, etiam nulla relicta cicatrice, ad ſani-

Procopius.

e Bell. Goth. 3. f Bell. Goth. 2. g Ibid.

Procopius. tatem perduxit. Sed cum eadem eſſet Operatio in Cutila tentata, A. D. ubi majore vi opus eſſet ad ſagittam evellendam, is in animæ defectionem incidit, & inflammatis Cerebri Membranis Phreniticus obiit. Bucas magnam Sanguinis copiam amiſit, parumque abſuit quin animam ſtatim expiraret: quod ideo obtigiſſe Medici prædicabant, quod Muſculi eſſent non recta linea, ſed tranſverſa percuſſi; veruntamen tribus poſtea diebus mors inſecuta eſt.

Hæc eo valere exiſtimo, ut Procopium Medicinæ ſtuduiſſe credamus; id ſaltem, cum juvenis necdum rerum civilium tractatione implicatus eſſet, Scientia iſta aliquatenus imbutum fuiſſe, evincunt. Nam in ſupra expoſitorum caſuum deſcriptione notandum eſt, Phraſes ipſas voceſque Medicis Scriptoribus familiares atque propriasab eo adhiberi. Sed argumento huic, Utrum Medicus fuerit necne, haud amplius immorabor: illud autem affirmare auſim, certum quendam ab eo morbum haud minori cum artificio & accuratione depictum eſſe, nec ſtylo minus Medico expreſſum, quam ſi ex profeſſo Artem noſtram exercuiſſet. Loquor de Peſte, quæ Conſtantinopoli, A. D. DXLIII, graſſata eſt. Quoniam vero ejus Hiſtoria & exquiſite delineata eſt, & utiles multas Obſervationes continet ad Morbum ipſum ſpectantes, eam Howeli verbis, pauca inſuper animadvertens, proponam.

Peſtis. "Peſtis hæc genus humanum fere abſumſit, cujus nullam aliam "fuiſſe cauſam putat Procopius, niſi Dei voluntatem. Neque enim "unam duntaxat orbis partem invaſit, neque una aliqua Anni tem-"peſtate deſæviit: quod ſi feciſſet, a ſubtilibus ingeniis id, ut ille "ait, cauſis quibuſdam artificioſe prætextis aſcribi poterat. Univer-"ſum autem Terrarum Orbem perculit, & omnia hominum genera "corripuit, utcunque diverſæ naturæ & differentis eſſent habitus, "neque ætati ulli neque temperamento parcens. Hominum varie-"tas, quoad eorum vel habitandi locos, vel rationem victus, vel "corporis conſtitutionem, vel animi ſtudia, vel aliam quamvis rem, "nihil quicquam contra morbum hunc valebat. Quoſdam Æſtate, "alios Hyeme, alios aliis tempeſtatibus oppreſſit. Peluſii cæpit in "Ægypto, dein ab una parte Alexandriam totamque Ægyptum per-"vaſit, ab altera vero Palæſtinæ partes Ægypto conterminas occu-"pavit. Inde ad ultimos Orbis fines, quaſi ſtatis itineribus, perve-"nit, omnia deſtruens, omnes Inſulas, Antra, Montes, quacunque "homines verſarentur, populans; nam ſi regionem aliquam præte-"riſſet, revertebatur illico, parique ac cæteras ſtrage affligebat. In "ora ſemper maritima incipiens, ad interiores penetrabat regionum "partes. Anno ab ejus ortu ſecundo, Conſtantinopoli, ubi tum "Procopio eſſe contigit, circa Ver medium apparuit. Mortuorum "Simulacra ſub humanis cujuſcunque generis formis plurimi vide-"bant, & ab iis in aliqua corporis parte ſeſe percuſſos putabant; nam "ſtatim ac Simulacrum ejuſmodi conſpexiſſent, morbo tentabantur. "Cum in ea primum incidebant, Divina quædam proferebant no-

"mina,

560. " mina, & in Templa ſeſe proripiebant: neque tamen ita magis tuti Proco-
" ab eo erant. Poſtea, amicorum compellationem veriti, intra cu- pius.
" bicula ſe, auribus obturatis, concludebant. Quidam in ſomniis
" monſtra his ſimilia conſpicere, quidam vocem audire viſi ſunt, quæ
" nuntiaret eos in numero eſſe morti deſtinatorum. Pleroſque vero
" ſine ulla præmonitione Febris continuo invaſit; neque tamen ul-
" la vel coloris immutatio, vel ardoris ſenſus aderat: nam uſque
" ad veſperam adeo tenuis inhærebat Febricula, ut neque æger,
" neque ex Pulſu Medicus, quicquam diſcriminis vereretur. Qui-
" buſdam vero eodem die, alios craſtino, alios multo poſt, Bubo
" occupavit, aut in Inguine, aut in Alis, aut pone Aurem, aut in
" alia parte. Hæc pariter omnibus Symptomata contigerunt, qui-
" cunque Morbo tentati ſunt.

" Sed & alia quoque in diverſis diverſa acceſſerunt; id an e cor-
" porum varietate, an ex Dei voluntate evenerit, Auctor noſter af-
" firmare metuit. Quoſdam ſomnolentia & in ſtuporem propenſio
" oppreſſit: alii mente graviter emoti ſunt. Qui in ſoporem fere-
" bantur, eos omnium rerum cepit oblivio: quorum ſiqui curaren-
" tur, ii cibos ſumebant, alii a ſuis neglecti fame interierunt. Qui
" mentis alienatione laborarunt, Simulacris infeſtabantur, perpetuo-
" que clamitabant homines adeſſe qui necem iis intentarent, atque
" ideo fugam capeſſere moliebantur: eas vero moleſtias curatoribus
" ſuis præbebant, ut hi non minus quam ægri ipſi miſericordiam
" moverent. E tactu vel decumbentium vel mortuorum, neque
" Medicus, neque alius quiſquam contagionem ſuſcepit; multi enim
" mirandum in modum ea immunes reſtabant, licet ægris jugiter
" aſſiderent defunctoſque ſepelirent: multique, qua ratione neſcien-
" tes, ea correpti ac ſubito peremti ſunt. Plurimi in Aquam, plu-
" rimi in mare deſiliebant, utcunque ſiti nulla vexati. Quibuſdam,
" ſine ſopore aut mentis alienatione, Bubo in Gangrænam abiit, hi-
" que ſæviſſimo cum cruciatu animam exſpirabant: quem etiam
" Phreniticis non abfuiſſe credibile eſt, quanquam, utpote mente
" capti, nulla proderent ejus indicia. Propterea Medici quidam
" Venenum Fontemque Morbi in Peſtilentibus his Ulceribus deli-
" teſcere ſuſpicantes, Cadavera mortuorum aperuerunt, atque
" ipſa Ulcera perſcrutantes, magnum repererunt intus Carbunculum.
" Quicunque corpus Puſtulis nigris, magnitudine Lenticulæ, di-
" ſtinctum haberent, ii intra primum diem fato cedebant. Multi,
" Sanguine per Vomitum effuſo, peribant. Quidam, ab optimis
" Medicis deplorati inopinato convaluerunt; alii, de quorum ſa-
" lute non dubitaretur, ſubita morte ſublati ſunt. Nullam hujus
" morbi cauſam Ratione quiſquam aſſequi potuit. Aliis profuit,
" aliis offecit Balneum. Multi curationis defectu obierunt, multi
" ſine ea ſuperſtites evaſerunt. Nulla denique incolumitatis via ap-
" parebat, vel cavendo vel medendo affectui: cum in eo ignorare-
" tur æque & invaſionis & deceſſionis cauſa.

" Quæ-

PROCOPIUS. " Quæcunque Fæminæ Prægnantes tentarentur, eæ omnes abſum- A. D
" tæ ſunt; harum aliquæ abortum paſſæ, aliæ partum enixæ poſtea
" cum eo perierunt; tres ſolum Puerperæ convaluerunt, fætu tamen
" amiſſo, atque una obiit cujus evaſit Infans. Quibus Ulcera ampla
" erant multumque humoris effundebant, ii ad ſanitatem redierunt:
" ſiquidem hoc modo deferbuit Carbunculi furor, atque id erat in-
" dicium Salutis certiſſimum. Quibus vero Ulcera in eodem ab in-
" itio ſtatu permanebant, hi morte ſunt abrepti. In quibuſdam Fe-
" mora emarcuerunt, ubi in his orta Ulcera nihil ſaniei emittebant.
" Quidam vixerunt, cum imminutione linguæ, & uſque ad mortis
" diem balbutientes, aut ſonos indiſtinctos proferentes permanſerunt.
" Conſtantinopoli Peſtis hæc per quatuor Menſes in totum, perque
" horum tres maximo cum furore, deſæviit. In initio haud ita multo
" plures, quam ex conſuetudine, moriebantur; dein, increſcente
" ejus violentia, quinque ac poſtremo ſupra decem millia hominum,
" in ſingulos dies rapta ſunt. Primo Cadavera ſedulo humabantur:
" poſtea vero omnibus rebus perturbatis, plurimi ſine ſepultura
" jacebant. Servi abſque Heris relicti, ac Divites Miniſtris in-
" digebant. Per deſolatam Civitatem nihil fere aliud conſpiciendum
" erat, præter vacuas domos, & clauſas ſine commercio tabernas.
" Inter hæc valde ſollicitus, uti par erat, Imperator Pauperum curam
" Theodoro commiſit uno e Referendariis, qui Imperatoris reſponſa
" ad Supplicationes ſubſcribere ſolebant; iſque egenis pecuniam ex
" Ærario diviſit. His adjicit Procopius, multos metu ſcelerata vitæ
" conſuetudine immutata ſeſe Deo conſecraſſe; multoſque, ſubla-
" to periculo, ad priſtinam impietatem rediiſſe." Hæc eſt Peſtilen-
tiæ iſtius deſcriptio ab eo tradita. Howelus autem hæc amplius ſubjicit: " Licet ea Conſtantinopoli per quatuor tantum Menſes du-
" raverit, tamen Euagrius, qui cum omni Domo hac laboravit, per
" duos & quinquaginta annos ſæviiſſe prodit, idque ita graviter, ut
" univerſum prope Orbem abſumſerit. Cum igitur ultra Procopii
" mortem perſeverarit, haud mirum videri debet, ſi per ita longum
" tempus, in diverſis adeo cælis ac regionibus, Symptomata apparu-
" erint diverſa quodammodo ab iis quæ ejus ætate viſa ſunt. Tamen
" Euagrii deſcriptio haud multum ab iſta differt. Affirmat autem,
" hanc in quibuſdam rebus, Peſti Athenienſi a Thucydide expoſitæ
" ſimilem, in aliis vero longe diſſimilem fuiſſe; in Æthiopia, ſicut
" illam, cæpiſſe, omnes vero priores ſævitia exſuperaſſe. Ac tem-
" pus quo inhæſerit, & regiones quas ultro citroque commeando oc-
" cupaverit, in mentem revocans, miratur Philoſtratum pro ſtupen-
" da re habuiſſe Peſtem, quæ ſua ætate per quindecim annos continu-
" ata ſit. Sed cum Procopii Hiſtoria cunctis eſſet ſatis cognita, ipſi
" præſertim Euagrio, qui, ut eruditi omnes ſciunt, multa ex ea mu-
" tuatus eſt: certe magis mira res eſt hunc affirmare auſum, Peſtis
" iſtius Hiſtoriam a nullo ante ſe fuiſſe litteris mandatam: neque
" enim hos de diverſis duabus Peſtilentiis loqui ullo modo credibile
" eſt."

Procul-

50. Proculdubio, ſicuti animadvertit Howelus, de eadem uterque Peſte loquitur: ea ſcilicet, quæ per annos duos & quinquaginta duravit, quæque in Oriente, uti refert Agathias, orta eſt anno Juſtiniani quinto; quanquam, ut is cum Procopio concordet, legi debere illic puto, quintum & decimum. Illud etiam inter illos diſcrimen faciendum eſt, quod Procopius eam deſcribat prout anno ſe ſecundo Conſtantinopoli oſtendit; Euagrius autem, ut teſtatur ipſe, eandem ſuis obſervationibus multis poſt id annis convenientem reddat: nam ea primum incipiente, Procopius, ipſo referente, puer Grammaticæ [h] tunc ſtudebat, & tempore eodem Peſte laboravit. Ita ut vera facile percipi poſſit cauſa, cur in quibuſdam rebus duo hi Auctores ſecum diſcordent. Euagrius rem hanc pro miraculo ponit, quod nemo quiſquam Urbe qualibet infecta oriundus e ſoli mutatione utilitatem caperet: cum tales ſinguli Lue, quæ inter populares ſuos graſſaretur, certiſſime tentarentur. In quo quidem de Auctoris fide ambigi poſſet, niſi ſimilis rei exemplum recentioribus ſæculis obtigiſſe noſſemus, ſicut alias oſtendam, ubi ad Sudorem Anglicum venero. Idem Euagrius Peſtem hanc Athenienſi illi a Thucydide deſcriptæ partim ſimilem, partim valde abſimilem fuiſſe tradit: verum nulla affert hujus rei indicia, quorum largam certe copiam habuit. Modus ipſe, quo hæc ſeſe diſſeminavit, erat diverſus. Hic enim vel repentina morte occubuerunt, vel primo die, (quemadmodum iis accidit, quibus nigræ apparuerunt Puſtulæ) vel ſaltem intra paucos dies. Et Agathias, qui ſecundam ejus invaſionem deſcribit, quæ Conſtantinopoli accidit [i] A. D. DLVIII, diſerte ait, pleroſque momento temporis obiiſſe, ſicut a vehementi Apoplexia: & eos, quibus maximæ natura vires ſuppeterent, quinto diei nunquam ſuperfuiſſe. In Athenienſi autem, morbus ad ſeptimum vel nonum diem ibat, qui quidem uſitati erant mortis dies. In eadem contaminati ſunt, quicunque ad ægros accedebant: in hac vero, idem non obtigiſſe plane declaratur. Neque ſtupor is quo in initio hujus affecti ſunt, neque iſta humi volutatio, neque ea quæ de Bubone tradit, ac Mulieribus Prægnantibus, in Thucydide occurrunt. Galenus in conferendis iis Peſtilentiæ deſcriptionibus quæ ab Hippocrate ac Thucydide litteris mandatæ ſunt, illud notat, quod Thucydides eam, minime quidem Medici more, ſed prout ſingula ipſi, tanquam communi cuidam inſpectori, obverſarentur, expreſſerit. Utroque modo feciſſe id videtur Procopius: nam præter Obſervationes de Gravidis ſupra poſitas, quarum tres tantum evaſerunt, fluxus e Bubone ab eo primum animadverſus eſt certiſſimum ſalutis indicium attuliſſe, quod in eodem caſu etiamnum obtinet. Medici quoque ſermone utitur, de variis medendi rationibus, quas experti ſunt homines, & quemadmodum eæ fruſtra fuerint, loquens, ut de Balneis, &c. item de diverſis ægrotantium Symptomatis; ac ſpeciatim quod ad Febrem attinet, neque coloris mutationem neque æſtum in corpore fuiſſe ait: & Febriculam adeo

Procopius.

h Lib. 4. i 5, 5.

Procopius. lentam usque ad vesperam extitisse, ut ne Medicus quidem, explorato Pulsu, discrimen ullum subesse vereretur. Videbis in lectione Thucydidis ac Lucretii, nullam aliam ejus temporis homines habuisse dignoscendæ Febris rationem, quam ex tactu corporis: siquidem ars tentandi Pulsum, atque ex eo judicandi, posterioribus ætatibus inventa est. Is etiam narrat, quam parum in causis morbi vulgo prolatis acquiescerent: ideoque eorum qui Ulceribus Pestilentibus mortui sunt cadavera aperuerint, atque ingentem ortum intus Carbunculum deprehenderint. Unde disci potest, etiam ejus ætatis Medicos in nullo Scientiæ genere hospites fuisse, quæ ad Artis Praxin promovendam pertineret: iique, ut Anatomiam præsertim excoluerunt, sicut ex hoc loco constat, ita quoque in rectos eam usus deduxerunt, ope ejus morborum causas & varia investigando Symptomata. Una res in Historia hac magnam attentionem meretur; ea de Contagione est. Neque Medicus neque alius quispiam, Procopio referente, contrectatione ægrotantium aut mortuorum (ob eam solam causam, hoc, ut opinor, intelligi vult) vitio correptus est; plurimique mirandum in modum integri permanserunt, quanquam infectos curare ac sepelire non desissent: illud etiam subjicit Euagrius, licet id magna ex parte contagiosum fuerit, quosdam tamen, qui juxta decumbentes, vitam perosi, hærerent, neque morte neque morbo excipi potuisse. Ac profecto in Morbis omnibus Epidemicis, quantacunque demum iis Contagio subsit, exempla adduci possunt, quæ hanc non ad singulum quemque pertigisse demonstrent. Ipse etiam Procopius Pestem illam per Contagionem fuisse propagatam censuit, uti liquet ex iis quæ postea subjicit, hanc scilicet semper juxta Mare initium sumsisse, atque inde diffudisse se in Regiones Mediterraneas: quæ res omni ratiocinatione fortior est ad probandum illud, Quod Morbus hic per Commercium & Communicationem, & a longinquo apportari & in longinguum dispergi possit. Et hæc quidem vulgaris fuit in primis ætatibus opinio. A. I

Paulus. Sed ut illuc unde abii, si modo hæc digressio est, revertar; de quarto jam ultimoque ex Veteribus Scriptoribus Græcis, quod in me suscepi, loquar. Is est Paulus, qui licet a Clerico in Quarto Sæculo collocetur, haud ante Septimum vixit: quique, utut Collector, tamen ab Oribasio (prout hic mutilus jam a nobis legitur) Aetioque plurimum differt: & multa ab Alexandro, non modo sensum exprimens, sed & ipsa quoque verba exscribit. In Ægina Insula natus est, peregrinationes multas obiit, & magnum ita in diversis Regionibus medendi usum acquisivit. Atque hæc ei laus tribuenda est, quod Morborum descriptiones tradat breves ac plenas: isque utcunque exscriptor, de Morbis Mulierum, quod notatu haud indignum est, speciatim agit, primusque ex omnibus Viris quorum memoria ad nos pervenit, Artem Obstetriciam tractavit: unde ab Arabibus Obstetricius etiam dictus est, Librumque a Fœminarum Prægnantium malis orditur. A. I

Quædam

640. Quædam Veterum Medicorum fragmenta Paulo accepta ferri debent: ac præſertim Epiſtola Dioclis ad Antigonum de tuenda Sanitate. PAULUS.

Lubet autem de hoc Auctore ſententiam meam paulo diſtinctius proferre, ideo quod a nonnullis ita deſpici videtur, ut in eo nihil cujuſvis momenti occurrere contendant. Atque intra Sextum ejus Librum conſiſtens, Virum hunc operam omnem in alienis laboribus colligendis minime conſumſiſſe, haud dubitanter probari poſſe concipio. Liber iſte Operationum Chirurgicarum enarrationem ſeorſim complectitur: quod opus in ſuo genere perfectiſſimum judico, ex iis ſaltem quæ ante Scientiarum inſtaurationem prodierunt. De Operationibus loquor, quæ manum exigunt; nam ea quæ extrinſecus applicantur Vulneribus Ulceribuſque ac cæteris vitiis, in Quarto Libro fuſe expoſita ſunt. Ex ipſo autem illo Volumine ſatis conſtat, Operationes Chirurgicas a Paulo ipſo adminiſtratas fuiſſe: ſiquidem varias rationes, & ab Antiquis, & a coætaneis ſuis, & a ſe ipſo uſurpatas, deſcribit. Harum etiam eventum ſæpe commemorat, & felicem & infauſtum: deque eodem argumento agens, Galenum in omnibus adeo non exſcribit, ut ab eo interdum diſſentiat, Recentioremque Experientiam illius [l] Doctrinæ præferre videatur. Ita in Capitulo de [m] Aneuryſmate, adductis iis quæ a Galeno de hac re dicta ſunt, opinionem ſuam de curandi ratione interponit. Eodem modo cum Leonide agit (qui & ab eo & ab Aetio frequenter nominatur) in tractatione Herniæ Varicoſæ. Immo Antiquos ita parum ſuperſtitioſe ſequitur, ut iis, quæ ab Hippocrate ipſo de Naſi fracti repoſitione præcipiuntur, minime contentus, magis recentem viam proponat, cui potiores etiam deferre videtur.

Quid ſi etiam Collector iſte multa nos in hac Arte doceat, a nullo antea, quantum ſciri poteſt, Antiquiore memorata? quod inquiſitione facta aliquis veriſſimum, credo, reperiet: præſertim ſi cum Celſo conferatur, qui Chirurgiæ ſtatum, prout illa Veterum ac ſuo tempore ſeſe habuit, accuratiſſime nobis ante oculos poſuit; cui quidem, Galeni ætate, vix quicquam incrementi acceſſit. Tamen in multis rebus fuſior & explicatior eſt Paulus; ſicut in curatione Hydrocephali, in Paracenteſi, ſive in Thorace, ſive in Abdomine facienda, &c. & in Calculi e Veſica extractione. Celſus quidem omnes infra nonum annum & ſupra decimum quartum hac ultima Operatione interdicit; eandem Paulus in media, & aliquando in provecta ætate, admittit, licet hanc in primis ætatibus optime cedere fateatur. Illud in hac Operatione amplius animadvertit, quod in ipſo Perinæi medio minime fieri debeat inciſio, ſed oblique in altera parte, idque ſiniſtra, verſus clunem: quodque extrinſecus hanc amplam eſſe oporteat, intus vero haud ampliorem quam ut per eam exitus Calculo detur. Sunt & alia in hoc Volumine Chirurgico, quæ nova plane videntur: ut cum de [o] Patellæ fractura agit, quem caſum rarius incidere ait, licet is Chirurgis noſtris ſæpenumero oc-

l 87. m 37. o 100.

currat

PAULUS. currat. Ejus nullam mentionem habet Celſus. Venas [p] Jugulares A. D.
in obſtinatis Oculorum fluxionibus aperit Paulus; quod quidem experimentum a nullo Antiquiore factum invenio, ſi Alexandrum excipiamus, qui hunc Venæſectionis modum adhibet in [q] Angina. Deſcribit etiam ille Arterias pone Aures incidendi rationem, quam in Ophthalmia uſurpat ac Vertigine: contra Celſi Aphoriſmum, qui Arteriam diviſam negat rurſus coire. Tamen Arteriam ab Aretæo, & nonnunquam a Galeno aperiri juſſam videmus, ut alias fuſius oſtendetur. Ac prout ille Cucurbitulis frequentius utitur, ita quoque novum inſtrumentum ad id, ſive Scarificatorem, adinveniſſe videtur, qui, tres cuſpides habens, tres inciſiones uno eodemque tempore [r] faciat.

Caput de Telorum & [s] Sagittarum, &c. extractione notatu digniſſimum eſt, & multa magnæ utilitatis præcepta continet; deſcriptio autem Telorum, quæ apud Veteres in ea ætate, ac præcipue apud Ægyptios, in uſu erant, admodum curioſa eſt, dilucida, ac brevis.

Varia Herniarum genera, præſertim [s] Inteſtinalem, ample & accurate deſcribit; ejuſque cauſas & Symptomata differentia explicat, prout ea vel a Ruptione, vel a Diſtentione Peritonæi ortum ducit: unde Inteſtinum, quod Ilei pars eſt, hujuſque Membranæ Productionibus incumbit, facile vel in Inguen vel in Scrotum prolabitur. Ideoque in quibuſdam caſibus neceſſario facienda eſt inciſio, ut reponi poſſit Inteſtinum; quæ quidem Operatio accurate admodum hic ac minute traditur, magis etiam quam in Celſo: hæc autem ab Antiquis probe cognita, a Rouſſeto, Paræo, & Hildano commendata, a præſtantibus denuo quibuſdam apud nos Viris renovata eſt. Celſus quidem ait, id remedium eſſe quod puerilis tantum ætas & modicum malum, recipiat: ac duo poſtremo memorati Auctores id ſolum in ultima neceſſitate, pro extremo refugio, præcipiunt; conſtat etiam illorum tempore rem fere in deſuetudinem abiiſſe: quanquam exemplum ab [t] Hildano prolatum de homine ſupra annos ſeptuaginta nato, qui ab eo hac ratione curatus eſt, luculenter oſtendit Operationem non modo tutam eſſe, ſed etiam melius ceſſuram ſi primis quibuſque temporibus adhibeatur, antequam Sphaceli diſcrimen ſubſit. Barbettus viam incidendi Abdominis proponit in Iliaco affectu, ubi Inteſtini Introſuſceptio eſt; quod ſi caſus iſte talem curandi rationem patitur, eandem, ubi morbus ex alterutra Herniarum ſupra poſitarum naſcitur, poſt inutilem aliorum Remediorum applicationem, adhiberi potius oportere cenſeo; præſertim cum in Epigaſtrio nihil magis periculi, quam in Proceſſibus Peritonæi incidendis appareat. Ideoque tria nobis Operationis hujus revera præſtitæ exempla tradit Rouſſetus: unum a Circulatore, reliqua duo a Chirurgis eo tempore illuſtribus. Inguinalis Hernia, juxta omnes Auctores, principium duntaxat Inteſtinalis Herniæ eſt; Inteſtinum vero per Inguen neceſſario deſcendere debere aiunt, antequam in

p 40. q 4. 1. r 41. s 86. s 6, 65. t Cent. 6, 73.

Scrotum

40. Scrotum devolvi poſſit; unde Paulus affirmat Enterocelen ſemper a Bubonocele præiri. Illud etiam inter Anatomicos pariter omnes & Chirurgos convenit, Inteſtinum per Muſculorum Abdominalium Circulos, ſive Foramina, prolabi. Quanquam vero dubium non eſt quin hoc frequenter incidat, tamen ſi rem paulo attentius perpendamus, alia fortaſſe reperietur Inteſtino via, hactenus parum obſervata, per quam id deſcendens Bubonocelen produxerit. Cavum in Femore, inter Muſculum Pectineum & Sartorium, ubi Vaſa Cruralia tranſeunt, eſt admodum notabile: & Muſculorum Abdominalium Tendines hic ita laxe poſiti ſunt, ut id ab Abdomine nihil niſi adipis paulum ac fibræ aliquæ membranoſæ diſcriminent: ex quo diſci poteſt, quam facile Peritonæum preſſione quavis per interſtitium hoc in Cavum illud depelli poſſit: præſertim cum id, ob erectum hominis inceſſum, in linea ad Abdomen magis directa jaceat, quam ipſi Tendinum iſtorum Circuli. Ac ſi narrationes eorum ipſorum hominum conferamus, qui Bubonocelen in Proceſſibus Peritonæi ſemper naſci exiſtimant, eos de nulla alia re, niſi de hoc loco, convenire reperiemus. Notat Fabricius ab Aquapendente, Bubonocelen, & Venæ Cruralis Varicem, ſæpenumero Bubonem fuiſſe creditas: in quo caſu, aut Vena aut Inteſtinum, magno cum hominis periculo, ſectum eſt. Nemo non ſcit Bubones in iis ſemper Glandulis ſitos eſſe, quæ ſuper Vaſa Cruralia jacent; unde conſtat hunc in ea fuiſſe opinione, ut frequenter eundem locum Bubo ac Bubonocele occupent: qui locus id Cavum eſt de quo diximus. Et ob eandem rationem Bubonocele a Celſo videtur appellari, Varix Inguinis. Bernardus, nuper Chirurgus Regius, caſui affuit, in quo Inteſtinum ſe ſub cute uſque ad medium Femur protendit; fieri illic nullo modo potuit, quin id per interſtitium ſubter Muſculorum Abdominalium Tendines delapſum ſit: nam ſi per Circulos devolutum eſſet, in Scrotum recta tetendiſſet, neutiquam vero divertiſſet in Femur. Viam quoque hanc videtur ſignificare Barbettus, licet eadem ac cæteri obſcuritate ſe involvat; ait enim ille, "Experimur etiam Proceſſum Peritonæi ita poſſe diſ-"rumpi, ut Inteſtina non in Scrotum, ſed inter Cutim & Muſ-"culos, verſus Femur, ſeſe urgeant." Ubi, ſi per has voces, "Pro-"ceſſum Peritonæi," ejus Productiones eas intelligit quæ ex Tunica Vaginali oriuntur, jam probavimus in ſedem ab eo deſcriptam Inteſtinum prolabi non poſſe. Huic rei aliquam fortaſſe lucem afferet Herniæ Inguinalis in Mulieribus conſideratio: quam a Ligamentis Teretibus Uteri oriri putat Fallopius, cum hæc per Muſculorum Abdominalium Foramina in iſto Sexu tranſeant, perinde ac Vaſa Spermatica in Viris faciunt. Id quidem veriſſimum eſt: verum haud in eodem loco; nam in Mulieribus hi Circuli ſuper Os Pubis poſiti ſunt, & Ligamenta, quamprimum per hos exierint, cum Tendinibus firmiter Oſſi inſeruntur. Ita ut propter anguſtiam viæ, vix hic Herniæ locus eſſe videatur: ac ſi eſſet, Inteſtinum neceſſario recta antrorſum ſuper Os Pubis incumberet; uti quoque nonnunquam

Paulus.

Paulus. facit, etiam uſque ad Labia Pudendi ſe protendens. Verum illud in A. D
hujuſmodi Herniis plerumque magis obliquum iter feciſſe verſus Os Ilii deprehendetur. Unde Celſus diſerte ait, Herniam in Mulieribus "fieri præcipue circa Ilia." Quod Peritonæum in hoc loco diſtendi poſſit, ex iis liquet quæ de Hydrope in Membrana iſta orto tradit Nuckius: ubi aqua ſe diffundens, eo referente, ſaccum effinxit in Femore, "per vacua Muſculorum ſpatia." Hildanus autem, in explicanda Herniæ Uterinæ cauſa, extenſionem Peritonæi accidiſſe putat, "circa foramina illa, circa quæ Bubonocele fit in Mu-"lieribus:" ac ſi verba hæc, quæ profecto ſatis ambigua ſunt, & de induſtria fortaſſe eo modo expreſſa, cum deſcriptione poſituræ Tumori ab eodem aſſignatæ conferamus, ea nonniſi Interſtitio a nobis memorato convenire poſſe deprehendemus. Quantæ capax ſit diſtentionis Peritonæum, ex Aſcite ſolo luculenter diſcimus: & a Chirurgiæ Scriptoribus liquido probatur ejus magnitudinis diſtentionem, quæ in eo caſu plerumque fit de quo agimus, ſine Ruptione accidere poſſe in aliis etiam locis, præterquam in Membranæ iſtius ad Inguen aut ad Umbilicum productionibus. Exempla talium Herniarum Barbettus profert, in Dorſo ſcilicet, ſupra Umbilicum, longe ſupra Ilia; quæ, ut ille ait, pro Abſceſſibus inſcienter ſectæ ſunt. Paulus quidem inter Hernias Inteſtinales diſcrimen facit, prout eæ vel ex Ruptione, vel ex Diſtentione Peritonæi oriuntur: ac diſerte Operationem Scalpelli ope ſuſcipi vetat, niſi in poſteriori genere. Sed quicunque harum partium Anatomiam attentius conſideraverit, hunc ab eo plane diſſenſurum confido: nam in Ruptione Peritonæi, ſi Operatio præſtetur, ac reponatur Inteſtinum, facile concipi poteſt, qua ratione omnes Peritonæi, perinde ac cæteræ, partes ita rurſus ſanari & coire valeant, ut nullam in poſterum Inteſtino deſcendenti viam præbeant. At in Diſtentione, ſi poſt Operationem etiamnum tenditur Peritonæum, quod aliter fieri nequit, quomodo Herniæ prohibetur recurſus? Ut ejuſmodi Diſtentio recte concipi poſſit, Præparationes curioſiſſimæ accurati illius ac diligentis Anatomici, Doctoris Douglas, inſpici debent: is enim primus veram nobis Peritonæi ſpeciem repræſentavit; quæ quidem pars ingentis momenti eſt, ejuſque Structura attente conſideranda eſt, non modo in hac Operatione, ſed etiam in ea extractione Calculi quæ fit per inciſionem Abdominis. Idem quoque primus perſpicue demonſtravit, ab externæ Peritonæi Lamellæ elongatione Vaginalem Teſticulorum Tunicam, uti Auctores aiunt, neutiquam efformari, ab ea vero produci Tunicam, quæ & eſt & ab eo commode appellatur, "Tunica Vaſorum "Spermaticorum propria." Poſtea quoque animadvertit in lectione Pauli, hanc ei notam & ab eo deſcriptam fuiſſe, & nominatam ἐλικοειδῆ ex multiplici in iis Vaſis, quæ ab hac teguntur, convolutione. Cornarius cæterique Expoſitores, de ejuſmodi Tunica minime ſomniantes, vocem hanc emendant, & hujus vice legi volunt ἐνδεσμοειδῆ, iſtam cum Vaginali confundentes. .

Alia

40. Alia deſcripta eſt a Paulo Operatio, modus ſcilicet aperiendi Ar- PAULUS.
terias pone Aures, in [t] Defluxionibus cæteriſque Capitis morbis: quod quidem Remedii genus ab Hippocrate uſurpatum & a Galeno ſtrictim memoratum video: ejus autem præſtandi modus magis explicate ab hoc Auctore traditur, fitque vel per tranſverſam Sectionem applicato poſtea Cauterio, vel per Exciſionem. Priorem viam pleniſſime [u] Paulus explicat; idemque in proximo Capite poſteriorem exponit, quam altera magis vulgarem fuiſſe credimus: nam Aretæus, qui voces omnes curioſe ſemper deligit, nullam, præter hanc poſteriorem, [x] Arteriotomiam commemorat. Hæc duo fuerunt ſola Arterias incidendi genera, non modo in Græcorum, ſed in [y] Arabum quoque Schola ſervata. Quare miremur unde Recentioribus quibuſdam in mentem venerit, Antiquos eodem modo Arterias in Sanguinis detractione ſecuiſſe, quo in Venis uſi ſint, id eſt, inciſionem per Lanceolam faciendo. Unum quidem, ſed unicum, in quo Arteriotomiam hac ratione præſtitam ſuſpicari poſſimus, in Medicorum Monumentis exemplum reperio: hoc a [z] Galeno prolatum eſt, qui, quantum ejus ſenſum aſſequor, in eo Volumine quod de curandis Morbis per miſſionem Sanguinis compoſuit, primus experimentum hoc, idque in ſe ipſo, videtur tentaſſe. A dolore prope Diaphragma urgente in diſcrimen adductus, bis per ſomnum, ut remedium hoc experiretur, monitus eſt: idque adeo fecit, Arteriam inter Pollicem digitumque Indicem ſecans, ex qua Libram Sanguinis detraxit: unde ceſſavit ſtatim dolor, & ipſe ad ſanitatem rediit. Similem in Sacerdote quodam caſum memorat, qui per Arteriæ in Manu inciſionem a deſperata Pleuritide convaluit. Hoc ille ſucceſſu adductus eſt, ut in omnibus doloribus violentis atque inhærentibus, idque præcipue in Membranis, cum a calore ortum ducerent, Manus atque Capitis Arterias incideret. Idem in eodem loco ait, Arteriam in Talo poſt Vulnus, non relicto Aneuryſmate, iterum glutinatam ſe vidiſſe; alibi [a] quoque ſimilem caſum refert, ubi per errorem puncta eſt Cubiti Arteria; erat hæc inciſio admodum exigua, ex quo fortaſſe factum eſt, ut ea rurſus, quatuor dierum ſpatio coierit: quod ita nunquam alias obtigiſſe, ſed in re pari Aneuryſma ſemper conſecutum deprehendit Galenus. De Vulneribus Arteriarum Obſervationem ſubjicit, hæc minus periculoſe fieri in Puerili ætate ac Muliebri ſexu: in quibus Vaſorum Tunicas minus rigidas, atque ideo facilius uniri, exiſtimat. Utrumque ſupra poſitum curandi genus moleſtiam & dolorem vehementem creat: id autem quod per Lanceolam præſtatur ita omni difficultate vacat, ut hoc ab inſequentibus Græcis vix uſurpatum eſſe demiremur: non fuiſſe autem, ex hoc Scriptore & [b] Actuario evidenter apparet. Quodque admirationem auget, ubi Arteria in cutis ſuperficie jacet, Oſſique incumbit, parum hac in Operatione Artis, & periculi etiam minus, videtur. Hujuſmodi eſt Arteria Temporalis; unde Recentiorum nonnulli hanc

t 6, 4, 5. u διαθήκαι, διαιρέσεις. x ἐκθλάσεις, 1, 2, 3. y Rhaz. ad Almanz. 9, 1.
v Curat. per Ven. Sect. 13. a Meth. Med. 5, 7. b Meth. Med. 3, 4.

aperire

PAULUS. aperire auſi ſunt in omnibus fere Capitis morbis, ac præſertim in A. D.
Hemicrania. Paræus [c], qui ſine dubio Artem ſuam cum ſcientia exercuit, docet, quantam inde utilitatem in hoc caſu non modo ægrotus quidam alter, ſed & ipſe etiam ceperit, poſtquam fruſtra fuiſſent alia omnia remedia. Addit etiam, longa ſe experientia comperiſſe, Arteriæ per Lanceolam inciſionem, non eo, quo vulgo creditur, diſcrimine comitari; ſed & hanc haud incommodius Vena coituram, modo plus ei aliquanto temporis tribuatur; neque ſanguinem ex ea rurſus unquam erupiſſe, ſi per quatuor dies, uti fieri debet, ſplenium ſuperimpoſitum ſervabatur. Illa, quam de Chirurgo quodam Tigurino, in Epiſtolis ſuis prodit Vir magnæ fidei Geſnerus [d], admodum ſingularis eſt Hiſtoria; nam Chirurgus iſte, cum vehementi Hemicrania ſingulis annis conflictaretur, Temporalem Arteriam a Geſnero quidem juſſus eſt incidere; verum is doloris impatiens, hanc ſuo modo tranſverſam ipſe ſecuit, treſque emiſit Sanguinis Libras: revertente autem dolore temerarium idem experimentum iteravit, & ad ſanitatem integram pervenit. Quamque non difficulter incidatur hæc Arteria, facile colligi poteſt ex iis quæ rettulit [e] Meckerenus: qui cum Operationem hanc duodecies præſtitiſſet, nihil unquam ex ea ſiniſtri, niſi una vice, idque ob incuriam ægrotantis, minime vero ex quovis in Operante defectu, accidiſſe vidit. Idem, quo ſecurior poſt Operationem præſtetur Arteria, idoneam admodum atque commodam deſcribit, quæ ſemper ei in uſu eſſet, Faſciam. Id denique, ut argumentum abſolvam, animadverti debet, [f] Proſperum Alpinum ſe non modo Arterias in Temporibus, ſed etiam pone Aures, in Fronte, in Talo, & alibi apud Ægyptios, in Morbis compluribus Diuturnis, haud minus frequenter, quam Venas, vidiſſe ſectas; iique contra omnes Inflammationes internas eandem ipſam Arteriam quam in ſimili caſu aperuit Galenus, eam ſcilicet quæ inter Pollicem Digitumque Indicem eſt, incidere ſolebant. Operationis item viam refert, quatenus vel ad Inciſionis modum, vel ad Faſciæ genus pertinet; illud etiam notans, inter omnes caſus, quorum ipſe teſtis oculatus exſtiterat, nunquam cuiquam male rem ceſſiſſe, neque id unquam obtigiſſe incommodi, ut Aneuryſma ſuccederet. Multa ejuſmodi in [g] Severino quoque exempla occurrunt.

Hactenus de veritate facti. Arteriæ aperiendæ Scopus neceſſario eſt, aut Derivatio, aut Revulſio: quanquam ubique Revulſio mihi ſola proponi debere videatur. Veluti, cum in Fronte, aut in Sutura Coronali, dolor eſt, annon Arteriarum apertio vel in Occipite, vel prope Aures, (ut Oribaſius ex Antyllo jubet) evidenter Revulſionem efficit? quanquam Severinus per id Derivationem fieri affirmet, ſecumque eodem tempore ipſe diſcordans, ubi in poſteriori parte dolor eſt, Arteriæ anterioris ſectionem Revulſioni cauſam præbere tradat. Id ſolum in præſentia de Revulſione dicam, ejus effectum in eo maxime conſiſtere, ut ſubito peragatur; certe dum ex Arteria

c 16, 4. d 3, 96. e Obſerv. Chirurg. 38. f Med. Ægypt. 2, 12. g Chirurg. Effic. 42, 45.

Sanguinis

40. Sanguis fluit, ſenſibus ipſis evidenter patet, quanto vehementior ac celerior neceſſario ex ea, quam ex inciſa Vena, ſit Revulſio: quanta porro inde Vaſis, ex quibus illa fit, libertas tribuatur, quo validius eam quæ illis naturaliter ineſt vim contractilem exerant, & inutili qua obſtruuntur materia ſeſe exonerent, ubi nulla jam iis cum affluentis Reſiſtentia Sanguinis lucta aut contentio eſt. Fortior etiamnum eſt Revulſio, ubi Sanguinis curſus intercipitur, uti fit cum Arteria ad partem affectam tendens ſecatur: hæc vero ejuſmodi Revulſio eſt, quæ a Sectione Venæ nunquam poteſt contingere. Quantumvis autem Operatio hæc rationi congruat, vereor ut unquam veniat in uſum, quia ſuaſor ejus periclitatur ne per aliorum incuriam famæ ſuæ officiat; hæc utique magna eſt Chirurgi infelicitas, ut peritia ſua conſiliis ab Arte prorſus alienis prævertatur. PAULUS.

Ab argumento hoc conſequenter venio ad mali ejus conſiderationem, quod Sciſſuræ cuivis in Arteria, aut Vulneri, aut aliquando exiguæ admodum, uti dictum eſt, puncturæ ſupervenit. Id Aneuryſma dicitur; de quo [h] Auctor noſter quædam habet ab aliis eo prioribus intacta. Nam repetitis iis, quæ de eadem re tradiderat Galenus, ſuas aliquas Obſervationes adjicit: accurateque ea diſtinguit, quæ ab Anaſtomoſi ortum trahunt, ab his quibus originem Ruptio Arteriæ præbuerit. Priora magis oblonga ſunt & altius conduntur, impreſſoque digito ſonitum quendam reddunt: poſteriora ſuperficiei magis vicina & rotundiora ſunt, neque ſonum faciunt; in utriſque vero Sanguinem extravaſari putat. Aneuryſmata in Capite atque Gutture deſperata pronuntiat [i] Aetius, omnemque horum curationem ſuſcipi vetat, nihil præter Emplaſtrum e Cupreſſo iis applicari jubens. Iſque Operationem Manualem his tantum vult Aneuryſmatis, quæ in Brachio ſunt, adhiberi. Paulus autem, licet inciſionem haud tuto fieri judicet in iis quæ Axillas, aut Inguen, Collumve occupaverint, aut alibi etiam, modo grandia ſint, ne ex Vaſorum amplitudine profuſio magna Sanguinis oriatur: tamen hactenus ab Aetio diſcrepat, ut ea quæ in extremis partibus, aut Articulis, aut in Capite præſertim reperiuntur, Chirurgiæ ope curari commode exiſtimet. Operationem certe, pro utroque Aneuryſmatum a ſe expoſitorum genere, accuratiſſime deſcribit; poſt factas Ligaturas, vas dividi jubet, & Arteriam non modo ſupra ſed etiam infra vulnus vinciri diſerte præcipit, ſicuti noſtrates hodie Chirurgi facere conſueverunt: cum in utraque re manifeſte deficiant Batavi, quod ex Barbetto [k] colligere licet, & videri fuſius poteſt in duobus caſibus, quorum alter in ſecunda Ruyſchii Obſervatione memoratur, alter autem in Experimento Nuckii nono & vigeſimo.

Cum toties Aneuryſmatis mentionem habuerim, de eo amplius diſſerendi veniam oro; neque ineptam fortaſſe in hoc loco diſquiſitionem arbitraberis, ſi ad varias de illo contentiones, & ad incertas parumque claras ejus explicationes nobis traditas reſpexeris. Aneuryſma a Galeno, atque hic itidem a Paulo definitur, "Tumor

h 6, 40. i 4, 3, 10. k Chirurg. 144.

PAULUS. "ab Arterioſo Sanguine extravaſato productus;" idque a Ruptione A. D.
in Arteriæ Tunicis ortum trahere, conſtans ſemper fuit Græcorum omnium pariter atque Arabum Medicorum ſententia. Primus Arteriam non Rumpi, ſed Dilatari tantum aſſeruit Fernelius. Videturque idem ſenſiſſe Veſalius; nam cum Adolphus Occo, qui caſum refert ægri Tumorem in Dorſo habentis, cujus ipſe curationem una cum Achille Gaſſero ſuſcepiſſet: & in conſilium advocatus eſſet præſtantiſſimus ille Anatomicus Veſalius, rem ſtatim conjectura aſſecutus eſt, idque Aneuryſma eſſe pronuntiavit ex Aortæ Dilatatione productum. Simulque declaravit, Sanguinem intra ejus Tunicas contineri; eo modo quo fit in Venis quas Varices occupaverint: ſeque in hujuſmodi Tumoribus deprehendiſſe modo humorem glaciei aut cryſtalli inſtar concretum, modo Sevum referentem, & aliquando Sanguinem grumoſum Molæ ſimilem. Aperto cadavere, Aortæ cavum vehementer diſtentum apparuit, multuſque in eo Sanguis concretus juxta Veſalii prædictionem, unde ingens ei nomen acceſſit. Et Arterias quidem diſtendi poſſe, ex frequenti hominum, veneno & aliis quibuſdam affectibus mortuorum, inſpectione certum eſt. Notabilis illa eſt Hiſtoria a Vido Vidio relata, quam & ipſe raram fatetur, de enormi omnium circumquaque Capitis Arteriarum intumeſcentia, quæ ingentes repræſentaret Varices. Cumque, eodem teſte, Fallopius, qui inciſionem ejus ſuſceperat, jam in procinctu eſſet ad id exequendum, Tumoris magnitudine perculſus deſtitit a ſententia, neque ultra quicquam moliri auſus eſt. Verum hujuſmodi diſtentio, quæ ſe per tot ramos æqualiter diffundit, vix a quoquam nomen Aneuryſmatis obtinuerit: nam id quidem diverſæ naturæ, magiſque circumſcriptus Tumor eſt.

Sennertus, Fernelii opinionem emendans, neque Dilatatione ſola contentus, omnium Aneuryſmatum naturam in Muſcularis, ſive Internæ, Tunicæ Arterioſæ, Ruptione ſtatuit, Externa interim illæſa remanente. Mihi quidem manifeſtum videtur Sennertum, quanquam de eo prorſus tacet, ab Hildano doctrinam hanc eſſe mutuatum, qui eandem rem verbis planiſſimis expreſſit. Aneuryſma ab Hildano deſcriptum Punctura ſupervenerat: & in eo quidem caſu fieri poteſt, quemadmodum ille conjicit, ut Exterior Tunica per compreſſionem uniatur, cum ex membranoſis atque admodum glutinoſis partibus conſiſtat, uti liquet ex eo quod ab hujuſmodi duntaxat pelliculis extrahatur Gluten; ſed cum fibræ Interioris Tunicæ Muſculares ſint, eæ ſtatim ut a Ruptione contrahantur ac breviores fiant neceſſe eſt, ita ut a ſe invicem diſcedentes difficilius poſtea coeant. Neque concipio, qua ratione hujuſmodi Aneuryſma formari poſſit, niſi cum a Punctura oriatur, quæ tamen interdum etiam ambas Tunicas perforat. Nam ubi cauſa interna eſt, improbabile prorſus videtur, ut ea vis quæ perrumpendæ interiori Tunicæ ſufficerit, reſiſtentiam ullam ab Exteriori inveniat, quam altera quinque vicibus ad minimum eſſe debiliorem omnes fatentur. Nihilominus ſententiam hanc, licet vix ullam veritatis ſpeciem præ ſe ferat, amplexi

plexi sunt Willisius, Barbettus, aliique Medici: unde per multos annos ista Aneurysmatis definitio obtinuit. Certe ex quo primum hæc opinio de nulla Sanguinis Extravasatione prolata est, Auctores omnes qui vel Medicinæ vel Anatomiæ Corpus aliquod contexuerunt, Hypothesin hanc secuti sunt: neque argumentum de quo scribere aggressi sint, neque id ipsum quod super argumento suo scripserint, satis comprehendentes. Id Exemplo lubet confirmare: Vehementer contendit Forestus, omnia Aneurysmata ex Arteriæ Dilatatione procedere; tamen in eo, quod in omnibus suis Operibus unicum profert, Aneurysmatis casu, Tumor ex Ruptione ortus est, Sanguisque extravasatus. Diemerbroekius autem, doctrinæ tunc vigenti obsecutus, Aneurysma contra Regii placitum definit, qui Ruptionem in Arteria esse statuerat: ac deinde Aneurysmatis Historiam adducit, in quo erat Ruptio: sed postremo absurde concludit id non fuisse Aneurysma, ea sola de causa quod esset illic Ruptio, & consequenter haud intra suam definitionem caderet. 40. PAULUS.

Præcipua argumenta quibus Dilatationis fautores insistunt, quibusque ii premuntur qui in Arteria Ruptionem agnoscunt, his duabus quæstionibus continentur: quomodo fieri possit, si sanguis intra Vasorum Tunicas non concluditur, ut in Aneurysmate contingat Pulsatio? & si Sanguis Extravasatus est, quare non in Pus vertatur? Quod ad Pulsationem pertinet, certe non difficulter comprehendi potest, Sanguinis jugem in Arteriis impulsum huic quoque necessario motum communicare, qui contiguus ei, quanquam Extravasatus, jacet. Vis Percussionis ingens est: & in Vesica Aere plena novus, utut exiguus impulsus, ope Syringis factus, quicquid in ea est movebit, ejusque latera distendet, id quod experimentis probatur. Quod si Arteria ampla est, & prope superficiem cutis jacet, neque longe a Tumoris Centro abest, & si Aneurysma haud nimiam in longitudinem protenditur, Pulsatio vehemens erit, quanquam haud rupta sit Arteriæ Tunica. Idque non modo ratione, sed etiam re evinci potest. Apud Severinum casus est, in quo post Vulnus in magna Femoris Arteria, in interstitia Musculorum Sanguis ad sex Libras effusus est, fuit autem in Tumore adeo violenta Pulsatio, ut ambas ei manus impositas attolleret. Cum Aneurysma alte inter Musculos conditur, sæpissime Pulsatio non sentitur. Ad hæc accedit, quod obscurior ista fieri possit, penitusque demum extingui, increscente Sanguinis coagulatione: multa vero tam in Severino, quam in Littro, exempla occurrunt, ubi ea, primo vehemens, postea omnino evanuerit. Quare hæc non semper ejus comes inseparabilis putanda est. Profecto in Tumoribus plerisque contrario modo ratiocinandum est: & ubi Pus non evidenter apparet, Aneurysmatis semper suspicio esse debet: multique ex defectu hujus cautionis Abscessum esse falso credentes, Tumorem in ægri perniciem aparuerunt. Ea quæ de Pulsatione dicta sunt ad secundæ objectionis solutionem accommodari possunt; nam si Tumori motum communicari concipiamus, facile comprehendemus etiam, qua ratione idem motus Sanguinis

Paulus. guinis putrefactionem arceat, perinde ac si in Arteriæ Tunicis continetur, distentione tantum ampliatis. Levis profecto impulsus perfectam in magna Fluidi cujusvis copia stagnationem impediet. Ita in Ecchymosi, Sanguis extravasatus sæpissime non suppurat, & si id evenit, aliqua pars ejus in rubrum abit Coagulum, a cæteris separata ac distincta, Puris admistione omni vacans. Huc omnino pertinet casus e Severino supra memoratus: ubi posteaquam Tumor per quadraginta dies increvisset, ex eo sex Libræ puri Sanguinis eductæ sunt, in Musculorum interstitiis extravasati, quique ad Pus nullo modo tenderet. Quid quod res ipsa a Scriptoribus istis posita, omnem nempe Sanguinem in Pus verti, jure in dubium revocari possit; nam quænam ea sit in Sanguine qualitas, aut cujus generis hæ particulæ, quæ hunc ad suppurationem idoneum reddant, Problema, fateor, solutu est difficile: id autem pro certo habeo, inesse quiddam Sanguini Arterioso, quod quo minus is in Pus vertatur haud raro prohibet.

Ita argumentorum, quæ ad evertendam Veterum opinionem adducuntur, infirmitatem perspicimus: & Experientia ipsa, e dissectionibus hic adhibitis, litem plerumque in eorum gratiam dijudicat. Nam ut ad casum revertamur, ubi Vesalium interfuisse antea diximus (quæ quidem Aneurysmatis dissecti prima est Historia) præter Arteriæ Dilatationem, ingens Ruptio erat, uti tradit unus ex præsentibus illic Medicis, Achilles Gasserus. Saporta, Fernelio coætaneus, qui videtur hunc designare, licet ejus nomen minime proferat, tres casus minutissime narrat, in quibus rupta est Arteria. Horum primus, a Sennerto excerptus, fuse quoque ab eo repetitur, qui pronuntiat id Aneurysma non fuisse. Verum exputare nequeo, quare huic potissimum casui sese opposuerit, & omnium explicatissimo, & cavillationi minime opportuno: nam post dissectionem magna vis puri Sanguinis educta est, & Arteria dilatata ac rupta apparuit; porro cum æger in vivis esset, in Tumore Pulsatio sentiebatur, isque pressioni cedebat. Quod si hoc non Aneurysma est, nescio quænam verba ad id designandum excogitari possint. Complurium Aneurysmatum dissectorum Historiam tradit Bartholinus, unius præsertim, quod Neapoli contigit, quodque argumentum est Libri ab eo scripti, in quo Libro tumida quidem & ampullata oratio est, at res ipsa satis perspicue declarata est. Fuit illud in Brachio, ex Punctura ortum, brachium amputatum est, æger autem obiit. Axillaris Arteria usque ad alas ipsas vehementer dilatata erat, & in ea solum parte, quæ Punctura acceperat, integra reperta est: ab altera ruptæ omnes Tunicæ, neque rami ab ea procedentes investigari poterant. Utque id in superficie erat, Sanguis grumosus per omne Musculorum iter jacebat. Hornius in Epistola, quæ huic Bartholini Libro attexitur, alium singularem casum memorat, qui quoniam utilia nobis multa ad Praxin consilia subjicit, Historiam ejus omnem breviter enarrabo. Tumor in Sura erat, hunc Aneurysma pronuntiavit Antonius Vacca: alii contra stabant, ac numero præva-

40. prævalentes, quasi Abscessum curaverunt. Ea ratione factum est, PAULUS.
ut Tumor usque ad ipsos pedis digitos protenderetur, & supervenire Gangræna, quare coacti sunt pedem supra Talum abscidere, ne Sphacelus ad femur se diffunderet. Tertio post die, Tumorem aperire tentaverunt; verum æger in ipsa Operatione extinctus est. Quamvis Arteria esset ita dilatata, ut sexies naturalem ejus modum excederet, pars versus cutim erosa erat ac perrupta; atque inter Musculos Gemellos Sanguinis Grumosi Parenchyma repertum, ita solidi ut carnis fere consistentiam æquaret. Casum huic non absimilem ipse vidi una cum Chirurgis Nosocomii Sancti Bartholomæi. Æger senex erat, malique habitus; & Aneurysma, ipso referente, cum per continuos duodecim annos auctum cepisset, ultimis temporibus vehementer increverat. Totam Suram fere usque ad genu cingebat; & in eo violenta erat Pulsatio, non modo propter cutim, sed etiam in Musculis, qua parte sura est crassissima. Multæ e Venarum Valvulis ita prorsus disruptæ erant, ut Varices portentosæ magnitudinis locos supra atque infra genu occuparent, quæ tamen elevato Crure subsidebant. In Amputatione quanquam fortes adhiberentur Ligaturæ, & Operatio confestim expedita, e Vasis ultra Libram Sanguis profluxit, ob ingentem, quæ in Venarum atque Arteriarum Diametris contigerat, ampliationem. Dissecto Aneurysmate, inventæ sunt, præter Sanguinem fluidum, Libræ duæ tresve Thromborum, qui Lamellarum more supra se invicem dispositi jacebant: universus Arteriæ Cruralis tractus magnopere dilatatus, & ramusculi passim ab ejus trunco dirupti, eo intervallo quod ab horum ortu circa digiti quadrantem distaret; ex his in interstitia Gastrocnemiorum Sanguis derivatus est, siquidem nulla cum inferioribus partibus communicatio intercederet. Ita perederat Ossa Caries, ut foramen ingens in Tibia, Fibulæque pars, quæ longitudine quatuor digitos æquaret, absumta reperiretur. Hæc in Ossibus Caries Aneurysma sæpe comitatur; casus duo apud Ruyschium leguntur, ubi omnes veræ Costæ cum Sterno fere consumptæ sunt, & exigua pars, quæ supererat, putris relicta. Neque vero intellectu difficile est, quomodo Tumor talis jugi pressione Periosteum afficere in eoque obstructionem creare valeat, unde paulatim Os ipsum exedatur. Aliud etiam ex hac re disci potest: nam cum Os ea soliditate constans Aneurysmatis pressioni resistere nequeat, credibile est Arteriarum Tunicas eidem vi facilius cessuras, ita ut inde earum quoque Fibrillæ disperdantur. Historiam Aneurysmatis in Aortæ Trunco Ascendente prodit Lancisius, ex quo æger, qui per aliquod spatium antea de Palpitatione, animæ defectione, dolore, angustia Thoracis, & in eo Pulsatione conquestus esset, subito interiit. Sterni pars superior ab altero latere paulum erat extrinsecus protrusum. Dissecto cadavere, in tota Aortæ curvatura quiddam lardo simile, Cysti inclusum, apparuit: Foramen in ipso Pericardio, ubi consequenter Libræ Sanguinis duæ sunt inventæ. In ea is sententia est, ut omnia Aneurysmata ex Arteriæ Dilatatione oriri existimet: neque

Paulus. improbabile eſt primis quibuſque temporibus id ita eſſe; nihilominus in præſenti exemplo Fibras corroſas fuiſſe ait, atque hinc Diloricationem, uti ab eo vocatur, explicare aggreditur, in qua, juxta illum, vera Aneuryſmatis natura conſiſtit; id eſt, ſi ejus ſenſum recte capio, in Arteriæ Tunicarum Diſciſſione, ſive Dilaceratione. Guicciardini caſum plane ſimilem, apud Andream Laurentium legimus: in quo non modo rupta erat Vena Cava una cum ejus Valvulis, ſed Aortæ orificium ad Brachii magnitudinem ampliatum. Idem in caſu contigit quem rettulit Paræus: ubi Arteriæ Tunica Interior, quamvis in Os mutata, tamen rupta quoque erat. Certum eſt Aortam, ſupra ejus flexionem, facilius dilatari poſſe, ob reſiſtentiam eam quæ Sanguini illic ex ejuſdem curvatura opponitur; ex quo etiam in hac Arteriæ parte utplurimum Aneuryſmata producuntur: ac ſi iſta in Dilatatione tantum conſiſtant, nullibi hanc facilius quam in eo loco fieri poſſe credibile eſt. In Actis Gallicis longam & particularem duorum in iſto loco Aneuryſmatum Hiſtoriam commemorat Littrus: in quibus ita protruſa erat Arteria, ut ſaccum effingeret ad Thoracem collumque pertingentem, immo in altero caſu, per cervices uſque ad maxillam. Uterque æger Pulſationem primo, quæ Arteriarum motui exacte reſponderet, & moleſtam quandam in Thorace luctam ſenſerat, cum magna demum oppreſſione, ſpirandi difficultate, & totius corporis languore: idque multo antequam extrinſecus quicquam ſupra Claviculas appareret; poſtea alia quoque Symptomata acceſſerunt, qualia fere ipſe in ſimili caſu vidi, dolor ſcilicet, non modo in Pectore, ſed etiam in humeris, in brachiis, & in capite; atque in capite frequens etiam Pulſatio; ſomni parum, iſque haud raro interruptus; in lecto decumbendi ſæpe impotentia, atque inclinato antrorſum corpore ſemper levamentum majus: Spiritus ita nonnunquam impeditus, ut ſubitæ ſtrangulationis metum incuteret. In priori homine, pars aliqua coſtarum, Sternum, & Claviculæ Carie exeſa ſunt. Circulator quidam per Suppurantia Medicamenta Aneuryſmatis partem ruperat, ex quo ſupervenit Gangræna, & poſt tres dies mors. Utrumque hoc Aneuryſma dicit Arteriæ tantum Dilatationem fuiſſe: quanquam vero eorum minuta admodum & accurata ſit deſcriptio, inhæret mihi ſcrupulus, neque perſuaderi poſſum nihil hic fuiſſe niſi Arteriæ Tunicarum Dilatationem. Nam cum ulterius ipſe tradat, Saccum iſtum non modo Coſtis undequaque, & Sterno, & Claviculis, Muſculiſque firmiter adhæſiſſe, ſed Membranas ejus corroſas in iis omnibus quibus adhæreret locis, hæ Membranæ, quas is Sacco tribuit, erant fortaſſe Mediaſtini aut Pleuræ portiones, aut earum, quæ ad Muſculos attinerent, expanſiones. Neque vero contra illud hoc abſurde dixerim, humores extravaſatos Membranam ſibi propriam effingere poſſe, quæ minime pars eorum ſit vaſorum, unde humores iſti profluxerint. Ea quæ omni die in Hernia Carnoſa, atque in Fungis ex magno Cyſtium numero compoſitis aſpicimus, quarum ſingulæ ſuam habent Membranam, & materia ſæpe aliqua impletur

A.

ab

540. ab illa quæ cæteris ineſt diſcrepante, eam huic ſententiæ probabi- PAULUS.
litatem aſtruunt, ut ante hujus controverſiæ diremptionem id perpendi ſaltem mereatur. Relatio Aneuryſmatis in Thorace a Ruyſchio expoſita, quod ſine Externo quovis Tumore totum ejus cavum inferſerat, videtur ad hanc rem quadrare: nam ex innumeris, ut inquit ille, craſſiſque Tunicis conſtabat, quæ Laminarum inſtar alia ſuper aliam incumberet, eratque inter has multum Sanguinis coagulati concluſum. Ita in eo caſu quem exponit [d] Littrus, Sanguis inſtratarum more frondium jacebat, Polypum quendam efformans. Et hujuſmodi certe exempla in Severino, Marchetto, aliiſque occurrunt. Popularis noſter Wiſemannus ſemper ſe utramque Arteriæ Tunicam apertam inveniſſe narrat. Denique, quoniam id argumentum omnium validiſſimum eſt quod ex factis ipſis profertur, illud amplius ſubjicere debeo, quod inter omnes diſſecti Aneuryſmatis traditas ab Anatomicis narrationes, vix unum, quod quidem amplum fuerit, inveniatur, in quo non eſſet, juxta Pauli doctrinam, in Arteria ruptio. Ea, quæ a me dicta ſunt, ſatis, credo, oſtendunt, quantum a veritate abhorret iſta a * Recentioribus quibuſdam Aneuryſmatum, in vera ac Spuria, diviſio facta: nam differentia omnis iſta in Tumoris figura conſiſtit. Ac ſiquis iſtorum in hoc argumento diſputationes examinet, diſtinctionem hanc, uti plerumque in Theoria falſam, ita quoque in Praxi nullius eſſe momenti comperiet.

Patet igitur quanta cum peritia Paulus Operationes Chirurgiæ difficillimas exercuerit; atque uti naturam caſuum a ſe tractatorum recte intelligere videtur, ita quoque hunc non minus in optimo curationis modo ſolertem fuiſſe confitendum eſt. Idque amplius animadvertam, eſſe quaſdam Operationes ab eo expoſitas, quæ neque deſcriptæ neque commendatæ ſint ab Auctore quoquam ejus temporibus ſuperiore, cujus quidem ſcripta his diebus extent; quarum una eſt Bronchotomia, ſive Laryngis inciſio, quæ fit in vehementi Angina. Modum is Operationis ab Antyllo deſumit, quem ob novitatem ejus & accuratam enarrationem exſcribere non gravabor. "Chirurgorum, inquit, præſtantiſſimi hanc quoque adminiſtrationem "literis prodiderunt. Antyllus itaque hunc in modum ſcribit. In "Synanchicis quidem hanc Chirurgiam, ut inutilem, improbamus, "cum omnes Arteriæ (Aſperæ, credo, Arteriæ ramos intelligit) & "Pulmo affectus eſt; in ore autem & mento inflammatione con"ſiſtente, aut etiam in Tonſillis os Aſperæ Arteriæ operientibus, "incolumi ipſa Arteria, rationi convenit Sectione uti, quo pericu"lum ſtrangulationis evitetur. Quam cum aggredimur, partem "Arteriæ, infra caput ejus ſpatio trium vel quatuor ipſius circulorum, "ſcalpello dividere oportet: totam enim dividere periculoſum eſt. "Commodiſſimus hic eſt inciſioni locus, tum quod carne nudus eſt, "tum quod Sanguinis vaſa longe ab eo diſtant. Itaque inclinato "ægroti Capite retrorſum, quo magis Arteria in conſpectum veniat,

d Memoires de l'Academie 1712. * Croiſſant Garengeot.

"tranſ-

Paulus. "tranſverſam lineam incidemus, ipſam inter duos circulos ducentes, A. D
"ita ut ne cartilago, ſed membrana cartilagines colligans, ſecetur.
"Quod ſi meticuloſior aliquis in agendo fuerit, hamulo prius ele-
"vatam cutim dividat: ac dein Arteriæ ipſi occurrens, vaſis, ſiqua
"ſe forte offerunt, evitatis, inciſionem faciat." Hactenus Antyllus; Paulus autem ſubjicit, "Antyllo in mentem veniſſe hujus inciſionis
"modi ex eo quod (in fortuito Arteriæ Vulnere, intelligit credo
"Paulus) aerem per eam magno cum murmure exeuntem, vociſque
"inceſſionem notaſſet. Quamprimum ſtrangulationis metus
"abſit, oræ Vulneris ſutura committendæ ſunt, ita ut caro ſola ſine
"Cartilagine ſuatur; ac dein Medicamenta adhibenda, quæ cru-
"entis Vulneribus conveniunt. Quibus ſi glutinatio non efficitur,
"ad ea quæ Carnem inducunt veniendum. Simili quoque Cura-
"tione utendum in iis qui mortis deſiderio guttur ſibi ipſis
"præciderint." Operatio iſta magna cum perſpicuitate deſcripta eſt, & in eam obverſationes quædam haud inutiles adjectæ. Hanc, "pro fabuloſa deridet [f] Cælius Aurelianus, & quæ a nullo ſit
"Antiquorum tradita, ſed temeraria tantum Aſclepiadis inventione
"propoſita." Ejus mentionem quoque habet Aretæus, verum haud experientia [g] confirmatam putat: "nam inflammationis, inquit
"fervor ex vulnere major efficietur, cumque ſtrangulatione & tuſſi
"in exitium hominis conſpirabit. Ac ſi hoc modo id periculi
"evaſerit, vulneris oræ, utpote cartilaginoſæ, non coaleſcent." His autem objectionibus optime reſpondet Paulus; & ex Recentioribus quoſdam id cum ſucceſſu tentaſſe conſtat, quantumvis vulgo etiamnum cum ingenti periculo experimentum fieri credatur *.

Purmannus [h] ſeſe Operationem hanc in ægro præſtitiſſe narrat, cui Tumor atque inflammatio vehemens guttur obſediſſent, & ſtrangulationum ſubitam intentaſſent. Homo autem, qui & ſermonem & mentem amiſerat, utrumque paulo poſt recepit. Et Chirurgus quidam magnæ & experientiæ & fidei, ſeſe eandem rem feciſſe, mihi ipſi affirmavit; idque is nullo antecedente apparatu, ne diviſa quidem cute, executus eſt; ſcalpello tantum inter duos ex Annulis locum incidit, ac poſtea Spathulam exilem intromiſit, cava demum Turunda adhibita; unde æger, qui animam eo tempore efflare videbatur, brevi convaluit, multoſque poſtea annos incolumis ſuperfuit.

Arabs Albucaſis, magnæ Experientiæ Chirurgus, uti infra confirmabitur, Operationis hujus modum a Paulo, nulla ejus mentione habita, exſcribit; eamque, licet ipſe nunquam præſtitam vidiſſet, ſine periculo fieri poſſe exiſtimat. Iſque eo magis in ſententiam hanc adductus eſt, quod Mulierem ipſe viderat, quæ guttur ſibi præcidiſſet, & ſtertorem atque gemitum morientibus ſimilem ederet; Aerem is per vulnus exiſſe deprehendit, & Venas Jugulares non fuiſſe ſectas; unde cito curata eſt, nullo quoquam, præter raucitatem, incommodo remanente. Quatuor ejuſdem naturæ ca-

f Acut. 3, 4. g Cur. Acut. 1, 7. * Garengeot. h Chirurg. Curioſ.

ſibus

40. fibus relatis, Experimentum uſu proprio confirmat, Auctor pro eo quo vixit tempore minime contemnendus, Gulielmus de Saliceto. Proſtat etiam ejuſmodi exemplum ſingulare in Actis Philoſophicis. PAULUS.

Alia Operatio eſt haud antea deſcripta, per quam in Viro [i] Mammæ exciduntur: ubi, ut aliquando fit, in amplitudinem immodicam excreverunt. Multum hic Adipis, ut ait ille, ſubtercreſcit, ac Muliebris Mammæ ſpeciem refert; idque ope Chirurgiæ tolli debet. Adminiſtratio autem hujuſmodi eſt: "Lunata per imam Mammillæ partem linea inciditur; cutiſque, exempo adipe, ſutura "rurſus committitur. Ac ſi forte Mammilla in inferiora, uti in Mulieribus, propenderit, Lunatas duas plagas in extremis earum "cornibus utrinque coeuntes inferemus, ita ut minor a majore comprehendatur; ac tum cutis interjecta, una cum adipe, eximetur: "& iiſdem futuris utemur. Ac ſiquid errore ſit relictum, id rurſus "excidere oportet." Fabricius ab Aquapendente curationem hanc crudelem atque barbaram vocat, quæque admirationem omnem ſuperet: multamque in quærendo talium excreſcentiarum uſu operam ponit; quas in iis ſolum inveniri contendit, quibus pili in Pectore deſunt: ideoque has in iis ad fovendum calefaciendumque Cor magis neceſſarias eſſe conjicit. Operationem cruciatu plenam eſſe non negabo; auxilium tamen videtur eſſe unicum, modo hæc res curationem ullam recipiat. Idque non temere quis affirmet, lenem a Fabricio propoſitam medelam, quæ fit per Lixivialem Calcis Expreſſionem, vel parum vel nihil profecturam.

Spero me non commiſſurum ut ineptus Tibi, Vir Amiciſſime, videar, eo quod tantum temporis tui conſumam in ſingularibus quibuſdam rebus, quæ apud Veteres occurrunt, deſignandis, quarumque mentionem omnem Hiſtoriæ Medicæ Scriptores omiſerunt; quod ſane indicio eſt hos vel eorum monumenta ne omnino quidem attigiſſe, vel ita negligenter tractaſſe ut nullam ex iis utilitatem decerpſerint. Quodque ad argumentum modo abſolutum pertinet, Chirurgia Pauli omnium de hac re Librorum ab ejus temporibus uſque ad hunc diem quaſi fundamentum ſemper extitit: multique accurate exſcriptum, aliqui novo tantum quaſi veſtitu indutum, emiſerunt. Neque aliud addam præterquam quod Fabricius ab Aquapendente, celebris admodum, quique in Experientia conſenuit, Chirurgus, & Operationum earum, quæ manum poſtulant, adminiſtrationem unus ex Recentioribus accuratiſſime deſcripſit, doctrinam Celſi atque Pauli ubique, pro Textu, ponat: quodque Obſervationes ejus ac præcepta in horum explicatione unice propemodum conſiſtant. Sunt tamen multi, qui ex præjudicata opinione nihil niſi vulgaria, & vix notatu digna in Paulo reperiri, Celſumque nullam unquam Operationem executum eſſe contendunt. Salmaſius quidem hunc parum candide Ἀνεπίγλωττον appellat, quaſi Vir Medicinæ imperitus eſſet: liceat autem mihi a docto hoc Critico

[i] 6. 46.

Paulus. diſſentire in re quæ ad Medicam Artem pertinet. De Paulo vero ſatis A. mihi dixiſſe videor, ut quid de eo exiſtimandum ſit, omnes judicent. Certe Celſus, ſi Medicinam haud exercuiſſet, nunquam in referendo eo modo, quo Heraclides Αγκυλοβλέφαρον curari voluit, hæc verba protuliſſet, "Ego ſic reſtitutum eſſe neminem [l]memini:" neque apud illum alii deſunt loci eodem ſpectantes. An Romæ ita ſcribere auſus eſſet, ubi nemini Artem hanc, necne, factitaverit, ignotum eſſe poterat? num credibile eſt quenquam ita accurate de quovis argumento, ac præcipue de Chirurgia, re, ſiqua alia eſt, ſubtili ac perplexa, ſcribere potuiſſe, etiamſi Traductorem ſolum fuiſſe concedamus, niſi in iſta quoque eſſet ipſe Profeſſione verſatus? verſatus autem in illa eſt, plus minuſve, ſine dubio Celſus, niſi ex alio aliquo Auctore omnia ſit ad verbum furatus. Unius tantum Capitis Lectio, quæ de Calvariæ Fractura eſt, facile evincet, ſubtiles illas de Contra-Fiſſura obſervationes e propria ipſius eſſe Experientia profectas. Ac licet quidam dubitent, utrum exiſtat unquam Contra-Fiſſura, rem haud improbabilem iſtam cenſeo, quando Suturæ vel admodum compreſſæ vel prorſus obliteratæ ſint: uti haud raro fit, ac præcipue in hominibus ætate provectioribus. Objectio quæ petitur ex eo quod de aliis quoque Argumentis haud imperite ſcripſerit, uti de Rhetorica, &c. ac Medicinam quaſi partem tantum grandioris cujuſdam operis in eo comprehenderit, valde infirma eſt; tanquam haud multo magis veriſimile eſſet, ut de Rhetorica aut alia quavis Arte Medicus ſcienter ſcriberet, quam ut Rhetor merus cum judicio apteque & appoſite Medicinam exponeret.

Facile oſtendere poſſem, quem ad gradum Ars Chirurgica primis his temporibus evecta ſit, prout illa in horum atque his magis Veterum Auctorum Commentariis explicata eſt: verum hanc rem abſolvere malo Viri ejus verbis, qui controverſiæ hujus judex erat longe peritiſſimus, quique ob eruditionem ejus ſummam cum pari Experientia [m] conjunctam, ingens extitit & Profeſſionis & Patriæ ſuæ decus. "Si incrementa, inquit ille, a Recentioribus in Chirurgia facta "conſideremus, confiteri neceſſe erit ita parum nos debere noſmet "iis anteponere, aut eos deſpicatui habere, uti mos eſt inter illos "qui & parum norint & nihil legerint, ut nulla iſta opinione fortiora "vel inſcitiæ, vel arrogantiæ noſtræ argumenta proferre valeamus. "Neque vero is ſum qui affirmem, nihil prorſus a Recentibus ad "excolendam Chirurgiam præſtitum: id enim & abſurdum & in-"jurioſum eſſet, neque ſtultitiam minorem ea, quam nunc repre-"hendo, indicaret; id ſolum, nos in expoliendis ornandiſque Vete-"rum inventis, atque in meliori luce collocandis, magis elaboraſſe, "quam multa alicujus momenti de noſtro adjeciſſe, contendo. Quod "fortaſſe ob alteram ex his duabus cauſis contigit, Vel quod inju-"riarum extrinſecus illatarum ſanandi ars, cum ſenſibus præcipue "ſubjiceretur, maturius agitata ſit, ideoque ad aliquem perfectio-"nis gradum altera Medicinæ parte citius perduci potuerit; Vel

[l] 7, 42. [m] Carolus Bernard.

"quod,

540. "quod, cum plerique ejus Profeſſores per aliquot ſæcula illiterati PAULUS.
"atque Empirici eſſent, ea haud tantum aucta & exculta ſit, quan-
"tum fuiſſet, ſi ad eam exercitandam melius inſtructi, quam vulgo
"& olim fuerint & hodie ſint, Chirurgi acceſſiſſent. Cujus quidem
"rei ſatis validum, me judice, argumentum eſt, ea inſignium Scrip-
"torum paucitas, qui Chirurgiam illuſtrarunt, ſi cum iis confe-
"rantur qui in aliis pleriſque Artibus ac Scientiis excelluerint; quan-
"quam ſi pauciores eſſent, nihil inde huic Arti, modo Sciolis iſtis
"fidem adhibere velimus, detrimenti accederet. Equidem vanæ
"hujus opinionis excuſationem nullam probabiliorem hac invenio:
"Quoniam aliquando & in Medicinæ & in Chirurgiæ uſu ea via in-
"cedendum eſt, quæ aliis commonſtrari nequeat, & ad quam Ar-
"tifex quiſque ſuo ipſius judicio ac naturali ſagacitate duci debeat:
"ideoque nihil de hujuſmodi rebus in Auctoribus iſtis reperiatur,
"quos Opinatores hi conſulendos forte fortuna ſumſerint, lectionem
"omnem illico, quaſi inutilem & frugis expertem, deſpiciunt; præ-
"cipueque Veteres contemnunt, qui plerumque, ut vera fatear, ne-
"que Tironibus neque Inſulſis ſcribunt, ac multo minus iis qui nulla
"unquam diſciplina eruditi valeant.

"Quicunque autem eorum ſcripta conſiderate examinaverit, & ea
"conferendi occaſionem, deque iis a propria Experientia judicandi
"facultatem habuerit, neceſſe eſt ut fateatur, id unum præ Recen-
"tioribus pleriſque horum lectionem magnopere commendare, quod
"& ſigna Pathognomonica accuratius deſcribant, & Tumorum atque
"Ulcerum ſpecies exactius diſtinguant omnibus quotquot nuper in-
"genio maxime valuiſſe jactitamus.

"Quod ſi præſens hæc ætas aſperas quaſdam & ſupervacaneas in
"curando rationes ſuſtulerit, uti nos feciſſe agnoſcendum eſt, eas
"ab Antiquis ortum traxiſſe minime demonſtrari poteſt: cum eas
"ab ignotis barbariſque Profeſſoribus, qui multo poſt vixerint, in
"uſum adductas eſſe conſtet.

"Minime dubium eſt, quin præcipua Chirurgiæ incrementa,
"poſterioribus hiſce ſæculis facta, Anatomiæ præſertim inventis tri-
"bui debeant: cujus ope plurima ex iis ſolvimus Phænomenis, quæ
"antea vel inexplicabilia erant, vel perperam explanata ſunt: cum
"præcipua interim ejus pars (Artem intelligo Curandi, cui cæteræ
"omnes quaſi famulari debeant) haud multo in meliori ſtatu
"floreat, quam ab Antiquis ſit relicta.

"Ut affirmata a me irrefragabili probem argumento, ad ſingula
"ea Chirurgiæ Volumina, quæ a doctiſſimis præclariſſimiſque inter
"Recentiores vulgata ſunt, provoco: ſiquidem omnia vel a ſe in-
"vicem, vel, ſi qua aliis præſtent, e Veteribus exſcripta ſint. Ve-
"rum in hac re id pro Recentioribus dici poteſt, hunc ab iis adhi-
"beri quidem ſuetum, tamen haud inchoatum eſſe exſcribendi mo-
"dum: cum Aetius Pauluſque Ægineta haud pauca a Galeno mu-
"tuati ſint; Marcelluſque Empiricus idem inverecundius fecerit
"pleraque a Scribonio Largo ſumens, haud memorato interim ejus

"inter

PAULUS. "inter cæteros Auctores nomine, quibus haud ita multum de- A. D
"buerit.

"Inter omnes eos qui Syſtemata compoſuerint, paucos eſſe exiſti-
"mo, qui non primas Hieronymo Fabricio ab Aquapendente defe-
"rant, Viro certe & doctrinæ & judicii indubitati; tamen haudqua-
"quam eum puduit lectores docere, Celſum inter Latinos (qui, ut
"ipſe ait," Mirabilis eſt in omnibus, "quemque, Horatii verbis, nos
"jubet, Nocturna verſare manu, verſare diurna) inter Græcos
"Paulum Æginetam, inter Arabas Albucaſim (quem Recentioribus
"annumerare nolim, quia in eorum numero eſt quem Judices noſtri
"Recentes rejiciunt, vel quod ejus ſcripta nunquam legerint, vel
"quod mala hæc ei fortuna obtigerit, ut ſexcentis abhinc annis
"vixerit) quaſi Triumviros eſſe, quorum præcipue auxilio uſus ſit
"in illuſtri illo Libro a ſe compoſito.

"At innumeræ, dicat aliquis, Operationes nunc in uſu ſunt, An-
"tiquis incognitæ; vereor equidem, inquiſitione facta, ne plures,
"eæque admodum utiles, a nobis vel omiſſæ vel neglectæ, quam
"inventæ ſint."

Hactenus pauca quædam dixi (ſiquidem multo plura dici poſſent) de quatuor iſtis Scriptoribus Græcis; ex quo brevi Specimine comperies, ſylvam aliquam in iis a Clerico inveniri potuiſſe, quæ paris momenti eſſet & ab aliis æque intacta, ac multæ res, quas ille fuſius enarravit, ex iis præcipue decerptæ, qui in Hippocratis & Galeni intervallo floruerunt.

Atque hoc quidem tempore ſpatium intra quod viguere Græci in Medicina Scriptores Claſſici (etenim hoc nomine appellandi ſunt) abſolvitur. Nam ſi ſingulos, ab eorum Principe Hippocrate uſque ad Paulum, coætaneis ſuis quacunque in Arte aut Profeſſione excellentibus contuleris, his ii vel in rerum diſpoſitione, vel in argumentandi perſpicuitate, vel in puritate ac vi ſermonis, nullo modo inferiores cenſendi ſunt. Immo quidam ex illis ſupra quam quod cujuſque ætas ferebat, ſani & eloquentes fuerunt; cujus rei exemplum luculentum eſt Aretæus. Ac Sophiſtæ ipſi, qui ante & poſt Adriani imperium non modo Romam ſed univerſum Aſiæ littus impleverant, quique in Veterum Græcorum elegantia, vel ſermone ſaltem imitando operam omnem curamque poſuerunt, ſi ſtylum duntaxat ſpectemus, Galeno & quibuſdam ejus Succeſſoribus neutiquam facundiores extiterunt. Galenus ipſe non modo Medicus ſui temporis peritiſſimus fuit, ſed omnes etiam alios varia eruditione doctrinaque Critica ſuperavit. Tantum honoris Viri iſti Profeſſioni ſuæ attulerunt ex eo quod in aliis Artibus non minus quam in ſua verſati ſint. Celebris etiam ille Sanctus Baſilius, qui propriæ valetudini, quæ nunquam ei non infirma erat, inſerviendo, Medicus evaſit, quique multas alluſiones ac ſimilitudines ex hac Arte deſumtas habet, fuit, ut Photii verbis utar, ob orationis nitorem, proprietatem, perſpicuitatem, ac dulcedinem, ex primis inter Patres Scriptoribus:

ſicut

540. ſicut etiam Sancti Lucæ ſermo ad Veterum normam eo quo utuntur cæteri Evangeliſtæ propius accedit. Quanquam enim Lucas aliquam habeat Helleniſmorum & loquelæ Syræ miſtionem, quod in homine ortu Syro, & ab [n] Helleniſtis veriſimiliter ad Judæam Religionem converſo ferendum eſt: tamen e Græcorum Auctorum, dum Medicinæ ſtuduit, lectione ſine dubio ſtylum expolivit. Et oratio ejus interdum fluens ac florida eſt, uti cum Iter Sancti Pauli deſcribit. Iſque, ubi de Morbis aut curationibus eorum ſermo incidit, voces, ideo certe quod Medicinam eſſet profeſſus, magis quam alii faciunt, argumento idoneas adhibet. Cujus multa proferri poſſent exempla; unum vero aut alterum ſufficiet. Paralyſi correptus admodum congrue ab eo [o] παραλελυμένος, qui a Sancto [p] Matthæo atque [q] Marco παραλυτικὸς dicitur: quæ quidem vox apud Veteres nuſquam occurrit. Mulier Sanguinis profluvio laborans a [r] Sancto Marco deſcribitur, quaſi παθοῦσα ὑπὸ πολλῶν ἰατρῶν καὶ δαπανήσασα τὰ παρ' ἑαυτῆς, καὶ μηδὲν ὠφεληθεῖσα, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς τὸ χεῖρον ἐλθοῦσα: omnia iſta a [s] Sancto Matthæo omiſſa ſunt, Sanctus autem Lucas eadem, alio tamen more, multumque in Profeſſionis Medicæ gratiam, tradit; nam pro eo quod multa a multis Medicis paſſa eſſet, & ex curatione deterius ſe habuerit, hoc ſolum inquit, vim morbi medicamentorum potentia majorem extitiſſe, οὐκ ἰσχύσαν ἀπ' οὐδενὸς διεσωθῆναι [t]. Porro, de nummis a Muliere impenſis loquens, verbo perquam idoneo utitur, προσαναλώσασα; cum vox a Sancto Marco adhibita, nempe δαπανήσασα, luxurioſam tantum pecuniæ profuſionem proprie ſignificet: quo ſenſu quoque eandem habet in [u] Filii Prodigi Hiſtoria Sanctus Lucas. Ita in ejuſdem Mulieris tradenda curatione, nihil aliud dicit Sanctus Matthæus, niſi ἰαθῇ: Marcus autem, ad ſimilitudinem locutionis Hebraicæ ait, ἐξηράνθη ἡ πηγὴ τοῦ αἵματος: Lucæ vero Phraſis, ut magis Medica, ita ſimplicior quoque & correctior eſt, ἔστη ἡ ῥύσις. Ubi Chriſtus multorum morbos ſanaverat, de iis dicit Matthæus, διεσώθησαν [x], & Marcus, ἐσώζοντο [y]: Lucas autem verbum adhibet quod ſanationem peculiariter exprimit, ἰᾶτο πάντας [z]: idemque Verbum in duodecim aliis ſcriptoris hujus locis occurrit, ſemelque vox ἴασις. Ita cum Centurionis famulum [a] curatum eſſe ait Sanctus Marcus, Lucas non modo ſanatum cum, ſed ὑγιαίνοντα [b], perfecte valentem, commemorat: per quod curatio efficacior ſignificatur. Ita in deſcribenda Virginis reſurrectione e mortuis, prolata Chriſti voce inquit, [c] ἐπέστρεψε τὸ πνεῦμα: quod ille, ſine dubio, uti primum reſuſcitationis ſignum, ponit. Eandem in loquendo accurationem ſervat, ubi de [d] Claudis mentio incidit. Ita in iſto loco ubi dicitur, " Non egent, qui ſani ſunt, Me-" dico, ſed qui male habent," Sancti Matthæus atque Marcus id exprimunt per vocem ἰσχύοντες, at vox a Sancto Luca adhibita, ſcilicet ὑγιαίνοντες [e], magis congrua eſt. Poſſunt enim homines temperamenti validiſſimi morbis conflictari, (uti Cipitis dolore, &c.) qui Medici

n Vid. Grotium in Titul. o 5, 18. p 9, 2. q 2, 3. r 5, 26. s 9, 20.
t 8, 43. u 15, 14. x 14, 36. y 6, 65. z 6, 19. a 8, 13. b 7, 10.
c 8, 55. d Act. Ap. 3, 7. e 5, 31.

opem requirant; at qui bene valent, hanc non desiderant. Ita de A. D
Petri noverca loquens ait, ἦν συνεχομένη μεγάλῳ πυρετῷ: Galenus inquit μέγεθος ac σφοδρότητα in morbis eodem sensu a Medicis usurpari, hosque interdum febrem μείζονα, interdum σφοδρίστην, quam antea fuerit, dicere. Ita in Hippocratis Epidem. L. 2, S. 2, legimus, πυρετῶν ἐλίγων. Quare Sanctus Lucas Medicorum hic sermone utitur; atque ita dicit, quo morbum curatu difficiliorem fuisse ostendat. Ac sequentes loci, "Medice cura te ipsum [p]:" &, "Palpate me, & videte, "quia Spiritus carum & ossa non habet [x]," apud Sanctum Lucam solum exstant. Atque illud in Servatoris nostri Agonia, videlicet, "Sudorem ejus factum esse, ut guttas Sanguinis decurrentis ad ter-"ram [z]," a cæteris Evangelistis omissum est, aptissime vero a Sancto Luca, utpote Medico, memoratum. Porro notatu dignum est istis quoque omnibus, in Miraculorum Christi, quæ ad sanationem pertinent, magis diligentem esse Lucam; multasque ab eo Historias esse prolatas quæ cæteri tacuerint: qualis est ea de resuscitatione Viduæ Filii in Urbe Nain [*]; & ista de Viatore, quem Samaritanus infuso Vulneribus ejus Oleo Vinoque curavit [a]; & illa de Muliere, quæ Spiritu Infirmitatis per octodecim annos laborasset, & a Jesu sanata sit [b]; & hæc de homine qui Hydrope tentatus esset [c]; & de decem illis qui Lepra infecti ad sanitatem redierint [d]; de aure denique in servo Pontificis Maximi a Christo curata [e]. Illud etiam animadversione dignum est, quod Lucas in enarrandis iis, quæ ad sanationem pertinent, Christi miraculis fusior sit quam Evangelistæ cæteri; quodque Historiam unam, de resuscitato Viduæ Filio in Urbe Nain, ab aliis omissam narret.

Nullam hic Græcis Medicis laudem tribui, quæ non iis jure debeatur; horum vero exemplum Latini Scriptores male sunt secuti: & si Celsum atque Plinium excipimus, (hic enim aliquas Medicinæ partes in Historia sua Naturali attigit,) quis est cujus lectionem sustinere possimus? Scribonius Largus, cui vix aliud quam Empirici nomen imponi potest, licet priori Claudio imperante scripserit, quo tempore lingua Romana tolerabili saltem puritate florebat, in sermonem Latinum, ut ita dicam, converti debet, quo facilius ab iis intelligi possit, qui in Classicis tantum ejusdem ætatis Scriptoribus versati sunt.

Leonardus de Capua, in ridiculis istis Sermonibus quæ ab eo Ratiocinia nominantur, haud semel significat, a Græcis exiguos admodum in Arte Medica factos esse progressus, ac nihil fere ei ab illis collatum, nisi quod eam verborum eloquentia exornaverint. Nihil interim ex omni Historia luculentius evincitur, quam quod ii Medicinam in Artis ac Scientiæ formam primi redegerint: quodque ab eorum tempore usque ad hunc diem in omnibus Terræ partibus, quibus inaudita est Græca in medendo disciplina, nihil nisi Empirica curandi ratio obtineat. Eodem jure ipsos Poeticam, Oratoriam,

p 4, 23. x 24, 39. z 22, 44. * 7, 11. a 10, 30. b 13, 11. c 14, 2.
d 17, 12. e 22, 51.

&

& Sculpendi Pingendique Artem omnibus numeris abſolviſſe dene-
gaſſet. Nunquam hoc Libro legi quicquam abſurdius; atque id ſo-
lum oſtendit Auctor, magnam ab eo tumultuariæ cujuſdam eruditionis
conquiſitam eſſe copiam, neque ingenium ut ea abuteretur illi de-
fuiſſe, quo omnia ſemper in malam partem detorſit. Quam dili-
genter aucta, expolita, & perfecta ſit a Græcis Medicina, accura-
tiſſime expoſuit Clericus; neque otium ego meum tuumve in ho-
mine refutando conteram, qui ita parum Profeſſionis ſuæ utilitatem
ac vim agnoſcit, ut in ea vix ullam eſſe Artem concedat. Immo
ſatis ridicule Sextum Empiricum, Scepticum illum celebrem, inter
Auctores [f] eos adducit, qui Medicinæ incertitudinem cognoſce-
rent: cum is ſibi pro Principio ſtatuerat, ut nihil certi in ulla
re, ne in Mathematicis quidem Demonſtrationibus, reperiri con-
tenderet.

Pauca de altero quodam e Veteribus Auctore dicenda ſunt, quan- NEMESIUS.
quam is nihil proprie de Medicina ſcripſerit. Nemeſium intelligo,
Emiſſæ Epiſcopum, qui Librum de Natura Hominis, circa finem
quarti Seculi, compoſuit. Eo me impulit Oxonienſis Editor, qui duo
illi inventa aſcribit, quorum alterum omnium eſt, quotquot unquam
in Medicina reperta ſunt, longe utiliſſimum. De Bile primum eſt [g],
"quæ, ut inquit Nemeſius, & per ſe, & propter aliud conſtituta
"eſt; nam ad concoctionem confert, & depulſionem excremento-
"rum movet: ideoque fit quodammodo una de partibus nutrien-
"tibus, quinimo & calorem quendam præbet corpori ut vitalis fa-
"cultas. Ac his quidem de cauſis propter ſe videtur extitiſſe: ſed
"quia Sanguinem purgat, Sanguinis cauſa quodammodo videtur
"eſſe facta." His verbis, inquit Editor, Bilis Syſtema plane & ac-
curate traditum eſt: Syſtema illud, quod ingenti cum arrogantia
a ſe inventum prædicavit Sylvius de le Boe. Neque ſane infician-
dum eſt, in iis integra rationum a Sylvio adductarum fundamenta
contineri: & ſi Theoria hæc ullam in Medicina utilitatem præſtat,
inventionis laus jure a Nemeſio vendicanda eſt. Altera res longe
majoris momenti eſt; ſiquidem Auctor affirmat, Circulationem
Sanguinis, quam ſuperiori Sæculo repertam tantopere jactamus, Ne-
meſio fuiſſe notam, atque ab eo verbis admodum claris ac luculentis
deſcriptam. Ea hæc ſunt, "[h] Pulſuum motus initium habet a corde,
"& maxime a ſiniſtro ejus Ventriculo. Diducitur autem vehemen-
"ter & contrahitur Arteria, harmonia quadam ac ratione. Sed
"dum diducitur, a proximis venis vi trahit tenuem ſanguinem, cujus
"reſpiratio fit alimentum Spiritui Vitali. Dum autem contrahitur,
"quod in ſe fuliginoſi eſt per totum corpus & occulta foramina ex-
"haurit: quo modo Cor per os & nares quicquid fuliginoſi eſt ex-
"ſpirando ſurſum expellit." Unico hoc, parum certe firmo nixus
fundamento, magnum illud Circulationis inventum Nemeſio tri-
buit; iique, qui eandem & Hippocrati & Galeno innotuiſſe con-

[f] 464. [g] 28. [h] Cap. 24.

tendunt,

NEMESIUS. tendunt, argumentis æque validis inſtruuntur. Illud ſolummodo A. D.
dicam, ex hac ipſa deſcriptione, & ex iis quæ de Jecore in eodem Capite idem Auctor tradit, (quod viſcus ille alimentum corpori per Venas ſuppeditare autumat) manifeſte concludi poſſe, nullam de modo, quo peragitur Sanguinis Circulatio, notitiam habuiſſe Nemeſium.

De hac re diſputationem inſtituere nolo, atque id tantum animadvertam, Circulationem veram ab Auctore longe recentiori, accurato quidem & eleganti eo, neutiquam fuiſſe comprehenſam. De Columbo loquor, qui cum Anatomiam exquiſite calleret, minutiſſime diſtinctiſſimeque, annis abhinc ſupra centum & quinquaquinta, non modo ſtructuram ſed & uſum quoque ſingularum partium ad Cor pertinentium explicuit, niſi quod exiguum de Valvulis quibuſdam errorem admiſerit: iſque verbis ita dilucidis, ut nihil ſupra fieri poſſit, monſtrat qua ratione per Cordis contractionem ac dilatationem, ac mechanicam ejuſdem vaſorum Texturam, Sanguis a Vena Cava per Pulmonem in Aortam circuletur, atque inde in omnes Corporis partes deferatur; quam rem nulli unquam obſervatam, neque de ea quicquam litteris proditum affirmat. Juxta illum, (ejus autem verba quoad ſenſum fere cum iis conveniunt, quæ a Serveto coætaneo ei Scriptore, adhibentur, licet in Columbo multo explicatiora ſint) Pulmo Spirituum Vitalium generationi inſervit: id quod ab eo vocibus ſequentibus explanatur: "[i]Aer Aſperæ "Arteriæ vehiculo per univerſum Pulmonem fertur: Pulmo vero "Aerem illum una cum eo ſanguine miſcet, qui a Dextro Cordis "Ventriculo profectus per Arterialem Venam diducitur. Sanguis "hujuſmodi ob aſſiduum Pulmonum motum agitatur, tenuis redditur, & una cum Aere miſcetur, qui & ipſe in hac colliſione "rarefactioneque præparatur: ut ſimul mixti Sanguis & Aer per "Arteriæ Venalis ramos ſuſcipiantur: tandemque per ipſius truncum ad Siniſtrum Cordis Ventriculum deferantur: deferuntur vero "tam belle mixti atque attenuati, ut Cordi exiguus præterea labor "ſuperſit: poſt quam exiguam elaborationem quaſi extrema impoſita manu vitalibus hiſce ſpiritibus, reliquum eſt ut illos ope Arteriæ Aortæ per omnes corporis partes diſtribuat." Hic ad verbum curioſi illius Anatomici ſenſus eſt, qui quidem veritati optime convenit; verum hic ſubito quaſi gradum ſiſtit, neque fluxum Sanguinis ex Arteriis in Venas explicare aggreditur. Immo ex iis, quæ de Vaſis iſtis paſſim profert, evidenter conſtat, nihil eum de ullo inter hæc Vaſa commercio ſuſpicionis habuiſſe. Nam præterquam quod Arteriis ſolis Spirituum Vitalium tranſmiſſionem aſſignet, in alio ſermone ait Venas Sanguinem a Jecore in omnes Corporis partes diducere. Et in hac re præcipue hæret ejus de Circulatione doctrina, quod Venarum & Arteriarum communicationem minime explicet: utcunque ii illud parum comprehenderint, qui vel pro Harvæo, vel contra illum, Libros evulgaverint. Cæſalpinus[k] qui-

i Lib. 11. k Quæſt. Peripat.

dem

dem Anaſtomoſeos vocem vel caſu adhibens, vel hanc a [l] Serveto mutuatus, calorem innatum ex Arteriis in Venas, ſed nonniſi ſomni tempore, tranſire poſſe exiſtimat: atque ex iis quæ proxime ſequuntur patet, Circularem Sanguinis progreſſum minime ab eo fuiſſe cognitum; hunc enim undulante quodam motu ab altero ad alterum vaſis extremum more Euripi (ea ipſa eſt ejus vox) ferri ponit; neque alia eſt Hippocratis de motu Sanguinis ſententia: Fabricius autem ab Aquapendente hunc in Arteriis per Fluxum ac Refluxum circulari diſerte tradit. Quod ſi ex iis quæ Auctores iſti de Circulatione Sanguinis, tam per Cor, quam per Pulmonem in Aortam, dixerint, ratiocinari volumus, evidenter concludendum eſt, Sanguinem, qui Aortæ immittitur, debere neceſſario in Venam Cavam reverti: nam niſi id ita eſſet, nulla ratione jugis ille curſus, qui, ipſis docentibus, per Cor ac Pulmonem peragitur, continuari poſſet. Tamen hanc iis conſequentiam non fuiſſe perceptam æque evidenter apparet, quamvis id ex illorum Principiis facili ac neceſſaria deductione concludatur. Verum haud magis mirum eſt, Columbum & Cæſalpinum huc uſque, nec ulterius, eſſe progreſſos, quam quod Fabricius ab Aquapendente Venarum Valvulas a ſe repertas deſcripſerit, ſimulque verum earum uſum penitus [m] ignoraverit, id quod ex ipſa ab eo facta deſcriptione evincitur. NEMESIUS.

Ut integra inventi hujus laus populari noſtro tribuenda eſt, ita id ille omni rationum ac verborum claritate expoſuit; ac licet multa poſtea de hac re vulgata ſint, Harvæi Librum eſſe omnium & breviſſimum & maxime perſpicuum, & argumentorum pondere munitiſſimum fidenter aio: cujus rei veritatem percipiet, quiſquis varias pro Circulatione Apologias evolverit, vel ea ſit patientia inſtructus ut [n] Tractatum perlegere ſuſtineat, quem, tædii pleniſſimum ac frugis omnino expertem, conſcripſit Raymundus Vieuſſenius.

Nova hæc de Circulatione doctrina, licet firmiſſimis rationibus extra dubium poſita, vehementer a multis impugnata eſt: ejuſque inventor adverſantium plurimorum impetum ſuſtinuit: quorum reſponſiones pleræque magis contradicendi ſtudio, quam argumentandi vi, refertæ ſunt. Minime quidem horum exempla imitatus eſt Vir eruditionis maximæ Gaſſendus; is enim ea, quæ Litteratum deceret, ingenuitate præditus, licet antea Circulationem, & Chyli cum Sanguine commercium, ſtrenue negaſſet, tamen erroris ſui poſtea a Pecqueto convictus eſt, qui Receptaculum Chyli detexit, & in Humano Corpore Ductum Thoracicum primus inveſtigavit: quarum rerum compos Gaſſendus magno ſe affectum gaudio declaravit, quod in ipſo mortis limine duorum ita nobilium inventorum ſcientiam aſſecutus eſſet: illud etiam adjiciens, quod has res veriſſimas, quæ ſe invicem probant ac ſtabiliunt, duos quaſi cardines reputaret, quibus omnis poſtea Medicina verti deberet.

l De Trinitate, 5. m De Venarum Oſtiolis. n De Sanguine & Corde.

NEMESIUS. Ex hoc Harvæi reperto multum incrementi poſſet Medicina, etiam in curationibus morborum, acquirere. Ejuſmodi quidem opus ipſe aggredi inſtituerat, quo emolumenta, e doctrina ſua in Praxin redundantia, oſtendere voluit; ſed, morbo ac morte præpeditus, conſilium illud haud executus eſt. Cæptum profecto Architecto hoc nobili digniſſimum, quod utinam aliqui Succeſſores ejus abſolvant. Pauca tantum hic ipſe ſubnotabo, ex quibus diſci poterit, quantos uſus Practicæ Profeſſionis hujus parti afferre valeat penitus perſpecta ac rite adhibita Circulationis cognitio.

Primo enim, ex Doctrina hac conſtat quanto cum judicio, uti nunc fit a Chirurgis noſtris, in Amputationibus adhibeatur Arteriarum deligatio: quantumque hic modus veteri illi anteponi debeat, qua cum ingenti terrore & cruciatu Sanguis, nonniſi Cauteriorum, Cauſticorum, & Eſcharoticorum ope, ſiſti ſolebat. Præterquam quod invento hoc tormenti vehementia tollitur, ex Motus legibus quo fertur Sanguis, ſcimus neutiquam fieri poſſe, quin is contra Eſcharam ſecti vaſis ea vi arietet, cui nihil præter ligaturam ſatis valide poſſit reſiſtere. Inventionem hujus rei Paræo [o] debemus, qui, ut ipſe ait, de ea nihil unquam aut viſu aut auditu perceperat, ſed experimenti inſtituendi anſam ex quibuſdam verbis in Galeno de Vulneribus arripuerat: quod illi ita feliciter reſpondit, ut id ſibi in mentem veniſſe Inſpiratione Divina exiſtimaverit. Quod ſi animo frequenter recolere vellemus ea, quæ a Veteribus de Argumento quovis prodita ſunt, nova certe nobis, ſine Inſpiratione, non modo de re quæſita conſilia ſe offerrent, ſed quæ ad alia quoque negotia aptari poſſent, uti Paræo contigit. Circulationis quidem notitiam præivit hoc Paræi inſtitutum; ſed vehementer ambigo an id ita frequentem in uſum veniſſet, niſi commoditatem ejus percepiſſent homines, a doctrina hac evidenter convicti: uti colligere licet ex eo quod tarde admodum in quibuſdam regionibus, etiam in Gallia, invaluerit, ſi ex iis judicandum eſt quæ de hac re tradidit [p] Vigierius. Certe apud Noſtrates, nonniſi paucis abhinc annis, renovatum, vel potius introductum eſt. Exiguam ejus notitiam habere videntur Germani: idque nonniſi ſtrictim ab Hildano [q] memoratur: a Batavis, Nuckio [r] teſte, omnino rejectum eſt.

Explicat etiam Circulatio, quemadmodum poſt Amputationem Membri, abſciſſo Arteriæ Trunco, in vicinis partibus continuetur Sanguinis curſus: ideo ſcilicet quod minores Arteriæ rami vicem iſtius ſuppleant, atque ſenſim in majorem capacitatem ampliatæ Sanguinem, partium motui ac nutrimento neceſſarium, ſuppeditent. Quod quidem Problema nullis aliis Principiis ſolvi poteſt, atque ita longe abeſt ut hæc res contra Circulationem, ſicut inſcii quidam Scriptores faciunt, objici queat, ut ejus veritatem argumento validiſſimo confirmet.

Eadem doctrina primo intuitu veram rationem commonſtrat (& hæc quidem a Chirurgis noſtratibus adhibetur, qui nullis vel Anatomiæ

o Lib. 10, 24. p Chirurg. p. 39. q De Gangræn. 8, 5. r Experim. Chirurg. 49.

peritia,

peritia, vel Chirurgiæ veteris ſtudio inferiores ſunt) tractandi Aneu- NEMESIUS.
ryſmata, quæ Puncturæ ſuperveniunt. Siquidem, loco Compreſſionis, quæ vix unquam curſum Sanguinis intercipit, poſt idoneas ligationes dividenda eſt Arteria: & hæc non modo ſupra, ſed etiam infra, Punctura deliganda eſt (uti fit in Varice) quo Sanguinis in eam fluxus prohibeatur ex aliis ramis, qui fere in omni Corporis parte communicationem inter ſe habent. Notavi antea, Praxin alterius cujuſdam Gentis eſſe in hac re valde mancam.

Poſtremo, Galenus, quique hunc ſecuti ſunt, Revulſionem ſemper, quo ea major ſit, ex eo latere, in quo malum eſt, fieri præcipiunt: idque ob hanc cauſam, ſi cauſa dici meretur, quod major partium conſenſus eſt in dextro latere cum venis dextris, & in ſiniſtro cum ſiniſtris. Itaque nulla unquam acrior in Medicina controverſia extitit quam quæ per ducentos prope annos agitata eſt: "Utrum ſci-
"licet in Pleuritide Vena in eodem, an in oppoſito Latere, aperiri
"debeat." Cujus rei ideo præcipue mentionem facio, ut oſtendam neminem ſatis intellexiſſe ante inventam Circulationem, quid eſſet Revulſio: quicquid inepti quidam Veterum fautores affirment; neque enim ullo modo fieri poteſt, ut doctrina hæc, ſine Circulationis ſcientia, comprehendatur. Ope hujus ſtatim videmus, quo in loco Revulſio fieri poſſit fortiſſima; quodque pertinet ad miſſionem Sanguinis in Pleuritide, intelligimus Venæ Sectionem in eodem Latere paulo quidem ſubitius revellere, tantulam vero eſſe differentiam, ut miremur unde ulla unquam mota ſit de hac re controverſia. Illud de miſſione Sanguinis univerſe adjiciam, quod Circulatio omnia illa præcepta prorſus inutilia reddiderit, quæ multo cum labore antea magnoque faſtu poſita ſunt, de aperienda in particularibus morbis ſive hac ſive illa Vena: ac licet indocta Medicorum plebes Artem cauponandi, & Myſterio rem clariſſimam involvendi, occaſionem amiſerint, iis certe, qui Profeſſionis ſuæ gnari ſunt, hanc ſaltem a Circulatione utilitatem ſe conſecutos eſſe fatendum eſt, ut perfecte intelligant quam parvi ſæpe referat hujus ſive illius Venæ delectus; vel ſiquid interſit, nunquam in judicando hæreant, quænam cæteris anteponi debeat.

Sed ut ad Hiſtoriæ noſtræ ſeriem revertar, ad alios jam Medicinæ Scriptores Græcos minoris notæ ac recentioris ævi veniendum eſt. Quoniam in pleriſque vix quicquam novi deprehendo, brevem tantummodo Operum enarrationem faciam, & Auctorum ætates qua potero accuratione conſtituam; quam rem apud Hiſtoricos noſtros valde perturbatam invenio. Quanquam id ſane haud ita mirandum eſt, quoniam ab Agathiæ tempore, id eſt ab A. D. DLX, uſque ad imperium Iſaaci Comneni, quod A. D. MLX obtigit, magnus in Hiſtoria Græca per quingentos annos hiatus eſt, ita ut nihil fere rerum in omni iſto intervallo geſtarum ſciamus, niſi quod e tenui paucorum quorundam Imperatorum, ac præſertim Mauritii & Heraclii, mentione colligendum eſt.

Palladius,

PALLADIUS.

Palladius, Sophiſta & Jatroſophiſta dictus, Alexandriæ, ut ipſe ſignificare videtur, educatus eſt. Hunc primum inter Recentiores Græcos pono, cum erudito Auctore parum conveniens, qui hunc circa A. D. CXXVI floruiſſe* tradit. Santalbinus ad veritatem propius accedit, Palladium poſt Galenum collocans, inferius A. CC. quanquam in hac re magnopere etiam lapſus eſt Santalbinus; nam in Præfatione Traductionis quam edidit Palladii Commentariorum in Hippocratis Librum de Fracturis, dicit veriſimile eſſe hunc Auctorem poſt Galeni tempora vixiſſe, ideo quod Galenus nullam ejus mentionem habeat: cum e ſua ipſius Traductione probare potuiſſet rem iſtam eſſe certam, ſiquidem ibi Palladius Galenum nominat. Id quod etiam in aliis ſuis operibus frequenter facit; etiam hunc non tantum Galeno ſed & Aetio quoque & Alexandro juniorem arguimus, quod eorum verbis utitur, uti mox videbimus.

Commentarii in Fracturas imperfecti ſunt: ſed ex eorum relliquiis jacturam iſtam non magnopere dolendam eſſe diſcimus: cum doctrinæ claritate & copia Textus Annotationibus minime cedat. Commentarii in Sextum Epidemiorum Librum Septimam Sectionem non excedunt; cæteri, in quibus expoſita erat Sectio Octava, perierunt. In his, magna cum perſpicuitate & accuratione, non modo Hippocratem ſed Galenum quoque paſſim illuſtrat; ac ſpeciatim animadvertit Calculum ſuo tempore magis frequentem ac minus ſanabilem eſſe factum: quod ævi luxuriæ tribuit, quæ gulæ multum dedita erat, & exercitationi parum.

Liber de Febribus clarus ac brevis eſt, quem ex Aetio totum fere deſumſit. Caput de Epiala ad verbum fere ex iſto Auctore deſcriptum eſt; & in eo Hecticæ Comparatio illa inſignis cum Aquæ ſuper Calcem infuſione evidenter a Galeno Aetio & Alexandro tranſlata eſt. In proximo Capite de Maraſmo agitur; atque hic errorem obiter corrigere lubet quem in eleganti ſua hujus Opuſculi Editione admiſit Charterius. Morbo hoc affectis dicuntur eſſe βλέφαρα θυομένων μυταζόντων, quod ille convertit, " palpebræ Sacrificantium ſimiles." Præterquam quod μυτάζω non ſit Græca vox, ſenſus poſtulat ut legatur νυσταζόντων, " dormitantium." Hæc in eodem caſu Palpebrarum conniventia per verbum illud a Galeno exprimitur; in Aetio ὑπνώδεσιν legitur, in Alexandro ὡς ὕπνον ἔλκουσι.

Varii extant hujus Opuſculi Codices Manuſcripti in Bibliotheca Cæſarea, quanqum nullus horum Palladii nomen gerat, ſed omnes vel Theophilo, vel Stephano, vel interdum utrique aſcribantur. In unius Titulo, ab ore Theophili exceptum dicitur, uti fuſe [x] narrat Lambecius. Tamen ſi Palladium ipſum conſulamus, verum ejus Auctorem illum ipſum eſſe reperiemus: quippe cum id nominet in Commentariis ſuis ad [y] Epidemia Hippocratis. Hoc exemplo diſcimus, quam exigua fides Titulis adhiberi debeat, quos Libris Manuſcriptis ſæpe præfixos legimus; ſiquidem hi non raro hujus aut

* Biblioth. Literar. N° 2. x Lib. 6, 88. y Sect. 6, 6.

illius

illius Auctoris nomen præ ſe ferunt, juxta vel errorem, vel conjecturam, vel ſecretum aliquod Librarii conſilium.

Extant quidem Tractatus complures ſub Theophili nomine, qui multis ac diverſis Titulis diſtinguitur, Jatroſophiſtæ, Protoſpátharii, & Monachi; quorum duo poſteriora ſibi ipſis contradicere videntur. Lambecius Theophilum hunc ſub Heraclii regno ponit: idque ea ſolum de cauſa, quod in [z] uno Manuſcripto Codice Libri de Febribus, uti modo dictum eſt, is ab ore Theophili exceptus traditur; & quoniam idem Liber Stephano aſcribitur, qui iſtius Imperatoris tempore floruit, hinc concludi putat Stephanum fuiſſe unum e Theophili Auditoribus. Sed auctoritas hæc & ratiocinium videntur æque parum valere; & quæ ſupra de hoc Tractatu dicta ſunt, ad refellendam iſtam opinionem ſufficere arbitror. Ego potius ex barbaris quibuſdam vocibus quæ ſcriptis ſuis paſſim intermiſcet, poſt illud tempus vixiſſe hunc crediderim. Omnium quotquot nunc ſuperſunt Auctorum is eſt primus, qui ex profeſſo de Urinis egerit: quarum conſiſtentiæ & coloris cauſas luculenter explicuit; item, quoſnam morbos ſingula earum genera indicent, & quænam præſagia ex illis duci poſſint. Sunt hic multa eadem iiſdemque verbis expoſita, quæ in Libro ejuſdem argumenti legimus Galeno perperam tributo; id ei facile apparebit qui utrumque contulerit. Aetium ſæpe exſcribit; & eodem prope modo argumentum tractat de Fæcibus. THEOPHILUS.

Extant præterea alii duo ejuſdem Theophili Libri; alter, De Structura Humani Corporis: alter, Commentarii in Aphoriſmos Hippocratis; ſunt quidem ii breves & perſpicui: atque in illis ſane haud minus ſe in Ariſtotelis doctrina verſatum, quam in Hippocrate explanando intelligentem oſtendit. Sed in utroque Opere, ac ſpeciatim in priori, pleraque a Galeno ſumit: cujus Libros de Uſu Partium ſæpe ita religioſe exſcribit, ut in Aſperæ Arteriæ deſcriptione verſum eundem Homericum ponat quem adduxerat Galenus,

Κλαγγηδὸν δὲ πέσοντο ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοῇσιν.

Verum in quibus locis hic a Galeno diſcrepet, aut ei quippiam adjiciat, melius ab erudito Juvene explicabitur, qui deſideratam nobis hujus & aliorum quorundam Græcorum Tractatuum ad Anatomiam pertinentium Editionem publico dare conſtituit.

Aphoriſmi, modo memorati, impreſſi ſunt ſub nomine Philothei; eoſdem Manuſcriptus Codex Cæſareus Stephano tribuit.

Liber de Pulſu, quem converſum habemus ſub Philareti nomine, in Manuſcripto Codice Cæſareo a Theophilo ſcriptus dicitur; idque fortaſſe haud perperam: etenim Humani Corporis Structura fere eodem modo tractatur. Alios de argumento iſto, vel haud ſatis perfecte, vel nimis prolixe egiſſe ait; poſteriori voce Galenum credo ſignificare vult, cujus quidem ſcripta in Epitomen tantum videtur hic redegiſſe e Libris ejus de Præſagitione ex Pulſibus.

STEPHANUS. Stephanus Athenienſis, ſive Alexandrinus, (nam ex loco ubi ortus, & ex eo ubi commoratus eſt, modo hoc nomine, modo illo dicitur) ſcripſit Commentarium in primum Galeni Librum ad Glauconem. Is quidem Galeni Liber ea perſpicuitate eſt, ut explanationem vix recipere poſſe videatur; verum haud improbabile eſt Medicam ejus temporis eruditionem præcipue in explicando Galeno conſtitiſſe: & Abi Osbeia, Biographus Arabs, ſeptem Medicos Alexandrinos commemorat, quorum unus eſt Stephanus, qui Galeni Opera in ſedecim Libros digeſſerint: atque hos rurſus, pro argumenti varietate, in ſeptem Claſſes partiti ſint; & eorundem illos Librorum lectioni unice incubuiſſe tradit, neque in alia re occupatos quam ut hos vicibus ſuis commentarentur & Auditoribus ſuis explicarent. Ideoque minime veriſimile eſt id quod Cl. Clericus ſine ullo fundamento exiſtimat, hunc tertio vixiſſe Sæculo; immo ex hoc ipſo Stephani Commentario patet, multo recentiorem fuiſſe: ſiquidem ipſe Commentatores in Librum a Galeno ad Glauconem ſcriptum perquam [a] Antiquos memorat. Mecumque recolenti ea quæ in Sectione 140 de Quartana dicit, pravam videtur, ut ipſe vult, Galeni interpretationem ab Alexandro [b] factam reſpicere. Si hic idem eſt ac Stephanus, qui Chymicus dicitur, ætas ejus haud difficulter inveſtigari poteſt: Chymicus enim Opus ſuum de Chryſopœia Heraclio dicat: atque ita id cum iis convenit quæ ſuperius tradita ſunt. De Stephano quoque altera legimus, Alexandrino itidem illo, qui ſub eodem Imperatore in Aſtrologia clarus exſtitit, atque ingentem illam Sarracenorum potentiam prædixit, ad quam paucis poſtea annis evecti ſunt. Lindanus Stephanum e Veteribus Græcis ultimum vocat; tamen ſi hæc de ætate ejus vera ſint, multos alios poſt id tempus Græce ſcripſiſſe conſtabit.

NONUS. Horum Nonus ordine proximus videtur; is Enchiridion quoddam Medicum compoſuit, quod brevem plurimorvm affectuum enarrationem, & eorundem curationes complectitur. Illud Conſtantino Porphyrogenito inſcribit, qui juxta Lambecium Leonis filius, & ſeptimus fuit ejus nominis Imperator, atque A. D. DCCCC obiit; idem litteris ipſe paulum imbutus, earum Patronus inſignis audiit. Sed Conſtantinum hunc, Porphyrogenitum pariter nominatum, Jeremias Martius, qui opus hoc Græce & Latine edidit, filium fuiſſe arbitratur Conſtantini Ducæ, qui A. D. MLXVII obiit: idque ob hanc cauſam, quod Ducas Pater Litterarum admirator cultorque extitit, & frequenter has voces in ore habere ſolitus eſt, "Malle ſe Doctrina "quam Imperio nobilitari." Igitur aliqua eruditionis fama circa id tempus Pſelli floruerunt.

Utri Conſtantinorum inſcripſerit Librum ſuum Nonus, parvi refert: tamen ex Annæ Comnenæ Hiſtoria notari poteſt, per ſpatium illud temporis, quod duobus iſtis Imperatoribus interceſſit,

[a] S. 98. [b] Lib. 12, 8.

vel

vel admodum elanguiſſe vel plane intermortua fuiſſe Litterarum ſtudia [c]. NONUS.

Epitome hæc nihil fere continet, quod non ex Aetio, Alexandro, ac Paulo ſit exſcriptum. Exempli gratia, in [d] Capite de Caro, ea quæ de anteriori Cerebri parte dicit, ab Alexandro [e] Pauloque [f] deſumta ſunt. Quod de miſſione Sanguinis in Paroxyſmo [g] Calculi præcipit, a poſteriori [h] horum manifeſte hauſit; & ex [i] priori obſervationem ac diſtinctionem de Venæ Sectione & Purgatione factam in Pleuritide [l]: quanquam Morellus, qui ipſa verba ejus adducit, nullam de ea re mentionem habeat. Multa de Medicamentis ab eo commendatis apud Aetium iiſdem vocibus narrata inveniuntur: ut, Collyrium Eraſiſtrati, quæque ex Thure & Glaucio [m] componuntur; item Medicamenta Faciei admota in Elephantiaſi [n], &c, Antidotum Eſdræ [n], & alia. Ea verecundia eſt Nonus, ut nullum Auctorem nominet: quod certe hominem minime decuit qui nihil de proprio haberet. Quin & aliorum quoque Experientiam ſibi aſſumere non veretur; nam Melancholiam [o] exacte deſcribens, ſalutares quos in ea vidiſſet ipſe effectus fuſe tradit Lapidis Armeniaci, ideoque hunc Veratro albo præfert: item de Rabioſi [p] Canis Morſu haud inepte loquitur, illud inſuper animadvertens, cum Vulneri ſuperveniſſet Hydrophobia, nunquam ſe in omni Artis uſu noviſſe quenquam ad ſanitatem perductum. Verum de priori re omnia ad verbum ab [q] Alexandro, de poſteriori a [r] Paulo deſumta ſunt. Hunc pro Inventore habet Barchuyſen, multuſque eſt in explanandis ejus opinionibus de cauſis morborum, cum ne unam quidem ille, quam non aliunde mutuatus ſit, opinionem habuerit.

Quidam Manuſcripti Codices Bibliothecæ Cæſareæ Opus hoc in Capita dividunt, alii in Libros; omnibus vero nomen Theophanis inſcribitur, ſine ulla Noni mentione, atque in Titulo id præcipue ex Oribaſio collectum dicitur, licet ex iis quæ ſupra dicta ſunt Collectorem hunc, quicunque is ſit, plus aliis Auctoribus debere appareat.

Haud diu poſt Nonum vixit Michael Pſellus, & Librum eum quem de Qualitatibus ac Virtutibus Alimentorum contexuit, Conſtantino Imperatori inſcripſit. Conſtantinum hunc [s] Lambecius illum fuiſſe credit, qui dictus eſt Monomachus, quique ab A. D. MXLIII uſque ad MLV regnavit; at ſi, juxta eundem, Pſellus A. D. MLXXVIII obiit, haud minus veriſimile eſt Conſtantinum fuiſſe Ducam, & eo magis quod ex Zonara [t] conſtat Pſellum apud Michaelem Ducam, Imperatoris iſtius Filium, Præceptoris locum habuiſſe. Idem Zonaras Scriptorem hunc inſtituendo Principi valde inidoneum fuiſſe ait, utpote nullo Litterarum genere imbutum: quem tamen Anna Comnena, quæ paulo poſt hunc extitit, ut hominem magnæ indolis & in omni Philoſophia cum primis doctum, ac Litteris tam MICHAEL PSELLUS.

c Lib. 5. d 28. e 1, 4. f 3, 9. g 174. h 3, 45. i 6, 1.
l 129. m 49, 4, 5. n 205, 206. n 13. o 33. p 270. q 1, 17.
r 5, 3. s Biblioth. Cæſar. 6, 208. t Lib. 18.

Græcis

Michael Psellus. Græcis quam Chaldaicis penitus inſtructum deprædicat. Ejuſmodi laudes illi tribuit Leo Allatius, qui ex Diſſertatione de Pſellis etiam amore hujus nominis captus videtur, & hunc non modo πολυγραφώτατον vocat, ſed etiam inter Auctores primos ponit. Tamen in hoc Tractatu nihil invenio quod cuivis Scriptori magnæ laudi eſſe poſſit: neque enim aliud eſt quam Collectio facta ex Antiquioribus Medicis Græcis, qui & ipſi hanc Scientiæ partem de Galeno præcipue hauſerunt, uti fecerat etiam e Dioſcoride Galenus. Pſellus a Nicephoro Botoniate vexatus atque omnibus bonis ſpoliatus eſt, & vitam Monaſticam amplexus paulo poſt in ætate provectiſſima obiit. Alii complures ab hoc Auctore ſcripti ſunt Libri, de quibus fuſe egit Leo Allatius.

Simeon. Quanquam hujuſmodi Collector fuerit Pſellus, Simeon Antiochenſis de eodem argumento ſcripſit, ſtylo quidem corruptiſſimo, & materiam ex eo potiſſimum hauſit; idque eo magis mirum videri poteſt, quod Liber quem exſcribendum ſumſit, in omnium memoria jam tum recens verſaretur. Simeon enim, licet Pſello junior, tamen coætaneus ei certe fuit, quippe qui Librum ſuum dicaverit Michaeli Ducæ, Parapinaceo dicto, qui imperio ſe abdicavit A. D. MLXXVIII, eo ipſo anno quo Pſellus, uti docemur, mortuus eſt. Sunt & alia multa hujus Simeonis Opera; ac præſertim ei debetur Libri cujuſdam admodum ridiculi Traductio ex Arabico in Græcum ſermonem, De Sapientia Indorum, quem Perzoes, profeſſione Medicus, rogatu Choſrois Perſarum Regis contexuit.

Demetrius Pepagomenus. Extat etiam Libellus de Podagra, a Demetrio Pepagomeno ſcriptus, & Michaeli Palæologo dicatus, circa A. D. MCCLX, ſi Imperator ejus nominis primus, at circa MCCCX, ſi ſecundus intelligatur. Opus hoc, licet nihil fere notatu dignum contineat, & ex aliis Auctoribus ac præcipue ab Alexandro hauſtus ſit, tamen haud ita infra mediocritatem eſt, ut a Traductore M. Muſuro ejus Auctor, cujus ille nomen ignoravit, quaſi ſenſus ſuos exprimere nequiret, infans & elinguis dici mereatur. Fabricius ſuſpicari videtur Librum De Curatione Calculi, Galeno perperam tributum, a Demetrio fuiſſe ſcriptum; id quomodo ei in mentem venerit, divinare nequeo, niſi duorum horum affectuum cognatio occaſionem ei conjectandi præbuerit, ambos fuiſſe ab eodem Auctore pertractatos.

Actuarius. Actuarius, Zachariæ Filius, ita ſine dubio vocatus quod Archiatri munus ſub hoc Imperatore geſſit, melioris notæ, quam omnes modo memorati, Auctor eſt. Scripſit is Tractatus complures, in quibus multæ res occurrunt lectu digniſſimæ. Conſtantinopoli Medicinam, idque, uti videtur, non ſine fama aliqua, exercuit; ſiquidem Libri ejus ſex De Methodo Medendi compoſiti ſunt in uſum unius e præcipuis Aulæ Miniſtris, Magni ſcilicet Camerarii, qui Legationem ad Regiones Septentrionales ſuſceperat. Fabricius, per errorem,

errorem, Actuarium ipſum facit Legatum. In his Libris, licet Galenum præcipue ſequatur, & haud raro Aetium Paulumque, (at neutro eorum nominato,) tamen omnia quoque profert, quæ ad argumentum ſuum pertinere arbitratur, ex Auctoribus tam Antiquis quam Recentibus, Græcis perinde ac Barbaris; utque ei debitam laudem tribuam, multa ibidem haud alibi reperienda occurrunt. ACTUARIUS.

Opus hoc Libellum vocat, ſive Compendium extempore ſcriptum in privatos ſolum Legati, ut ipſe paſſim narrat, uſus: qui cum ipſe aliquantum in Scientia Medica verſatus eſſet, id in occaſione quavis facile conſuleret. Igitur in eo nihil eſt ad Chirurgiam ſpectans, vel ad Morbos Mulierum; licet Auctor interdum, quaſi propoſiti immemor, puerorum morbis, ac præſertim Aphthis, mederi doceat. In prioribus duobus Libris, agit de Morborum ſignis & Cauſis; in ſequentibus duobus, de Curatione eorum & generatim & per ſe; in duobus ultimis, Remedia deſcribit omnia tam externa quam interna: quorum aliqua a Græcis hauſta, alia a ſe inventa, alia auditu cognita prodit, vix unquam vero nomen Auctoris adjicit, ne nimiam illud Medicamento exiſtimationem pariat.

In tertio quartoque Libro, ſicut etiam alibi, ſuam ipſius Experientiam haud paucis commemorat. De Canis Rabioſi morſu agens, ex eo Hydrophobiam poſt anni intervallum ortam ſe noviſſe tradit; quidam, inquit, hunc poſt ſeptem annos interdum apparere aiunt, in quo Paulum reſpicere videtur, cujus iſta ſunt verba, licet eum haud nominet. Novas quaſdam nec inutiles Obſervationes habet de Colico [z] Dolore, & Inflammatione [a] Jecoris. Diſtinctio ab eo facta de Cauſis Palpitationis videtur haud aliunde ſumta, neque hanc alibi uſpiam invenio; Oribaſius, Aetius, atque Paulus ea quæ de hac re habent (ſunt autem pauca admodum) e Galeno tantum hauriunt. Actuarius Palpitationem plerumque a nimio calore vel abundantia Sanguinis oriri docet: non autem iis ſemper modis fieri, ſed aliquando a Vaporibus ſurſum elatis produci. Differentia autem hac ratione percipi poteſt; ſi ex priori cauſa ortum ducit, Pulſus inæqualis eſt: ſi ex poſteriori, non item. Neque ullus profecto e Recentioribus eo Auctor eſt, qui cauſas vehementis hujus in Corde motus verbis rationi magis congruis expoſuerit. Si Scriptores conſulamus Arabas, qui vel ante ejus tempora vel in eadem ætate floruerint, morbum hunc ab iis Frigidæ plerumque Cauſæ tributum reperiemus; eundem Tartari ſui diſſolutioni aſcribit Paracelſus: Nativi Gas Aciditati Helmontius: corroſivis præcipue e Pancreate Vaporibus Sylvius de le Boe. Omnes hominum ineptorum Hypotheſes, quæ ad mali hujus originem pertinent, nimis longum eſſet recenſere; igitur unam tantum cæterarum inſtar e Germano quodam Auctore, Dolæo, proferam, qui Medicinæ omnis, uti hanc dicit, Encyclopædiam compoſuit, ut veram cujuſque morbi naturam nobis explicaret. "Palpitatio, inquit, "affectus eſt, in quo Cardimelech, Rex noſter, valde inquietatur,

[z] 4, 6. [a] 4, 7.

ACTUARIUS. " & bello inteſtino infeſtatur, & tamen omnem lapidem movet ad " hoſtem illum abigendum, motuſque domeſticos ſedandos: ei vero " quaſi ſuppetiæ a Microcoſmetore Socio Cardimelechi mittuntur, " Spiritus nempe Animales ad Cor impetuoſius ruentes." Sed ut, omiſſis his vanitatibus, de rationali Palpitationis Pathologia diſſeram, id quod de inæquali Pulſu in Plenitudine tradit Actuarius, frequenti Experientia veriſſimum eſſe comperimus. Hæc etiam Pulſus inæqualitas aliquam in Corde obſtructionem indicat: atque haud raro non Palpitationem tantum, ſed Syncopen quoque ac mortem ſubitam, prænuntiat; uti prædixit in Antipatro Medico Galenus, qui paulo poſt hoc modo obiit. Pulſus quidem in violentis hiſce motibus, non modo temporum intervallo atque ictuum vi inæqualis eſt, ſed frequenter etiam intermittit. Nam in hoc caſu reſiſtentia fit a Sanguine vel in Aorta vel in Arteria Pulmonari: ad quam exſuperandam Cor haud illico valens, contractionem ſuam quaſi ſuſpendit, donec ſufficiens ei ad Sanguinis per vaſa more ſolito protruſionem Spirituum ſuppeditetur copia. Igitur obſervari poteſt, in Palpitationis vehementi Paroxyſmo majora eſſe Pulſationum intervalla: & quo longiora hæc ſunt, eo violentiores eſſe iſtas. Ita res ſe habet in magna Sanguinis abundantia: atque ob hanc ipſam cauſam eos, quibus ſuppreſſa fuerint vel Hæmorrhoidum vel Menſium profluvia, Palpitationibus maxime opportunos notat Galenus. Malum hoc non modo ex Plenitudine oriri poteſt, ſed etiam ab ingenti vel Rarefactione vel Cohæſione ac Tenacitate in Sanguinis particulis: vel a magna Flatuum copia, quæ vel Thoracem vel Abdomen premant diſtendantque. Ob aliquam ex his cauſis Cordis Palpitationem Viris Hypochondriacis atque Fæminis Hyſtericis Symptoma uſitatum eſſe novimus, quod etiam notavit Actuarius; Hollerius autem caſum huc ſpectantem tradit, in quo Pericardium Flatu ſolo ad immenſam molem intumuiſſet, neque alia affectus hujus appareret cauſa.

De Palpitationis medela plura cæteri Græci tradit Actuarius; præter Alterantia, quæ affectus cauſis & ægri temperamento aptanda ſunt, Venæ Sectione maxime & Purgatione nititur; quorum poſterius remedium ab hoc primum Auctore memoratum credo. Ac profecto, quando is morbus peculiari alicui Spirituum ac Sanguinis conditioni ortum debet, uti non alius poteſt eſſe curandi ſcopus, quam vel ut in Nervos minuatur Spirituum fluxus, vel ut tollatur ea quæ in Vaſis Cordis a Sanguine reſiſtentia eſt, lenes utrique huic conſilio Evacuationes optime reſpondebunt, ac præſertim Venæ Sectio & Purgatio, quoniam exinaniunt ſimul & revellunt. Neque ullam eſſe Palpitationem credo, quæ quidem originaria atque Idiopathica dici debeat, quæque ex pravo Sanguinis ſtatu oriatur, ubi ambo hæc remedia non conveniant, quicquid contra doceat Sennertus: & frequenter ſubiit me mirari neutrum horum a Williſio noſtrate in curatione hujus morbi eſſe præceptum. Piſo, Practicus haud infelix, utrumque [d] commendat, ſicut ab aliis quoque multis

[d] Sect. 3, 2.

factum

factum est: verum ii ita exceptionibus atque cautelis abundant, ut difficulter intelligi possit, quando alterutrum ex istis auxiliis vel adhiberi vel vitari debeat. Galenus certe detractionem Sanguinis universe fieri jubet: atque insignem is de homine Historiam [e] narrat, qui verno tempore quotannis vehementi Palpitatione tentatus, per tres etiam deinceps annos Sanguinis missione in Paroxysmo ab affectu liber evaserit; quod cum observasset æger, quarto anno Venæsectione maturius facta accessionem prævertit, quod idem Experimentum ei per multos postea annos pari cum successu respondit. In Plenitudine, omnes de Missione Sanguinis conveniunt; [f] Salius autem recte videtur sentire, qui hanc fieri jubet, sive hæc adsit, sive non. Nam sive Palpitationem hanc a nimio Spirituum impetu oriri judicamus, sive a nimia Rarefactione aut Cohæsione Sanguinis, quæ majorem efficiat in exitu Cordis resistentiam: levamentum certe in singulis casibus a Sanguinis quantitate imminuta expectari potest. Unde in Palpitationibus Symptomaticis, uti sunt eæ quæ Mensium aut Hæmorrhoidum fluxus suppressioni superveniunt, quamprimum Natura ad consuetudinem redierit, Cordis hic affectus evanescit. Immo ex Hæmorrhoidibus subita sanguinis eruptio, in quibus ista fieri non consueverit, malum hoc fere semper tollit. Prudenter sine dubio a Sennerto posita cautio est, ne, cum Aquæ in Pericardio redundantia Palpitationem fecerit, adhibeatur aut Purgatio aut Venæ Sectio: quorum usus pro certo parum efficax comperietur, ideo quod morbi causa ab horum auxiliorum operatione attingi nequeat. Quomodo vero Aqua hæc a calido Electuario, aut Pane fervido, aut Sacco Aromatico, quæ Remedia ab eo sunt proposita, discuti aut absumi possit, haud minus intellectu difficile est, quam ejusdem Aquæ derivatio ope Vesicantium Sterno applicatorum, quæ a nonnullis præcipiuntur, quorumque effectus ab illo incomprehensibilis judicatur. Mali genus ab eo descriptum mihi videtur insanabile; ideoque inutiliter quæritur, utrum in hoc Venæsectio adhiberi debeat necne. Illud unicum addam, Originariæ Palpitationis curationem esse a plerisque Medicis Scriptoribus omissam: siquidem hi regulas omnes Practicas adversus illud genus, quod per Sympathiam oritur [g], præcipue ordinaverunt: quanquam sine dubio Palpitationes existant, quæ a nullo alio morbo antea subsistente pendeant, neque vitium ullum habeant sive Cordis sive Pericardii adjunctum, tamen Artis auxilio depelli possint, sicut hic ab Actuario docemur.

ACTUARIUS.

Primus inter Græcos Actuarius memoravit descripsitque mitiora Purgantium genera, uti Cassiam, Mannam, Sennam, Myrobalanos; horum posteriora duo Medicamenta e peregrinis regionibus, Syria scilicet & Ægypto, in patriam suam advecta esse tradit. De Sennæ, quasi Fructu, loquitur, idem certe volens quod Serapion Vaginam, Mesues autem Folliculum semen includentem nominat; neque enim horum alteruter neque Actuarius de Foliis ejusdem quicquam habet. Ac licet hæc nunc præcipuo sint in usu, tamen interdum siliquæ

e Loc. Affect. 5, 2. f Curat. Particularium Affect. g Vid. River.

etiam

Actuarius. etiam adhibentur: quæ quidem ſola Sennæ pars iis temporibus, quantum ex iſtis hominibus diſci poteſt, pro Medicamento veriſimiliter uſurpata eſt. Hanc tam in Pituita, quam in Bile expurganda, valde efficacem eſſe prodit: de priori iſta ejus virtute Arabes tacent. Ea quæ dicit ille de apportatione ejus tam e Syria quam ex Ægypto ſatis cum his congruunt, quæ de eadem Planta nunc dierum a fidiſſimis Auctoribus narrantur: nam ea quæ ex Oriente mittitur, etiamnum optima habetur. Quæ de ſingulis horum Purgantium generibus dicit, ex Arabibus, qui ab eo vocantur Barbari, haurire ſe fatetur; atque hi ſine dubio iſta primum in uſus Medicos traxerunt. Similiter atque hi, is tres Myrobalanorum ſpecies deſcribit; Emblicaſque & Belliricas Arabico nomine appellat; quas quidem ambas, licet qualitate magnam cum Myrobalanis cognationem habeant, tamen ab his ille, uti Arabes quoque omnes faciunt, diſtinguit. Primus has cum Myrobalanis confudiſſe videtur Myrepſus, quarum ideo quinque genera enumerat, eumque in hac re plerique e Recentioribus ſecuti ſunt. Ea quæ apud [b] Actuarium habentur de Compoſitione quæ fit ex omnibus iſtis ſpeciebus, & Tryphala, ſive Tryphera parva, dicta eſt, (vox enim Triphylos, uti hanc legi vult [c] Geſnerus, nimis longe petita eſt) cum iis ad amuſſim quadrant quæ in [d] Serapione ac [e] Meſue, Barbaris Sapientibus ab eo vocatis, inveniuntur, idque Medicamentum ad eoſdem affectus ab iſtis præſcribitur. Caput integrum Syrupis ac Julapiis impendit Actuarius; quas ambas Compoſitiones Saccharum plerumque ingreditur, haſque ille ſine dubio ab Arabibus deſumſit. Inde factum eſt, ut quidam hunc eorum linguæ peritum fuiſſe exiſtimaverint. Utut autem Medicamentorum ab iis repertorum notitiam habuerit, tamen, id quod animadverſione digniſſimum eſt, de nullo quovis affectu quicquam tradit, qui non a cæteris itidem Græcis Scriptoribus memoretur; neque verbum apud hunc de iis Morbis, quos Arabes primum deſcripſerunt, ne Variolarum quidem mentionem, reperias. Cum Sarracenis primum morbus hic apparuit, & quaſcunque illi regiones armis occupaverunt, ibidem pari furore ſtatim graſſatus eſt: ſeſeque per Africam, Europam, maximamque Aſiæ partem, præcipue illic ubi hæc ad Orientem ſpectat, latiſſime diffudit. Unde jure miremur, nuſquam hunc in Imperio Græco per multa retro ſæcula fuiſſe viſum; quod quidem ita eſſe fatebimur, ſi illorum temporum atque ejus Gentis vel Medicos, vel etiam Hiſtoricos, conſulamus: qui de vitio hoc nihil prorſus ſignificant, licet iidem alioqui neque Terræ motus neque Peſtis cujuſquam mentionem in Hiſtoriis ſuis omiſerint.

Eſt etiam altera res a Græco nullo ante Actuarium ſcriptore memorata, Diſtillati ſcilicet Liquores, uti Rhodoſtagma, & Intyboſtagma [g]; quæ a Traductore appellantur Stillatitius Liquor Roſarum, & Aqua quam Intybus ſtillavit: quæque ab Auctore ipſo adhibentur in conficiendis Julapiis. Liquores hos Chymico quovis proceſſu

b Meth. Med. 5, 8. c Epiſt. 1, 22. d Simpl. 95. e 5, 9. g Method. Medend. 5, 4.

minime

minime præparatos contendit [f] Geſnerus, nihilque aliud eſſe quam Syrupos ex iſtis Plantis, ac Rhodoſtacti a Paulo deſcripti plane ſimiles. Clericus vero, opinionem Langii ſecutus, contra ſentit: clariſſimeque demonſtravit, Stillatitium Roſarum Liquorem ab Actuario memoratum, admodum eſſe diverſum a Pauli Rhodoſtacto, quod e Succo Roſarum & Melle ſimul coctis unice conficitur. Is in hac re neutiquam falli videtur; quod ut ulterius probem, quædam libet afferre e Nicolao Myrepſo, qui Græcorum ultimus eſt, & ipſa Actuarii verba ſæpe mutuatur. Is [m] Rhodoſtacton Pauli deſcribit, hoc ſolo cum diſcrimine, ut in eo Saccharum vel Mel indifferenter uſurpari poſſe dicat. Poſtea Hydroroſatum deſcribit eadem ratione qua ab Actio Pauloque traditur: quod quidem Medicamentum priori ſimile eſt, niſi quod hic Roſis Aqua adjiciatur. Deinceps hujus ipſius Julapii ab Actuario traditi compoſitionem narrat; unde hoc ſaltem liquet, quod præparationem ejus ab alteris duobus diſtinctam eſſe crediderit. Porro quicunque Compoſitionem ipſam conſideraverit, perſpicue videbit eandem abſurdiſſime præceptam eſſe, niſi Aqua Roſarum diſtillata ſignificetur; alioqui enim duplex erit omnino labor, & Medicamentum nulli bono ex iiſdem rebus bis conficietur. ACTUARIUS.

Clericus Actuarium in Arabum Schola fuiſſe inſtitutum, & aliquid ex iis hauſiſſe Artis Chymicæ exiſtimat; hæc autem mera videtur conjectura, nulla auctoritate innixa. Quanquam enim, uti ſupra notavi, Medicamenta nonulla, ab iis in uſum adducta, ſine dubio cognoverit Actuarius (quod fortuito alicui tunc temporis inter Græcos atque Arabas commercio deberi potuit) tamen haudquaquam conſtat fuiſſe eundem in eorum Scriptis Medicis verſatum. Facile enim fieri poteſt, ut Medicamentum quis ex India ſive Orientali ſive Occidentali vectum, ejuſque uſum probe noſcat, neque ideo tamen quicquam amplius de Medicinæ Theoria ac Praxi in iſtis regionibus vigente intelligat.

Quod ad Diſtillationem ipſam, ſive introductionem Chymiæ in Artem Medicam pertinet, hujus rei Epocham Avicennæ tempore ponit Clericus; ipſumque Avicennam primum hanc Scientiam in uſus Medicos derivaſſe exiſtimat. Mihi non propoſitum eſt diſputationem hic ordiri de Origine Chymiæ Medicinalis; id duntaxat animadvertam, ſi ea res Arabibus debetur, quod utique haud improbabile eſt, honorem inventionis Rhazi potius aſcribi oportere; nam ut de Mercurio Extincto & Sublimato nihil dicam, quem [l] is itidem memorat, Oleum Ovorum, quod unicum e Chymia depromtum apud Avicennam Medicamentum invenio, ab eodem Auctore deſcribitur. Primus etiam Rhazes Oleum Benedictum, ſive Philoſophorum, tradidit: fuſeque explicat, quemadmodum in Retorta Vitrea fieri debeat, quæ ad vim ignis ſuſtinendam valens ſit ac probe lutata (luto Sapientiæ inquit Interpres) ignemque ſenſim augendum

[f] Præf. Euonym. [i] Lib. 7. [l] Epiſt. Lib. 1, 53. [m] Sect. 39. [l] Ad Almanz. 8, 42.

ACTUARIUS. eſſe præcipit, donec Rubrum ope Diſtillationis eliciatur Oleum. Primus hic credo Scriptor eſt qui ullam Chymicorum Medicamentorum mentionem fecerit; quicquid enim in Veteribus Græcis, uti vocantur, Chymicis invenitur, id ad Metallorum Fuſionem vel Tranſmutationem unice pertinet. Clericus Avicennam in uſus Medicos Chymiam ideo primum adhibuiſſe ſtatuit, quod in illo, uti narrat, prima occurrit Chymici remedii mentio: licet id unicum ſit, Aqua ſcilicet Roſarum Diſtillata: duoſque huc ſpectantes ex eo [t] locos adducit. At ſi diligentius velit Avicennam retractare, nihil omnino illic de Diſtillatione dictum reperiet, cum Roſæ in Aqua coqui diſertiſſime jubeantur, quemadmodum a Græcis fieri ſolebat in compoſitione Rhodoſtacti & Hydroroſati. Ac veriſſimum eſſe credo, quod de antiquis Arabibus ait Geſnerus: ubicunque Aqua Herbæ cujuſvis in eorum ſcriptis nominetur, ibi nihil aliud niſi Decoctum ejus ſignificari. Reſque certiſſima eſt, Johannem Damaſcenum, Meſuen dictum, (qui juxta finem Sæculi duodecimi, ſub Frederico Barbaroſſa floruit) primum eſſe, qui proceſſum Aquæ Roſarum Chymico more conficiendæ deſcripſerit.

Ac nihilominus credibile eſt, Aquam Roſarum Diſtillatam in uſu fuiſſe apud Græcos ante hæc tempora. Locus eſt in ea Hiſtoria, quam ſcripſit Anna Comnena, ad hanc rem appoſitus. Cum Imperator animo deliquiſſet, paulum hujuſce liquoris ori ejus infuſum eſt, unde ad ſe rediit; ipſa verba [p] ſunt, "τὸ τῶν ῥόδων καλάγμα." Vox hæc opinor, ſalva ſermonis proprietate, nullo modo ad notandum vel Syrupum, vel Decoctum, vel Succum Roſarum expreſſum, adhiberi poteſt; & cum per hanc Liquor Herbæ cujuſvis ſignificetur, fit in eo tantum caſu, ubi poſt inciſionem is Liquor ex illa guttatim defluit, quemadmodum e Vegetabilibus, unde diſtillat Gummi vel Balſamum. Huc accedit, quod haud facile ſibi quiſpiam perſuaſerit, Succum Roſarum ſimplicem fuiſſe in re adeo deſperata pro Cardiaco datum. Imperator hic, nomine Alexius, A. D. MCXVIII obiit; quare ſi Aquam Roſarum Diſtillatam hic ſignificari ponamus, liquet hanc Græcis innotuiſſe paulo poſt tempora Avicennæ.

Obiter notari poteſt, Principem illam, quæ Hiſtoriam hanc conſcripſit, uti multis Scientiis Artibuſque eruditam fuiſſe accepimus, ita quoque videri Medicinæ cognitionem aliquam habuiſſe. Nam in explorando Patris pulſu eam valde occupatam, ex eoque de viribus ejus judicantem videmus; Morbum ipſum minutiſſime deſcribit, ac veritatem Prognoſtici a Nicolao Callicle, inſigni tunc temporis Medico, facti agnoſcit. Is enim, cum materia Podagrica ſeſe Imperatoris humero infixiſſet, cæterique Purgationi adverſarentur, prædixit, ſiquidem illa extremitates corporis reliquiſſet, niſi hac via expelleretur, cito nobiliores partes occupaturam. Quod ita accidit; nam brevi ſupervenit Aſthma, neque ita multo poſt ipſa mors.

[t] De Viribus Cordis & Pleurit. [p] Lib. 15, ſub fine.

Præter

Præter hæc, in eadem Hiſtoria longam atque elaboratam habemus Noſocomii ſplendidiſſimi deſcriptionem, in uſum Ægrorum ab Alexio ſtructi. Utque hoc Ædificium videtur inter prima fuiſſe quæ apud Græcos Reditibus dotata ſit, ideo locum ſibi in Medicinæ Hiſtoria poteſt jure quodam vendicare. Neque brevem ejus enarrationem tradens longe me a propoſito aberraturum puto. Novam Alexius Civitatem, prope Euxini Maris oſtium, forma quadrata condidit; ubi humanæ infirmitatis miſericordia commotus Noſocomia quoque fundavit in alimentum ac ſubſidium eorum, qui vel mutili eſſent vel morbis laborarent. Cæcos Claudoſque illic videres, ſicut olim in Solomonis Porticu, quæ cujuſque generis ægrotantibus abundabat. Ædificium ipſum duplex erat, duo Tabulata altum. Ita late patebat, ut vix toto unius diei ſpatio bene perluſtrari poſſet. Licet hujus Civitatis incolæ atque Noſocomii habitatores neque Terras neque Poſſeſſiones haberent, ac Jobi paupertatem æquarent, ex munificentia tamen hujus Principis nihil unquam illis defuit, quod ad eos ſuſtinendos ſublevandoſque requiſitum videretur. Et id quod magis mirandum eſt, nihil ipſi poſſidentes, Diſpenſatores atque Oeconomos ſuos habebant: ita ut principes Viri in adminiſtrandis eorum negotiis ſecum invicem certarent. Hinc magnæ emptiones factæ, magna munera in operis adeo benefici extructionem collata; idque Hiſtoriæ Auctor ſuo tempore abſolutum vidit. Verum illud Alexius primum fundavit & conſtituit, Reditus ei tam ex Terra quam ex Mari aſſignavit, ejuſque curam uni e primis Regni Adminiſtris in perpetuum delegavit. Quanquam hic Milites faucii atque invaldi, ac Senes laboribus inidonei ſuſtentarentur, tamen appellabatur Orphanorum Noſocomium: quia major in eo plerumque talium numerus quam cæterorum aleretur. Erant Litteræ Patentes Aurea Bulla ſignatæ, quibus ſtatui ac ſtabiliri poſſet Agrorum poſſeſſio atque annuus ejuſdem proventus. Diſpenſatores autem rationes exactiſſime referre tenebantur, ut liquido perſpici poſſet pecuniam Pauperibus aſſignatam ab his haud in proprios uſus eſſe converſam. Procopius quidem ait, Juſtinianum plurima hujuſmodi Noſocomia inſtituiſſe; de iis vero nihil ſpeciatim narrat, quanquam alia ab illo Imperatore Ædificia conſtructa deſcripſerit. Ac dum Veterem vel Græciæ vel aliarum Regionum Hiſtoriam excutimus, mirari licet ita pauca dici de hujus generis Fundationibus.

ACTUARIUS.

Sed ut ad Actuarium redeam, & ea abſolvam quæ ſuperſunt dicenda de Libris ejus, ubi Methodus Medendi traditur: Auctor hic & in delectu & in deſcriptione Medicamentorum videtur admodum curioſus; atque hoc Opus, pro Medicinæ Syſtemate Practico haud contemnendo, jure haberi poteſt.

Duo Libri de Spiritibus more Phyſiologico conſcripti ſunt; omniſque ejus ratiocinatio in eo Tractatu Principiis inniti videtur a Galeno, Ariſtotele, aliiſque ſuper eodem argumento traditis. Quare, cum vix ullius adjumenti ſit vel in dignoſcendis vel in curandis Morbis, plura de eo dicere ſuperſedebo; ejus Epitome apud Barchuyſen

Actuarius. huyſen invenitur. Illud interim notabo, Stylum in iis Libris minime impurum eſſe, ſed Atticam venuſtatem plurimum redolere, quæ in poſterioribus Græcis rariſſime occurrit.

Idem Auctor Septem etiam Libros de Urinis compoſuit, ubi hanc rem plene diſtincteque explicuit, ac licet formam a Theophilo delineatam ſervet, tamen multa etiam de ſuo adjicit; ita ut vix quicquam novi Recentioribus dicendum reliquerit, quanquam ex his multi hunc Actuarii Commentarium, nulla ejus habita mentione, fere ad verbum exſcipſerint. In horum Librorum fine extat Capitulum uniuſcujuſque lectione digniſſimum; ubi Obſervationem de Prognoſtico in Morbis inſtituendo utiliſſimam ſubjicit, Nihil ad veritatem Prædictionis magis conferre, quam Pulſus atque Urinæ juncta conſideratio; ideoque in Libris de Methodo Medendi duas has Indicationes magno cum judicio ſimul tractat. Ex eo quod Medicamenta quædam Arabica cognoverit, nonnulli exiſtimarunt, hos Libros illum ex Avicenna tranſtuliſſe; at ſcriptionis ratio ita diverſa eſt, ut nullus huic conjecturæ locus eſſe videatur. Multoque magis veriſimile eſt, Exemplar Arabicum, quod Manuſcriptum extat, fuiſſe e Græco traductum.

Argumenta haud ſatis perſpicua ſuppetunt, quibus accurate hujus Scriptoris ætas determinari queat. Vulgo exiſtimatur, nulla tamen quod ſciam auctoritate, Sæculo eum undecimo vixiſſe, ab aliis duodecimo. Eundem Lambecius ad initium decimi quarti revocat: idque ob hanc cauſam, quod in Manuſcriptis Bibliothecæ Cæſareæ Codicibus Libri de Methodo Medendi Apocaucho inſcribuntur, qui, juxta illum, idem eſt ac ille qui ſub Andronico & Cantacuzeno A. D. MCCCXXX aut MCCCXL valde celebris extitit. Omnis argumenti vis hac circumſtantia nititur; & quia rationes ab eo ad hanc rem confirmandam adhibitæ inuſitati cujuſdam generis eſſe videntur, lubet earum pondus paucis examinare. Probare is vult Apocauchum eundem eſſe, quem Actuarius, eo non nominato, ait Legationis cauſa in Septentrionem profectum, ac ſuum fuiſſe Condiſcipulum [q] ſub Joſepho Rachendyte, cui inſcripti ſunt Libri de Spiritibus. Apocauchum Lambecius inquit fuiſſe Philoſophiæ & Medicinæ peritum; quod ut oſtendat, teſtimonium ex Johannis Cantacuzeni Hiſtoria adducit, in qua Apocauchus ironice, ut ille ait, appellatur, "ὁ διδάσκαλος ὁ οἰκυμένης καὶ μαθητὴς τοῦ πρᾳοῦ καὶ φιλανθρώπου [r], id eſt, Magiſter orbis, "& diſcipulus mitis illius ac benigni præceptoris, nempe Joſephi Rha-"chendytæ, cujus nomen ibi ſubaudiendum eſt." Ac dein ita pergit, "Huc etiam pertinet, quod Joh. Cantacuzenus refert Apocau-"chum metaphoricis loquendi modis a Medicina deſumptis uti con-"ſueviſſe, & J. Cantacuzenum ſuum appellaſſe Medicum [s], utpote "cujus opera, multis implicatus periculis & miſeris affectus modis, "ereptus atque curatus fuiſſet." Hæc ipſa ejus verba ſunt, quæ utut a Fabricio recitata atque ejus fide credita, tamen valde mira ei appareant neceſſe eſt, qui Hiſtoricum ipſum conſuluerit. Nam in

q Præf. in 1 & 2 Meth. Med. r lib. 3, 36. s 5, 10.

priori

priori ſententia, ita longe abeſt ut Apocauchum deſignet Cantacuzenus, ut de Patriarcha Johanne loquatur: quem hic ut arrogantem nec manuſuetum hominem perſtringit, qui Terrarum Orbem quaſi Præceptor inſtituere præ ſe ferret, ac Diſcipulus eſſe ejus qui lenis erga Homines & Humani generis amans fuiſſet; quibus verbis hunc non Rachendyten, ſed Servatorem noſtrum, deſcribere manifeſtum eſt: eademque loquendi forma, eodem ſenſu, alio in loco utitur. Similis propemodum error eſt in iis quæ ſequuntur, de Metaphoris a Medicina ductis, quorum uſu ita delectatum fuiſſe Apocauchum ſcribit; nam Hiſtoricus nihil prorſus de hac re loquitur: id tantummodo notat, ſe ab Apocaucho Medicum ejus dici ſolitum, haud vero iſtius vocis ſenſu, ſed quoniam illum Cantacuzenus multis laboribus periculiſque liberarat: verum inde minime concludi poteſt, ullam Apocauchum Medicinæ peritiam habuiſſe. Immo ita parum Apocauchi eruditio in hac Hiſtoria prædicatur, ut ibidem dicatur ab obſcuris initiis tenuique fortuna, ex inferiore in Ærario Scriba, naturali quadam verſutia, ac ſingulari in acquirenda pecunia calliditate (cujus valde eſſet appetens) primo in redimendis Vectigalibus munus quoddam exercuiſſe, ac dein Publicanis præfectum fuiſſe, Andronici Imperatoris temporibus: a quo cum ad Andronici ejus Nepotis partes transfugiſſet (neque enim pudore vel infamia unquam commovebatur) paulatim ita ſe provexit, ut Quæſtor, Aulæ & Imperio Præpoſitus, Archidux demum & Omnia evaſerit, uti id exprimit Cantacuzenus. Illud autem erat maxime mirabile, quod in eo poteſtatis faſtigio perſtiterit, quanquam ipſe [w] Princeps animo erga illum eſſet averſiſſimo, ac licet in arduis hiſce muniis opera ejus uteretur, pro mero ſemper * Nebulone habuiſſet. Tandem ubi intolerabili cum arrogantia diu ſe geſſiſſet, quæ nunquam non mentis eſt exiguæ & puſillanimæ natura, & publicarum omnium calamitatum Auctor jure putaretur, Apocauchus iſte meritam mortem ſubiit, a Captivis oppreſſus A. D. MCCCXLV.

ACTUARIUS.

Sed ut ad propoſitum revertar, tametſi hujus Apocauchi deſcriptio ei conveniret qui ab Actuario delineatur, fieri non poteſt ut is hic loci ab Actuario ſignificetur. Facile enim probatu eſt, non modo Actuarium, ſed & alterum quoque Auctorem qui hunc frequenter memorat atque exſcribit, ante hæc tempora vixiſſe. Nicolaum intelligo Myrepſum, e Scriptoribus Græcis poſtremum, modo impurus ejus ſermo pro Græco haberi debeat; hic ſane, ſub Antidotarii nomine, varia Medicamenta compoſita collegit, quæ in Græcis & Arabibus diſperſa reperiuntur. Res certiſſima eſt Myrepſum opus hoc contexuiſſe ante A. D. MCCC: etenim haud ſolum Petrus de Abano, Conciliator ille celebris, qui A. D. MCCCXVI obiit, ſed etiam Matthæus Sylvaticus, & Franciſcus Pedemontanus, Medicus uterque Roberti Siciliæ Regis, quique initio ejus Regni, quod A. D. MCCCX auſpicatus eſt, ſcripſerunt, nominatim multas ex eo formulas producunt. Igitur illum poſt hæc tempora non floruiſſe concludi po-

[w] 3, 14. * 2, 38.

Actuarius. teſt; ac licet parum conſtet quanto antiquior fuerit, tamen veriſimile eſt eum haud multo ante finem Sæculi decimi tertii extitiſſe. Nam ut taceam Antidotum Michaelis Angeli, qui fortaſſe Imperator fuit primus e Palæologis circa A. D. MCCL, quique uxorem duxit Alexandri Angeli Filiam, aliud etiam deſcribit quo uſus eſt Papa Nicolaus. Quem Papam ejus nominis tertium fuiſſe arbitror, qui A. D. MCCLXXX obiit, & Myrepſo coætaneum; erat enim, ut iſta tempora ferebant, homo haud ineruditus, & eximius Litterarum omnium fautor. Hæc ſaltem luculenter demonſtrant Actuarium Scriptorem eſſe antiquiorem quam a Lambecio putatur. Quædam antea dixi de Actuarii ſtylo, ex quo etiam argumentari licet illum haud adeo Recentem eſſe; nam ſi cum Pſello vel Simeone conferatur, multo purior ejus oratio apparebit; ac certe poſt A. D. MCC haud facile Scriptorem ullum inveniemus, qui non ſermonem ſuum vel Recentiori Græco Idiomate, vel Barbariſmis ex alia aliqua lingua ductis inquinaverit.

Quod ſi Codicis Manuſcripti auctoritas, in quo Liber Apocaucho inſcribitur, nobis objiciatur, facilis hujus rei eſt ſolutio; aut enim alter quidam Apocauchus eſſe debet, aut ipſe Titulus ſuppoſititius eſt; quæ res inter Librarios perquam familiaris eſt, ac jam tum fieri ſolebat cum inſtruebatur Bibliotheca illa celebris a Ptolemæo Philadelpho.

Alii quidam Græci Auctores, & alia memoratorum Opuſcula, exigui tamen momenti omnia, reperiri poſſunt apud Athenæum, Photium, Lambecium, Fabricium, &c. Verum hæc, cum parum ad illuſtrandam Medicinæ vel Hiſtoriam vel Artem conducant, præterco. Neque vero quicquam differere neceſſe eſt de Latinis Scriptoribus, qui poſt tempora Galeni vixerint; quia Clericus in prima Hiſtoriæ ſuæ Editione plenam & diſtinctam eorum omnium enarrationem tradidit: præterquam Marcelli Empirici, qui Scribonium Largum impudentiſſime compilavit atque exſcripſit, parumque in Opere ſuo ipſe præſtitit, niſi quod nugatorias aliquas Formulas, vel potius Fabulas, adjecerit.

Hoc modo brevem Tibi, Vir Amiciſſime, quatenus certiori aliqua auctoritate niti potuerim, Græcorum Medicorum poſt Galeni ætatem, contexui Hiſtoriam; & quædam in eorum Libris ad incrementum Medicinæ pertinentia indicavi. Opinio quidem invaluit ut vix quicquam ad hujuſce Artis provectionem a Veteribus fuerit præſtitum, niſi quod in voluminoſis magni illius Viri operibus comprehenderetur. Illud veriſimiliter huic ſententiæ originem præbuit, quod cum primo intuitu a Succeſſoribus ejus plurima ex eo deſcribi viderent, multi neque collatis neque excuſſis cæterorum Libris, hos nihil aliud niſi Exſcriptores fuiſſe arbitarentur. Neque horum Auctorum Editor quiſquam in tollendo hoc errore operam impendit; nam quicquid Commentarii loco reliquerunt, præcipue in Criticis Grammaticiſque obſervationibus inſumtum eſt; neque hunc ſibi finem

finem propoſuerunt, ut explicarent ea quæ ad Hiſtoriam vel Praxin Medicinæ, Scriptoris cujuſque tempore, pertinerent. Hujus rei aliud quodvis teſtimonium adducere ſupervacaneum eſt, præter Dolabellas Cornarii in Paulum. Ad ejuſdem erroris confirmationem facere potuit etiam omnium Sectarum extinctio, ſive potius [c]comprehenſio, quæ poſt Galenum, ut animadverti ſupra, facta eſt. Proculdubio enim novæ cujuſvis Doctrinæ promulgatio, quantumvis vanæ & abſurdæ, magis tunc temporis, uti ſemper eveniet, hominum ſermone celebrata eſt, quam Praxeos ipſius locupletatio, vel per Medicamenti vel per Operationis novæ inventionem; cumque Scriptores Medici per tria vel quatuor Sæcula poſt Galenum poſteriori huic ſtudio potiſſimum incubuerint, ob id ipſum fortaſſe ita parvo in honore habiti ſunt. Verum ut Hypotheſibus, quantum eæ merentur, tribuam, (nam his præcipue Sectæ iſtæ inclaruerunt, in iiſque excolendis omnem operam curamque inſumſerunt) mihi quidem videtur, recentis Medicamenti inventionem, aut novam medendi rationem, locum ſibi poſſe pariter inſignem in Medicinæ Annalibus vendicare.

Quædam Exempla attuli, & his plura afferri poſſunt, quibus oſtenſum eſt, a Medicis ſupra memoratis morbos nonnullos qui a ſuperioribus prætermiſſi fuiſſent, eſſe deſcriptos. Eſt, ubi novam veteres tractandi viam explicant; eſt, ubi nova Medicamenta, tam Simplicia quam Compoſita, proponunt; eſt ubi magna in Chirurgiæ Praxi augmenta adjiciunt. Et ſi vera hæc Artis noſtræ incrementa reputari debeant, confitendum eſt Medicinam progreſſus adhuc continuos feciſſe uſque ad A. D. DC.

Idem ei evidentius patebit, qui Morborum deſcriptioni attenderit per hæc temporis ſpatia traditæ. Clericus Catalogum nobis omnium Morborum & Affectuum ab Hippocrate nominatorum exhibuit; qui quidem multo numeroſiores ſunt iis qui a Celſo memorantur. Utinam idem quoque feciſſet in his qui apud Galenum occurrunt; nam ex eo animadvertere licuiſſet, Morborum Tabulam haud tantum auctam eſſe, quantum exiſtimare quiſpiam poſſet qui molem duntaxat ejus Operum reſpiceret. Verum ſi hoc conſilio Aetii ſcripta pervolvamus, & ea cum Galeni ſcriptis comparemus, reperietur Morborum numerus, prout ab Aetio traduntur, tertia prope parte auctus. Longum ac fortaſſe infructuoſum eſſet ad ſingula deſcendere; ideoque nullum aliud, niſi ab Oculorum Affectibus, exemplum petam. Vitia hujus Organi, ſicut ab Hippocrate & Celſo memorantur, numero ſunt circiter Triginta; Galenus aliorum complurium nomina prodit, quorum tamen parva differentia eſt, ideoque eorum deſcriptionem omittit; in Aetio, qui integrum in his tractandis Librum impendit, numerus duplo major ad minimum reperietur, & ab illo eorum Symptomata & curatio fuſe explicantur. Horum Celſus Tredecim tantummodo deſcribit: vix ullum Galenus, qui manum poſtulet; at in Aetio Triginta diverſi occur-

[c] Hinc fortaſſe Secta Epiſynthetica nomen habuit.

runt

runt Oculorum Morbi, ad quos Operationes Chirurgicas præcipit; atque in uno eorum, vehementi nempe humorum Defluxione, fuſe exponit tres diverſas e Chirurgia petitas medendi rationes. Porro notandum eſt, in hoc Libro qui ex longiſſimis eſt, pauciores nominatos eſſe ab Aetio Auctores, quam is alibi facere conſueverit; unde haud immerito conjici poteſt, de hoc illum argumento ſcripſiſſe, propria aliquatenus fretum experientia. Idque ita ab illo ſæpe fieri manifeſtum eſt; præcipui vero ſunt ab eo memorati Auctores, Severus & Demoſthenes, intelligens uterque Scriptor, uti ex his ipſis fragmentis liquet. Ac Demoſthenes quidem diſcipulus fuit Alexandri Herophilei, Philalethes, perinde ac ejus Magiſter, dictus: tres autem Libros de Oculis compoſuit, quos Galenus ſuo tempore valde celebratos fuiſſe teſtatur.

Quod ad Chirurgiam ſpeciatim attinet, illud utique haudquaquam imminuta Antiquiorum laude dixerim, quicunque diligenter Aetium Paulumque evolverit, facile perſpecturum multa hanc Medicinæ partem incrementa cepiſſe, quæ nec a Galeno nec ab alio quoquam tradantur. Idque ſummatim animadverti poteſt, Scriptores a me memoratos per hoc ſpatium temporis uſque ad initium Septimi Sæculi, & eos etiam quorum relliquiæ in horum Libris conſervantur, haud ejuſmodi Collectores fuiſſe qui (uti plerumque evenit) levem argumenti a ſe tractati cognitionem haberent, ſed unumquemque eorum fuiſſe ſingulari experientia uſuque inſtructum. Quod ſi poſteriores his Græci Scriptores haud ita excelſi fuerint ingenii, parvoſque in Arte quam profeſſi ſunt profectus oſtenderint, haud ſane res adeo mira eſt: cum per multas exinde ætates ignorantia univerſalis totum prorſus orbem occupaverit; minimeque ideo ſperari poſſet aliquis in Medicina progreſſus, cum aliæ omnes Scientiæ & omnia diſciplinarum prope extincta eſſent genera: ac fore ut hæc Ars ſola communium iſtius temporis calamitatum expers remaneret.

Vides, Vir Amiciſſime, haud nimis care a me æſtimari inferiorem hanc Scriptorum claſſem; neque tamen operæ me piget in eorum lectione inſumtæ. Quanquam enim vindemiolæ iſthinc collectæ haud magni ſint momenti, ſunt tamen ejuſmodi quæ haud prorſus contemni debeant. Hos certe, & eo magis Viros illos ætate & ſcientia ſuperiores, animo obverſans, magna ex Anteceſſorum noſtrorum Operibus adjumenta ſumi poſſe percipio: mihique perſuaſiſſimum eſt, Medicinæ ſtudioſos ad Artem hanc exercendam nulla alia via melius erudiri poſſe ac fingi, quam per accuratam Scriptorum, ac præcipue Veterum, Medicorum notitiam. Quod ſi hoc vehementius quam par eſt iis videar affirmare, qui nullam niſi in ſuo judicio ſuaque experientia fiduciam habent, illud ſaltem attendatur, rariores aliquando caſus incidere; quod ſi fiat, audacter pronuntio, haud ita mirabiles ei futuros, cui familiare cum illuſtribus

in

in Medicina Auctoribus commercium interceſſerit; immo fore, ut is affectus ejuſmodi promtius dignoſcat clariuſque percipiat alio quovis, qui quantolibet ingenio præditus hæc auxilia contempſerit.

Licuerit ſane cuique, ut æquum eſt, a propria Experientia Obſervationes ducere; hæ tamen & accuratiores futuræ ſunt & ſaniori cum judicio inſtituentur, ubi lecta quiſque a ſe cum viſis contulerit. Neque Artificis intellectui quicquam derogo, neque ingenium intra limites anguſtos coerceo, mentem ejus in diſquirendis penſitandiſque Antiquiorum ſententiis & cum emolumento & cum profectu occupari poſſe affirmans; præſertim cum nemo quiſquam prohibeatur quo minus libere de ſingulis rebus judicet, nec in ullius opiniones jurare cogatur; niſi quatenus has rationi congruere & in uſum duci poſſe compererit. Igitur nihil cauſæ eſt, cur ingenium ſuum quiſquam ne lectione turbetur, vel in errorem trahatur, metuat. Neque enim in omni Praxeos varietate & frequentia major & uberior ingenii judiciique excolendi aperitur campus, quam ſiquis in diverſorum Auctorum examinatione, vel etiam in variis ejuſdem Auctoris partibus lociſque perpendendis ſeſe exercuerit. Mihi quidem ii valde arrogantes videntur, qui, Experientia utcunque longa freti, nihil novum aut animadverſione dignum in præteritorum temporum Scriptoribus inveniri exiſtimant. Ac vehementer miror, quanam ratione Vir aliquis probus futili ea Scientia contentus eſſe poſſit, quæ nonniſi ex Recentibus quibuſdam Syſtematis colligitur: aut idoneum ſe vitæ mortiſque judicem arbitrari (nam ita plane res ſe habet) ex eo quod duas treſve Pharmacopœas conſuluerit, aut aliquot in Pharmacopolarum officinis Formulas excuſſerit, aut etiam (quod tamen paulo magis ad rem pertinet) menſes aliquos in Noſocomio traduxerit. Noſtræ ætati gentique peculiare vitium eſt, ut clariſſimi doctiſſimique Scriptores a quibuſdam ejuſdem Artis Profeſſoribus deſpiciantur; multumque tam in Medicina quam in Theologia obfuit extra limites ſuos evagata popularis illa libere, uti aiunt, cogitandi cupido. Verum eſſe fateor, a nemine cæcum debere ullius verbis aſſenſum præſtari, ea ſolum de cauſa quod magnæ ſit vel antiquitatis vel magni nominis; ſed illud etiam æque verum eſt, longam ac probe ſtabilitam Antiquorum famam ad hoc ſufficere, ut ante condemnationem ii audiri atque examinari debeant. Et ſi in hanc rem non præjudicata fiat inquiſitio, haud ſine fundamento Hippocratem & Galenum & eorum Succeſſores, Medicinæ ſemper Parentes atque Principes habitos, tantamque ab univerſis per non interruptam plurimarum ætatum ſeriem eorundem auctoritati fidem tributam eſſe, evidenter credo conſtabit. Per quod temporis ſpatium homines extitiſſe veriſimile eſt neque depreſſiori ingenio præditos, neque minori uſu inſtructos iis, quos ævum præſens, utcunque celebre, produxit. Nunquam hoc prudentiæ ſpecimen inſigne habitum eſt, cum quis ita ſe ſapientem putarit, ut doctrinæ nullius indigeat; tamen in hoc errore ii verſantur, qui Experientia ſua unice nixi, a nullo niſi a ſe ipſis doceri volunt.

Haud intelligo cur operam ſuam Medicus quivis male ſe collocare arbitretur in conferendis Morbis ac Symptomatis, Ratiociniis ac Remediis, prout hæc in Antiquorum ac Recentium ſcriptis explicantur; cum, hac comparatione facta, ubi eorum conſenſum vel diſſidium animadverterit, quibuſque in rebus hi vel illi aut ſcopum attigerint aut ab eo aberraverint, multo æquius Recentes poſſit Veteribus anteponere (ſiquidem anteponi debeant) quam idem judicium ferre, ſi illorum duntaxat cauſam cognoverit.

Vulgo dicitur creditur̃que, Materiam Medicam non modo ampliorem nunc ſed etiam intra anguſtiores terminos redactam eſſe, quam priſtinis fuerit temporibus. Quod utrum ad amuſſim ex omni parte verum ſit, ambigi poſſet; ſed non eſt huic nunc diſputationi locus. Atqui verum id ſit necne, nihil ad hanc de quo agimus Scientiam pertinet, niſi probetur numerum quoque ac vim morborum eſſe imminutam, quod quidem aliter ſe habere arbitror. Tamen ſi juxta brevem ſtudiorum rationem a quibuſdam Medicis uſurpatam inſtitui vellemus, repudiata Hippocratis, Viri plane divini, auctoritate, rejiceremus aut potius in contrariam partem traheremus primum ejus Aphoriſmum; qui ſi fuerit Medicinæ ſtatus, non video cur non omnes Empirici cujuſvis, Arcanum quodlibet venditantis, ductum ſequi debeamus. Nam quid ita magnopere intereſt, ſi ſcientiam ſpectes, utrum opiniones noſtras omnes ad unum aliquem Auctorem accommodemus: an ea quæ præſcribimus omnia intra unum aliquod Medicamentum conſiſtant? Experientia certe plurimum ad Scientiæ acquiſitionem confert; neque homo quiſquam intelligens ejus adjumenta non permagni æſtimat; tamen haud negari poteſt, vocem ipſam ſæpe prætendi, ubi effectus non ita clare patent. Fieri quidem facile poteſt, ut ævum omne aliquis in Praxi conſumat, neque ullam tamen ex uſu hoc ſcientiam conſequatur, niſi idoneis obſervationibus mentem ſuam inſtruxerit, quibus materiam uſus iſte ſuppeditat; atqui haud multum veriſimile eſt, ut is qui in eadem ſemper orbita inſiſtit, neque aliud unquam, niſi ſuas ipſius cogitationes, anguſtis quidem eas limitibus circumſcriptas, in animo habet, magna quicquam cum accuratione obſervet. Contra, qui Auctores perſcrutatur, tam ſua ipſius quam aliorum Experientia abundat, ex quarum conjunctione omnis alicujus momenti progreſſus in Scientia expectari debet. Quod niſi ita eſſet, vetuſtiſſimus quiſque Practicus optime ſemper mederetur: &, quoad ſcientiam, vix quicquam inter vetulam quamvis ægrorum Curatricem, & graviſſimum Medicinæ Profeſſorem intereſſet.

Sed ut argumentum hoc abſolvam, minime ſum in ea opinione, ut Scientiam Medico neceſſariam a lectione omnium Librorum quæ ad hanc Artem pertinent poſſe obtineri putem, niſi Obſervationes idoneæ ſanumque acceſſerit Judicium. Multa lectio, ut ab Auctore celeberrimo dicitur, multæ comeſtioni ſimilis eſt; utraque officit,

ubi

ubi digeſtio abeſt. Neque contendo, ſtudium in Veteribus evolvendis poſitum per ſe ad inchoandam Praxin ſufficere, ſed pro eo duntaxat pugno, ut Profeſſionis dignitas ſuſtentetur: quod quidem non niſi a Viris idonea eruditione inſtructis fieri poteſt; neque ejuſmodi eruditio ullo modo acquirenda eſt, niſi conferantur Auctores Antiqui cum Recentibus, atque adhibeantur ſinguli, prout optime vel ſtabiliendæ alicui veritati vel præſenti alicui uſui inſerviunt. Perque diverſas hujus applicandæ vias neceſſario fit, ut alius alii præſtet Medicus. Ex defectu certe requiſitæ hujuſce cognitionis, quæ ab optimis Auctoribus haurienda eſt, adeo multi infeliciter ſcriptitarunt: qui quantumvis ob diuturnam Praxin ſeſe jactitent, ubi de Morbis quippiam litteris mandare inſtituerint, plerumque ita miſere omnia explicant, ut in iis legendis operam perdamus; & Anteceſſorum in ſcribendo virtutes ita parum vel imitantur vel percipiunt, ut interdum ne ſciant quidem quo ſint eorum opera ſermone conſcripta.

Uberius demonſtrari poſſent fructus ex hac optimorum in Arte Medica Scriptorum cognitione capiendi; verum hujus Libri moles ita jam ultra propoſitum excrevit, ut longa in ipſa concluſione inexcuſabilis futura ſit digreſſio. Finem itaque hic labori imponam & meo & Tuo. Id mihi ſolum veniæ dabis ut teſtificer (quod & tum animo meo obverſabatur, cum hunc Tibi ſermonem primo inſcribere volui, nec minori cum affectu menti meæ etiamnum inſidet) quam vivo ſingularis Tuæ amicitiæ ſenſu permovear, quantamque erga me omnium Artis noſtræ Profeſſorum benevolentiam ſim expertus, quo tempore vitæ meæ periculum intentari creditum eſt. Hoc utique ſumma cum voluptate nunquam non meminero; idque ut, quam maxime ſolenniter atque publice fieri poteſt, profitear, obligari me exiſtimo.

HISTORIA MEDICINÆ

A

GALENI TEMPORE

USQUE AD

INITIUM SÆCULI DECIMI SEXTI.

PARS SECUNDA.

IN Prima hujus Operis Parte demonſtravi quinam eſſet Medicinæ apud Græcos ſtatus, ac præcipuos ejus Gentis Scriptores recenſui. Jam vero retroſpicere paulum, ejuſque ortum inter Arabas contemplari debeo; quæ Natio, licet barbara, tamen celebris admodum extitit: magniſque viribus inſtructa, & acta Spiritu quodam Enthuſiaſtico, arma ac diſciplinas ſuas per maximam Orbis partem diffudit, cæteriſque gentibus haud minus eruditionis gloria quam bellica laude præcelluit; quanquam nihil fere ad eorum Hiſtoriam ſpectans apud Scriptores Græcos vel Romanos inveniatur. Atque hic quidem confuſam valde & inamænam quandam Solitudinem intrare cogor; ubi, cum exitus nuſquam appareat, circum vagando fatigari neceſſe eſt: ubi eodem tramite iterum iterumque gradiendum eſt, nullo interim proſpectu, nulla regionum varietate ad delectandos oculos ſeſe offerente. Nihilominus hanc, ut potero, accuratiſſime deſcribam; etſi verear ne pictura hæc, utut optimo in lumine collocata, Loci tantum Deſerti adumbratio videatur.

Priuſquam vero ad particularem hujus Gentis Medicorum commemorationem deſcendam, haud abs re erit, credo, ſummatim explicare, quibus modis Græcæ primum apud illos diſciplinæ ingreſſum repererint.

Narravi ſupra, quemadmodum Urbs Alexandriæ fuerit a Sarracenis capta, & celebratiſſima illic Bibliotheca ab iis combuſta. Neque dubitari poteſt quin ii Veterum Græcorum ſcripta in hac primum Civitate invenerint, quippe quæ inter primas in eorum poteſtatem redacta ſit, & præclara jam per multas ætates omnis doctrinæ, ac præſertim Medicæ, Schola ſedeſque extitiſſet. Id quidem non modo ex iis liquet quæ Scriptores Græci a me memorati tradiderunt, ſed etiam ex inſigni illo Encomio, quod Ammianus Marcellinus, Valentis Imperatoris temporibus, huic Civitati præbuit: "pro omni experimento ſuffeciſſe dicens Medico ad commen-
" dandam Artis auctoritatem, ſi Alexandriæ ſe dixiſſet inſtitutum." Celebrem vero ejus Urbis Bibliothecam ab Arabibus incendio conſumtam tradunt Hiſtorici; quod ab eo populo ſemper factitatum legimus: nam cum Perſiam armis ſubjugaſſent, haud modo Libri, Naturalem Philoſophiam ac ſuperſtitioſum hujus Gentis cultum continentes, flammis vaſtati ſunt, ſed Litteræ quoque ipſæ Perſis peculiares, Mahometani Chaliphæ juſſu, ex hominum uſu ſublatæ. Similiter, quamprimum Africam ditionis ſuæ fecerunt, omnes ibi extinxerunt Veteris Doctrinæ relliquias: eodem plane modo quo Gothi, cum Italiam occupaſſent, Eruditionis pleraque illic Monumenta

menta excidere. Quanquam vero hic plerumque mos eſſet Barbaris uſitatus, tamen haud improbabile eſt, Veterum Græcorum ſcripta Medica ea ſolum de cauſa fuiſſe excidio erepta, quod de Medicina tractarent; nam ſanitatis cupido apud Arabas quam inter alias gentes haud minorem habet vim: cumque hi Libri maxima ejus rei præſidia edocerent, & alioqui nihil quicquam traderent Prophetæ eorum legibus adverſum, illud certe nonnihil ad eorundem conſervationem potuit conferre. Cui opinioni favere etiam videtur Abulpharagius, uti mox videbimus in iis quæ de Almamonis Hiſtoria reliquit. Idque firmiori adhuc erit auctoritate ſuffultum, ſi Manuſcripto in Bibliotheca Bodleiana, De Prophetica Medicina, Codici (de quo aliqua brevi edere ſtatuit Vir Eruditiſſimus, Gagnierus) fidem tribuere debeamus. In hoc Libro Mahometes ipſe multum in Scientia Medica verſatus fuiſſe dicitur, atque in ea præcipue hujus parte quæ, quoniam Experientia niteretur, ideo Empirica nominata eſt, ſemperque ab Indis & Arabibus exculta; quin & Propheta ibidem perhibetur Aphoriſmorum Librum compoſuiſſe præcipua ejus Artis præcepta continentium. Ac ſi hujuſmodi traditio invaluerit, quæ a Propheta ipſo Medicinam ita magno in honore habitam teſtaretur, Diſcipuli ac Succeſſores ejus ſine dubio illum in hac perinde ac in cæteris ejus Opinionibus ſecuti ſunt.

Huc accedit, quod a fatali illo Bibliothecæ Alexandrinæ incendio multi tamen Manuſcripti Codices (id quod ex Hiſtoria liquet) a Johanne Grammatico fuerint, aliiſque Viris Eruditis ibi tunc temporis agentibus, ſervati; ac proinde exſcripti & diſperſi in complurium manus pervenerint, ſicut etiam in direptione Conſtantinopolitana accidit; quo tempore Græci, licet id ſero nimis factum ſit, ſcientias ac ſermonem ſuum Occidentalibus Europæ plagis impertiti ſunt. Libri eorum ſtatim in linguam Latinam converſi ſunt, intra quod omnis fere Sæculi Decimi quinti eruditio conſiſtebat. Quantamcunque vero in ea Civitate expugnanda vaſtationem Turcæ fecerint, Busbequius centum annis poſtea ingentem pretioſorum Codicum numerum collegit, præſertim ad Rem Medicam pertinentium. Hos maxima ex parte Conſtantinopoli coemit, ſuaque, uti Lambecius narrat, ipſius manu notavit. Ii nunc præcipuo Cæſareæ Bibliothecæ, quæ Vindobonæ eſt, ornamento ſunt.

Cuicunque vero cauſæ id aſcribi debeat, Græca certe Eruditio, ac præſertim Medica, aliquatenus illic conſervata eſt; per Ægyptum omnem juxta Alexandri Æram Temporum ratio habebatur, donec, A. D. DCCXVIII, ſub Regno Alwalidi, Scribæ Chriſtiani juſſi ſunt Arabicis uti ſupputationibus & in Annorum dinumeratione & in Arithmetica; Scholæque Medicæ etiamnum per aliquod tempus ſteterunt, quanquam id inficietur Renaudautius; nam Abulpharagius de Theoduno & Theodoco loquitur, illuſtribus Medicis ac Profeſſoribus, qui circa finem Sæculi ſeptimi floruerunt, quoſque ex omnibus circumſtantiis Alexandrinos fuiſſe conjicimus. Theodoci quidem Diſcipuli uſque ad A. D. DCCLIV duraverunt, quo tempore Ab-

batis

batis familia Imperio potita est. Abi Osbaia, qui plurimorum Medicorum Vitas, in Opere adhuc non impresso, conscripsit, explicatior est; is de Elkenani loquens, hunc Christianum fuisse tradit, publicumque in ea Civitate Professorem constitutum, postea vero impulsu Chaliphæ Abd'il Aziz ad Mahometanam Religionem se contulisse; idemque narrat Scholas has publicas ad Antiochiam atque Harran esse translatas, & ab iis locis propagata in alias Imperii Sarracenici partes Medicinæ studia. Tamen ex istorum temporum Historia discimus, Scientiam illam postea quoque Alexandriæ viguisse; etenim, circa A. D. DCCC, ejus Civitatis Patriarcha [a] Medica laude ita inclaruit, ut eum Chalipha Rashid, Imperator ex Abbatis domo quintus, ad Amicam, quæ sibi in deliciis esset, curandam accersiverit.

Res minime dubia est primas Auctorum Græcorum Versiones in sermonem Syriacum esse factas; Syri enim doctiores & magna ex parte Christiani fuerunt. Unde [b] Aaronem Alexandrinum, Presbyterum, qui Mahometis tempore, circa A. D. DCXXII, vixit, triginta Libros scripsisse deprehendimus, e Græcis præcipue collectos, & ab eo Medicinæ Pandectas Syriace vocatos. Versionum harum Syriacarum ope, Arabes paulatim Græcorum Scriptorum cognitionem obtinuerunt. Primus, quem aliquid Arabice convertisse Historia testatur, nomine fuit Maserjawaihus, Professione Medicus, Natione Syrus, Religione Judæus; is circa A. D. DCLXXXIII, Arabicam horum Pandectarum interpretationem edidit. Cujus exemplum plerique posteriorum Interpretum secuti sunt, e Syriaco, non e Græco sermone, omnia reddentes. Aliquanto post Almanzor, Chalipha e stirpe Abbatis secundus, insignis Litterarum fautor extitit, ac præcipue Artis Astronomicæ. A. D. DCCLXVII, Civitatem [d] Bagdad condidit, loci positum [e] Astrologorum suasu deligens; qui quidem ea erat amœnitate, ut statim facta sit Chalipharum Sedes. Almanzor, gravi morbo forte implicitus, Georgium [f] Bachtishuam, Medicum Indicum, Christianum, ad se vocavit, sermonis Persici & Arabici peritia celebrem; isque, Imperatoris rogatu, multos de Medicina Libros traduxit. Is educatus fuerat ac degebat Jondisaburi, sive Nisaburi, quæ Urbs Chorasanæ erat Metropolis, circa A. D. CCLXXII, a Sapore Rege Persarum structa in Reginæ suæ gratiam, Romani Imperatoris Aureliani Filiæ; qua in Urbe Medicina verisimiliter ab iis usque ad Bachtishuæ tempora floruerat; nam Aurelianus Filiæ suæ honorem tribuens, Græcos aliquot Medicos illuc misit, qui in Oriente Hippocraticam Artem disseminarunt. Atque hinc fortasse accidit, ut celeberrimi inter Arabas Medicinæ Professores, uti Rhazes, Haly Abbas, & Avicenna, in iis locis qui magis ad Orientem spectant Litteram scientiam hauserint. Georgius magna cum comitate ac benevolentia ab Almanzore acceptus est; cumque valetudinis causa in patriam redire cuperet, domum reversus est

a Elmacen. Sarracen. Hist. p. 123. b Abulpharag. 99. c Id. 127. d Id. 141. e Elmacen. 124. f Abulph. 143. Id. 82.

multis honoribus præmioque decem millium Aureorum cumulatus. Ars hæc iſtis temporibus videtur, uti Hippocratis etiam ætate conſueverat, in privatis fuiſſe Familiis traditam; nam hic Georgius Filium in eadem Profeſſione educatum habuit: ac paulo poſt tres vel quatuor Bachtiſhuarum generationes extiterunt, qui omnes magnum ex Medicinæ peritia nomen adepti ſunt: & eorum nonnulli Libros complures de ea re in linguam Syriacam & Arabicam converterunt.

Sub Regno Almodhi, qui Almanzori ſucceſſit, Theophilus ex Edeſſa, Maronita & celebris[g] Aſtronomus, Homeri Iliadem Syriace perquam eleganter reddidiſſe dicitur.

Raſhid, qui Imperium auſpicatus eſt A. D. DCCXCII, Urbem Bagdad Templis compluribus, Scholiſque publicis extructis adornavit; poſteaque inter Mahometanos ſemper mos invaluit, ut quocunque in loco Templum conderent, ibi ſimul Noſocomium & Collegium fundarent: uti hos feciſſe comperimus poſtquam in Hiſpania Granadæ atque Cordubæ conſediſſent. In nova hac Civitate Bagdad, ubi popularis lingua erat Syriaca, fuit inſignis quidam Profeſſor, Meſue dictus, natione Syrus, qui magnum illico Diſcipulorum numerum habuit; ideoque a Chalipha iſto & Succeſſoribus ejus per annos plus quadraginta in explanandis interpretandiſque Veteribus Medicis eſt adhibitus. Verum de Medicinæ ſtatu his temporibus conjecturam facere licet ex Hiſtoria ab Elmaceno narrata; nam cum Chalipha Raſhid Apoplexia perculſus jaceret A. Hegiræ CLXXX, & ad conſultandum Medici unum in locum conveniſſent, Filius Bachtiſhuæ (Georgius fortaſſe ſupra memoratus) Medicus juvenis quidem, ſed ingenioſus, Venæ ſectionem propoſuit. Mahomed Alomin, Filius Raſhidi natu maximus huic rei adverſatus eſt; verum Almamon eo minor in hanc ſententiam locutus eſt, quandoquidem a Medicis deſperatus eſſet, iique illum unanimi conſenſu moriturum eſſe pronuntiarent, quid tandem obfuturam eſſe Sanguinis detractionem? ea adhibita, poterit fortaſſe ad ſanitatem perduci; omiſſa, pereat neceſſe eſt. Super his Vena ei inciſa eſt, ex quo repente convaluit: atque Almamonem ex eo tempore majorem in modum dilexit, & Bachtiſhuam Medicum ſuum conſtituit, annuo illi centum millium Drachmarum ſtipendio conceſſo. In promtu eſt videre quam rudes in Græcis diſciplinis Medici iſti fuerint, quamque præjudicata eſſet contra Venæ ſectionem vulgi opinio; ſed ut hic Juvenis magno cum judicio in re tam ſubita ægro conſuluit, occaſionem hinc ſumere licet nobiſcum reputandi, quam vigilantes in extremis quibuſdam caſibus eſſe debeamus, ne omittatur unicum, quod uſui eſſe poſſit, auxilium, quoque neglecto cætera omnia Remedia futura ſunt inania.

Hinc etiam obiter diſci poteſt, Prædeſtinationis doctrinam, quæ ita inter Recentes Turcas obtinet, haud altas iſtis temporibus ejus populi mentibus notas impreſſiſſe; & in ſequentibus hujus Hiſtoriæ

g Id. 147. h Hiſt. Sarrac. p. 122.

partibus

partibus demonſtrabimus, illos adeo non putaſſe vitæ terminum eſſe præſtitutum, ut humana omnia præſidia tam ad cavendos quam ad curandos morbos nunquam adhibere neglexerint: & conſequenter haud minus Profeſſoribus Artis Medicæ faverint, quam ab ulla alia ſit unquam gente præſtitum.

Proximus Raſhido, ſi unum exceperis, Chalipha fuit ejus Filius Almamon, qui uſque ad A. D. DCCCXL vixit; pluſque ipſe ſolus quam omnes ejus Anteceſſores in reſtaurandis propagandiſque ſingulis Doctrinæ generibus effecit. Abulpharagius[i] rem totam plene in hunc modum narrat; Arabes in initio Religionis Mahometanæ vix alii ſtudio, quam linguæ ſuæ expoliendæ, ac Legis ſcientiæ incubuerunt, ſi Medicinam excipiamus, quæ quanquam a paucis eſſet intellecta, erat tamen vulgo grata ob utilitatem quæ ex ea in univerſum genus humanum redundaret; verum hæc plane Empirica manſit, uſque dum Græci iis Auctores innotuiſſent. Hic fuit doctrinæ ſtatus ſub familia Omniadum, qui per annos XCI regnaverunt; ſed cum Deus Abbatis ſtirpem ad Imperium evexiſſet A. D. DCCXLIV, deſidiam paulum excuſſerunt, & ab eo ſtupore excitati ſunt, cui nimis jamdudum indulſerant. Primus, uti antea dictum eſt, Scientias reſpexit Almanzor; iſque non modo accuratam Legis cognitionem habuit, ſed Philoſophiæ quoque Naturalis, ac præſertim Aſtronomiæ ſtudio ſeſe dedidit. Verum ſeptimus illius ſtirpis Chalipha Almamon id quod a Progenitore ejus Almanzore inchoatum eſt perfecit; cumque doctorum Scripta ex idoneis locis contrahere niteretur, rogavit exoravitque Græcos Imperatores ut ad ſe mitterentur quoſcunque illi Philoſophiæ Libros haberent: optimiſque Interpretibus conquiſitis, omnia iſta iis Volumina convertenda tradidit, cæteroſque ad diligentem eorum tractationem præmiis cohortatus eſt; ita ut frequenter ipſe Prælectionibus ac Diſputationibus audiendis delectaretur: vehementi quoque ſtudio ad provehendam Naturæ ſcientiam, & excolendum facultatis Rationalis uſum ferebatur, Artium Mechanicarum cognitione minime contentus, uti Sinenſium & Turcarum erat mos. Idem inſtrumenta facienda curavit ad obſervationes Siderum inſtituendas; quod utique ab Aſtronomis factum eſt in Civitate Bagdad, & in Monte Caſio juxta Damaſcum. Quorum Aſtronomorum haud pauci de hoc argumento ſcripſerunt, ac præcipue Alfraganius, Auctor Introductionis cujuſdam ad Aſtronomiam, in qua omnia Ptolemæi præcepta comprehenſa ſunt, puriſſimoque ſermone clare expoſita. Ita parum iis temporibus Mahometana, uti nunc in ea ſit, ignorantiæ favebat, aut Litterarum uſum vetabat, Religio.

Quanquam hic in Eruditione factus fuerit progreſſus, quam a Græcis omnino ſumtam diximus, haud liquet tamen linguam iſtam probe intellectam fuiſſe uſque ad Honaini tempora, ſub regno Almamonis, circa A. D. DCCCXL. Chriſtianus fuit Honain, Hiræ natus; iſque a Meſue male tractatus, Urbem Bagdad reliquit atque in Græcas

[i] 160.

regiones

regiones ſeſe contulit: ubi per duos annos commoratus ſermone Græco optime ſe erudivit, & ingentem contraxit Librorum numerum, qui de omni genere Philoſophiæ tractarent; poſtea in Urbem Bagdad reverſus eſt, ibique paululum moratus in Perſiam abiit, & Baſoræ perfectiſſime linguam didicit Arabicam: poſt quod iterum in Urbem Bagdad rediit, atque illic magna nominis celebritate vitam egit, cum utriuſque linguæ peritiſſimus eſſet, ſeſeque maxime in convertendis Græcorum operibus occuparet, inter quæ fuerunt ſeptem Libri a Paulo conſcripti. Linguam quoque Syriacam apprime callebat, multoſque Libros, ac ſpeciatim eos qui ad Medicinam pertinerent, in ſermonem iſtum tranſtulit. Ob hanc rem, ut nomen ejus ſupra alios emineret, Interpres vocatus eſt: quo in ſtudio haud minus excellere putabatur quam celebris ille Sergius, tantopere ab Agathia, Juſtiniani tempore, laudatus. Narrat Abi Osbaia Almamonem in ſomniis vidiſſe quendam Senem qui Ariſtotelem ſe vocaret: is a quiete excitatus rogavit quiſnam eſſet iſte Ariſtoteles, cui reſponſum eſt, eſſe unum e clariſſimis inter Græcos Philoſophis; itaque ſtatim Honaino mandavit ut opera ejus Arabice converteret: eique tantum auri ſemper dabat quantum ab eo volumen traductum pondere æquaret. Honainum Hiſtoricus iſte uſque ad centum annos vixiſſe tradit; nam A. H. CLXIV natus eſt, atque CCLXIV mortuus. In eodem Scriptore Caput extat, in quo de Traductoribus ſolum agitur; horum nomina quadraginta & ſex commemorat, qui Medicos Græcos Arabice converterint, ſed Honainum cæteris anteponit, cujus Traductiones ſane maximo ſemper poſtea in honore manſerunt. Filius ejus Iſaac, Nepoſque Hobaiſh animum ad eadem ſtudia appulerunt; atque huic potiſſimum familiæ Arabicas Hippocratis, Ariſtotelis, Euclidis, Ptolemæi, & Galeni Verſiones debemus.

Sed quam male & iſtæ & cæteræ omnes Arabicæ Traductiones factæ ſint, & quam parum vel reſtaurando vel explanando Græco Textui inſerviant, a doctiſſimo Renaudautio abunde diſcimus, in Epiſtolis duabus a Fabricio editis. Idque ſine temeritate affirmaverim, Arabicam Eruditionem, utcunque & a ſuis Auctoribus & a Recentibus quibuſdam Europæis prædicatam, omnino tamen a Græcis derivatam atque exſcriptam fuiſſe; immo hoc hominum genus ita parum ſcientiam ullam locupletavit, ut quicquid ii vel traduxerint vel imitati ſint, plerumque in deterius mutaverint.

Quoniam vero hoc argumentum magna inter Eruditos diſſidia moverit, haud abs re erit breviter enarrare, quam longe iſta Gens ſtudia ſua in Aſtronomia, Mathematica, Naturali Philoſophia, ac Medicina provexerit. Quod ad Aſtrologiam attinet, iis certe haud minor peritia, quam Recentium eſt, jure tribui poteſt: cum omnes pariter rerum futurarum ignari ſint; hæc Ars, ſive potius fraus, multum ſemper per univerſam Aſiam culta eſt, & illic etiamnum colitur, præcipue quidem ab Arabibus exercita: qui ſecretas Siderum operationes, Planetarum conjunctionem & oppoſitionem optime callere ſe jactitabant, quanquam de harum rerum cauſis aut effectibus

vix

vix quicquam intelligerent. Et eo uſque hæc fatuitas proceſſit, ut Aſtrologos interdum Medicis junctos legamus, qui de morborum curationibus conſultarent. Sed ut ad Aſtrologiam eorum veniam, Ptolemæi quidem Almageſtum ab iis traductum eſt, ſed paucas nullaſve ei obſervationes addiderunt; atque horum ſcientia Veterum ſane Chaldæorum ſcientiæ ſimilis videtur, quæ in Hiſtoriis quidem Orientalibus propter accuratam Eclipſium & curſus Planetarum Obſervationes valde celebratur, verum haud liquet tantos ab illis in Aſtronomia progreſſus eſſe factos, quantos Græci poſtea fecerint. Hipparchus 130 annis ante Chriſtum Eclipſes Solis ac Lunæ per 600 annos ſupputavit: in cujus Obſervationibus magnam ſuam Conſtructionem fundavit Ptolemæus. Hipparchus Stellas obſervavit 1022, ſua cuique Longitudine & Latitudine aſſignata. Ptolemæi Catalogus 1026 continet; ejus Libros, uti diximus, Arabes tranſtulerunt: ac ſi in hujuſmodi Obſervationibus magnum quippiam præſtitiſſent, quod præmiis in eos collatis ſumptibuſque in hac re Chalipharum munificentia erogatis reſponderet, incrementa certe aliqua huic Scientiæ adjeciſſent, vel quoad numerum vel quoad poſitum Stellarum. Sed in eorum lingua nihil huic rei ſimile extat. Tabulæ tantum celebris Chaliphæ Vlugh Begh conſervatæ ſunt, quæ Catalogum 1017 Stellarum exhibent; quanto autem pauciores hæ ſunt illis quæ Recentiorum, ac præſertim Flamſtedii Obſervationibus notantur, qui 3000 aut paulo minus numerat? Multa de Chaldæorum & Aſſyriorum Annalibus dicuntur, ſed nihil fere ex eorum Antiquitatibus ad nos pervenit. Celebris apud illos Æra Nabonaſſaris recentior eſt quam Olympiades, etiam quam Roma condita, multo autem Carthaginis fundatione inferior, quæ quidem Epocha omnes illas vetuſtate ſuperat.

Quod ſi Arabum ſtudia in Re Mathematica perſcrutemur, ita parum iis quæ a Græcis acceperant quicquam adjeciſſe comperientur, ut in omnibus prope Verſionibus pleraque commutaverint vel potius perverterint. Euclidis Libri Romæ, juſſu Papæ Sixti Quinti, Arabice impreſſi ſunt; qua in Editione, ordo ac methodus, qua præcipue Auctor iſte excellit, prorſus immutatur, & Propoſitionum ſeries invertitur. In eadem quoque lingua impreſſa eſt Sphæra Theodoſii: verum in Præfatione notat J. Pena, quicunque Arabicam Verſionem cum Græco contulerit, magnam inter Textum atque Tranſlationem diſcrepantiam reperturum; ubi Auctor ſex tantum Definitiones ponit, Arabs quatuordecim exhibet: cumque integrum opus e Propoſitionibus ſexaginta conſtet, in Verſione octoginta inveniuntur. Idem prope in Ptolemæi Planiſphærio accidit. Quibus exemplis facile perſpici poteſt, haud magnam ab Arabibus in cæteris eorum Verſionibus accurationem eſſe ſperandam, quæ ut plurimum non modo ſolutæ & luxuriantes, ſed valde quoque infidæ ſunt. Ut plurimum, dico: quoniam excipienda eſt Apollonii Verſio a Thabe Ben Corah circa A. D. DCCCC facta & a Naſireddino circa MCCLXXX retractata; quam popularis noſter inſigniſſimus Halleyus valde ſibi

utilem fuiſſe teſtatur in præclara ſua iſtius Auctoris Editione. Quantum vero Græcos Scriptores vel perverterint vel interpolarint, & quam male verum eorundem ſenſum expreſſerint, ſatis conſtat ex multis illis Galeni Voluminibus (ſaltem hæc ei aſcribuntur) quæ ex Arabico ſermone traducta affirmantur, Græce non extantia. Et hac quidem in cujuſque generis Auctoribus, qui in eorum manus pervenerunt, uſi ſunt licentia, pro libitu quibuſvis immutatis, adjectis, vel detractis. Idem etiam ſemper in Latinis Scriptoribus factitarunt; cujus rei teſtem luculentum habemus J. Leonem, qui Arabas incuſat, eo quod a Romanis Hiſtoricis diſcedant cum eos traducere præ ſe ferant, neque ordinem ſeriemque factorum, quam in illis poſitam invenerint, conſervent, ſed Capita duntaxat rerum, Epitomes modo, tradant, & quæcunque ad Chronologiam pertinent ea vel ad Annales Perſicos vel ad Hegiræ computationem accommodent.

Haud minus detrimenti ab eorum Verſionibus accepit Philoſophia Naturalis, plus vero cæteris ejus partibus Res Botanica: & quanquam in Dioſcoride reddendo magis fidi, quam in alio quovis Scriptore, habeantur, tamen ita frequenter in ejus ſenſu interpretando hallucinati ſunt, ut vix Dioſcoridem agnoſcamus. Non modo alia Plantarum nomina cum aliis confunduntur, quæ in Arabica lingua multum a ſe diſcrepant; ſed & eorum partem ipſi Arabes hodie non intelligunt. Surianus, Rhazis Traductor, multum de hac perturbatione queritur: quæ, uti ille exiſtimat, ex errore in Perſicis aut Arabicis Litteris facto accidit. Inter cujuſmodi errores ponit vocem Talback, quam Perſice Dactylos ſignificare ait; verum diligens ille & curioſus Vir Kempferus in Libro cui Titulus eſt, Amænitates Exoticæ, fructu hoc fuſe deſcripto, omnibuſque diverſis ejus appellationibus expoſitis, vocem a Suriano memoratam omiſit. Ac ſi peregrinator aliquis in Linguis Orientalibus exercitatus ea conferre vellet quæ de Herbis Rhazes, Haly Abbas, & Avicenna prodiderint, nominum, credo, differentiam ſtatim animadverteret, haud modo inter priſcos, ſed etiam inter Recentes Arabas, familiarem; ſiquidem plurimarum Plantarum appellationes, prout Arabice traduntur, præſentibus Arabiæ atque Perſiæ Incolis deſuetæ prorſus & incognitæ ſunt: licet haud intellectu facile ſit qua ratione in Lingua adhuc vigente, quæque cum aliis multis jam mortuis dignitate contendat, id ita fieri potuerit. Idque eo magis mirum videatur, quod inter nos centena aliquot Plantarum nomina in Anglico ſermone conſervata maneant, quibus nominibus uſi ſunt mille abhinc annis majores noſtri Saxones.

In cæteris Philoſophiæ Naturalis partibus omnia plane e Græcis fontibus hauſerunt; etiam Averrhoes, celebris ille Commentator, a popularibus ſuis ob profundam ejus ſcientiam adeo prædicatus, qui tot tantoſque in Ariſtotelem Libros compoſuit, nihil quicquam illius Philoſophi doctrinæ adjecit, ſed, ut Interpres, alium duntaxat in eo locum ope alius explicavit; immo omnia ejus placita ita pertinaciter ſecutus eſt, ut cum eo Mundum æternum eſſe credat. Me-

dici

dici quoque, in omni Morborum Theoria, Effata atque Opiniones Hippocratis & Galeni amplexi ſunt, atque hæc poſteritati conſignarunt, haud quidem nativa eorum ſimplicitate, ſed frequenter vanis Arabum fictionibus depravata, vel ſaltem ſubtilibus quibuſdam neque neceſſariis ſpeculationibus intermixta. Veruntamen Phyſiologiæ in hac re fundamenta plane in utriſque conveniunt: ideoque inutilis eſt opera a Barchuyſen inſumta, ut diverſas Arabum nobis Hypotheſes exponeret, cum neque inter ſe neque a Græcis eorum Magiſtris quicquam diſcrepent.

Jam ut de Practica Medicinæ parte agam, quanquam Ars iſta apud Arabas, in Imperii Græci ſenectute atque in Eccleſiæ tenebris, habitaſſe videatur, cum omnes quodammodo diſciplinæ eſſent extinctæ, neutiquam certe per hos Viros Profeſſio hæc ea incrementa cepit, quæ faſtuoſæ eorum oſtentationi reſponderet. Ac licet, poſteaquam Græcos Scientiæ Theſauros in poteſtatem ſuam redegiſſent, magnam, ut ex iſtorum temporum Hiſtoria conſtat, in docenda explicandaque Medicina operam curamque inſumſerint, & eo conſilio Publicas multas ædificarint Scholas per univerſam eorum ditionem: doctrinæque adeo avidi fuerint, ut, ſi vera dicere volumus, nihil non ab aliis audacter ſuffurati ſint: tamen in hoc præcipue elaborarunt, ut Græcos vel converterent vel imitarentur Medicos; quod quidem ita diligenter fecerunt, ut, ſi molem voluminum quæ congeſſerint ſpectemus, nihil illos magnopere iis comparatu dignum adjeciſſe videamus, quæ ab iſtis Auctoribus tradantur. Illud hic obſervari poteſt, multumque deploranda res eſt, nihil fere a Veteribus iſtis ſcriptum in Arabicis Verſionibus (de antiquis loquor) ſupereſſe, quod non in Græcis etiam ſuperſit Exemplaribus: ſi poſtremos quinque Galeni Libros de Adminiſtratione Anatomica excipiamus. Ex quo concludendum eſt, aut Arabas ea quæ non traduxerint aboleviſſe: aut, quod magis veriſimile eſt, ea, quæ nunc deſunt, ante eorum tempora, vel in primis eorum incurſionibus, fuiſſe deperdita; nam, uti ſupra dictum eſt, ne ad hujuſmodi quidem ſtudia, niſi poſt annos fere centum & quinquaginta, ſeſe contulerunt.

Brevem hanc, de Scientiarum ortu inter Arabas, enarrationem neceſſariam putavi, quo melius Medicinæ ſtatus per hæc iſta tempora ſummatim in conſpectu poneretur. Et quanquam, eo quod hujuſce gentis Auctores Medici in omnibus fere Græcos exſcripſerint, parum utilis amplior de iis diſquiſitio videri poſſit, tamen id quod initio propoſui, ut perpetuam Medicinæ Hiſtoriam a Galeni tempore contexerem, opus mancum plane & imperfectum eſſet, niſi de his etiam, quæ dicenda ſunt, exponerem. Idque fortaſſe eo meliori jure Lector deſideret, quod argumentum hoc nemo adhuc ulla cum accuratione tractaverit. Ad hæc, etſi fatear nullam fere iis laudem tribui debere, niſi quod Græcos exſcripſerint, tamen aliqua in illis forſan ad Medicinam pertinentia occurrent quæ apud Græcos fruſtra quæſiveris. Cujus rei veritas, diligenter inquirentibus, credo con-

conſtabit: & quædam ex hoc etiam Scriptorum numero ſcitu digna excerpi poſſe comperies, ſicuti antea factum eſt ex Oribaſio Aetio Pauloque; qui licet Collectores potiſſimum extiterint, tamen novas quaſdam res haud alibi inveniendas nobis ſuppeditant, & ſine dubitatione ob hanc cauſam cum fructu legi poſſunt atque conſuli. Certe a nemine negari poteſt, Librum quemcunque, in quo Obſervationes contineantur ad Praxin utiles, aut ignoti alicujus morbi deſcriptio, aut in noto ſingularis aliquis caſus vel nova medendi ratio, ab iis inſpici mereri, qui alienam cupiunt Experientiam in ſua commoda convertere. Immo haud abſurde affirmaverim, ſcriptum in Medicina alioqui permediocre poſſe interdum ab Artifice non ſine emolumento ſtrictim evolvi: tum quod is ita faciens mentem ſuam ſua in Arte exerceat, tum etiam quod inter legendum novæ jugiter ei occaſiones ſubjiciantur ſecum reputandi quatenus & quibus modis hæc vel illa res ad Medicinæ Theoriam vel Medicamentorum potentiam ſpectans illuſtrari poſſit, & aliquando recentis alicujus inventi ab ipſo excogitandi anſa præbeatur. Sed ut vera fateamur, magna de Arabibus in diverſis ſæculis opinionum extitit diverſitas; per multa ſæcula in Medicinæ Scholis ſoli regnarunt, & ultra modum & ſupra merita eorum prædicati ſunt, idque non ſolum in Aſia, ſed in Europa etiam, quamdiu Græca Eruditio jaceret ſepulta; ſed ſtatim atque, capta Conſtantinopoli, Græca in hac Arte Principum prolata ſunt Exemplaria, Arabes, converſa fortuna, haud minus inique exploſi ſunt. Atque ex eo tempore inter multos conſuetudo hæc obtinuit, ut illos ſummatim condemnarent, neque examinatis eorum ſcriptis, neque cum iis quæ Græci prodiderint Auctores collatis. Exemplo ſit Guido Patinus, qui per Epiſtolas ſuas uſquequaque, libero ac fidenti ſuo more uſus, in eos ita vehementer invehitur, ut nihil quicquam iis meriti concedi patiatur. Verum & hic & alii, qui de ea re ſatis cum imperio pronuntiarunt, æquius multo fecerant, ſi priuſquam ſententiam quaſi pro tribunali ſedentes protuliſſent, ſaltem eorum ſcripta majori cum accuratione pertractaſſent. Itaque rationem antea a me inſtitutam perſequar; ac de his ita candide agam, ut neque ea quæ mutuati ſint ſilentio prætermittere velim, neque in his, quæ ex proprio penu in lucem protulerint, debito eos honore defraudare.

Igitur ut ad ſingula veniam, ponam Tibi in conſpectum ea qua potero brevitate præcipuos hujus Gentis in Arte noſtra Scriptores; de iis loquor qui Europæis cogniti ſunt: nam de cæteris agere infinitum eſſet. Putarunt quidem haud pauci eruditione præſtantes Viri, multam in hoc argumento lucem expectari poſſe a ſcriptis Abi Osbaiæ, qui vago & enthuſiaſtico more, genti iſtæ proprio, Vitas plus quam trecentorum Medicorum, Arabum, Syrorum, Perſarum, Ægyptiorum, & in aliis nationibus, quæ Mahometanæ ditioni ſubjectæ ſunt, ortorum enarravit. Cui expectationi cum Tu, Vir Clariſſime, Opus illud reſponſurum fore, atque in publica commoda ceſſurum ſperares, munifice, ut Tui moris eſt, Arabicum ejus Exemplar comparaſti,

paraſti, curaſtique ut multæ ex iſtis Vitis Latine converterentur; ſed percurſo hoc Volumine mecum plane ſentis, id non modo incredibili refertum eſſe fabularum maxime nugacium farragine, ſed ad veram Medicinæ Hiſtoriam vix quicquam adjumenti præſtare, neque aliud oſtendere quam immoderatos honores ac ſtipendia quæ iſtorum temporum Medici a Chaliphis obtinuerint; nam hæc certe ita ſupra modum fuerunt, ut omnem fidem exſuperent. Reſque haud parum admiranda eſt, inter tot Auctorum Vitas ab eo deſcriptas vix quenquam ex his occurrere quorum ſcripta ad nos pervenerint, ſi Meſuen, Rhazem, atque Avicennam excipiamus.

Antiquiſſimam nobis & pleniſſimam, tam Veteris Medicinæ Arabicæ, quam Auctorum ex iſta gente, enarrationem tradidit Haly Abbas, Vir iſtis temporibus doctrina clarus, unde & Magi cognomen obtinuit. Is circa A. D. CMLXXX, Almaleci, ſive Opus Regium, conſcripſit: quod perfectum Medicinæ Syſtema eſſe voluit, idque Chaliphæ Adad'odaulæ ſermone magnifico, more ſcilicet populis Orientalibus uſitato, dicavit. Stephanus Antiochenſis, A.D. MCXXVII, Haly Abbatem Latine convertit, quo nunc ſermone a nobis legitur. Opus hoc ab aliis Iſaaco Iſraelitæ aſcribitur, atque ei titulus eſt, Pantechni, ſive Complementum Medicinæ: neque negari poteſt quin multi in Haly Abbate occurrant loci iis plane ſimiles qui a Rhaze adducuntur ſub Iſaaci nomine; quidni autem Haly ab Iſaaco quædam mutuari poſſet, perinde ac a Rhaze, quod utique eum feciſſe mox videbimus.

Tamen Haly Abbas cauſas dinumerans, cur Opus hoc, quod Medicinæ Corpus quoddam eſſe deſtinavit, ab eo ſuſceptum ſit, hanc præcipuam ponit: quod nullus adhuc extitiſſet Auctor, qui rem hanc abſolute pertractaſſet. Simulque indicat, quibus in rebus Hippocrates, Galenus, Oribaſius, Pauluſque defecerint. Aetium vero haud nominat. Dehinc ad Recentiores deſcendens, primum Aaronem memorat; qui ideo inter Recentes credo ab eo ponitur, quod Syriace ſcripſerit; nam ſi ætatem ejus reſpiciamus, cum Paulo circa A. D. DCXXI floruit. Nimium brevis eſt, juxta Haly Abbatem, de rebus Naturalibus ac Non Naturalibus agens: pauca vel potius nihil dicit de Chirurgia, vel de tuenda Sanitate; mancus inſuper atque obſcurus eſt, ſi cum Johanne conferatur, Serapionem credo intelligit.

Aaronem ſecutus eſt Meſue, intervallo tamen annorum ad minimum ducentorum, ſiquidem A. D. DCCCXLVI obiit, ſive, juxta Abi Osbaiam, A. D. DCCCLXV. Is ſimiliter atque Aaron erravit, uti Haly judicat; ordine omni caret: de Medicamentorum Compoſitione in Libro Nono agit, poſtea de Rebus Naturalibus loquitur, atque ita omnia loco alieno exponit. Ex quibus Haly Abbatis vocibus patet haud jam ſupereſſe Opera Meſuæ ad Praxin pertinentia; nam quæ ſub ejus nomine feruntur huic deſcriptioni neutiquam conveniunt; præterquam quod in iis Libris qui Meſuæ aſcribuntur Rhazen nominatum inveniamus, qui multo poſt Meſuen apparuit. Abi Os-

baia ſeptem ac triginta numerat Volumina ab hoc Auctore conſcripta; quorum in uno de Medicamentis Purgantibus agitur, in altero de Decoctis: ita ut hi fortaſſe Libri germani eſſe poſſint, cæterique ab alio quodam adjecti.

Meſue hic, Niſaburi oriundus, Pharmacopœi filius fuit, ſub Gabriele filio Bachtiſhuæ eductus, ab eoque Noſocomii curæ præpoſitus; Religione Chriſtianus, Neſtorii Sectam amplexatus eſt: cumque omnes ſui temporis homines Eruditionis & Medicinæ laude antecelleret, ab omnibus Chaliphis, qui ejus ætate rerum potiti ſunt, magno habitus in honore eſt. Ac ſpeciatim a Raſhido id ei operis demandatum eſt, ut Volumina Græca, quæ vel Ancyræ vel in aliis Civitatibus per iſtam Aſiæ partem inveniri poſſent, in unum redigeret atque Arabice converteret.

His adjicit Haly, quod Johannes Serapionis Filius eatenus tantum de curatione Morborum agat, quatenus id effici poſſit per Victum atque Medicamenta: nihil de Chirurgia aut tuenda Sanitate ſcripſerit; multaſque omittat Affectuum ſpecies, uti Oculi Cancrum & Chalazium, Palpebrarum coalitionem, Pilorum in ſupercilio fluxum, Verrucas, Fungos, Elephantiaſin, Aneuryſma, Varices, Pectoris atque Virgæ mala. Multa quoque alia dinumerat, in quibus Serapionem vel erroris vel defectus accuſat: uti cum is Gonorrhœam, fætidamque Oris & Naſi fluxionem inter Cutaneos aut Superficiales Affectus recenſet. Idque præſertim in eo damnat, quod Variolarum curationem parum dilucide explicaverit, ejuſque mentionem inter Abſceſſus habuerit. Tamen ſi Haly Abbatem conſulamus, videbitur eandem ipſe culpam admiſiſſe, ea vero quæ de Serapione dixit veriſſima comperientur; atque hinc judicari poteſt Practica Serapioni Opera tributa haud ei perperam aſcribi, neque alium fuiſſe ante hunc Serapionis Librum Arabice conſcriptum. Nam Meſue patria veriſimiliter, id eſt Syriaca, lingua uſus eſt. Patriam voco, quoniam & hunc & Bachtiſhuas, licet Niſaburi natos, Syros appellat tam Abulpharagius, quam Abi Osbaia; idque ob hanc rationem credo, quod Idioma Syriacum, multo ante & poſt hæc tempora in iſtis Orientis partibus uſitatum, adhibuerint; nam ſi Provinciam, in qua Urbs Niſabur poſita eſt, ſpectemus, ſcis hanc eſſe a Syria valde diſſitam. Neque alia fortaſſe cauſa eſt cur Auctores, qui de his temporibus ſcripſerint, Syriacum ſermonem Perſicum quoque appellent. Verum id opus Serapionis germanum eſſe ex eo ulterius evincitur, quod ab illo quædam nominatim Rhazes, in Continenti, haud infrequenter adducat, iis quæ in iſto nunc impreſſa legimus, verbum verbo reſpondentia; cujus rei ut exemplum proferam, conferantur illa quæ Serapion tradit de eo Sodæ, ſive Cephalææ[m] genere, quod Ovum ſeu Galea ab eo dicitur, (ſunt autem iſta a Galeno potiſſimum ſumta) cum iis quæ de eodem argumento breviter expoſuit Rhazes[n]. De Libris loquor Serapionis Practicis; nam quod ad eos attinet, ubi de Medicamentis tam Simplicibus quam Compoſitis agitur (quæ

m 1, 14. n 1, 21.

Antidota

Antidota vocantur) hi ſine dubio a Recentiore haud parum aliquo Auctore conſcripti ſunt; uti ſtatim cuivis conſtabit ad Medicos ibi nominatos attendenti. Serapion autem ab Haly Abbate poſt Meſuen ponitur: quod utique ab eo factum judico ſecundum temporis ſeriem quo uterque vixerit; unde cognoſci poteſt quam longe ii a vero aberrent, qui Serapionem ſub Imperio Leonis Iſauri, circa A. D. DCCXXX, extitiſſe aiunt, centum annos ad minimum ante veram ejus ætatem; quæ ex hac computatione cadit inter Meſues atque Rhazis tempora, juxta finem Sæculi Noni. Profecto ſi ipſum Serapionem conſulamus, haud recentior his temporibus comperietur: etenim Medicamenta quædam proponit a Gabriele, Honaino, & Meſue adhibita, ac Dentifricium Almamonis[a] nomine vocatum memorat: quos Viros haud multum ante hoc tempus vixiſſe ex Hiſtoria docuimus. Id in Serapione memoratu dignum eſt, quod non raro ſumat quædam ab Alexandro Tralliano, qui Scriptor cæteris videtur Arabibus parum fuiſſe cognitus; ac ſpeciatim ea, quæ de Helleboro albo & Lapide Armeniaco habet ad curationem Melancholiæ, ab Alexandro ad verbum mutuatus eſt, licet mentionem Alexandri omiſerit: immo ſententiam hanc ipſam ſervans, "Noſtrorum, inquit, temporum Medici poſteriorem exhibere malunt."

Proximus his ultimuſque ab Haly Abbate memoratur Auctor, Rhazes; qui, ut ille ait, Continentem compoſuit, opus omnia ad Medicinam ab Hippocratis tempore uſque ad Iſaacum pertinentia complexum, verum ita præfracte ac breviter conſcriptum, ut nihil in eo quemadmodum oporteat explicetur. Ad hæc Res Naturales, & Temperamenta illic prætermiſſa ſunt. Et quanquam virtutes ejus collaudet, ordinem tamen incuſat. Duaſque rationes profert, cur Librum hunc iſto modo a Rhaze contextum fuiſſe exiſtimet; aut quod Locorum hunc Communium vice eſſe voluerit, quo recurſum habere poſſet vel ætate ingraveſcente vel in memoriæ defectu; aut eo conſilio ut ſi quid accideret cæteris ejus Libris, ſolus hic per ſe ſufficeret. Unde factum putat, ut neque ad compoſitionem neque ad elegantiam operis quicquam attenderit Rhazes: quod ſi id ille in aliam formam redigere conſtituerat, nunc ſaltem valde mancum & impeditum videri: & ob hanc cauſam pleroſque Medicos ab eo exſcribendo deterritos; ita ut etiam ſuo tempore eſſet inventu rarum ac difficile. Tamen, ejuſdem judicio, Continens iſte omnia alicujus momenti in Medicina complectitur: etſi hunc vellet, quo magis eruditorum commodo ſerviret, melius in membra diſtributum meliorique in lumine collocatum; quam rem præcipue videtur habuiſſe ante oculos Haly Abbas ingens Opus ſuum contexens, quod Continentem mole prope exæquat.

Hæc utique a vero non abhorrentia de Rhazis Continente inquit Haly Abbas. Nihilominus ab Hiſtoricis Arabibus ultra modum prædicatur Rhazes ob ſingularem ejus in omni Scientiarum genere præ-

[a] Tract 2, cap. 16.

ſtantiam,

ſtantiam, tam in Philoſophia, Aſtronomia, & Muſica, quam in Re Medica. Natus eſt Rei, quæ Urbs in Iraco Perſico, aut potius fortaſſe in Provincia Choraſana ſita eſt; ibique Noſocomio præfectus. Cum annos triginta haberet, in Urbem Bagdad migravit: verum ad Medicinæ ſtudia non niſi ſero animum appulit. Etſi, quoniam longa ei vita contigerit, diu ſit in Artis uſu verſatus, unde etiam Experimentatoris cognomen obtinuit: & octoginta demum annos natus, oculiſque captus, A. D. CMXXXII, deceſſit. Virum fuiſſe ſtudio indefeſſum, neque a ſcribendo aut legendo ceſſaſſe unquam, & Galenum Arabum exiſtimatum, produnt Hiſtorici. Is inter centum præclaros, tunc temporis Bagdadi commorantes, Medicos electus eſt, qui celebre quoddam in ea Urbe Noſocomium curaret. Ad rerum cognitionem aſſequendam multum peregrinatus eſt, ac varia in Perſiam, ubi natus eſt, itinera fecit; Principum quoque plurimorum valetudini præfuit, inter quos Almanzor extitit Provinciæ Choraſanæ Dominus, quicum frequens Litterarum commercium habuit, & multa ei ſcripta nuncupavit. Multum verſabatur inter Botanicos, Medicos Ocularios, & Chirurgos; ac peritiſſimus Alchymiſta habitus eſt. Libros ducentos viginti & ſex numerat Abi Osbaia a Rhaze compoſitos, inter quos decem illi ſunt ad Almanzorem inſcripti; qui cum fine dubitatione germani ſint, valde mirum eſt nihil quicquam de iis dixiſſe Haly Abbatem; præſertim cum fieri non potuerit, quin eo tempore admodum celebres extiterint. Opus hoc Rhazes, perfectum Medicinæ Corpus, aut Compendium potius, eſſe voluit; ubi, quæ in Continente confuſa reperiuntur, in meliorem ordinem, in Capita diſtincta, atque in Syſtema juſtum ſunt redacta. Cumque hic Liber iſti Serapionis tempore proximus, atque inſuper theſaurus quidam ſit omnis Medicinæ Arabicæ, de eo quædam fuſius lubet dicere. Opus quidem ſuo in genere apprime bonum haberi debet; ac Nonus præſertim Liber, De Curatione Morborum, per aliquot Sæcula ita fama pervulgatus eſt, ut hunc in Scholis doctiſſimi quique Profeſſores publice prælectum exponerent. Quem tamen paulo conſideratius inſpicientes, videbimus quam levibus momentis impulſi homines Arabem hunc adeo immoderate concelebraverint, quamque nulla plane ratione eum Galeno prætulerint. Uti res hæc dilucide in conſpectu poni queat, ex ſequenti Tabula perſpicuum erit, quam conſtanter is Antiquorum veſtigiis inſiſtat, ac præcipuas ſuas opes ex eorum theſauris depromſerit.

RHAZIS,

Lib. 1. De Anatome - - - { Ex Hippocrate & Galeno paſſim. Oribaſii Collect. 24, 25.

2. De Significationibus Temperaturarum. { Hippocr. de Humoribus. Galen. de Temperamentis. Oribaſ. Coll. 5. Actii 4. Pauli 1.

3. De

900. RHAZES.

3. De Alimentis, & Simplicibus.	Hippocrat. de Diæta. Galen. de Alimentis, & Facult. Simpl. Aetii, 1, 2, 3. Syn. Oribaſii 2. 4. Collect. 1, 2, 3, 4, 5. 11, 12, 13. 15. Pauli 1.
4. De Sanitatis tuendæ ratione.	Galen. & Pauli 1. de tuenda Sanitate. Aetii 3.
5. De Morbis Cutis, & de Coſmeticis. - - - - -	Galen. de Compoſitione Medicamentorum ſecundum loca, & cæteris Græcis.
6. De Victu Peregrinantium.	
7. De Chirurgia. - - -	Hippocrat. paſſim. Paul 6. Syn. Oribaſii 7. Aetii 14, 15. & paſſim.
8. De Venenis. - - - -	Pauli 5.
9. De curatione omnium partium - - - - - -	Hippocrat. de Morbis. Galen. de Locis affect. Method. medend. & ſecundum Locos. Aetii 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. Syn. Oribaſii 8, 9. Pauli 3, 4.
10. De Febribus. - - -	Hippocrat. & Galen. de Criſibus. Galen. de Febrium differentiis 7. Poſterior, de Method. medend. lib. 1. ad Glauconem. Oribaſii, Syn. 6. Aetii 5. Pauli 2.

Ex brevi hoc Specimine ſatis liquet, quemadmodum in ſingulis Medicinæ partibus, in Anatomia, in Morborum Aetiologia & Pathologia, atque in curandi ratione, celebris hic Arabs Græcorum ſcripta imitetur. Neque hæc, ut ei obtrectem, produco; quoſnam enim ille alios Scriptores ſequi potuit, ſi Medicinæ Syſtema aliquod rationi congruum, vel in ſuos ipſius vel in publicos uſus, contexere inſtituerat? Quiſquis Continentem examinaverit, idem de eo judicium proferat neceſſe eſt; neque multum diverſo ordine ab eo, qui in Continente obſervatur, utitur Serapion. Atque in hoc ſane Aetium præcipue Paulumque ſecuti ſunt: qui a Capitis Morbis orſi, ac dehinc ſeriatim progreſſi ad affectus cæterarum corporis partium, ſub diſtinctos ea titulos redegerunt, quæ apud Hippocratem & Galenum diſperſa habentur. Etiam Haly Abbas, ſi ordinem excipiamus in quo certe a Serapione ac Rhaze diſcrepat, vix quicquam tradit, quod non in his duobus ſuis popularibus, vel ſaltem in ſupra indicatis Græcorum ſcriptis reperire valeamus.

RHAZES. Quædam amplius de Rhaze dicenda ſunt, tam quod unus is e A. I
Vetuſtiſſimis qui ſuperſunt Arabibus exiſtat, quam quod ex eo præcipue cæteri, atque inter hos Avicenna, Libros ſuos contexuerint. Licet is maximam partem Exſcriptor cenſeri debeat, haud raro tamen propria ab Experientia loquitur, neque paucas, quaſdam vero etiam ſatis ſingulares, morborum Hiſtorias narrat, ubi ſuam ipſe operam præſtiterit: idque haud ſolum in diſtincto illo opuſculo, quod tertium ejus Aphoriſmorum Librum conſtituit, verum in aliis innumeris ab eo ſcriptarum rerum locis; ſpeciatim vero in Libro, ubi agitur de Mirabilibus quæ ei in Medicinæ exercitatione ſe obtulerint, cum judicio eum loqui videmus, atque ut ei convenit, qui in abſtruſis caſibus optime norit præſagium inſtituere: quales ii ſunt de inordinatis Febrium acceſſionibus, quæ in Renis Abſceſſum, vel in Uteri Hydropem, vel in Jecoris Suppurationem tranſeunt. Liber de Articulorum Affectibus perquam dignus eſt qui legatur; ſiquidem in eo eximiæ nonnullæ atque haud vulgares curationes, ope Venæſectionis præcipue effectæ, recitantur. Satis ſingulare eſt id quod executus eſt in Muliere quadam, validi habitus, vehementem dolorem perpeſſa, quem durus atque inflammatus in dextro Carpo Tumor excitaverat. Venam Baſilicam & Saphænam eadem hora incidit, atque ex alterutraque detraxit ſemilibram ſanguinis. Poſt tres horas, ſoluta faſcia, iterum eadem quantitate ſanguinem miſit: datoque convenienti alimento, rurſus, interpoſito trium horarum ſpatio, Saphænam tertia vice aperuit, detractaque ad eundem modum altera ſemilibra, dolor cum punctione illico evanuit. Fuſe quoque rationes exponit, quæ ſe ad Revulſionem in Inferioribus partibus faciendam moverint.

Eandem curationis & ratiocinandi viam ſecutus eſt in [a] Iſchiade, idque haud minori cum ſucceſſu. In hujus morbi medela, [b] Archigenis præcepta obſervans, Enemata [c] ſicut ille, admodum acria imperat ex Colocynthide & Nitro facta: quæ ita vehementia erant ut Sanguinem elicerent, atque ideo a Græco illo Medico magis proficua judicabantur. Rationem hanc in hominibus ſupra mille tentatam ſe vidiſſe narrat Rhazes: neque unum cognoviſſe in quo non ſucceſſerit, niſi res ita inveteraſſet, ut Uſtionem poſceret. Cum eodem Auctore in [d] Vomitione convenit, quam in obſtinatis hiſce doloribus maximam Revulſionem præſtare affirmat; appoſiteque admodum ipſe ſubjicit, Ante Vomitum ſemper vitandam eſſe Purgationem.

Hydrophobiæ [e] Symptomata luculenter quoque deſcribit. Ea vero, quam de homine in Noſocomio cubante, quem Canis Rabidus momordiſſet, ſingularis eſt Hiſtoria. Latrabat ille, ac de ſiti valde querebatur; aquam, ſicuti plerumque fit, haudquaquam expaveſcebat, ſed vehementer appetebat. Verum, cum hæc ei oblata eſſet, eam rejecit, eo quod cæno infectam eſſe diceret; cumque ex illo quæreretur, cujuſmodi id cænum eſſet, reſpondit, colluviem eſſe ex in-

a Cap. 19. b Actius 2, 1. c Cap. 10. d Cap. 18. e Almanz. 8. 10.

teſtinis

900. teſtinis catulorum atque felium; aliam dehinc aquam popoſcit; quæ cum ei daretur, idem ab eo reſponſum eſt, & ita potionem omnem reſpuens in iracundia atque altercatione perſiſtebat. RHAZES.

Fidele admodum ejus de Cancro [f] monitum eſt, quodque a Recentibus quibuſdam conſiderari mereatur. Ii, inquit, qui Cancrum incidunt, id ſolum aſſequuntur, ut Tumorem exulcerent: niſi forte in ejuſmodi loco ſit, unde excidi penitus atque exſtirpari queat, ſive Scalpelli ſive Cauterii ope.

Librum integrum poſuit Rhazes in tractandis Puerorum Morbis; quæ res ab eo primum inter Veteres facta eſt. Varios item Affectus expoſuit, Orientalibus plagis vel proprios, vel ibidem magis populariter graſſantes; uti ſunt, Ignis Perſicus, Vermis qui Vena Medinenſis dicitur, atque alii quidam; primuſque novum illum Morbum ab Arabibus animadverſum deſcripſit, qui Spina Ventoſa [g] appellatur. Novum dico, quanquam omnes Morbos, qui Recentes a nobis vocantur, ne Variolis quidem Lue & Venerea exceptis, Veteribus cognitos, utut ab iis haud ita accurate deſcriptos, fuiſſe contendat [h] Merklinus. Sed cum iis, quibus ita ſiniſtra mens eſt, diſputare nolo; cum iidem quoque, in honorem Antiquitatis, Circulationem Sanguinis recens eſſe inventum negent.

Primus, inquam, Rhazes deſcripſit Spinam Ventoſam: cujus natura, ut ab eo explicatur, in eroſione atque corruptione Oſſis, una cum dolore pungenti ac Tumore, conſiſtit. Quæ quidem deſcriptio haud incongrua eſt: morbus enim ab initio intra Os, atque in Medulla ejus, ortum habet; atque ita ſenſim affectas diſjungit exteriores Lamellas, ut ex eo Tumor naſcatur, qui cum Perioſteum premat diſtendatque, dolorem movet. Vitium hoc ab eo plane differt, quod τερηδὼν a Græcis dicitur: qua voce nihil aliud ſignificatur, niſi Caries & corruptio Oſſis; Spinam quidem Ventoſam Cariei genus eſſe concedo, verum unaquæque Caries minime Spina Ventoſa eſt; poteſt enim Carie exeſum eſſe Os, neque ideo tamen dolorem aut Tumorem creare, quæ in altero caſu neceſſaria ſunt Symptomata. Neque majorem hic affectus ſimilitudinem habet cum alio, qui a nonnnullis Pædarthrocace vocatur; ſiquidem hæc Tumoris ſpecies plerumque intra Articulorum Epiphyſes conſiſtit, frequentiſſime doloris expers; ideoque Rhazes, de hoc ipſo argumento agens, res iſtas diſertiſſime diſtinguit, quippe qui in hoc affectu materiam morbificam in carne muſculiſque contineri dicat, at in Spina Ventoſa ipſi ineſſe oſſi. Quid quod ea ut plurimum haud in Articulis, ſed in medio Oſſe, atque in ipſis Internodiis appareat. Huc accedit, quod utcunque Pueros frequentiſſime invadat, Adulti tamen haud raro eidem opportuni ſint: cujus rei exempla apud Severinum & Marchettum extant, ejuſdemque veritas a peritiſſimis noſtratium Chirurgis confirmatur. Quare Rhazes etiam de iſto Affectu generatim tractat, neque eum particulari cuivis ætati aſſignat. Idem a Nodo quoque diſcrepat: in quo Lamellæ primario

f 16, 9, 7. g Continent. Lib. 28. h Vid. Pandolfin. de Spin. Ventoſ.

tentantur,

RHAZES. tentantur, & excreſcentia in ſuperficie prius oritur, quam interior A.D
vitietur Oſſis pars. Docet autem quemadmodum iſte morbus tractari debeat; ubi ſemel apertus fuerit Tumor, nullo modo curationem abſolvi poſſe affirmans, quoad omnes Oſſis particulæ, quas Caries vitiaverit, vel per Uſtionem abſumtæ ſint, vel per Inciſionem exemtæ. Operationis modus dilucide a [n] Marchetto exponitur: conſilii vero ab illo inſtituti ea pars, in qua, ſi vehemens dolor ſubſit, nudari locum jubet, quanquam in eo nullus Tumor apparuerit, a nonnullis reprehenditur; quod tamen in multis caſibus recte adminiſtrari judico. Fieri enim poteſt, ut Fluidi quiddam inter Os ac Perioſteum hærens ingentem dolorem moveat; neque id amoliri valeamus, niſi Terebræ ope, uti prudentiſſimi Artifices faciunt, emittatur. Id maxime notatu dignum eſt, quod quanquam Rhazes, ac poſt eum Avicenna, ita ample, uti demonſtravimus, morbum hunc deſcripſerint: tamen vix quiſquam e Voluminoſis illis Commentatoribus in Avicennam memorabile aliquid de eo dixerint; Petruſque de Argillata, circa mediam decimi quinti Sæculi partem, primus e Recentibus videtur, hanc Operationem executus, vitii curationem ope Chirurgiæ præſtitiſſe.

Rhazem Alchymiæ peritia celebrem fuiſſe, ante dictum eſt: qua de re multa quoque eum ſcripſiſſe tradit Abi Osbaia. Id fortaſſe Scientiæ genus a Græcis mutuatus eſt, iis potiſſimum, qui haud multis ante ejus tempora Sæculis idem argumentum tractaſſent. Verum ea quæ proprie dicitur Ars Chymica, quatenus ad Medicinam ſpectat, ſine dubio Arabibus accepta referri debet: ac licet Præparationum Chymicarum primum in Medicina uſum Clericus Avicennæ tribuat, tamen in priori hujus Hiſtoriæ parte, Rhazem earum mentionem ante omnes alios feciſſe, luculenter demonſtravi.

Pauca ea quæ de Auctore hoc notavi ſatis oſtendunt, nonnulla ſaltem in eo reperiri quæ materiam ſuppeditent Hiſtorico. Cui tamen valedicere nequeo, non producto ante aliquo ejus de Medicina opinionum ſpecimine, quemadmodum Ars iſta diſci, quibuſque præſidiis ejuſdem Profeſſores inſtrui debeant; cumque ea quæ de argumento iſto enunciaverit nova ſint ac plane ſua, id curioſis Lectoribus delectationi ſaltem futurum reor, ſi quo is hæc modo protulerit, eodem ipſe expoſuero. Quam rem, uti exiſtimo, haud inartificioſe ſub duobus, qui ſequuntur, Titulis præſtitit.

Qualis Medicus eligi ac probari debeat.

Imprimis magnopere videndum eſt, quemadmodum is, quem Tibi Medicum eligere velis, tempus impenderit, & quanam ratione in ſtudiis ſuis operam poſuerit. Si in evolvendis penſitandiſque & conferendis Veterum Medicorum ſcriptis magnam adhibuerit diligentiam, bonam de eo opinionem animo informare æquum eſt. Contra, ſi in aliis rebus ætatem conſumſerit ab hoc ſtudio abhorren-

[n] Obſerv. Med. Chir. 95.

tibus,

900. tibus, ſi vel Muſicæ, vel compotationibus, vel alii cuivis pravæ con- RHAZES.
ſuetudini multum deditus videatur, nihil de eo bene ſperare fas eſt. Quod ſi conſtet hunc ad Litteras gnaviter uſque animum appuliſſe, ingenium dehinc atque indoles ejus conſideranda eſt: utrum in commercio ſit verſatus hominum qui cum eo diſputare & ei reſiſtere valuerint: & utrum certis freti indiciis eam hunc ſagacitatem conſecuturum ſperemus, quæ in perſcrutandis curandiſque Affectibus neceſſaria eſt; poſtea inquirendum eſt, quantum temporis ſpatium inter eruditos iſtos homines tranſegerit, atque an eorum ope tam cognoſcendi quam levandi cujuſpiam Morbi artem acquiſierit. Pertinetque ad rem noſcere, utrum earum ſcientia rerum probe ſit inſtructus, quarum ſtudio incubuiſſe præ ſe ferat: id ſi ita eſt, amplius inveſtigandum reſtat, utrum in ægrorum viſitatione aſſiduus, & in eorum curatione felix extiterit. Neque vero ſcitu inopportunum erit, numnam in Civitatibus populo abundantibus artem exercuerit, cum magnus in hujuſmodi locis non modo ægrorum ſed etiam Medicorum reperiatur numerus. Quod ſi is de quo loquimur & eruditione & uſu valeat, haud temere pro perito haberi poteſt, quique aliis pleriſque Medicis jure præferri debeat. At ſi in harum rerum alterutra deficiat, præoptandum eſt ut uſu potius indigeat (haud ita intelligi volo quaſi de homine loquerer prorſus inexercitato ac rudi) quam ut nihil quicquam de Veterum doctrina cognoſcat. Nam qui in Antiquorum ſcriptis probe verſatus, ea diligenter animo perpenderit, haud diuturni uſus ſubſidio id facile conſequetur, quod a Viris in hoc eruditionis genere hoſpitibus nunquam obtinebitur; eos dico qui & nihil fere ſcientiæ de proprio habent, & id quodcunque arripuerint, longo cum iis commercio debent, qui Medicinam in Urbibus ægrorum & Medicorum numero refertis exercuerint.

At ſi Sciolus quiſpiam ſe pro Magiſtro venditet, cum Litterarum vel omnino expers ſit, vel iis leviter imbutus a ſe lecta vix percipiat, Profeſſionis ſuæ notitiam ſaltem atque uſum minime fuerit aſſecutus: hujuſmodi homo nequaquam is eſt cujus in ingenio magna haberi poſſit fiducia; neque vero ſubeſt ulla ſpes, ut in ſua unquam Arte emineat. Fieri enim nequit, ut Vir unus, quantamcunque is ætatem attigerit, rem ita diffuſam atque amplam animo comprehendat, niſi Antiquorum veſtigiis inſtiterit; cum ſcientiæ hujus ambitus longe extra anguſtos humanæ vitæ limites excurrat: quod utique non in hac ſolum ſed in aliis pleriſque Artibus verum eſt. Haud pauci ſunt ii Auctores quorum laboribus increvit Medicina; atqui horum monumenta intra paucorum annorum breve curriculum fruſtra percipere ſperes. Eſt ut per mille annos mille Scriptores Profeſſionem hanc auxerint: is autem qui in eorum Libris intelligendis diligenter operam poſuerit, intra exiguos vitæ terminos æque animum ſuum cognitione rerum inſtruet, ac ſi millenos ipſe annos Medicinæ ſtudio impendiſſet. At ſi Veterum lectio vilipendatur, quid demum ab uno homine præſtari poteſt? quantumcunque is alios

Rhazes. excelluerit, quanam ratione privatum ipſius penum ditiſſimis Antiquorum theſauris comparare poſſumus? Uno verbo, quicunque Veterum Medicorum ſcripta non pervolverit, neque habuerit animo ante informatam Morborum naturam, quam ad ægros inviſendos acceſſerit, næ is in eorum curatione, Affectum vel inſcitia vel errore non dignoſcet, idque ob hanc cauſam, quod imparatus neque inſtructus provinciam hanc ſuſceperit. A. I

De Impostoribus.

Ita multa a Circulatoribus aliiſque qui ſe pro Medicis venditant, artificia adhiberi ſolent, ut ſi integrum de iſtis fraudibus Librum vellem conſcribere, in eo contineri non poſſent. Hominum iſtorum par eſt audacia ac ſcelus, cujus ipſi ſibi conſcii ægros in ipſa morte, nulli bono, miſeris vexant cruciatibus. Quidam Epilepſiæ curationem profeſſi, Fontanellum Crucis Figura in poſteriori Capitis parte incidunt, & ex eo loco aliquid eximere præ ſe ferunt, quod interim in manibus clam habuerint. Alii proponunt ſeſe ex ægrorum naribus lacertos vel ſerpentes eſſe educturos: quam rem præſtitiſſe creduntur, cum ſpecillo ferreo acuminato naribus uſque ad Sanguinis fluxum vulneratis, aliquid in eorum animalium ſimilitudinem ex Jecore aut aliis rebus confictum protraxerint. Quidam albas ex Oculo maculas deleturos ſe ſpondent; & priuſquam inſtrumentum admoveant, aliquid tenuis linteoli Oculo inſerunt, quod ab inſtrumento eductum ex ipſo Oculo tractum aſſeverant. Alii aquam ex Aure ſucturos ſeſe prædicant; ii vero ab altera parte fiſtulam aqua ore emiſſa complent, alteram autem auri aptant; cumque aquam rurſus adductam ore ejectaverint, hanc ex Aure ſuctam pronuntiant. Alii Vermes educere præ ſe ferunt, aut in Auribus, aut in Dentium Radicibus ortos. Alii ranas ab inferiori linguæ parte extrahunt; & hi quidem inciſione facta ranam ibidem immittunt, quam poſtea rurſus evellunt. Quid de Offiſculis dicam in Vulnera atque Ulcera intromiſſis, quæ cum illic aliquandiu relicta ſint, iterum a præſtigiatoribus iſtis auferuntur? Sunt qui, ubi Calculum e Veſica traxerint, ægro perſuadent alterum adhuc intro relictum; quod eo faciunt, ut alterum exemiſſe credantur. Eſt ubi Veſicam explorantes, utrum ſubſit Calculus necne plane neſciant. Quem ſi inter operationem non invenerint, eſt tamen iis in promtu alter quem ægro, velut a ſe eductum, oſtendant. Nonnunquam, ut Hæmorrhoidas curent, anum incidunt: atque operationem iterando Fiſtulam aut Ulcus ibi creant, ubi neutrum antea ſuberat. Quidam ſe pituitam, vitro ſimilem, e pene vel alia corporis parte, per Tubi cavum, trahere dicunt: cum eo aquam ex ore immiſerint. Alii jactant ſeſe in unum colligere poſſe fluctuantes per univerſum corpus humores, partem fructu alkekengi fricando; quæ res cum fervorem & inflammationem moverit, præmium poſtulant, quaſi morbo ab ipſis curato: locus enim oleo perunctus dolore

ſtatim

900. ſtatim liberatur. Quidam ægris perſuadent, vitrum eſſe ab illis devoratum; ac deinde pluma in eorum gulam detruſa vomitionem excitant, per quam ea ipſa rejicitur materies quam una cum pluma in ventriculum demiſerant. Multa ejuſmodi educuntur a Planis iſtis quæ ab iiſdem antea fuerint intromiſſa; quibus artificiis frequenter hominum ſalus in diſcrimen adducitur, frequenter etiam ipſa mors ſupervenit. His quidem fraudibus minime circumveniri poſſent homines acumine aliquo præditi, niſi doli omnis ſecuri in peritia Medicorum iſtorum fiduciam haberent: tandem vero vel aliquid ſuſpicantes, vel eorum opera attentius conſiderantes, fallaciam detegunt. Non eſt igitur viri ſapientis vitam ſuam hujuſcemodi præſtigiatoribus committere, neque ſumere ultra ab illis medicamenta, quæ tot homines antea in exitium præcipitaverint. RHAZES.

Poſterior hæc a Rhaze facta deſcriptio evidenter oſtendit quantopere in omnibus ætatibus invaluerint Agyrtæ, atque iiſdem prope technis ſemper ſint uſi; quos quidem is ad vivum depinxit: ac ſi noſtris vixiſſet temporibus, multos utique imagini a ſe adumbratæ perſimiles reperire potuiſſet.

980. Proximus ordine eorum eſt, quorum opera ad nos pervenerunt, celebris ille Avicenna, Filius Hali, Bocharæ natus, in Chorafana, circa A. D. CMLXXX. Is juvenis admodum Philoſophiæ operam dedit; &, ſi diſcipulo ejus Sorſano credimus, Euclidem alioſque de Re Mathematica Libros, nondum annos ſexdecim natus accuratiſſime pervolverat: neque ita multo poſt eos fecit in Medicina progreſſus, ut in illa multum arte inclaruerit. Sagacitatem ejus Hiſtoria ſequente prædicant Scriptores Arabici, Pulſu nempe deprehendiſſe morbum, quo laboraret Caboi Nepos, haud alium fuiſſe quam amorem; ad hæc, machinatione quadam fœminam comperiſſe cujus amore deperiret; ex rei ſimilitudine haud abſurde quis conjecerit id confictum eſſe ex eo quod de Eraſiſtrato[a] prodit Appianus in affectu Antiochi Seleuco nati. Avicenna Iſpahani præcipue commorabatur; Arabes hunc voluptatibus impenſe fuiſſe deditum narrant, ita ut in varia inde morborum genera deciderit; deque illo iis temporibus vulgare dictum erat, Neque Philoſophiæ ſtudia ad virtutem, neque Medicinæ ad tuendam valetudinem quicquam ei contuliſſe. Anno ætatis ſuæ quinquageſimo octavo Medinæ deceſſit, aut ſi calculum ad amuſſim exigamus, quinquageſimo * ſexto, A. D. MXXXVI, atque in Civitate Hamadan ſepultus eſt. AVICENNA

Magna in celebritate nomen ejus fuiſſe ex Hiſtoria diſcimus; ita ut a quibuſdam popularium ſuorum ad Viziris dignitatem aſcendiſſe memoretur; unde factum exiſtimo, ut Recentiores quidam Principem fuiſſe rati ſint, aliique Regem appellaverint: quanquam

a Bell. Syriac. * Anni Arabici Lunares ſunt; ideoque quanquam Hegira cæperit A. D. DCXXII, aliquid de iis ſubtrahi debet, ubi ad Annos Chriſti rediguntur, uti a docto Abulpharagii Editore factum eſt, quatenus ad iſtam Hiſtoriam ſpectat. Quoniam vero non niſi exigua hinc diverſitas eſt in paucis a me hoc loco memoratis Auctoribus, adeo religioſam accurationem neceſſariam non putavi. Id qui deſiderant, Tabulas adire poſſunt ab eruditiſſimo Doctore Greaves compoſitas.

haud

AVICENNA haud inter ſe conveniant, utrum in Bithynia regnaverit, an Cor- A. D
dubæ.

Hæc ſunt de origine & ætate Avicennæ ab optimis Auctoribus tradita, licet a quibuſdam, ſine ullo fundamento, Hiſpanus credatur, ab aliis autem Ægyptius. Miror, unde materiam ad compoſitionem Fabulæ, quam de hujus Auctoris vita edidit, corraſerit Neander; ſiquidem hic fidenter narrat, Avicennam Edeſſæ natum fuiſſe, (quæ urbs Commagenes caput eſt) A. D. MCXLV; inde Alexandriam profectum, ſub Rhaze Magiſtro Litteris ſtuduiſſe; poſtea Cordubæ in Hiſpania fuiſſe Averrhois Diſcipulum. Verum huic Scriptori haud inuſitatum eſt, paginarum numero numerum fabularum & contradictionum æquare.

Ingens Opus confecit Avicenna, cui Canonis nomen indidit; & Libri hujus fama ita per univerſam Aſiam pervulgata eſt, ut eum alii haud pauci Arabes Sæculo duodecimo ac decimo tertio in Epitomen redegerint, & in eundem Commentarios ediderint; etiam multo ante hæc tempora adeo celebris in Europa factus eſt, ut nulla alia in Medicinæ Scholis locum obtinuerit doctrina; in quibus quidem uſque ad Scientiarum inſtaurationem ſolus Avicenna feliciter regnavit.

Aliquid ab hoc Auctore non ſine cauſa videatur expectandum, quod nomini tanto reſpondeat; quanquam vero multis in occaſionibus Scripta ejus conſuluerim (neque enim exiſtimare te credo ea eſſe a me non interrupto lectionis curſu pervoluta) pauca aut nihil potius in iis repperi, quod non ſit a Galeno ſumtum, vel quod, exigua mutatione, non in Rhaze ſaltem aut in Haly Abbate occurrat. Morborum ſigna ut plurimum ſine ratione Avicenna multiplicare amat; quod quidem vitium (uti errores imitari res facillima eſt) Recentes Syſtematum Scriptores nimis preſſe ſecuti ſunt. Is quidem ſæpius pro Symptomatis primariis ea habet, quibus neceſſaria nulla cum principali morbo communio eſt. Utque vera fateamur, ſi Arabicum Medicinæ Syſtema eligere vellemus, id cujus Auctor eſt Haly Abbas & minus confuſum eſt, & magis intellectu facile, magiſque ſibi ipſi conveniens videtur eo quod ab Avicenna factum eſt.

AVENZOAR. Avenzoar, licet ætas ejus exacte determinari nequeat, tempore poſterior fuiſſe videtur; vixiſſe ante Averrhoem certum eſt, cum hic illum magnis juſtiſque præconiis haud raro extollat, vocetque Admirabilem [w], Glorioſum [x], Scientiæ omnis Theſaurum [y], atque in Medicina poſt Galeni tempora Supremum [z]. Natus, ſaltem diu commoratus eſt, Hiſpali, quæ Urbs Andaluziæ caput eſt, & erat tunc temporis Chaliphæ Mahometani ſedes. Annos centum triginta quinque attigit: Medicinam exercere cœpit, cum annos quadraginta, aut ſecundum alios, viginti haberet; longiori quam alius quiſquam uſu atque experientia inſtructus [m], cum uſque ad horam mortis in-

w 52. x 30. y 64. z 39. m Averrh. 30.

tegra

o. tegra valetudine frueretur. Narrat ipſe nobis, quemadmodum eum Haly, Regis in iſta Urbe Comes Stabuli, in carcerem conjectum male multaverit; quanquam, ipſo referente, Comitis iſtius Filium, vel ante vel poſt id tempus, Ictero liberaſſet. Librum conſcripſit, Thaiſſer vocatum, id eſt Librum qui omnia victus & Medicinæ præcepta in pleriſque morbis contineret; in quo opere certe multa ſe experientia fuiſſe exercitum comprobavit. Et ex eodem conſtat, Noſocomio præfectum fuiſſe, nec infrequenter Miramamolini juſſu in negotiis verſatum. AVENZOAR

Apud pleroſque Scriptores Empiricus audit; tamen exputare nequeo, quare huic præcipue nomen id indiderint, quod, mea ſententia, minus ei convenit, quam alii cuivis inter Arabas. Qua ex re ſuſpicari licet, eos in lectione haud ultra Præfationem progreſſos: nam in ea quidem invenitur Formularum & ab ipſo & ab aliis adhibitarum collectio. Nam præterquam quod domo erat Medica oriundus (cum & Pater ejus & Avus artem hanc exercuiſſent, quorum mentionem ſemper facit gratam atque honorificam) ipſe ſe juſta inſtitutionis forma educatum fuiſſe teſtatur; neque ea ſolum quæ proprie ad Medicum pertinerent, ſed omnia quoque, præ vehementi Scientiæ ſtudio, ad Pharmaceuticen & Chirurgiam ſpectantia didiciſſe. Pro Axiomate ponit, "Experientiam veræ Praxeos ducem eſſe & "probatricem optimam, ab eaque & ſe & alium quemque Medi- "cum vel condemnatum vel abſolutum iri tam in hac vita quam in "futura." In alio loco ſententiam ſuam diſertius explicat, ubi declarat quam nullius momenti ſit in quibuſdam Tumoribus, utrum hoc vel illud Oleum applicetur; & animadvertit obiter, "Curandi "artem diſtinctionibus Logicis ac Sophiſtarum ſubtilitatibus adeo non "acquiri poſſe, ut nihil præter diuturnum uſum exquiſito judicio "conjunctum facultatem hanc eximiam impertiri valeat." Exempli gratia, inquit, "Si aliquis ſophiſticando ſe voluerit in tantum ſub- "tiliſare in Medicinis Laxativis, ut inveniat in ipſis quantitatem & "qualitatem Purgationis proportionaliter, ut ægritudo & quantitas "humoris vel humorum exigere videtur, & non excedat in plus vel "minus uno pilo, &c." hujuſmodi Speculationes ad judicium informandum, vel rectam curationis viam inceptandam parum proficient. Atque hic ſine dubio ante oculos habuit Alkindum, qui vaniſſimum, uti infra dicetur, Librum de Medicamentorum doſibus & quantitatibus conſcripſit.

Ita parum certe hic addictus Empiricæ eſt, & meras ita pro nihilo habet formulas, ut in hac re anicularum impudentiam haud minus vehementer incuſet, quam vanam Aſtrologorum ſuperſtitionem irrideat. Quod de ſeipſo in quodam caſu narrat perquam memorabile eſt; nam cum in dubio ipſe hæreret, & aliorum complurium Medicorum inutiliter ſententiam rogaſſet, tandem ad Civitatem profectus eſt, ubi Pater ejus degebat, uti hujus conſilio uteretur. Senex autem, nullo ei reſponſo dato, locum in Galeno indicavit, quem legere eum juſſit; ſi ex eo poſſet morbi curationem indagare, bene eſſe:

Avenzoar esse: sin aliter, frustra in Medicinæ studio operam insumturum. A Consilio succesſus non defuit, ægerque cum magna & Patris & Filii lætitia convaluit. Ac profecto per universum hoc opus ita constanter Dogmaticam sive Rationalem Sectam, quæ ex toto Empiricæ contraria est, amplectitur, ut multa passim tam de Morborum Symptomatis quam de eorum Curatione disputet. In Theoria vero uti Galenum præcipue, ne dicam per omnia, sequitur, ita frequentius quam cæteri Arabes verba ejus profert.

Quanquam autem ita presse Galeni vestigiis insistit, multa in eo occurrunt, quæ in aliis Scriptoribus raro aut nunquam reperias; & quasdam ab Experientia propria narrat Historias, lectu non indignas. Aliquos item affectus nominat, qui sibi ipsi inciderint, ac præsertim Ischiadem, & Dysenteriam: hanc se curasse tradit gesto super ventrem smaragdo, quem in simili casu dari jubet in pulverem redactum ad pondus sex granorum; hujus quidem gemmæ utilitatem Aetius antea contra omnes Sanguinis fluxus prædicaverat.

Singularis quoque iste affectus est, quo se implicatum tradit, Inflammatio & Abscessus in Mediastino, in ea, inquit, Membrana, quæ Thoracem in duas partes æquas dividit. Ubi primum tentatus est, quod ei in itinere contigit, doloris aliquantulum in eo loco persensit, qui cum Tussi increvit; pulsus una aderat durities, cum Febre acutissima. Quarta nocte Libram Sanguinis detraxit, ex quo Symptomata haud ita multum levata sunt: proximo die cum iter continuare coactus esset, noctu in soporem decidit, quo tempore fascia de brachio lapsa, e somno experrectus lectum sanguine undantem viresque multum imminutas deprehendit. Insequente die saniei aliquid expectorare cæpit; quare Aquam hordei larga quantitate hausit, sed curationem ingenti Sanguinis fluxioni tribuit. Hæc eo fusius narravi, quod primam hanc ejus Morbi in Historia Medica descriptionem invenio. Symptomata, inquit, generalia in Abscessu sunt, continua sine intermissione Tussis, cum dolore distendente, qui secundum longitudinem Pectoris porrigitur; respiratio impedita, frequens, & exigua, acuta febris, sitis vehemens, pulsus durus & inæqualis. Quamobrem in initio Sanguinem detrahere, omni dubitatione præcisa, oportet. Et quanquam hæc Symptomata eadem fere in Pleuritide contingant, de iis loquitur quasi de duobus Morbis inter se distinctis, idque in duobus [p] Capitibus; illud etiam animadverti potest, utcunque in Pleuritide diserte jubeat ex opposita parte Venam incidere, quod in eadem parte factum ægro mortem inferre pronuntiat, tamen in Mediastini vitio id optioni eum nostræ permittere, cum nihil quicquam interesse censeat, modo Sanguis e Basilica mittatur.

Uti Abscessus in Mediastino, ita in Pericardio [q] quoque, mentionem habet Avenzoar; quem neque descriptum neque observatum ab ullo inter Græcos Arabasve invenio; tamen haud dubitari potest, quin Membrana hæc, & Mediastinum cui ea contigua est, Inflam-

[p] 63, & 65.

[q] 52.

mationi

D. 980. mationi pariter, ac Pleura & Pulmo, ſint obnoxia. Salius Diverſus, qui ſatis cum judicio morbos complures a pleriſque Scriptoribus neglectos, memoravit, affectum hunc in diſtincto[r] Capite deſcribit; neque ab ullo ait ante ſe Auctore animadverſum. Symptomatum, quæ inflammatæ huic parti ſuperveniunt, facta ab eo enarratio accurata admodum atque particularis eſt; & quia caſus extra communem notitiam eſt, utcunque ſine dubio inter medendum frequenter occurrat, &, modo attendatur, facile dignoſci poſſit, breviter ea quæ de hoc animadvertit Salius exponam, quæque iſtis ab Avenzoare dictis plurimum conveniunt. Adeſt acuta Febris, anxietas, ſitis, reſpiratio denſa ac celer, ingens in Thorace fervor, doloris nihil fere niſi in Sterno, quo in loco moleſta potius anguſtia & intercluſio quam in ſpirando dolor ſentitur; Tuſſis nunquam abeſt, Pulſuſque ut in Pleuritide durus eſt. Tamen a Pleuritide diſtinguitur ex eo quod dolor non ita acutus percipitur: a Peripneumonia, quod multo minor eſt ſpirandi difficultas. Ubi acceſſerit Pericardii inflammatio, vehementior calor, & frequens Syncope; & ut uno verbo dicam, omnia deteriora ſubſunt. Recteque is concludit, minori has Membranas affici dolore, ideo quod ſolutæ ſint, neque Coſtis, uti Pleura eſt, annexæ: in Sterno ſolum, cui adhæret Mediaſtinum, aliquid moleſtiæ percipitur. Utque a ſe affirmata probet, caſum profert hominis, qui nono die, poſt aliquot Syncopes acceſſiones occubuit; eo aperto, Interſepientium, uti has vocat, Membranarum, & Pericardii in aliqua ejus parte, Inflammatio patuit. Neque dubito quin affectus hic frequentius incidat, quam a Medicis vulgo concipiatur. Ubi in hoc loco Inflammatio in Suppurationem abit, poteſt erumpere materia in cavum Mediaſtini; quanquam enim inter Anatomicos magnæ fuerint diſputationes, utrum illic cavum ullum inveniatur necne, Culter, me judice, hanc controverſiam dirimit, oſtenditque vacuum ei locum ineſſe, licet haud ita amplum, ut a quibuſdam deſcribitur; ſaltem qua parte originem a Sterno ducit, duæ ejus eo intervallo diſtant Membranæ, ut inter eas humor vel pus delabi poſſit, prout a Columbo primum animadverſum eſt, quam & ille & Barbettus materiam Sternum terebrando emitti jubent. Illud etiam adjicit Spigelius, vidiſſe ſe Chirurgos aliquando a Vulneribus huic parti illatis deceptos, cum ea in Pulmonem penetraſſe crederent, quæ ad hoc duntaxat Cavum revera pertigiſſent. Quodque ad hic a me poſita ulterius probanda pertinet, Vir quidam ob diutinam experientiam exquiſitumque in ſingulis rebus ad Chirurgiam pertinentibus judicium merito celebris narravit mihi, Abſceſſus in Mediaſtino Venereis præſertim in Morbis frequentiſſime oriri, atque in hujuſmodi caſibus Terebram a ſe ſæpiſſime magno cum ſucceſſu adhibitam. Ex quo diſci poteſt, quam nullo fundamento Operationem hanc pro vana & ridicula habeat Paræus[o].

[r] Curat. Morb. partic. 225. [o] 3, 7.

Avenzoar,

AVENZOAR Avenzoar, uti dictum est, Inflammationis & Abscessus in Pericardio commeminit: Rondeletius item in Libro de [p] Morbis per Symptomata distinguendis aliqua de eodem Affectu habet. Is in hoc casu notat, præterquam quod minor sit spirandi molestia, minus quoque ægrum, ubi spuit, eo levari quam in Peripneumonia. In Cadavere a se dissecto Pericardium vehementer inflammatum repperit, & nonnihil sanioſæ circa Cor materiæ. Exemplum haud absimile in Hildano [q] videri potest, ubi fluidi cujusdam mixti & extravasati quantitas quatuor Librarum modum excedebat, etsi nulla fuisset ipsius Cordis pars exulcerata: æger aliquandiu ante mortem de dolore præcipue questus est qui sursum ad humeros pervadebat, ac vehementi Palpitatione Casum hunc, uti valde acutum & anceps, ita quoque perrarum agnoscit, quique a nemine quoquam antea esset observatus. Quod ad hunc Scriptorem Saliumque attinet, neuter forsitan eorum cognovit ea quæ alter de hoc argumento dixisset; quanquam enim multos ante annos decesserit Rondeletius, tamen ejus Liber editus fuit non nisi anno priusquam suum publicasset Salius [c]. Veruntamen, licet a duobus his Auctoribus hæc tanquam recenter inventa prædicentur, Morbum ipsum ab Avenzoare plene dilucideque descriptum commonstravimus. Atque id sane similiter recentiorum multis contigit, ut neglecta Veterum lectione, observationes quasdam pro novis ac suis venditaverint, quæ in istorum monumentis reperiantur. A. D.

Quædam etiam amplius ad Pericardium spectantia tradit Avenzoar. Loquitur enim de incremento ejus per novæ cujusdam substantiæ generationem, quæ Cartilagines aut Pelliculas specie referat; quam rem a nullo ante se animadversam asserit. Id, credo, intelligi vult de Tunicis hujus Sacculi incrassatis; nam cum in ejus Glandulis fit obstructio, aut nimius Lymphæ lentor, quæ liquorem in hoc cavo naturaliter comprehensum sufficere debet, Pericardii Membranæ in immensam frequenter molem augescunt, & sæpissime Cordi adhærere comperiuntur; idque præcipue in Tabidis & Asthmaticis, ex quo frequens oritur Palpitatio, & Syncope. Quæ quidem adhæsio, minus perspecta, Columbo [d] fortasse & aliis quibusdam occasionem dicendi præbuit, Corda se vidisse Pericardii prorsus expertia; certe membranæ hujus coalitio res multo probabilior est quam ejusdem absentia. Hanc vidisse me memini ejus crassitudinis per universum ambitum ut quartam Pollicis partem exæquaret, Cordique adeo firmiter hærentem, ut sine laceratione nullo modo divelli potuerit; Inflammationem præcessisse manifestum erat, nam ea partim Scirrho induruerat, partim scatebat minutis Abscessibus. In homine, per aliquod tempus magna fuerat virium imminutio; tum febris supervenit, cum vehementi in spirando difficultate, ac dolore Pectoris. Postea, dolores erant magis per universum corpus dispersi, in Artubus præsertim Febris etiamnum inhærentibus relliquiis: juxta finem morbi, Pulsus perpetuo incitatus, sæpius

p cap. 10. q Centur. 1. 43. c 1683. d Lib. 15.

etiam

1680. etiam inæqualis & intermittens deprehenſus eſt, cum violenta Pal- AVENZOAR.
pitatione. Tandem æger inopinanter, idque uno temporis momento, exſpiravit; tamen aperto Thorace, rem attentius conſiderantibus magis mirum apparuit, Circulationem eo uſque continuari potuiſſe, cum vix locum, in quo moveri poſſet, Cor haberet: prætérquam quod & in Arteria Pulmonari & in ſiniſtro Cordis Ventriculo ingens eſſet Polypus, qui originem fortaſſe primario Pericardii morbo debuerat.

Hydropem [w] quoque in eadem parte memorat Avenzoar; quem nec ipſe antea viderat, neque a Galeno uſpiam nominatum ait. Tamen ejuſmodi affectum alii obſervarunt; quanquam enim in naturali ſtatu, & valido coporis habitu, Aqua hic incluſa haud ultra duo vel tria Cochlearia impleat, tamen in morbo defunctis ad ſemilibram haud infrequenter, aut etiam majori copia, deprehenditur, quod idem in Senibus contingit. Exemplum profert Piſo [c], ubi multas a ſe Libras tradit inventas; neque mirabilis videri debet ita magna hujus Membranæ diſtentio, cum idem in aliis plurimis eveniat. Ipſe Piſo de Abſceſſu in Renum altero loquens, quatuordecim in hoc Puris Libras fuiſſe dicit, capſula interim ipſius Renis integra nec dirupta. Eademque ſpecies in Ovario, tantula naturaliter humani corporis particula, oritur, ubi id Hydrope tentatum eſt; quo in caſu Membrana haud modo in immenſam ſe dilatat Cyſtin, verum etiam Tunicæ ejus, tanquam in Utero Prægnantium, ea ratione incraſſeſcunt, qua ipſius dimenſiones augentur.

De Tabe agens, Lac Aſininum a Galeno vehementer prædicatum ait; illud autem adjicit, quoniam Sarracenis nefas eſſet Animalis ejus carnem aut Lac pro cibo ſumere, Caprinum hujus vice a ſe in hoc morbo præceptum; uti & alias ſemper per univerſum opus ab eo factum eſt. Hanc obſervationem, niſi memoria me fallit, in alio nullo Scriptore inter Medicos Arabas inveni. Video quidem & Rhazem & Avicennam, cum de variis loquuntur Aſini partibus quæ Medicinæ uſibus inſerviant, Lactis Aſinæ mentionem omiſiſſe: quin & eas ipſas partes externe potiſſimum applicari volunt. Tamen eodem in loco præcipiunt, quemadmodum Jecur, Ungulæ, & Stercus etiam intro ſunt ſumenda. Atque ipſe Avicenna Lac etiam in Febre Hectica & Ictero commendat. Quomodo conciliari poſſit hæc diverſitas, curioſioribus inveſtigandum relinquo; quantum ex [n] Herbelotio colligere poſſum, patet id animal inter quoſdam Mahometanos Orientales magno in honore, inter alios autem pro abominando habitum: Legiſque exactiſſimos cultores ad hanc ſententiam inclinaſſe; ita ut Mariſſi, Vir Philoſophiæ Legiſque cognitione illuſtris, quemque ex Hiſtoria novaſſe multa conſtat, inter primos fuerit qui comedendam Aſini carnem conceſſerit: cujus diſcipulus Bokhari, qui A. H. CCLVI obiit, inter alias recentes doctrinas, eandem opinionem defendit contra Pontificem Maximum, qui etiam Vaccarum & Ovium Lac in Religione Mahometana vetitum cenſuerit.

w 52. c S. 3. 2. n Vid. Hemar, Mariſſi, Bokhari.

AVENZOAR Eadem Opinionum varietas eſt inter Mahometanos in aliis rebus A. D
ad Medicinam pertinentibus. Avenzoar quaſdam in Chirurgia Operationes, uti ab eo vocantur, fædas & abominandas memorat, quas homini nobiliori præſtare minime conveniat, qualis eſt Calculi extractio; neque pio cuivis, vel intueri Genitalia, Lege licere exiſtimat. Idem tamen de Operationibus, quæ in his membris fiunt, agit, quod item ab aliis Medicis Arabibus factum video.

Solus inter omnes Arabas Avenzoar de Bronchotomia[x], in deſperata Angina, bene exiſtimare videtur: etſi, cum Operationem hanc arduam eſſe cenſeret, neque vidiſſet unquam præſtitam, obiter tantum ejus meminerit, neque ſe primum velle hanc in uſum trahere dicat. Rem ipſam tamen fieri poſſe, experimento ob hanc cauſam in Capra facto, judicat; is quippe, Aſperæ Arteriæ Annulis inciſis, vulnus quotidie Aqua Mellis fovit, cumque huic caro induci cæpiſſet, pulvere ex Cupreſſi nucibus adhibito id ad integritatem perduxit.

Quæ ab illo dicuntur de Gulæ Relaxatione aut intercluſione, ex qua ſequitur alimenti devorandi impotentia, nova ſunt, neque a Græcis aut Arabibus ullo modo explicata. In hoc caſu tria auxiliorum genera proponit. Primum hoc modo efficitur: Fiſtula e Stanno aut Argento facta, ei ſimilis quam Provenguam dicimus (quod inſtrumentum in hunc uſum Auctor iſte primus adhiberi jubet) in fauces demittitur, per quam Lac aut aliud alimentum tenue recipitur. Secunda ratio eſt, ut æger in Balneo Lactis, aut hujuſmodi Liquoris jaceat; quo alimenti particulæ per Poros ſe inſinuent: verum hanc viam jure pro frivola irridet. Tertius modus ope fit Clyſteris; quæ, eo judice, veriſſima via eſt, neque unquam improſpere cedit. Ac licet objici poſſe animadvertit, nihil, velut a Galeno poſitum eſt, hac injectionis via ad Ventriculum pertingere, tamen in hoc caſu magnam eſſe rei diſcrepantiam notat. Liquor per Clyſterem, ſueta quavis in occaſione, impulſu ac vi inditus, uti fatetur ille, nunquam poteſt uſque ad Ventriculum adigi; quoniam reſiſtens vis inteſtinorum contractilis id quod injectum eſt retro pellit. Aliter vero rem ſe habere exiſtimat, ubi corpus alimento valde indiget, Inteſtina vero Fæcium onere vacua ſunt; rebus ſic ſtantibus, vim quandam attrahendi Stomacho & Inteſtinis ineſſe cenſet, cujus operatione quicquid in his comprehenſum eſt ab alio in aliud ſenſim adducitur. Atque id hujuſmodi exemplo illuſtrat; cur, inquit, haud probabile putemus Lac vel Juſculum attractionis potentia per Inteſtina uſque ad Ventriculum poſſe pervadere, cum Semina in Olla, aut vaſe fictili poſita manifeſte nutrimentum ad ſe trahere atque imbibere videamus etiam ultra ipſius Vaſis terminos? Quicquid de Auctoris hujus Philoſophia cogitemus, id quod fieri jubet attentionem certe meretur; quoniam illud haud ab eo confictum eſt, ſed Oribaſii[a] auctoritate confirmatur, qui Capitulum eodem ſpectans conſcripſit. Idque & ſatis firmis niti funda-

[x] 41. [a] Collect. 8. 34.

mentis,

980. mentis, & multis in occaſionibus reſponſurum credo. Quidam e Recentioribus id inutiliter tentari opinantur; ob has ſcilicet rationes, quod per Coli Valvulam tranſire nihil ſurſum queat, quodque in Colo & Recto Inteſtino nulla reperiantur Vaſa Lactea, quæ inditum recipiant imbibantque alimentum. Poſterius argumentum, mea ſententia, in dubium vocari poteſt; immo optimi quidam Anatomici demonſtrarunt, aliqua, etſi pauca, in his etiam Inteſtinis Vaſa diſſeminari Lactea. Nam Peyerianæ hic Glandulæ, quanquam ſimplices ſint, & majori a ſe invicem intervallo, quam in Tenuibus Inteſtinis, diſtent, (unde forſitan Conglobati generis habitæ ſunt) tamen peramplæ ſunt, ideoque, ut conjicio, ad recipiendas craſſiores alimenti particulas idoneæ. Quanquam autem nulla hic eſſent Vaſa Lactea, rem nullo modo Naturæ, legibuſque ab ea in Animali Oeconomia ſervatis contrariam poneret, quiſquis nutrimenti particulas, præſertim in eo inanitionis ſtatu, etiam intra Vaſorum Sanguiferorum Poros abſorberi poſſe contenderet. Idque ita eſſe multis rationibus probari poſſet. Verum minutulis iſtiuſmodi non eſt animus inſiſtere argumentis; neque aliud animadvertam, quam Clyſterum, qui nutriant, uſum indubitata niti experientia: & plurima in Hiſtoria Medica exempla reperiri, ubi hæc ratio ſuceſſerit, cum cætera omnia nihil proficere potuiſſent auxilia. Fæminæ prægnantis commeminit Hildanus [b], quæ cum Febri per ſex ſeptimanas decumberet, ne fruſtulum quidem cibi aut humoris guttam per id omne tempus devoraverit, verum ope Clyſterum ſuſtentata convaluerit, partumque ſanitate fruens integra robuſtum ediderit. Inſigne ejuſdem rei exemplum, quod noſtro tempore obvenerit, ut Tibi in memoriam revocem non neceſſe eſt; quo in caſu vi deglutitionis per vehementem Gulæ Tunicarum relaxationem adeo imminuta, ut ex iis in utroque faucium latere efformaretur quidam quaſi Sacculus, nullam aliam, idque per ſeptimanas frequenter integras, alimenti recipiendi viam habuerit Vir illuſtris, quam hoc modo ab Avenzoare tantopere commendato. AVENZOAR

In Capite de cauſis violentæ Tuſſis, Lumbricos [c] inter cæteras ponit; ſed cum id a ſe nunquam eſſet animadverſum, fatetur a ſe poſitum eo quod ita alii antea Medici feciſſent. Narrat quidem Galenus [d], fuiſſe Auctores quoſdam in ea opinione, ut Lumbricos ab Inteſtinis in orificium Stomachi procedentes Tuſſim efficere poſſe cenſerent: quam ſententiam ille vanam exiſtimat, quia Lumbricos in hoc ipſo loco millies a ſe viſos prodit, qui nullam prorſus Tuſſim excitaſſent. Tuſſim a Veteribus inter Lumbricorum Symptomata poſitam non invenio; certe in Alexandri Tralliani Libro, qui accuratiſſimus eorum haberi debet qui ab Antiquis de hoc argumento ſcripti ſint, nulla ejus rei mentio eſt: at ſi Recentiores conſulamus, multa huc pertinentia reperiemus; quin & Experientia ipſi edocemur, nullum in Lumbricis, præſertim ubi Pueri iis tentantur, Tuſſi frequentius eſſe Symptoma.

b Centur. 4, 30. c 50. d Comment. 2. in Epidem. 6.

Antea

AVENZOAR Antea dictum est, Avenzoarem Rei Pharmaceuticæ studuisse; A. D.
isque, ut ipsius verbis utar, "Magnam in Syrupis & Electuariis [q] rite "conficiendis voluptatem cepit; & Medicamentorum operationes, "nec non & eorum facultates extrahendi, & ea inter se compo- "nendi modum, Experientia cognoscere studiose concupivit." Unde factum est ut in hoc ejus Libro multa Medicamenta, tam Simplicia quam Composita, quibus adjunguntur observationes quædam in has res alibi non extantes, passim inveniamus. Multa itidem de Plantis Venenatis, earumque Antidotis [r] habet; de Virtutibus loquitur Olei Ovorum, Balsami Naturalis, Olei Alquiscemi [s] appellati, Lithothryptici admirabilis, quod, eo affirmante, Pater ejus ab Oriente apportarat. Agit etiam de Floribus Nenufar sive Nymphææ [t], & peculiarem earum narrat, ab Avo suo inventam, in acrimonia & malignitate Hellebori Nigri corrigenda facultatem: eodem plane modo, inquit, quo Scammoneam Mastiche, & Colocynthidem Amygdalæ Dulces corrigunt. Flores hujus herbæ a Græcis non memoratos recte observat Matthiolus, cum hi de Radice solum ac Semine loquantur; is autem adjicit illos a Serapione primum & Avicenna descriptos. Verum in hoc errasse videtur: nam de Floribus neque Serapion neque Rhazes quicquam dicit, & hunc quidem in ista re exscribit Avicenna; ac licet in Antiqua Versione Flores nominentur, Plempius tamen, cui major habenda fides est, omissos esse in Arabicis quibusque Manuscriptis Codicibus tradit. Ita ut noster fortasse Auctor hunc sibi honorem vindicare possit, modo is sit aliquis honor, quod primus hanc Nymphææ partem memoraverit.

Ipsum vero Helleborum Nigrum contra morbum satis inusitatum administrari præcipit, cujus quidem ex Remedii contemplatione vix in mentem cujusquam veniret. Ossis dico excrescentiam, quam in Hominis dorso factam, cornu similitudine, atque ejusdem fere substantiæ, Avenzoaris Pater [w] viderat. Id ope Evacuantium & Exsiccantium Medicamentorum, quemadmodum Verno tempore Cervi Cornua, decidit. Adjicit etiam, similem in se excrescentiam ortam, magnis doloribus comitatam, tamen Purgantium ac Solventium usu maxima ex parte absumptam, & relliquias ejus nihil ei molestiæ creasse. Inter Purgantia Nigrum præcipue Helleborum commendat, quem cæteris magis efficacem, sed haud ita tutum existimat. Hunc, sicut etiam Album, inter Antiquos ad redundantes corporis humores, ac præcipue Atram Bilem expurgandam, valde celebratum novimus: quod tamen ab iis, perinde atque ab hoc Auctore, Medicamentum & asperrimum & valde anceps judicatur. Quæ opinio fortasse ex eo originem duxit, quod larga quantitate, (cum ejus dosis, Aretæo teste, ad duas drachmas assurgeret) ab iis præberi consuesceret. E primis Actuarius [b] est, qui hunc sine periculo, nulloque excitato tumultu, dari posse crediderit: & eundem ad multos usus, pro mirabili Remedio, summis laudibus prædicet; simul au-

q 87. r 70. s 76. t 89. w 88. b Meth. Med. 5. 8.

tem

980. tem illud animadverti debet, doſim ab illo præceptam raro drach- AVENZOAR
mam excedere. Cujus rei veritatem Recentiores nonnulli Experientia ſua confirmarunt. At ex diverſis adeo de Operatione ejus narrationibus, inter alias rationes, quidam concludere volunt, Nigrum Helleborum, quo Veteres uſi ſint, deperditum [c], & hunc quo nos utimur aliam eſſe Plantam. Quam ego controverſiam Viris in Re Botanica peritis dijudicandam relinquo, neque aliud dicam niſi hunc, qui a nobis adhibetur, quique a Caſpare Bauhino deſcribitur, Medicamentum eſſe perquam innoxium atque efficax; & moderata quantitate datum, ita parum vehementer purgare, ut ſæpiſſime nullam omnino purgationem excitet: & quanquam aliquando Vomitum moveat, haud raro tamen ne minimas quidem in Stomacho turbas creare. Duæ aliæ in eo virtutes ab Avicenna memorantur, Urinæ ſcilicet atque Menſum provocatio. Poſterior quidem harum facultas ſatis cognita eſt; & idem ego Medicamentum frequentiſſime expertus mirabiliores ex eo effectus vidi quam ab alio quovis Diuretico. Verum hoc remedii haud ſemper æque feliciter ſuccedit: quam quidem in operatione ejus diverſitatem a natura ipſius morbi oriri judico, qui & per ſe admodum periculoſus eſt, & in recipiendo hoc vel illo curationis genere varius. Scis enim in eo caſus obtingere, qui iidem plane videantur: tamen cum dolore experimur eandem viam quæ in alio ſupra ſpem ſucceſſerit, in alio nihil quicquam auxilii præſtare, idque nulla apparente probabili ratione.

De Ictero loquens, quem a Veneno ortum cenſeret, Bezoar, quod tria hordei grana pondere æquaret (haud utique ad tria grana, uti quidam volunt) dari præcipit: hoc a nemine antea pro medicamento uſurpatum, neque ullam antea ejus hiſtoriam invenio. Id ita ab eo deſcribitur: "Optimum eſt quod in Oriente reperitur, "prope Oculos Cervorum natum. Cervi grandiores, in iis regio- "nibus, ad robur augendum Serpentes comedunt. Et priuſquam "noxam ab iis ceperint, decurrentes ad aquæ rivos eo uſque ſeſe "immergunt, quoad hæc ad eorum capita pertingat; quam con- "ſuetudinem ii a natura habent: in aqua vero reſtant, ejus potione "abſtinentes (nam ſi biberent, mors confeſtim ſequeretur) quoad "oculi ſtillare cæperint; liquor autem iſte ſub palpebris exſudans "incraſſeſcit & coagulatur, neque fluere deſiſtit uſquedum caſtaneæ "nuciſve magnitudinem æquet. Cumque exhauſtam Veneni vim "Cervi ſenſerint, Aqua exeuntes ad ſolitos tendunt receſſus, & ea "humoris concretio, tanquam lapis, indureſcens, frequenti tandem "fricatione decidit. Atque hoc omnium pretioſiſſimum eſt Be- "zoar." Eadem res ab aliis quoque Arabicis Scriptoribus confirmata eſt, qui in Perſiam Chinamque, regiones eo maxime abundantes [d], peregrinati ſunt. Libri de Simplicibus, qui Serapioni tribuitur, Auctor, id in Fodinis quibuſdam naſci perperam cenſet: utque immenſum ejus pretium oſtendat, Abdalanarackum teſtem adducit,

c Salmaſ. Hyl. Jatric.

d Herbelot.

Avenzoar qui Palatium quoddam Cordubæ pro uno hujuſmodi Lapide dictum A. I commemorat. Quidam e Recentioribus negant Bezoar ab Avenzoare deſcriptum idem eſſe cum eo, quodem ſub hoc nomine in poſterioribus hiſce Sæculis circumfertur; quoniam hoc, juxta eos qui in Rebus Naturalibus maxime verſati ſunt, in Ventriculo ſemper, aut Omaſo potius, Animalis, ab iis Cervicapræ vocati, reperitur. Utcunque id eſt, haud aliter exiſtimare poſſum quin eandem rem is Auctor velit, quanquam de loco, ubi id formetur, non conveniat.

Dixi hunc non modo Medicinæ, verum etiam Rei Pharmaceuticæ & Chirurgiæ peritum fuiſſe. Narrat ipſe, "Seſe, cum juvenis eſſet, "operam dediſſe, ut Oſſium poſituram, eorumque inter ſe conne- "xionem intelligeret: neque ut Operationes ſolum cognoſceret, "ſed ut eas ipſe manu ſua exequeretur: idque magno cum ſtudio "& amore occupationis ipſius, quemadmodum Agricolæ & Vena- "tores Artis ſuæ exercitio delectantur; & eo magis hujuſcemodi "Scientiæ avidum ſe fuiſſe, quod aliquando vel ſibi, vel amicis, vel "pauperibus eam uſui fore ſperaret." Unde ſpeciatim is de Luxationibus & Fracturis agit. Atque ex iis quæ de hoc argumento habet, perinde atque ex his quæ de Pericardio ac Mediaſtino animadvertit, aliquam ei Anatomiæ peritiam fuiſſe, & in aperiendis cadaveribus mediocriter ſaltem verſatum jure aliquis ſuſpicetur; quanquam haud me fugit, vulgariter receptum eſſe, Mortuorum ſectionem a Lege Mahometana vetitam. Certe, quod ad Chirurgiam attinet, multa in eo huc ſpectantia reperiuntur: uti Ramicis [z] curatio, Fractura in Oſſe Iſchii, Vulnus in Ventre per quod excrementa prodierint, Vulnera in Venis & Arteriis, &c. Refert etiam caſum, cui & ipſe affuerit, ubi, cum Gangræna ſubeſſet, aliique Medicamenta tantum aliqua adhibere vellent, ipſe contra plurimorum ſententiam pronuntiaverit, nullo modo rem ad curationem perduci poſſe, cute non inciſa, amputataque carne emortua; quo conſilio rejecto, æger deterius ſe habuit, ac ſine dubio interiit. Inſigne quoque exemplum profert Empyematis a Patre ſuo ſumma cum arte curati: in quo is humores ad externas partes eduxerit (Natura, credo, viam indicante) ubi Tumor ortus atque in pus converſus morbum ſolverit. Atque hic verecundiam ejus nequeo non laudare, quæ quidem & in aliis multis locis eluceſcit; fatetur enim adeo conſummatæ admirandæque operationis nunquam ſe fuiſſe compotem, neque ad eum Scientiæ gradum perveniſſe.

Duæ ſunt generales obſervationes quas ex Auctoris hujus lectione proferri cupio: quarum altera eſt, quod evidenter conſtet, illius ætate, Medicinæ, Pharmaciæ, & Chirurgiæ diverſas fuiſſe Profeſſiones [y]; ac profecto excuſationes affert cur ſibi ignoſci poſtulet, quoniam contra Patriæ conſuetudinem & Patris ſui exemplum, duarum poſteriorum ſtudio animum adjunxerit: quæ ita nihili haberentur a "Medicis Honoratis & Nobilibus," ut earum ſcientia ſibi derogari

[z] 56. [y] 87.

judica-

980. judicarent, ideoque Operationes, quæ manu fierent, uti Venæſectionem, Suffuſionum tractationem, Cauſticorum applicationem, &c. quemadmodum etiam Medicamentorum Compoſitionem, "Servitoribus ſuis ac Miniſtris" linquerent. Celebres Medicinæ Scholas hoc tempore in Hiſpania, ac præcipue Toleti, extitiſſe comperimus; quas, cum Profeſſores ibidem Sapientium Virorum nomine inſigniat, & eorum judicio ſe ſubmittat, magno fuiſſe in honore credibile eſt. Altera res, quam notari velim, hæc eſt, Antiquiores Medicos Arabas, de Aſiaticis loquor, ei neutiquam innotuiſſe videri; neque enim ullum ex iis nominat, neque, quantum percipio, ullis eorum ſcriptis utitur. Quare iis temporibus parum vel nihil commercii inter Hiſpaniam atque iſtas regiones interceſſiſſe veriſimile eſt. Cujus rei ratio facilius fortaſſe afferri poteſt, ſi ea, quæ inter Sarracenos per pauca ante Avenzoarem ſæcula evenerint, nobiſcum recolamus. Nam ex Hiſtoria diſcimus, Abdalrhamanem, Moaviæ Filium, ex Omniæ domo, poſtquam Abbaſidæ Familiam iſtam deſtruxiſſent A. H. CXXXIX, in Hiſpaniam, Almanzoris tempore qui Bagdadi regnavit, profugiſſe, ac pro legitimo Chalipha a pleriſque Arabibus Occidentem incolentibus habitum. Is Cordubæ ſedem poſuit, magnumque in ea Civitate Templum extruxit; is Imperium hoc in Occidente fundavit, poſteriſque tranſmiſit: quorum aliqui, etiam poſteaquam ex Andaluzia pulſi ſunt, in nonnullis regnavere Hiſpaniæ partibus uſque ad A. H. CCCCXVI, quo tempore hæc Abdalrhamanis ſoboles imperio dejecta eſt a Maroci Rege circa A. D. MXXX. Hinc inveterati ejus odii ratio explicari poteſt, quod per aliquod tempus inter Sarracenos Orientali & Occidentali Imperio ſubjectos interceſſit, unde etiam commercium omne inter eos ſublatum fuiſſe neceſſe eſt. Quodque eandem rem ulterius comprobat, Averrhois Scripta, qui vixit haud ita multo poſt Avenzoarem, licet in Europa hominum ſermone ita celebrata ſint, conſtat neque illis neque his temporibus nota eſſe Arabibus Orientem incolentibus. Quo non obſtante, ſcimus haud ita multo poſt, ætate ſcilicet Averrhois, Scriptores Aſiaticos in Hiſpania innotuiſſe; quanquam Hiſpanus hic haud ita magnam de iis opinionem concepiſſe videatur. AVENZOAR

Vereor ne me nimis longum in Auctoris hujus mentione exiſtimes; ſed quod ita fecerim hæc mihi excuſatio eſt, quod uti eum Recentioribus minus notum quam cæteros Arabas, ita quoque plura de proprio penu promſiſſe quam alium quemvis ex iſta gente deprehenderim. Tradućtio quidem eorum quæ ab eo, ſicut etiam horum quæ a cæteris Arabibus, ſcripta ſunt, plane barbara eſt: eadem vero, ſi terſe ac polite, quemcunque in ſermonem, converſa legerentur, etiam noſtræ ætatis ingeniis placitura non diffiderem.

Haud ita multo poſt Avenzoarem extitit Averrhoes; ſiquidem hic illius Filios cognoviſſe ſe teſtatur[a]. Averrhoes Maroci obiit, A. H. DXCV, uti quidam dicunt, aut DCLI juxta alios[b]. Is & vivus AVERRHOES.

a 63, 6.

b Bib. Vet. Hiſpan. 242.

inter

AVERRHOES. inter homines magnum celebritatem adeptus eſt, & poſt mortem per univerſam Europam ſcriptis ſuis inclaruit. Cordubæ natus eſt, Legiſque ſtudio primum ſeſe dedidit, ſed poſtea Medicinæ ac Mathematicis diſciplinis animum adjunxit. Multa de Avo ejus memorat Johannes Leo, quem a popularibus defectionem meditantibus miſſum tradit, ut Regnum Imperatori Marocenſi offerret: atque ab hoc Pontificem Maximum creatum, ſummumque Regni Cordubenſis Judicem: quo ſacerdotio & ipſe & Filius & Nepos ejus potiti ſint. Averrhoes autem ob liberalitatem, patientiam, & indefeſſa Literarum ſtudia præclarus extitit: neque ei certe hæc laus neganda eſt, quod & ingenii acumine, & ratiocinandi ſubtilitate excelluerit. Commentatoris etiam nomen obtinuit ex eo quod multa in Ariſtotelem Volumina conſcripſerit: unde etiam Ariſtotelis Anima dictus eſt. In Medicina Librum, Miramamolini Marocenſis juſſu, compoſuit, cui nomen eſt Colliget: is in ſeptem partes diviſus totam Medicinæ ſcientiam continet; eſt autem magna ex parte Compendium, uti fatetur ipſe, eorum quæ ab aliis dicta ſunt, quibuſdam a ſe adjectis. In eo orſus a generalibus Artis præceptis, ad ſingula deſcendit; ideoque neminem a ſe litteris mandata intellecturum ait, qui non probe fuerit & Logica & Naturali Philoſophia inſtructus: quare plus etiam Philoſophiæ Ariſtotelicæ cum Theoria Medica miſcet, quam ab aliis factum eſt Arabibus; in qua re deficere Sapientes Andaluziæ teſtatur. Nam illud credo intelligi vult, cum verbis ſe uſurum reſque explanaturum tradit, uti ſuperiores eo nunquam fecerint, & omnia a Radicibus Naturalis Scientiæ producturum. Siquidem in Anatomia nihil novi a ſe prolatum fatetur: qua quidem in re Galenum omnino exſcribit; quodque ad Practicam hujus operis partem attinet, vix in eo quicquam, niſi ab aliis deſumtum, reperio; ac licet ſæpius ab Experientia propria loquatur, tamen haud multum videtur uſu fuiſſe exercitatus, uti etiam ex Hiſtoria Vitæ ejus conjicere licet. Tamen hanc in eo Obſervationem, neque alibi, invenio: Quod idem homo, non niſi ſemel, Variolis tentari poſſit. Id quidem in hoc Libro præcipue ab eo propoſitum videtur, ut recta in Theoretica Medicinæ parte fundamenta conſtituat, qua in re magnæ ejus ætate controverſiæ extiterunt. Utque eandem fere rationem ſequitur qua uſus eſt Magiſter ejus Ariſtoteles in ſcribenda Animalium Hiſtoria, ita in Libri hujus compoſitione id maxime in animo habuit, ut Ariſtotelis opiniones cum Galeni opinionibus conciliaret, quorum ille primus, hic ſecundus omnium Auctor ab eo habitus videtur.

Multas res ex variis Auctoribus ad Averrhoem pertinentes collegit Baylius; ſed cum hic illius ſcripta, uti videtur, nunquam aſpexerit, Auctores iſtos fidenter ſequens ab iis ſæpe in errorem ducitur. Uti cum ex Champerio prodat Averrhoem acerbas cum Avicenna inimicitias exercuiſſe, & ob hanc cauſam hujus ab illo ne mentionem quidem habitam: cum id Averrhoes & in hoc Libro ſæpius faciat, & in Diſputationibus Metaphyſicis, ut nihil de Commentario dicam,

quem

quem ſeparatim in Avicennæ Cantica conſcripſit. Quem Commentarium ſiquis adeat, inimicitias iſtas nullas fuiſſe facile concipiet: ſiquidem hunc Avicennæ Librum optimam omnium, quotquot fuerint, ad Medicinam Introductionem cenſet Averrhoes: & quoniam ea brevis eſſet, & aliquando explicationis indigeret, idcirco illud operis a ſe ſuſceptum memorat. Et quo melius æquitas ejus perſpici poſſit, etiam ubi Avicenna quædam haud recte ponere videtur, eo ſenſu illa explicat ut cum veritate congruant: uti, de mittendo Sanguine in Senibus (in qua re optima ille diſtinctione utitur) & de uſu Cavernarum quæ ſub terra ſunt. Et has quidem ſuo Climati, quod quintum erat, in Hiſpania ſcilicet, haud ita convenire inquit, cum eæ ad quartum, ubi vehementior eſſet calor, & in quo Avicenna viveret, ſatis accommodatæ eſſe poſſent. Quod ex Paſquiero adducit Baylius, Averrhoem nempe e Filio ſuo trienni Sanguinem miſiſſe, ſimilis error eſt; nam ex ipſo Averrhoe conſtat Avenzoarem id in ſuo ipſius Filio expertum. Ita quæ, de Petito ea hauriens, ait, Averrhoem ægris nunquam Medicamenta dediſſe, idque illum ipſum fateri, iis, quæ in hoc Libro reperiuntur, ex toto ſunt contraria: quanquam id agnoſco, Averrhoem veriſimiliter haud ita multum fuiſſe in Praxi verſatum. AVERRHOES.

Miratur Baylius, cur ita brevis in præclari hujus Auctoris mentione ſit Herbelotius: mihi contra mirum eſſet cur ita longus fuerit in eodem argumento Baylius, niſi viderem fabellas quaſdam futiles de Averrhoe, quaſi Religionem contemtui habuiſſet, ab eo collectas, ac ſpeciatim celebre illud dictum Averrhoi tributum, "Sit Anima mea cum "Philoſophis:" quod fortaſſe dictum haud meliori fundamento ei aſcribitur quam cæteræ res quorum antea mentionem habui. Haud ſine labore, quæcunque de hac re inter Recentes occurrerent, corraſit Baylius; & ea præſertim magis ſtudioſe fuſeque expoſuit, quæ ex Arabis hujuſce Diſputationibus contra Algazelem ſcriptis ſumta inveniſſet: qui Algazel proximo ſæculo, ex eo quod Sectam, Motazelas dictam, condiderat, celebris evaſit, quique A. H. DV mortuus eſt; id opuſculum, uti ex Rapino ait, perquam eleganter ſcriptum eſt, verum idem ipſe valde pernicioſum judicat. In eo multæ de Anima Speculationes continentur, Ariſtotelis doctrinæ convenientes; atque inter cætera explicatur Intellectus Unitas: ex quo Baylius Averrhoem Impietatis arguere vult, & eum fuiſſe qui Animæ mortalitatem aſſereret: & conſequenter Præmia Pænaſque poſt mortem negaret. Cur ille ita ſtudioſe Averrhoem in hujuſmodi opiniones trahat, conjicere nolo; illud duntaxat animadvertam, ſi pro Collectoribus iſtis Auctorem ipſum conſuluiſſet, longe diverſa Averrhois placita inventurum fuiſſe Baylium. Nam in diſſertatione [a] quadam, Averrhoes Animam Immaterialem eſſe affirmat, & in altera [b], Immortalem. Adeo uſu venit hiſce Hiſtoriæ reconditæ Contextoribus ut infinitos admittant errores ex eo quod omnia, aliorum fide, ſumant: cum, ſi ipſos fontes adiiſſent primoſque Au-

a Phyſic. Diſput. 3. b 4.

AVERRHOES. ctores perluſtraſſent, multo accuratiora eorum monumenta extitiſſent.

Verum, uti haud longius excurram, cum in hoc Auctore vix quicquam alicujus ad Medicinæ Praxin momenti reperiatur, nihil amplius de eo aut ſcriptis ejus dicere lubet. Illud duntaxat ſubjiciam, Alkindum[g] ab eo memoratum, Libri etiamnum ſuperſtitis Auctorem, De Proportione & Doſibus Medicamentorum Compoſitorum; hic fortaſſe idem fuit ac celebris ille ejuſdem nominis Peripateticus ſub imperio Almamonis: atque in hoc Libro Medicamentorum facultates ad Arithmetices Muſiceſque præcepta redigere conatur: ſed in hac re Averrhoes nimia eum ſubtilitate uſum merito putat, idque merum eſſe Speculationis opus, nullo nixum fundamen- "to, Quod ſcilicet Medicamenti vis in Compoſito duplicata ſemper "ratione increſcat," & errorem hunc male perceptis de eodem argumento Galeni verbis originem debere exiſtimat.

Sunt & alii Auctores Arabici, quorum Libri extant, uti Abenguefit, Bulcaſem, Jeſu Haly, Camanuſali, Rabbi Moſes, &c. quos, cum nihil memorabile in ſe habeant, & id mihi in animo ſit ut Medicinæ potius quam Medicorum Hiſtoriam contexam, ſilentio prætermitto.

ALSAHARAVIUS, ſive ALBUCASIS. Reſtat autem alius quidam Scriptor, de quo multis de cauſis fuſius loquendum eſt. Is eſt Alſaharavius, a nullo quoquam Arabe memoratus, neque in Europa cuiquam, niſi Matthæo de Gradibus (qui A. D. MCDLX obiit) cognitus: donec Tranſlatio a P. Ricio (& ea ſane permediocriter) facta A. D. MDXIX, apparuit, quæ tamen ipſa nunquam a Geſnero viſa eſt. Magnis illum laudibus effert Ricius; Scriptorem vocat & dilucidum & brevem, in quo tamen plurima comprehendantur; ſeque judice, nemini, præterquam Hippocrati hujuſque Interpreti Galeno, concedere ait. Opus compoſuit ille, Al-Taſrif dictum, ſive Methodum Medendi, in triginta ac duo Volumina diviſum; ubi a nonnullis in Diagnoſtica Medicinæ parte, diſtinguendiſque Morborum Symptomatis excellere judicatur. Liber ſane ordinem habet, ac laudem ſine dubio meretur. Tamen illud etiam animadvertere debeo, maximam hujus Operis partem fere in omnibus eandem eſſe cum iis quæ apud Rhazem extant; uti cognoſci poteſt, ſi legatur Tractatus ſextus & viceſimus, De Puerorum Morbis: octavus & viceſimus, De Affectibus Arthriticis: trigeſimus, De Medicamentis Mortiferis; quæ omnia quodammodo ab iſto Auctore exſcripta ſunt. Præcipueque in iis quæ de Variolis habet, cuncta fere ad verbum quæ de Peſtilentia dixerat Rhazes, mutuatus eſt; a quo ita parum diſcrepat, ut eaſdem quoque Operis diviſiones, eoſdemque Capitum Titulos ſervet: immo eandem Medicamenti cujuſdam mirabilem commemorat virtutem, quod, cum novem Puſtulæ exierint, decimam egredi prohibeat; tamen ipſum Medicamentum paullo aliter deſcribit.

[g] 43.

Atque

Atque hic culpam notare convenit, omnibus tam Arabicorum Scriptorum Editoribus, quam iis qui in illos Expoſitiones ſcripſerint, communem. Siquidem hunc vel illum Auctorem indiſcriminatim magni faciunt, pro eo venditantes qui omnia de ſe promſerit, ac ſingularibus virtutibus excellat. Pauci, quantum a Græcis ii ſumſerint, oſtendunt: & vix cuiquam ſubolet, quantum a ſe invicem ſurripuerint. Quod ſi has res indicaſſent, & ſuæ & Lectorum operæ peperciſſent; atque hujuſmodi breves obſervationes Voluminoſis eorum Commentariis fuiſſent multo utiliores. ALBUCASIS

In evolvendo hoc Auctore, Librum ab eo aliquoties memoratum animadverto, qui præcepta & uſum Chirurgiæ contineret: uti ſpeciatim, pagina 80, 81, 88, 97, 99, 107, 117, 118, 119, 123, 124, 125, 127, &c. Locos hos cum ſcriptis ab Albucaſi, uti vulgo nominatur, contuli: qui ſolus inter Arabas diſtinctum quendam de Operationibus Chirurgicis Librum reliquit; & unumquemque in Chirurgia caſum, prout ab Alſaharavio memorantur, tractatum ab Albucaſi, magna cum voluptate deprehendi. A Viro celeberrimo, Dom. Gagnier, Linguarum Orientalium ſcientiſſimo, hanc gratiam poſtulavi, uti quæreret an Arabicus Albucaſis Codex in Bibliotheca Bodleiana exiſteret. Inquiſitione facta, Manuſcriptum unum Codicem inter Libros ab Archiepiſcopo Marſho collectos, N° 54, invenit, ſub hoc Titulo, ita Latine converſo, "Tractatus x Libri "ZAHARAVI, dictus Operatio Manus (i. e.) Chirurgia & Ars Me- "dica, circa Cauterizationem, & Diſſectionem, & Commiſſionem "Fracturarum, in tres partes diſtributus;" ſed cum nomen Albucaſim haud reperiret, (quod ei tribuitur in MS Codice Latino in eadem Bibliotheca extante & a Gerardo Carmonenſe converſo) alteum MS, inter eos qui a Doctore Huntington donati ſunt, invenit, cum Titulo ſequente, "Pars xi Libri Al-Taſrif, Auctore Abul-caſem Chalaf "Ebn Abbas Al-ZAHARAVI;" porro in fine MS ſubjecta hæc ſunt verba ex Arabico ſermone tranſlata, "Explicit hic Tractatus de "Chirurgia, eſtque concluſio totius Libri Practices Medicinæ, cujus "Auctor eſt Abul-caſem, &c. Die primo Menſis Safar, A.H. DCCCVII;" idemque in ſupra memorato Gerardi MS Latino vocatur, "Particula "30 Libri Albucaſim." Conjuncta horum duorum MSS auctoritas iſtis cum conveniat quæ a me allata ſunt de mentione ab Alſaharavio Libri Chirurgici facta, dubitari vetat, quin ea quæ ſub Albucaſis & Alſaharavii nomine ferantur ab eodem homine fuerint conſcripta. Huc accedit, quod Albucaſis Lectorem ſæpius ad Librum remittat, de Medicinæ Praxi a ſe compoſitum. Quoniam vero ad Chirurgica hujus Scriptoris Opera progredior, Albucaſis, ne oriatur in hac re confuſio, eum nomine, quod magis cognitum eſt, vocabo.

Nihil certi de ejus ætate invenio; vulgo autem (quanam tamen de cauſa ſuſpicari nequeo) circiter A. D. MLXXXV, vixiſſe creditur; ſed rationes quædam ſubſunt cur is haud ita antiquus videatur. Nam

de

Albucasis de Vulneribus agens, Turcarum [m] Sagittas describit: quæ natio ante medium Sæculi duodecimi vix innotuit. Et ex eo quod Chirurgiam suo tempore pene extinctam memoret, ita ut vix Artis hujus vestigium supereſſet ullum [y], jure quispiam, mea sententia, concluserit, hunc multo post Avicennam floruisse; nam Avicennæ quidem ætate Chirurgia satis viguit. Hanc in honorem denuo revocavit Albucasis; & impudenter in ea quicquam aggredi censet illum, qui non optime Medicamentorum virtutes calluerit, & Anatomiæ præsertim fuerit cognitione instructus; omnesque Artis Professores obtestatur, ne unquam lucri causa vitii a se non perspecti curationem suscipiant. Quanquam a Græcis multa sumat & præcipue ab Aetio Pauloque, tamen e Practicis Scriptoribus neminis, præterquam Hippocratis & Galeni, meminit: atque id obiter inter causas numerari potest cur eundem hunc atque Alsaharavium putemus, qui similiter in Practico suo Opere, si duos hos excipias, haud plures quatuor aut quinque Auctoribus nominat, viz. Rhazem, Honainum, &c. Omnia in Chirurgia supervacanea a se rejici dicit, & ea solum retineri quæ necessaria atque utilia sint: seseque longam Experientiam cum multa Lectione conjunxisse testatur, ac nihil nisi quæ a se visa sint relaturum profitetur. Id in illo præcipue laudari debet, quod solus ex Antiquis Instrumenta in singulis Operationibus adhibenda describat, usumque eorum explicet; quorum Instrumentorum Figuræ in utroque a me supra memorato MS Arabico extant, quanquam haud ita expresse atque eleganter delineatæ ac in Latino Exemplari. Alia quoque in eo insignis eique propria res est, quod ubicunque in Operatione discrimen aliquod subsit, de eo Lectorem moneat: quæ cautio sæpe haud minus utilis est, quam longæ ac minutæ aliorum expositiones quomodo eæ præstari debeant.

In primo Libro, de Cauteriis tantum agit; ac lætitia efferri videtur, secretam ac divinam Ignis virtutem commemorans. Quinquaginta affectus numerat in quibus auxilium a Cauteriis præstetur, atque hæc ipse sit expertus. Neque dubitari potest quin ab hac Operatione, quantumvis ea dolorem moveat terroremque incutiat, insignes sæpe ac mirabiles plane curationes effectæ sint. Omnia item, quæ in eorum applicatione observari debeant, proponit: neque ab ullo ea adhiberi vult, qui non penitus Anatomia sit instructus, neque nervorum, tendinum, venarum, arteriarumque positum accurate cognoverit: ideoque in hac re multa cum cautione incedendum ait: Historiamque hominis adjicit, qui Ischiade [b] laborans per errorem ex isto defectu interemtus est, cum Chirurgus Tarsum ei Cauterio ustulisset Tendinesque in isto loco læsisset. Ipse autem pro affectu hoc Cauterium describit, visu quidem, ut fatetur, terribile, maximæ tamen efficaciæ: quod ideo, in extremis casibus, Discipulis suis commendat. Videmus inter Arabas multo frequentiorem etiam, quam apud Græcos, fuisse Cauterii usum; quod ideo minus mirandum est, quod Potentiale Cauterium in ista gente usitatissi-

m 2, 94. y Præf. b 1. 42.

mum

mum fuiſſet, multiſque ante Sæculis vocata eſſet Uſtio Arabica: uti Dioſcorides [c] in Hiſtoria Stercoris Caprini tradit, quod in hunc uſum ab iis adhiberi ſolebat. Notatque Proſper Alpinus Uſtionem ſuo tempore frequentiſſimum extitiſſe Remedium, & in quo maximam in affectibus inveteratis, præſertim in doloribus, homines fiduciam reponerent, haud ſolum inter Ægyptios, verum etiam inter Equites Arabas, qui ſub tentoriis plerumque ac in deſerto [b] degerent. Idemque a Bellonio [d] animadverſum invenimus, qui morem hunc inter Turcas uſurpatum ipſe vidit; & in hunc uſum eos adhibuiſſe, vel panniculum, vel candelæ linamentum teſtatur. ALBUCASIS

In Secundo Libro, de Operationibus per Inciſionem factis fuſe diſſerit, quæ nonaginta & ſex numero ſunt; iſque in Introductione hanc Chirurgiæ partem multo periculoſiorem eſſe uſu Cauterii animadvertit, ideoque multo majori cum cautione aggrediendam; quoniam ab Inciſione magna Sanguinis frequenter ſequitur profuſio, in quo ſolo vita conſiſtit. Ea tantum notabo, quæ ab illo vel inventa, vel in melius mutata comperero: mentione obiter facta earum rerum, quibus in rebus vel aliqua prioribus Chirurgis adjecerit, vel ab iiſdem diſcrepaverit.

In initio ſtatim Operationem deſcribit, quæ in aperiendo Hydrocephalo fieri debeat; non eo ſolum, in quo Aqua inter Cutim atque Os continetur: ſed eo etiam, ubi hæc inter Cranium Duramque Matrem comprehenditur. Operationis modus a Paulo præcipue ſumtus eſt; ab Experientia vero propria ſubjicit cæptum hoc ideo potius dehortari ſe, quod illud, niſi in uno homine, nunquam feliciter ceſſiſſe viderit. Quod idem generatim, in utraque Morbi Specie, ſentit. Quoad priorem tamen, ubi Tumor externus eſt, idque vel in anteriori, vel in poſteriori Capitis parte, ſive inter Cutim & Cranium comprehenſus, ſive inter Os & Pericranium, quanquam vel in hoc caſu is Operationi favere non videatur, tamen in Hiſtoria exempla curationis hoc modo præſtitæ inveniuntur: quod in alio loco fuſius declarabo. Eſt etiam tertium Hydrocephali genus, ubi Humor non ſolum inter Duram Piamque Matrem contineatur, verum in ipſa quoque Cerebri ſubſtantia: quod quidem genus & natura ſua, & omnium Auctorum teſtimonio, ut plurimum, vel potius ex toto, incurabile eſt; neque homo prudens quiſpiam id efficere tentaverit. Ratio quidem ipſa a pleriſque allata, cur Operatio iſta ita exitialis ſit, minime mihi arridet; mortem enim ideo ſequi dicunt, quod inciditur Dura Mater. Vulnera in ea ſine dubio haud vacant diſcrimine: & ſingulis diebus exempla ante oculos habemus, ubi minima punctio, in parte adeo exquiſito ſenſu prædita, Inflammationem, Febrem, Delirium, Mortemque accerſiverit. Quamobrem Albucaſis magnopere caveri jubet [a], dum Membrana hæc ab Oſſe ſeparatur, quod Terebræ ope facile fieri poſſe inquit; & quo omnis ejus offenſa vitetur, marginem quandam Inſtrumento aptari imperat, quæ id nimis alte deſcendere prohibeat: quod in-

c 2, 73. b Med. Ægypt. Lib. 3, 12. d 3, 20. a 3, 2.

Albucasis ventum poſtea, Alis Inſtrumento adjectis, Fabricius ab Aquapendente in melius mutavit: neque dubitari poteſt quin omnis iſta circumſpectio in Operatione perquam neceſſaria ſit. Utcunque id eſt, haud modo Vulnera in iis Membranæ hujus partibus, quæ Vaſis Sanguiferis paulo grandioribus vacant, facta novimus, ſed Membranæ quoque particulas ab ea ſeparatas, ac materiam, quæ vel ſub ea vel in duplicatura ejus jacet, eo pacto effuſam, integritate poſtea ægris reddita. Quodque validius argumentum eſt, etiam cum aliquid ex ipſa Cerebri ſubſtantia prodierit, homo aliquando ad ſanitatem perductus eſt. His rationibus innixi quidam Membranæ hujus inciſionem fieri præceperunt, quandocunque inter hanc Piamque Matrem humor quivis aut materia remanſerit. Primi videntur fuiſſe, qui hanc rem commendarint, Vertunianus & Gabriel Ferrara: quam feliciter executos ſe tradunt Glandorpus & Marchettus. Ac licet experimentum ita audax judicatum ſit, ut pauci id periclitari voluerint, tamen hanc rationem & neceſſariam & tutam eſſe multi ex noſtratibus Chirurgis uſu comprobarunt.

Haud abs re alienum erit id amplius notare, Albucaſim, ubi de Cauterio Capiti applicando loquitur (quam tamen ille applicationem nullo modo probat) referre quanti id a nonnullis factum ſit: qui, hujuſmodi exitu dato, Fuligines ac Vapores per Duram Matrem a Capite emitti poſſe cenſerent. Eandem opinionem Recentiores aliqui amplexi ſunt; eo vaniores illis in curatione ordinanda, quod dolorificam Terebræ operationem fieri præceperint. Verum hæc in naturali ſtatu adeo craſſa & compacta eſt Membrana, ut quicquid in ejus cavo comprehenſum ſit per eam tranſire nullo modo queat: quamobrem ex Anatomia diſcimus, id quam futile ſit conſilium. Quandocunque autem id profecerit, uti profeciſſe a nonnullis dicitur, in Cephalæa, Vertigine, Epilepſia, &c. (licet ii ſatis inepte, contra optimorum in omni ætate Chirurgorum Experientiam, & ipſius Anatomiæ lucem, Terebram in medio Suturæ Coronalis figi jubeant) ſemper aut Oſſis Caries, aut Pus, aut Sanguis, aut Vermes inter Cranium Duramque Matrem deprehenſi ſunt: quarum rerum amolitio, haud utique Fuliginum fictarum, morbum tollit: uti liquet ex iis quæ ab ipſo Severino tradita ſunt, qui Terebræ uſum in quibuſcunque hiſce caſibus vehementer commendat. Neque aliter ſe rem habere conſtat ex iis ipſis argumentis quibus utuntur Auctores iſti ad confirmandam Operationis utilitatem. Nam inter Aucipes morem eſſe aiunt, ut in Accipitre Vertigine tentato Caput Cauterio aperiant: unde ichor aut ſanies quædam exeat, cujus fluxio cum ceſſet, avis ad ſanitatem perducatur. Igitur exemplum quod ab iis ad comprobandum Terebræ uſum adducitur, Materiam aliquam extravaſatam, neutiquam vero aut Vaporem aut Fuliginem ullam, morbi originem fuiſſe oſtendit.

E ſupra dictis evidenter apparet, periculum quod Capitis apertioni in Hydrocephalo Interno ſupervenit, minime ex Duræ Matris convulneratione oriri; neque ratio a Fabricio adducta magis probabi-

lis

lis eſt, qui frigidi aeris intromiſſionem pro hujus rei cauſa ponit. Albucaſis autem id vereri potius videtur, ne Cerebri Nervorumque omnium relaxatio univerſa, atque ipſius naturæ diſſolutio ſuccedat. Hic enim non modo Cerebri Ventriculi cum Medulla Oblongata afficiuntur; ſed interdum Morbus per totam Spinæ longitudinem protenditur; ita ut Aqua illic diffuſa haud raro Chryſtallinos in dorſo Tumores attollat. Ideoque, aperto hujuſmodi Tumore, per eum aliquando inflari poſſunt Cerebri Ventriculi. Et quia morbi ſedes in ipſo Capite eſt, Tumoris in inferioribus hiſce partibus inciſio raro quicquam commodi præſtat. ALBUCASIS

Quanquam in Hydrocephalo Inciſionem minime laudet Albucaſis, tamen in aliis Capitis Tumoribus, qui in Cute & exigui & circumſcripti ſint, præcipue ſi intra Cyſtim comprehenſi ſint, Operationem omnino fieri ſuadet; neque ullum in ea diſcrimen ſubeſſe inquit, modo Arteriæ Nervique illæſi ſerventur; & multo etiam minus, ubi id quod Tumore comprehenſum eſt duræ ſaxeæque ſubſtantiæ eſt: quoniam in hoc caſu minus metui debet a fluxu Sanguinis. Atque huc pertinens, cognitum ſibi Exemplum profert; ſiquidem in Vetula hujuſmodi Tumorem aperuit, in quo materia incluſa frangi non facilius quam Silex [m] potuerit.

De Tumoribus in Tonſillis, ex Inflammatione Suppurantibus, loquitur, Paulum ſecutus, Albucaſis: idemque exponit quemadmodum aliquando Tonſillæ ipſæ, ubi magnus in iis fuerit Tumor, exſtirpari [n] debeant: quæ quidem Operatio, quanquam haud ita facile præſtetur, tamen interdum periculo vacat, quam rem & aſſerit Celſus, & Recentiorum Experientia confirmat. Illud autem ut ſuſcipiatur minime ſuadet Albucaſis, niſi Tumor coloris albi ſit, & rotundus, & inſuper radix ejus exigua. Nam ſi baſis ampla fuerit, Sanguinis fluxum magnopere metuendum eſſe inquit; quod profecto ſæpius in hoc caſu & moleſtiam & periculum creavit. Quare Fabricius ab Aquapendente, qui Operationes paulo crudeliores nunquam aggreditur, hanc quodammodo improbat, utut auctoritatibus ſupra memoratis commendatam: aliique Cauſticum in eam rem figuratum adhibere malunt, quod ipſi Tonſillarum foramini inditum, eas ſenſim abſumat: & hæc ſane ratio & tutior & plerumque efficacior videtur.

In eodem Capite, de aliis quibuſdam Tumoribus loquitur Albucaſis, qui nonnunquam in Ore ac Faucibus oriuntur: quoſque eodem modo, ac Tonſillas, exſtirpari jubet. Cujuſmodi Tumoris Hiſtoriam narrat in Muliere, qui lividus ac ſine dolore eſſet; ea vero neque ſolidas neque liquidas res devorare poterat, & ægre ſpiritum trahebat; neque ulla ei ſalutis via reliqua erat, quin intra diem unum aut alterum expiraret, niſi a Chirurgia fuiſſet adjuta. Tumor iſte duos in cavum Naſi ramos projecerat: quos qua ratione ſenſim exciderit minute narrat; tandem vero cum animadverſiſſet, ſublato alio, alium ſuccreviſſe, ſeque perinde agere ac ſi

m 2, 42. n 2, 36.

Hydræ

Aleucasis Hydræ Caput amputaret, ad Cauterii uſum decurrit: quo ſe ulterius Tumoris incrementum certo præciſurum fuiſſe ait; quanquam ingenue fateatur ſibi non conſtare quid de Muliere poſtea Deus egerit.

Viam quoque (juxta Pauli doctrinam, cujus in hac re verba exſcribit) Uvulam [o] excidendi tradit, ubi ea vel in Pus abierit, vel eam præ laxitate nulla in antiquum ſtatum Topica Medicamenta redigere poſſint: cum ea cautione, uti Paulus etiam facit, ut de ea haud amplius, quam quod præter naturam excreverit, dematur, ne Vox injuriam accipiat. Uvula enim haud incongrue Plectrum Vocis dicitur; & ad articulate loquendum omnino neceſſaria eſt. Caſum vero memorat Fabricius Hildanus, in quo ejus ablatio nullum in ſermone impedimentum fecerit. Atque in ea opinione eſt Fallopius, ut Uvulæ amiſſionem Vocem non afficere putet, niſi Palatum una cum ea ſit deperditum: quod utique exemplum perraro occurrit. At ubi in hoc Uvulæ affectu æger neque Inciſionem neque Cauterium Actuale admittit, Liquidum is imperat Cauſticum ex Calce confectum, quod Inſtrumenti ope applicatum, intra ſemihoram (horam inquit Paulus) nigredinem parti inducet, & conſequenter eam contrahet, unde paulatim decidet: qua ratione in aliis item caſibus [r] utitur. Et pro eo uſu etiam his diebus Chirurgi noſtri Inſtrumentum habent, quod Cochleare ad Uvulam vocant.

De Bronchocele [q], ſive Ramice in anteriore Cervicis parte, agens, (cujuſmodi vitium in Mulieribus frequentius quam in Viris eſſe ait) & Græcis & Celſo fuſior eſt; rectèque inter id quod Naturale, & id quod Accidentale eſt, diſtinguit. Primum genus tractari non debet. Secundi duæ ſunt Species: quarum una Tumorem refert, qui craſſam aliquam materiam comprehendit; altera Aneuryſmati ſimilis. Quanquam autem is Scalpello ſatis audacter utatur, Operationem in priori tantum caſu fieri ſuadet: ſed ne tum quidem, niſi Tumor laxus & exiguus, & Cyſti fuerit incluſus. Id certe genus arte tolli poteſt. Hæ nonnunquam Excreſcentiæ Aqua plenæ ſunt, modo nihil præter Aerem continent: cujuſmodi omnia genera Inciſione, Frictione, & Compreſſione curari etiam poſſunt. Modo in materiam carnoſam abeunt, quæ inter Cutim Aſperamque Arteriam jacens, propendentis cujuſdam palearis ſimilitudinem exhibet, quale in Gallo Indico videtur iracundia commoto. Frequens hic morbus eſt in iis regionibus, ubi Aqua Frigida copioſe bibitur: præſertim ubi Aquam, ſicut in aliis calentibus plagis, Nive haud temperant, ſed ei Glaciem commiſcent: uti mos eſt inter vulgum, qui algentes Pedemontii ac Genuæ montes incolunt. Vitii ipſius veritas non minus conſtat, quam quod ii ipſi id Aquæ hujuſce potioni tribuant: neque ex Natura Frigoris effectum hunc explicare difficile eſt. Nam Liquor inter deglutiendum Gutturis Muſculos neceſſario congelat, id eſt, vaſa contrahit, eodemque tempore humores per ea circulatos incraſſat: ex quo oritur ſtagnatio & obſtru-

[o] 37. [r] 1, 57. [q] 44.

ctio.

ctio, neque ita multo poſt in iiſdem Partibus Tumor attollitur. ALBUCASIS
Idque notari debet, Tumores ab ea cauſa ortos ſemper Carnoſos eſſe atque ita permanere: cum alia Bronchoceles genera, quæ a Diſtortionibus, aut Contuſionibus, aut ſimili caſu quopiam naſcuntur, ſæpiſſime in Pus abeant, aut in Meliceridem, Steatoma, &c. vertantur, id quod ab Albucaſi animadverſum eſt. Inter Hiſpanos, qui Frigidarum potionum uſui immoderate indulgent, Tumores in Faucium Glandulis frequentiſſimi ſunt. Atque ex iis quæ notata ſunt a Scriptoribus conſtat, haud modo a Liquorum, ſed etiam a Regionis ipſius frigore produci poſſe hunc effectum; ſiquidem hos in Capite ac Faucibus Tumores multo frequentius inter Septentrionales quam inter Meridionales populos occurrere animadverſum eſt.

Tumores quoque in Glandulis Thyroideis ſæpe contingunt: quales non revera Bronchocelæ ſunt, licet ita perperam vocentur, ſed Strumæ, aut Scrophulæ in Collo. In Corporibus morbo defunctis haſce Glandulas in immenſam magnitudinem auctas vidi, ita ut prope ad Claviculas uſque deſcenderent: & cum id ita fit, Scirrhoſi plerumque fiunt. Ubi hoc modo Tumor iſte confirmatus ſit, etſi ab Aetio non fuiſſemus admoniti, morbum natura ſua plane incurabilem eſſe, ex Anatomia liquido perſpicere poſſemus: neque enim ab ullo Medicamento intus ſumendo, vel extra applicando, Tumorem ſolvi poſſe credo; Repellentia autem malum potius augerent, atque Humorem aliam aliquam in partem rejicerent. Neque vero cautus quiſpiam Chirurgus, me auctore, Tumorem adeo ingentem exſtirpare tentaverit: ne aut Venam, aut Arteriam, aut Nervum Recurrentem incidat. A quo etiam ſatis commode nos dehortatur Albucaſis [r], factum inſcii cujuſdam Artificis narrans, qui in hoc caſu, vulneratis in Cervice Arteriis, ægrum extemplo occidit.

Idem Tumores duos in Ventre, Fungi ſimiles, a ſe abſciſos memorat: quorum in uno Unciæ octodecim, in altero ſex, humoris comprehenſæ eſſent: ipſi albi erant, Radicibus exiguis: margines eorum intro verſi, atque ex iis liquor perpetuo exſudabat. Sed Artificem ſedulo commonet, ut, id Aneuryſma ſit necne, diligenter advertat: cujus ſi vel minima ſuſpicio ſubſit, Cauterium in promtu haberi jubet. Cum hujuſmodi operationem æger ſubire metuit, aliam is rationem proponit, qua filo plumbeo Tumores illigentur, dum excidant. At ſi radices amplæ craſſæque ſint, & mali coloris Tumor ipſe, id genus omnino tractari vetat, ne fortaſſe Canceroſum fuerit. Quodque ad ipſos Cancros [u] attinet, quantumvis recentes, ſi etiam ampli ſint, intactos relinqui ſuadet; cum in eo ſtatu neque ipſe ullum unquam curaverit, neque ab aliis curatum viderit. Vides igitur Scriptorem hunc, utcunque in Chirurgia ſatis audacem, quique nunc dierum etiam crudelis exiſtimaretur, haud tamen ea confidentia fuiſſe ut Scalpellum temere quovis infigeret: ſed vitii naturam probe perſpexiſſe, & ſucceſſus probabilitatem conſideraſſe, antequam in periculoſis hiſce affectibus Operationem ſit aggreſſus.

r Præf. u 53.

Albucasis In Capite quinquageſimo ſeptimo, de Circumciſione[x] agit: neminem quenquam e Veteribus de ea verbum protuliſſe, ſed a ſe primum inventam atque in uſum ductam, affirmans. Ex quo, eum non modo oblitum eorum quæ de hac re diſerte ſcripſiſſet Paulus, ſed etiam in Celſum nunquam incidiſſe manifeſtum eſt; qui eundem fere curationis modum in Phimoſi[y] deſcribit.

De Partu autem educendo, & vivo, & mortuo, multa, atque haud inidonea, litteris mandavit. Illud vero, quod a ſe cognitum de Muliere quadam narrat, haud vulgare eſt: quæ, mortuo eo quod intus haberet, Gravida denuo evaſerit: hoc quoque, quod ſecunda vice conceptum eſt, extincto, ac intra Uterum remanente. Haud ita multo poſt per Umbilicum erupit Abſceſſus: a quo, eo ſtupeſcente, haud modo Pus ſed etiam Oſſa prodirent. Re ſecum perpenſa, ea ad Fætum pertinuiſſe deprehendit, atque eorum multa exemit. Mulier complures poſtea annos vixit; Ulcus autem, ex quo humor perpetuo ferebatur, in eo loco habuit. Quantumvis mira videri poſſit hæc narratio, Recentiorum-Experientia paribus exemplis abundat. Eſt etiam, ubi Mulier[a] quædam haud modo convaluerit, ſed partum quoque poſtea ediderit. Eſt, ubi Fætus nunquam Utero[a] comprehenſus, verum aut in Ovario, aut in Tuba Fallopiana, aut in Abdomine ipſo, ſit inventus: ita ut Oſſa aliquando vel per Anum, vel per Muſculos ſupra Os Pubis, exitum ſibi aperuerint.

Obſervabile etiam id eſt, quod de Abſceſſu in Femore tradit, ex quo palmæ longitudine Os eſſet carie exeſum: & tota paulatim Oſſis ſubſtantia abſcedente, in ejus locum Callus adeo firmus ſuccreverit, ut homo poſtea commode incederet. Quodque de alio Gangræna affecto narrat, haud minus ſingulare eſt; hic enim, manu ſibi ipſi reciſa, cum id Albucaſis, veritus ne vel in ipſa Operatione, vel poſt eam paulo, obiret, facere abnuiſſet, ad integritatem rediit. Id exemplum eo conſilio a ſe prolatum inquit, uti appareat, quid fidenter aliquando in hujuſmodi Gangrænis ſuſcipi poſſit: commodeque ſubjicit, ſcienti Artifici nihil magis ex uſu eſſe, quam ſi omnes morborum varietates diligenter advertat, quo melius judicium ejus poſſit inſequentibus temporibus informari dirigique.

Paracenteſin, quæ fit in Hydrope, Paulo Celſoque fuſius ac magis particulariter deſcribit: & Aſcitem ſolum eſſe ait Hydropis genus quod Operationem hanc recipiat; quibus adjicere potuiſſet, Morbum ipſum nullam, niſi ab hac Operatione, curationem admittere. Nam cum eo ventum eſt, omnia Medicamenta interna, utcunque mirabiles ea virtutes habere dicantur, vereor ne inutilia ſint; & æger a fideli Medico monendus eſt, ut ad Chirurgiæ opem mature ſeſe conferat, a qua unicum, Paracenteſi facta, petendum eſt Remedium. Operatio hæc ab ipſa Natura primum indicata videtur; ſiquidem interdum in Hydrope accidit, ut Aqua vel per Vulnus caſu factum, vel per exitum ipſius pondere apertum, in Umbilico aliiſque Ab-

x 57. y 7, 25. aa Vid. Philoſoph. Tranſact.

dominis

dominis partibus, quaſi Critice eruperit. Cæterum hæc Operatio antiquiſſima Medicinæ monumenta vetuſtate æquat: ab Hippocrate ſæpius quidem commemorata, & ab Albucaſi ita accurate deſcripta, ut, quo vel tutius vel commodius præſtetur, nihil fere Recentiores adjecerint. Itaque locum ipſum definit in quo inciſio optime fiat, atque ejus exequendæ rationem explicat: Inſtrumentique formam delineat, quæ Spathomele eſt utrinque aciem habens: id poſt inciſionem extrahi, atque in foramen ab eo factum Cannula immitti debet, annulo ejuſmodi munita, qui hanc nimis alte deſcendere prohibeat. Fuſe quoque exponit quemadmodum ea in loco ſervari poſſit, quo facilius Aqua per eam educatur. Quæ res idem profecto præſtat ac Inſtrumentum a Barbetto, vel Blockio potius, inventum: etſi Barbettus nihil ejuſmodi a Veteribus uſurpatum affirmet. ALBUCASIS

Jam quod ad Aquæ emittendæ modum pertinet, in eo ita accuratus eſt, ut circa dimidiam ejus partem prima vice exire velit: ac poſtea ſingulis diebus, debitiſque intervallis, eam quantitatem quæ hominis viribus reſpondeat (de quibus ex Pulſu & Reſpiratione judicandum ſit) dum omnis educatur. Celſus circa Heminæ quantitatem educi vult: quanquam plurimi ex Recentioribus Chirurgis quantitatem per Paracenteſin evacuandam a nemine præfinitam aſſerant. Vetat ille, uti Veteres omnes ac plerique etiam Recentiorum faciunt, Aquam una vice emitti, ne Syncope vel mors ſubſequatur: qua de cauſa Operatio hæc, licet ab omni antiquitate uſurpata, ſemper fere periculoſiſſima habita eſt.

Et ſi Hiſtoriæ credendum eſt, hujuſmodi incommoda haud raro obtigerunt: quamobrem haud alienum erit ejus rei cauſas diſquirere, quo facilius diſcrimen ab Operatione intentatum evitare poſſimus. Fienus quidem duas affert cauſas, (quas utcunque is de eo prorſus ſileat, pauciſſimis immutatis e Cælio Aureliano tranſcribere videtur) cur adeo periculoſum ſit Aquam ſimul omnem effundere. Prima eſt, quoniam Aqua, quamvis præternaturalis, nativum in ſe calorem contineat, ac Spiritibus abundet, ideoque quando ea ſubito emittitur, Partes frigore excipiantur: & Natura, calore hoc & quaſi fomento deſtituta, languida atque effæta relinquatur. Huic argumento facile ita reſpondetur, Viſcera Abdominis, poſt Aquæ exitum, non minus calida remanere quam in ſtatu naturali eſſe debeant: & conceſſo, quodvis eorum frigore hoc ſuppoſititio tentari, id partes vitales ita ſubito minime affecturum ac mortem adeo repentinam illaturum, Experientia abunde novimus. Huc accedit, quod apertis Cadaveribus, duo præcipua Viſcera, Jecur & Lienem, hoc affectu neutiquam vitiata frequenter comperiamus. Secunda cauſa eadem prope validitate eſt, Aquam ſcilicet in Aſcite, naturalem ſecundum quid, uti id ille exprimit, eſſe factam, in eaque partes fluctuare ſuetas ab eadem foveri: Aqua vero emiſſa, harum poſitum immutari, quod cum ſubito fiat, mortem ſuccedere. Argumenta hæc ita exilia ſunt, concluſioneſque ita parum conſequentes,

ALBUCASIS quentes, uti primo intuitu ratiuncularum harum infirmitas appareat. Idemque de Fuga Vacui dicendum eſt, quam ille alio in loco commemorat. Alia præter hæc ab Auctoribus argumenta allata non invenio: quare ſi in hac re ſatisfieri nobis velimus, effectus hujus, qui a ſubita Aquæ evacuatione oritur, aliunde deducenda ratio eſt: iſque fortaſſe haud abſurde explicari poterit, ſi quemadmodum Aſcites primo formetur, conſideremus.

In quo quam partem habeant Vaſa Sanguifera, primum inquiram. Horum Tunicæ ita ſunt effictæ, ut quacunque de cauſa Sanguinis motus imminuatur, aut in ductibus Capillaribus ſtagnans ſubſiſtat, tenuiores ejus particulæ per Tunicarum poros exitum ſibi faciant, neque in iter Circulationis unquam redeant: quo diutius autem hæc iſta cauſa permanet, eo magis diſtenduntur Vaſa, eo facilius humores extravaſantur. Ita Experimento deprehendimus, ſi ligetur in Cane Vena Jugularis, Materiam Seroſam, inter Capitis Tegumenta ac Muſculorum qui in Collo ſunt interſtitia, exſudare. Ita quoque in Abdominis Vaſis, quicquid ea nimis vehementer comprimit, aut in iis Obſtructionem parit, maxime fluidæ, id eſt Seroſæ, Sanguinis partes, per eorum Tunicas tranſadiguntur, atque huc illuc in Ventris cavo fluctuant. Ita morbus hic a Scirrho, vel Obſtructione Jecoris, Lienis, Meſenterii, &c. produci poteſt; & Aſcitem Tumoribus in Abdomine frequentiſſime ſuccedere novimus; quare Carolus Piſo, qui Anatomiæ Scientiam in uſus Medicos ſolerter admodum convertit, "quicunque, dicit, cadavera Hydrope defuncta ſæpius ape-"ruerit, Tumorem vel frequentiſſimam, vel ſolam Aſcitis cauſam "inventurum." Verum hic morbus haud ſemper iſto modo naſcitur; ſæpiſſime enim, ut ante dictum eſt, poſt diſſectionem Viſcera reperiuntur integra, tam in Aſcite, quam in Hydrope Peritonæi; ideoque non raro morbi cauſa in ipſo Sanguine quærenda eſt. Sanguinis autem qualitas, quæ huic rei a Scriptoribus idonea dicitur, hæc eſt; cum is ad Fuſionem nimis tendit, nimiſque Sero diluitur, atque ita facile perlabitur Vaſorum Tunicas: neque hoc ita aliquando fieri improbabile eſt. Sed a contraria quoque qualitate idem effectus produci poteſt, quæ Sanguinem obſtructionibus creandis magis aptum reddat: unde Aſcitem Ictero interdum ſuccedere videmus, & in Aſcite Sanguinem eſſe debito craſſiorem: porro in hac Sanguinis Craſi culpam frequentius ſubeſſe ex eo argui poteſt, quod in Hydropicorum, præcipue Juvenum, Cadaveribus diſſectis animadvertitur; nam in iis Pulmones, quod magnum ac primarium in comminuendo, uti par eſt, Sanguine Inſtrumentum a Natura adhibetur, plerumque obſtructi comperiuntur. Vaſa ipſa, ex quibus humor iſte Hydropicus ortum ducit, aſſignari nequeunt: tamen, cum Viſcera reperiuntur integra, uti ſæpiſſime fit, ferri eum ab Omenti aut Peritonæi Vaſis perquam probabile eſt. Ab Omento putat Hippocrates, nec ſine fundamento; raro enim accidit ut in Aſcite id non vel eroſum vel abſumtum vel putrefactum ſit: Peritonæi vero Glandulæ quemadmodum in hoc vitio ut plurimum afficiantur quotidie

tidie videmus. A Tunicarum laxitate in Vaſis Sanguiferis, a rup- Albucasis
tione Vaſorum Lacteorum aut Lymphaticorum haud alii oriuntur effectus, atque a nimia Sanguinis vel craſſitudine vel tenuitate. Ita, quacunque de cauſa hæc fiat humoris extra Vaſa effuſio, îs per ea continuo exſudat, quoad totum Ventris cavum impleatur, ſaltem quoad Aqua pondere ſuo & compreſſione Vaſorum Poros conſtringat, neque humores ulterius effluere patiatur. Quare hic inter Vaſa Aquamque extravaſatam jugis communicatio eſt; ſic ut, cum hæc per Paracenteſin e Cavo Ventris emittatur, idem ſit, ac ſi fuiſſet derivatio ex ipſis Vaſis facta.

Ut igitur ad rem propoſitam veniamus, id eſt periculum quod veriti ſunt Antiqui in educenda ſimul omni Aqua, rationem perpendamus quare alia quævis immodica Evacuatio diſcrimen minetur; cujus rei notiſſimum & maxime familiare exemplum Venæ ſectio eſt. Nimia adeo Sanguinis copia ubi detrahitur, vis protruſionis in eo, ob hanc ipſam cauſam, multo minor eſt; ſic ut, decreſcente ejus Velocitate, multo arctius cohæreant ejuſdem particulæ. Sanguis inde haud ita liberalem Spirituum ſecretionem præſtat; quique ab eo ſecernuntur, in Nervos debiliter modo compulſi eunt; ac ſi nobiſcum reputemus, Vaſorum Tunicas haud extemplo contrahere ſe poſſe, & canales ſuos debita ratione ad liquorum in iis decurrentium copiam accommodare, erit etiam Sanguinis Velocitas eo minor, quod in majoribus fluat alveis; qua ex tarditate & cohæſione Sanguinis languor ſequitur ac Spirituum defectus: & ſi Evacuatio ingens fuerit, ipſa Mors. Ideo Venæſectionis exemplum ad rem hanc illuſtrandam adduxi, quod Celſus ipſe, quo periculum nimii Sanguinis detracti oſtendat, id Paracenteſis ſimilitudine confirmat; "quod ſi, "inquit, in cura quoque Aquæ quæ inter cutem eſt ita reſpondet, "quanto magis neceſſe eſt in Sanguine reſpondeat?" Eadem profecto utrobique ratio eſt; quodque ad rem magis pertinet, (evacuationem intelligo humorum qui non contineantur Vaſis ſuis in magnis admodum Tumoribus qui ſuppuraverint,) ſi materia omnis unica vice educatur, eadem aliquando ſequi incommoda experimur. Igitur ubi in Paracenteſi nimia Aquæ copia emittitur, Vaſorum Pori, per quos Humor Hydropicus ferri conſueverit, cum etiamnum pateant, eidem quoque exitum præbent: qui ideo jam profuſius fluit, quod Aquæ preſſio ſit maximam partem ſublata, quæ Vaſorum Tunicas antea quodammodo conſtringeret, neque Serum ita copioſe fluere fineret ut ſine hoc impedimento feciſſet. Remota vero Aqua, Vaſa latius hiant, atque humores ea quantitate in Abdomen exeunt, ut eandem in Sanguine ac Spiritibus mutationem faciant, quæ modo in Venæſectione a nobis explicata eſt. Quo melius ab Hydropicæ hujus inundationis recurſu defendatur Abdomen, poſt Paracenteſin Faſciarum uſum ſuadet Cælius Aurelianus; immo de eo bis loquitur, ab eoque Tumoris incrementum averti tradit. Quod quidem optime inſtitutum videtur; nam quo arctius Venter conſtringitur, eo major Vaſorum compreſſio eſt, ideoque ita Seri minor quæque

Albucasis effusio. Fasciæ similiter a Littro commendatæ sunt, uti partes citius coeant post Paracentesin in Hydrope Peritonæi administratam.

Ratio adducta de Spirituum consumptione, ab ipso Operationis successu confirmatur: Pueri enim raro sine discrimine illam subeunt; Galenus non plus uno, quod noverit, evasisse memorat. Laxitas in Vasorum fibris, quæ huic ætati propria est (uti ex magna eorum proclivitate ad sudores manifestum est) succos nimium abundanter percolari patitur; ac si mortem Spiritus exhauriendo Syncopenque arcessendo haud inferat, humorum saltem exundantiam, qui morbum renovent, subministrat; quamobrem teneræ hujus ætatis omnes ab Operatione submovet Albucasis. Idemque servari debet, ubi Vasa admodum debilia sint, aut Sanguis, quacunque de causa, languidus & effætus: ut in ætate vel morbo confectis. Atque hinc moniti ab Hippocrate dati satis evidenter constat ratio, qui Paracentesin mature fieri jubet, dum supersunt vires. Ideo etiam hanc in Senibus fieri vetat Albucasis. Neque satis mirari possum, quare homines, ubi verum subesse Ascitem deprehenderint, qui ejus naturæ est ut sine Paracentesi nullo modo curari queat, Operationem eo usque differant, ut quod unicum iis auxilio esse potuerit remedium, id ipsum cum nimis sero usupertur, mortem iis maturet.

Syncopes, quæ in hac Operatione frequenter contingit, rationem explanare tentavi: quia nullam hactenus probabilem invenerim; quæ a Garengeoto[b] affertur, "Diaphragmatis scilicet in Ventrem "delapsus, post Aquæ eductionem," mihi incomprehensibilis videtur. Quomodo enim Diaphragmatis in naturalem statum reversio Animæ defectionem induxerit? Ego potius, quo inferius illud descenderit, eo liberius fore Cordi atque Pulmonibus spatium crediderim: qua re nihil magis convenit ad avertendam Syncopen. Hæc argumentandi ratio æque mira est ac ista, cum "Spirandi difficultatem in "hoc casu oriri dicat ex inertia Musculorum Epigastricorum, qui "Elaterem, utpote vehementer distenti, amittant, atque ideo An-"tagonistis neutiquam pares sint." Quod si mihi ratiocinandum esset, hanc conclusionem ducerem, quo minorem hi Musculi Elaterem habeant, & quo magis inertes ac distenti sint, eo minore vi costas ad inferiores partes trahi, & Diaphragma sursum repelli debere; unde, cum Thorax minus contrahatur, ea de causa liberiorem fore spirandi potestatem. Atque obiter nequeo non animadvertere, Scriptorem hunc frequenter ac sine usu voces Artis ab Antiquis usurpatas affectatione quadam mutare: uti in hac ipsa re facit, Anasarcam vocans Hydropem per Infiltrationem. Quod quidem verbum, Anasarca, & a Græcis & ab omnibus aliis post eorum tempora Medicis perquam aptum ac significans visum est ad exprimendam hujus morbi speciem: neque amplius quicquam a nova hac Voce (nam Infiltratio nullius, quod sciam, linguæ vox est) significatum video, quod clarius nos, quomodo hoc Hydropis genus nascatur, edoceat.

[b] 152.

Ea

Ea quæ de communicatione, inter Vaſa Abdominis & Cavum ejus patente, dicta ſunt, vera item ſint neceſſe eſt, ubi languor aut morbus ipſe poſt Paracenteſin redit: nemo enim ea abſurditate fuerit, ut Aquam ipſam extravaſatam ad ægri ſive vitam ſive vires ſuſtinendas neceſſariam exiſtimet. Ideoque ſi Vaſa ſic confirmata eſſent, ut Tono ſuo reſtituta nullam amplius per eorum Tunicas humoris fluxionem reciperent, nihil quicquam periculi in educenda ſimul omni Aqua contingeret: atque hoc paucis iis eveniſſe videtur, in quibus Chirurgi memorant Aquam eruptione aliqua fortuita omnem ſubito effuſam, ſine ullo hominis periculo. Idemque pertinet ad ea quæ ab Hieronymo Fabricio relata ſunt; qui hoc ſemper eo modo ab audaci illo Artifice Horatio a Nurſia factum, & ſucceſſu interdum non caruiſſe tradit. Sed uti hanc felicitatem non ita ſæpe contingere ait, ita nec Artis regulis noſci quando proſpere aut ſecus id eventurum ſit; quare in eo Antiquorum opinionem ſecutus, altera via inſiſtendum monet, qua ſenſim Aqua emittatur. Atque hic inſignem Fabricii locum indicare debeo, ex quo fides ejus & judicium pariter eluceſcit. Is non niſi duos a ſe unquam inciſos fuiſſe prodit; quorum uterque mortuus eſt: alter ex eo quod Operatio dilata ſit uſquedum res deſperata eſſet: alter, quod, fiſtula conſulto educta, Aquam omnem ſimul emiſerit. Quanquam ille minime dubitet, quin Operatio, ſi omnia recte adminiſtrentur, felicem habere poſſit exitum: neque præcepta huc pertinentia a quoquam prudentius quam ab ipſo poſita ſunt. Albucasis

Licet iſta fuerit univerſorum ſententia de diſcrimine quod intentet Aquæ omnis uno & eodem tempore effuſio: tamen in eo certe, qui ab Antiquis fieri ſolebat, emittendæ ejus modo aliqua ſubſunt incommoda, quando ſcilicet parva copia plurimiſque intervallis educitur, nulla, ſicuti mos fuit plerumque, faſcia adhibita. Nam niſi iſtiuſmodi fiat compreſſio, haudquaquam facile eſt novas humoris Hydropici ſuppetias intercipere, idque ob cauſas ſupra allatas: ita ut per Operationem, quæ in multos dies continuari debet, Tumor, ideo quod recentes ſuppeditentur copiæ, pro ratione humoris effuſi non ſubſidat. Huc accedit, quod Cannula in vulnere retenta noxam parti frequenter inferat, & Gangrænam interdum accerſat: quanquam fortaſſe, uti Faſciæ uſus aliud illud incommodum præverteret, ita quoque Cauſticum ante inciſionem adhibitum huic injuriæ magna ex parte mederetur; ſiquidem hoc modo, fiſtula inciſæ cuti immiſſa, vulneris oræ minus forent Inflammationi opportunæ.

Utcunque id eſt, hanc alteram Aquæ omnis ſimul educendæ viam cum ſucceſſu uſurpari poſſe, noſtrorum Experientia temporum edocti ſumus: ad quam viam inter nos in uſum adducendam, Tu, Vir Clariſſime, plurimum contuliſti: atque ea jam in Noſocomiis noſtris familiaris eſt, itemque in iis quæ Lutetiæ ſunt, Garengeoto teſte, non infrequens. Porro, cum Aqua in Peritonæi Duplicatura, ſicuti non raro fit, includitur, eo minus etiam eſt in hoc operandi modo diſcri-

Albucasis diſcriminis: nam ex Anatomia diſcimus, vix fieri poſſe ut tale quidvis incommodum eveniat, necnon & Membranæ hujuſce Tunicas facilius ope Faſciæ coalituras.

Morbus ab Albucaſi, in Capite nonageſimo tertio, deſcriptus, perquam mirabilis eſt: cujus exemplum ipſe, in Muliere tenuis habitus & in qua Venæ admodum extantes eſſent, ipſe viderat; ea dolore laborabat ex alio in alium locum diſcurrente. Cum hæc illi manum oſtenderet, parvum is in Vena Tumorem atque inflationem percepit: quod, intra horæ ſpatium, tanquam Vermis, ſurſum rependo, opinione citius uſque ad brachium aſcendit, huc illuc, Hydrargyri ritu, ſeſe motitans. Dolor cum Tumore locum mutabat. Alterius horæ ſpatio, corpore peragrato, ad alteram manum pervenit. Quæ diſcurſationis celeritas perquam mirabilis ei viſa eſt, cum nihil antea ſimile aſpexiſſet. An quicquam in hoc caſu adminiſtrari præceperit, ab eo non memoratum eſt; ſed cum aliquid hujuſmodi inciderit, ſi Tumor inſignis emineat, & vehemens urgeat dolor, partem incidi & Cauterium deinceps adhiberi imperat.

Multa accurate de Vulneribus, per Sagittas factis, ex propria tradit Experientia: & multas magnaſque curationes a ſeipſo præſtitas recenſet. Inter cæteras, Mucronem Sagittæ ex Naſo per ejus cartilaginem extraxit, in qua per longum illa tempus delituerat: ægerque ad integritatem, ſed nonniſi poſt quatuor Menſes, perductus eſt. Albucaſis autem, ex iis quæ in hac Operatione viderat, in errore eos verſari contendit, qui cartilaginem vulnere diviſam coire rurſus non poſſe aſſerunt.

In ipſo Libri Secundi[m] fine, variæ ab eo deſcribuntur Sanguinis ex Venis detrahendi viæ: ac de Brachiorum Venis agens, duos refert haſce incidendi modos. In altero, Punctio fit ope Inſtrumenti quod vel Myrti vel Oleæ folii figuram referat: quorum id quod in Oleæ folii ſimilitudinem figuratum ſit anguſtiorem acutioremque habeat mucronem. In altero, Vena per Sectionem Cultro dividitur, quem Alneſſir, & Phlebotomum Cultellarem vocat, quemque Guido de Cauliaco communem fuiſſe Lanceolam ait; verum hic, ut opinor, fallitur, quoniam figura hic aſcripta omnino ab ea diſcrepat. Cultro iſto Medicos optimæ notæ uſos eſſe tradit Albucaſis: ac trium iſtorum Inſtrumentorum forma ab eodem deſcripta eſt. Pro apertione Venæ quæ in Fronte eſt, aliud Inſtrumentum, quod Foſſorium appellat, adhiberi vult; id Inſtrumento ſimile eſt quo Veterinarii noſtri utuntur, & alia aliqua re eo referente, percuti debet, quo melius Venæ iſtius Tunicæ ſcindi poſſint: hanc in eo loco commodiorem Sanguinis mittendi viam exiſtimat, quam ſi Phlebotomo præſtetur, qui ſi adhibeatur, videndum eſſe ut hujus lata ſit extremitas.

Primam hanc ipſorum Inſtrumentorum mentionem eſſe credo, quibus Antiqui in Sanguine detrahendo uſi ſint. Galenus quidem, Μαχαίριον ἐξυβιλὲς, ab Hippocrate ad inciſionem in Empyemate com-

[m] c. 95.

mendatum,

mendatum, φλεβοτόμον exponit, Scalpellum ſcilicet qualis in mittendo Albucasis Sanguine adhibeatur. Idem quoque Myrtiformem Cultellum memorat, & Μαχαίρια ἀμφήκη, quæ aciem utrinque habeant: verum hæc Scalpellos potius ſignificant, qui Inciſioni generaliter inſerviant, quique diſſectioni, & aperiendis Tumoribus, aliiſque ejuſmodi uſibus idonei ſint, quam eos qui venæ incidendæ peculiariter accommodentur. Talis eſt Græcorum σμίλη ſive σμίλιον, id eſt, Μαχαίριον σφοδρὸν Hippocratis, quemadmodum hoc interpretatur Galenus; talis etiam Μίλη eſt, quo Hippocrates utitur ad Sanguinem Scarificatione detrahendum in Ulceribus; neque alius eſt Scalper ſive Scalpellus Celſi; quanquam ob alius vocis defectum hic eum nominet, quaſi vulgare Inſtrumentum in Phlebotomia adhibitum. Ex iis quæ de Vena Frontis dicta ſunt, Foſſorium illud Albucaſis tempore in uſu fuiſſe perſpicimus; quod non modo in hac Vena, ſed etiam in Venis Brachii aperiendis, uſurpatum perquam veriſimile eſt; nam ita ipſe videtur ſignificare, Percuſſionis vocabulum adeo frequenter repetens. Ac rem eandem eodem modo ante hunc enuntiarunt Rhazes & Haly Abbas; Conſtantinus autem Africanus, qui ſua ab his potiſſimum exſcribit, Albucaſi vero antiquior eſt, hanc Venas in Brachio aperiendi viam diſerte exponit: nam is has voces habet, "Ferire, Venis Feriendis, "ne Nervus Percutiatur, ne Os Percutias." Ac Juvenalis ad hunc Sanguinis in eodem loco mittendi modum reſpicere videtur, eodem ſenſu dicens, "Mediam Pertundite Venam." Audivi quoque ipſe, Chirurgos noſtrates haud ita pridem Operationem ſimili modo præſtare ſolitos. Celſus id inſtrumentum, quod in Venæſectione adhiberi jubet, Scalpellum nominat: Conſtantinus omneſque inferiores Latini idem Phlebotomum vocant, in eo Cœlium Aurelianum & Theodorum Priſcianum ſecuti, qui voce "Phlebotomare" utuntur. Quam vero ſimilitudinem id habuerit cum Lanceola noſtra, haudquaquam conſtat: hæc quidem vox a Gallis derivata eſt ad nos, atque ad eos, teſte Diodoro Siculo, a λαγκίᾳ Veterum Gallorum. Lanceolæ vera ac germana ſignificatio Julio Capitolino haud antiquior eſt; quamdiu autem eadem Inſtrumentum Chirurgicum denotaverit, neſcius ſum; tamen hanc eo ſenſu uſurpatam Gulielmi Britanni tempore invenio, qui A. D. MCCXX vixit, ac Philippi Auguſti, cui a Sacris erat, Hſtoriam conſcripſit. Is aliqua habet de Lanceola, eamque a Phlebotomo evidenter diſtinguit; nam utrumque hoc Inſtrumentum ea ætate fuiſſe in uſu videmus. "Lanceola dicitur "ſubtile ferrum acutum, cum quo minutores aliqui pungendo ve-"nam aperiunt in minutione. Aliqui cum Phlebotomo venam per-"cutiunt, unde & Phlebotomia dicitur minutio."

Albucaſis, quod me pene fugerat, proceſſum Calculi e Veſica extrahendi (qui Apparatus minor dicitur) Celſo Pauloque & uberius & accuratius deſcribit: ac ſpeciatim modum proponit, quo is e Fæminis per Inciſionem educi debeat. Græci de hujuſmodi Operatione in iſto ſexu nihil habent; ſoluſque inter Antiquos pauca quædam de hac re tradit Celſus. Atqui valde dubito an Operatio-

Albucasis nem ipſe præſtiterit Albucaſis: ſiquidem ex ipſius verbis manifeſtum eſſe cenſeo, Chirurgum iis temporibus, atque in ea regione *, quæcunque iſta fuerit, ubi is Artem exercuerit, raro aut nunquam eſſe hac in occaſione adhibitum. Virginem enim illic neutiquam erat Viro contrectare licitum; neque mulier caſta quævis aut nupta eo adduci poterat ut ejuſmodi infirmitatem diverſi cuipiam ſexus declararet. Igitur ægris ſolenne erat, Obſtetrici aut peritæ alicui Fæminæ inſpiciendas ſe præbere, quæ Chirurgi quidem conſiliis in hoc negotio uteretur, ſed ea quæ manu fierent ipſa adminiſtraret: quanquam is admodum paucas fuiſſe narrat, quæ rem ſolerter exſequi poſſent. Tales erant apud Græcos Ἰατρίνας atque Μαῖας. Ipſe autem hoc modo procedendum ait; Digitum Operatrix Pudendo immittat, atque Veſicam læva manu comprimens Calculum ab ejus Orificio, quantum fieri poteſt, ad radicem ſive fundum oſſis Coxæ deducat: & ibi, quocunque in loco Calculus percipiatur, fiat Inciſio, quæ primum exigua eſſe debet; poſtea Radio intromiſſo, ſi tum ſentiatur Calculus, vulnus ampliandum eſt pro ratione magnitudinis qua is eſſe videatur. Locus Sectionis ab illo indicatus inferior videtur eo quem incidi jubet Celſus, (hic enim inciſionem fieri vult "inter Urinæ Iter & Os Pubis") initio, uti reor, ab interiori Vaginæ parte facto. Idque haud aliter eſſe inde profecto manifeſtum eſt, quod inter alias hanc rationem adducat cur perdifficilis Operatio ſit, atque adeo magis in Fæminis quam in Viris: Locum nempe Sectionis in illis remotiorem eſſe a Calculo, ac proinde altiorem poſtulare inciſionem, quæ plus ideo diſcriminis intentet. Solus ex omnibus Chirurgis Italis proceſſum integrum ab Albucaſi exſcribit Brunus. At ſi Albucaſis locum a Celſo deſcriptum ipſe etiam ſignificaſſet, iter inde ad Veſicam multo brevius eſſe ex Anatomia noſceremus: nam ſi a latere & ab altera parte Ductus Urinarii fit inciſio, Culter ſtatim e Vagina in anteriorem Veſicæ partem labitur. Quod ſi Sectio in Perinæo inſtitueretur, nulla in Calculi diſtantia foret diverſitas in diverſis Sexibus. Locus autem Sectionis hic ab Albucaſi indicatus idem ad amuſſim eſt, ac is ubi Frater Jacobus & poſt eum Rauus inciſionem fecerunt: quanquam neuter horum, opinor, incidendi modum iſtum ab illo didicerit. Illud etiam notari poteſt, Albucaſim, quo tutius ad Calculum perveniri poſſit, diverſas duas inciſiones, quod etiam a Rauo factum video, fieri jubere. Locus hic dividi poteſt ita ut non convulneretur Vagina, præcipue in Virginibus: quem errorem ſæpe admiſit Frater Jacobus; quare optimo jure, Operationem magis arduam eſſe in Mulieribus quæ Virum expertæ ſint aut liberos pepererint, affirmat Rauus; nam cum in his magis ampliata ſit Vagina, hæc facilius ſub cultrum incidit: quo in caſu Vagina bis ſecetur neceſſe eſt; idemque contingere debet, ſi inciſio fiat in Perinæo: quæ res a Gulielmo de Saliceto animadverſa eſt. Nullus itaque, præter hunc ab Albucaſi notatum,

* In MS Codice, qui a Velſchio adducitur, Cyropolitanus is vocatur. Cyropolis autem una erat ex præcipuis Mediæ Civitatibus, juxta mare Caſpium poſita.

locus

locus eſt, ubi Vaginæ inciſio ullo modo vitari poteſt. Quodque obſervatu digniſſimum eſt, ſi in Operatione incidatur Arteria, ac fluxio Sanguinis moleſtiam creet, deſiſti, Calculumque relinqui jubet, & curando vulneri unice incumbere: ac deinceps poſt aliquot dies, cum id jam ad digeſtionem perductum ſit, Operationem rurſus aggredi Calculumque extrahere. Neque aliter P. Franco inciſionem uno die facere, ac proximo vel alio quovis inſequente Calculum educere ſolebat; idemque hic in Viris a Cypriano factitatum eſt. ALBUCASIS

Notavi antea quam fidentes fuerint quantoque audaciores Romanis, in Chirurgicis Operationibus exequendis, Græci; & quam multa hi præſtiterint, propter cæpti vel ſævitiam vel difficultatem, a Recentioribus non tentata. Quicunque vero Albucaſim evolverit, ejuſque ſcripta cum Pauli Celſive Commentariis contulerit, illum inter omnes audaciſſimum comperiet; Catalogus ipſe Operationum ab eo numeratarum terrori erit homini, qui non multum fuerit in Chirurgia ſimili verſatus. Id autem in eo miror, quod viam ille ſilentio prætermiſerit, quam aliqui ex popularibus ejus aggreſſi ſint, ad extrahendum e Rene Calculum, per inciſionem in Muſculis Dorſi factam. E Serapione & Avicenna conſtat, hoc aliquando iis temporibus præſtitum; quanquam Operationem uterque valde ancipitem eſſe judicet, & ex qua veriſimillime ſecutura ſit ægri pernicies. Quam rem obiter tantum commemoro ut oſtendam, vix ullam fuiſſe iis temporibus Operationem, quantumcunque vel doloris vel difficultatis vel diſcriminis præ ſe ferret, quam non aliqui auſi ſint & Chirurgi ſuſcipere, & ægroti ſubire. Quodque ad caſum modo nominatum attinet, utut lethalia ea vulnera exiſtimata ſint quæ Renis Pelvim penetraverint, rem manifeſte aliter ſe habere deprehendimus ex Hiſtoria Hobſoni Conſulis a doctiſſimo Bernardo relata; ſiquidem e Rene Hobſoni, Patavii tum agentis, Calculum ope inciſionis eduxit celebris ille Dominicus Marchetti, iſque multos poſtea annos ſanitate integra fruens vixit. Res tota accuratiſſime deſcripta eſt, atque in eam animadverſiones lectu ſunt digniſſimæ; qua in narratione traditur, Arabas quidem hujuſmodi Operationis mentionem feciſſe, cæptum vero aut Inſani hominis aut Circulatoris exiſtimaſſe, ac primum fuiſſe, qui id ſerio præceperit, Rouſſetum. Veruntamen, præter hoc Exemplum, eſt etiam aliud ex quo Nephrotomiam hanc revera adminiſtratam diſcimus, quod in Hiſtoria Gallica a Mezeraio ſcripta occurrit, his verbis expoſitum: "Pariſienſes Facultatis Me-"dicæ Doctores, cognito Lictorem quendam Bagnolettenſem, qui "Calculo graviter laboraſſet, ſupplicio damnatum eſſe, a Rege petie-"runt ut is in eorum poteſtatem dederetur, quo experimentum in "eo fieret, utrum inciſo ejus Rene educi poſſet Calculus. Adeo "feliciter ceſſit Operatio, ut is multos poſtea annos ſine ſalutis diſ-"pendio vixerit." Hoc quidem regnante Carolo Octavo factum eſt, qui Anno 1498 obiit; centum fere annis antequam Rouſſetus Scriptis innotuerit, & quo tempore Gallica in initiis ſuis eſſet Chirurgia.

Tulpius

Albucasis Tulpius in ea opinione eſt, Rouſſeti conſilium hoc præcipue nixum fuiſſe, quod aliquando notatum ſit Abſceſſu in Rene facto Calculum viam ſibi patefeciſſe, quemadmodum in eo quem is adducit caſu per Lumbos exiit: quæ res etiam ab Hippocrate animadverſa eſt. Verum haud minus veriſimile eſt id Rouſſeto in mentem veniſſe, cum rem ſupra memoratam auditione accepiſſet, quæ proculdubio in patria ſua hominum eſſet ſermone pervulgata: nam & eandem ipſe narrat Hiſtoriam Rouſſetus, licet (ex Monſtreleti Supplemento) in una aut altera re diverſam. Quamvis duo hæc Exempla (& plura fortaſſe in Libris non occurrunt) Operationi commendandæ vix ſufficiant: tamen hoc ſaltem ex iis concludi poteſt, eam, utcunque ancipitem, poſſe aliquando feliciter adminiſtrari, atque in caſibus alioqui deſperatis admitti, ubi exitus per Abſceſſum indicetur. Argumenta, quæ ab Analogia ducit Rouſſetus, lectione non indigna ſunt. Inciſionem quæ ad extrahendum e Veſica Calculum eſſet facta, Operationem admodum periculi plenam homines primo credidiſſe, haud temere opinamur; adeo ut Aſclepiades atque hujus Secta eam pro exitioſa condemnaverint; & Hippocrates eandem ſolam inter omnes Operationes Chirurgicas certo Artificum generi relinqui voluerit, qui id profeſſo agitarent. Difficile profecto eſt in univerſum judicare, quid in Chirurgia fieri nequeat. Quædam hujuſmodi ab Antiquis præſtita eam præ ſe ferunt temeritatem, ut hæc vereor ne incredibilia hac ſolum de cauſa reputemus, quod neminem eadem noſtris temporibus aggredi videamus.

Ita, Vir Clariſſime, diverſas Tibi celeberrimorum inter Arabas Medicorum formas exprimere tentavi: & exempla quædam protuli, quæ hos aliqua ſaltem Profeſſioni noſtræ incrementa, & obſervationes aliquas ad rem pertinentes iis quæ a Græcis acceperant adVariolæ. jeciſſe demonſtrent. Id ſi aliter ſe haberet, una ſaltem, & ea maxime momenti res, de qua hactenus non ſum locutus, haud alibi quam inter Auctores hoſce quærenda eſt: Variolarum intelligo Hiſtoriam. Nam ab Hippocratis tempore uſque ad id ipſum tempus, quo recens ac prodigioſus ille morbus apparuit, nihil credo æque inſigne in Medicina extitit. Hujus origo multo longius retro, quam vulgo creditur, ex ipſorum Auctoribus inveſtigari poteſt: nam repetenda eſt etiam ad illuſtrem uſque ipſius Mahometis Epocham quæ cæpit initio Septimi Sæculi. Morbillos Arabes, qui affectus ſine dubio ejuſdem ætatis eſt, neque incongrue ab Avicenna dicitur Variola Cholerica, vitium adeo cognatum Variolis cenſent, ut plerumque de his duobus ſimul agant, quaſi minor majore comprehenſus eſſet. Neque in controverſiam venire debet, quin Variolæ Græcis fuerint incognitæ (quicquid nonnulli e Recentioribus contra garriant) atque in hac gente primum notatæ, & a Mahometanis deſcriptæ. Cumque is Morbus ita miris comitetur Symptomatis, & ſit ita conſtans & ordinatus in vario ejus progreſſu, atque ita univerſe in genus omne humanum cadat, a Clerico jure quodam deſiderari

ſiderari poterat breve ſaltem aliquod compendium eorum quæ pri- VARIOLÆ.
mi iſti de hac re Scriptores tradidiſſent: præcipue cum imaginem ejus in ipſo ortu ab iis luculenter expreſſam, & curandi rationem ſatis dilucide expoſitam videamus. Ille ipſe per ſe Rhazis Liber qui, de Peſtilentia, inſcribitur, quid ii de hoc morbo ſenſerint, explicat uberrime, & ab his, differentiam eam quæ ſit inter Diſtinctum atque Confluens genus, probe perſpectam fuiſſe demonſtrat. Ex antiquiſſimis, quæ ſuperſunt, Variolarum traditionibus, has in Ægypto primum, Omaris tempore, qui Mahometi ſucceſſit, apparuiſſe comperimus: etſi, cum has Græci prorſus ignoraverint, Arabes ſine dubio morbum illuc e ſua gente advexerint, quem ipſi fortaſſe antea a remotioribus Orientis gentibus ſuſcepiſſent. Horum enim Antiquiſſimi Scriptores de eo non ita loquuntur, quaſi recenter orto. Uti vero hic populus, intra minus quam triginta annorum ſpatium Religionem ſuam atque Imperium, ita quoque novam hanc Luem, per Ægyptum, Syriam, Palæſtinam, Perſiam, ac paulo poſt per litus Aſiaticum in Lyciam ac Ciliciam propagavit: ſub proximi vero Sæculi initium, ulterius in maritimas Africæ partes quoque, ac trans Mare Mediterraneum in ipſam Hiſpaniam eundem diffudit.

Novus quidem hic in Medicina campus aperitur; ſed brevem Tibi duntaxat morbi hujus delineationem ponam in conſpectu, uti ab Arabibus ipſis, ac potiſſimum ab uno de iis antiquiſſimo optimoque Auctore, Rhaze adumbratur: quique, ipſo dicente, primus omnium diſtinctius quiddam & enucleatius ſuper hoc argumento conſcripſerit. Igitur ut ejus inſtitutum ſequar, uti malum erat antea inauditum, ita quoque cauſam ejus affert, in Medicina æque novam, Innati ſcilicet genus quoddam Contagii. Id, uti is ait, Fermentum in Sanguine eſt, quale in Muſto fieri ſolet, iſque ſerius aut citius materiam peccantem per Cutis Glandulas ejiciendo ſeſe purificat: quæ quidem Hypotheſis, ſine ullo fundamento, a Recentiorum multis ad Febrium omnium notionem explanandam adhibita eſt. Fermentum hoc a Matre in ipſo Utero derivari ponit; ex quo fit, ut Morbus adeo univerſus ſit, atque ita in omnes pariter incidat. Vere atque Autumno maxime vulgaris eſt: præcipue poſt uvidam æſtatem, aut hyemem tepidam; eidem Pueri ac Puberes maxime opportuni ſunt: Senes rarius, niſi ſi tempus Peſtilentia grave ſit. Corpora obeſa atque fluxa, quæ humoribus abundent, multoque vel Vino vel Lacti aſſueta, contagione citiſſime inficiuntur; iique, qui ſicco corporis habitu ac Bilioſo Temperamento ſunt, vehementiori plerumque genere laborant. Interpres Græcus, qui Rhazis Librum e Syriaco tranſtulit (quo ſermone hunc a Rhaze ſcriptum credibile eſt) id genus verbo quodam inaudito, Ευλογίαν, nominat, quo Syriacam vocem, Chaſpe, exprimi ait. Quæ quidem vox & in Hebraico & in Syriaco ſermone ἐξάνθημα ſignificat, ſive Puſtulam inflammatoriam: ideoque N. Machelli, qui elegantiſſimam nobis Græci Operis Verſionem dedit, vocem hanc, Incendium, ſatis commode reddit, quam Græce Ευφλογίαν dici teſtatur. Quod ſi conjectura uſi Εκφλογίαν

VARIOLÆ. legi debere cenſeamus, manebit Auctoris ſenſus, exigua tantum in verbo mutatione facta.

Præcedentia Morbum Symptomata ſunt, acuta febris, vehemens in Capite ac Dorſo dolor, (cumque is in Dorſo hæreat, ſignum longe certiſſimum eſt) cutis ariditas, ſomnolentia, ſpirandi difficultas, inſomnia turbulenta, oculorum rubor, punctiones per univerſum corpus, oſcitatio, pandiculatio, pulſatio ponduſque in Capite, ægritudo, ac vomendi deſiderium. Mali generis ſigna ſunt, ingens in Dorſo dolor, ægritudo vehemens, inquietudo, totius corporis ardor, color flammeus, præſertim ſi in Gutture ſit. Puſtulas Rhazes vocat, vel "[a] Sublimes," quæ diſtinctæ eſſe & in apicem ſurgere debent; vel "Latas," quæ depreſſæ & amplæ ſunt, uti in Confluenti genere. Multa ex his Symptomata Morbillis communia ſunt; ac ſi Calor vehementius[b] exarſerit, & Pectoris anguſtia violentiſſime urgeat, præcipue ſi Tuſſis etiam adſit, cum Aurium aut Naſi prurigine, Morbilli potius præſagiri poſſunt, qui interdum ipſis Variolis lethaliores exiſtunt.

Differentias & Prognoſtica Variolarum accuratiſſime exponit. Si eruptio facile fit, & Puſtularum maturatio recte procedit, res in tuto eſt; at ſi poſt eruptionem inhæret adhuc febris, non item. Benignum genus eſt, ubi ſpiritus commode trahitur, pulſus compoſitus eſt, ſenſus conſtant, ægerque & cibum & ſomnum capit. Neque peſſimum genus cenſeri debet, ubi Puſtulæ, materiam albam comprehendentes, amplæ, diſtinctæ, paucæque ſunt, atque ad maturitatem ſine Febre memorabili perveniunt; neque vero terreri quempiam oportet, licet eæ in quibuſdam locis confluant, modo ſint maximam partem amplæ, ac debito more procedant, vireſque non deficiant, neque adſit aut ſpirandi moleſtia aut corporis ardor. Verum ubi denſæ ſunt, & cohærent eo modo ut confluendo multæ unam efficiant, ubi congeriei hujus circulus peramplus eſt, eæque adipis aut ſevi ſpeciem referunt, ubi Herpetis inſtar ſerpunt, aut ejus quæ Formica dicitur, cutimque erodunt, exulcerant, atque contrahunt: ubi Verrucarum ſimiles attolluntur, neque in ſe materiam ullam continent, perquam Maligni generis hoc eſt; præſertim, ſi poſt eruptionem haud recte procedant, neque æger levationem ſenſerit. Si poſt eruptionem febris increſcit, malum utique ſignum eſt: ita quoque nova Puſtularum expullulatio magnam humorum abundantiam denotat. Genus magis benignum eſt, cum in Puſtulis rubor haud ita ſit intenſus; at ſi vehementer pallidæ ſint, diſcrimen ſubeſt. Si primo ægrotationis die erumpunt, id humores nimio impetu fervere ſignificat: ſi tertio die, magis temperatos atque languidos eſſe: ſi diebus Criticis, quibus reor Quartum atque Septimum ab eo intelligi, eo mitior adhuc morbus eſt. Quod ſi dolor parti cuivis inhæreat, & ea pars colorem viridem aut nigrum induat, vireſque collabantur, pernicioſum eſt. Si Puſtulæ admodum exiguæ duræque, & coloris violacei, viridis, ſanguinei, aut nigri ſint, ne-

a Ad Almanz. 10. 18. b Diviſion. Lib. 1, 19.

que

que maturentur, exitium portenditur; ac ſi per totum morbi de- VARIOLÆ.
curſum in eo ſtatu maneant, Febris autem perſiſtat, accedat etiam Syncope, ægritudo, aut tremor Cordis, mors in propinquo eſt. Hactenus de Symptomatis atque eventus præſagitione.

Sequitur Variolarum Curatio, de qua verius ut judicium ferre poſſimus, illud memoria tenendum eſt, Rhazem in calida Perſiæ regione & vixiſſe & ſcripſiſſe. Sanguinem ſtatim aut Venæ ſectione aut Cucurbitulis, etiam in Infantibus, detrahi jubet: idque ad animæ defectionem, ſi vehementer urgeant Symptomata: ſin minus, moderata copia fieri præſtare. Quod ſi Vena in Brachio ſe non offerat, Poplitæam incidi poſſe. Cubiculum per omne tempus frigidum ſervandum: victuſque omnis ſit refrigerans. Pro alimento, Ptiſana. Medicamenta, præcipue e Trochiſcis Spodii (qui ex optimis Abſorbentibus ſunt) & ex Granatorum ſucco, aliiſque omnibus Acidis & Aſtringentibus Herbis. His autem refrigerantibus utendum, quo mitigetur vehemens morbi ardor, cum ea tamen moderatione ne calor naturalis extinguatur. In initio Aquam Glacie frigefactam præbet, quoad vomat ſudetque æger; poſtea Fomentis ex Aqua calida utitur; qua ratione optime propelli Puſtulas exiſtimat. Ita quoque ad arcendum morbum & pro præparatione contra eum, Natationem, Aquæ Glaciatæ ac Victus Acidi quamfrigidiſſimi uſum præcipit, uti Omphacii, Olerum, &c. Formulam quoque exhibet ex Acidis & Spodio confectam, interque Indos multum uſitatam, qui affirmarent, quiſquis ea uteretur Puſtulas haud plus decem in eo erupturas. Si venter aſtrictus ſit, hunc Infuſionibus quibuſdam bis in die ſolvi vult; unde Puſtulas pauciores futuras: neque id negligendum, ſi vis morbi magna ſit. Poſt eruptionem, a validioribus Purgantibus temperandum, ac præcipue circa Criſim, ne Dyſenteria ſuperveniat. Quod ſi neglecta fuerit in initio Sanguinis detractio, lenes ſudores ad promovendam eruptionem excitare. Si æger exardeſcat, neque Puſtulæ procedant, Decoctum ex Ficubus, Uvis, Lentibus, &c. perpetuo dandum. Si levis ſit affectus, neque homo conflictetur, ac Variolæ jam exierint, iis quæ impenſe refrigerant abſtinendum, ne eruptionem morentur, continuandum vero idem Decoctum, adjecto Croci pauxillo, &c. Ubi omnes in conſpectu ſunt, Vaporationes ex Aqua. Diluentia ſint, Aqua Hordei, Granatorum, Melonum, &c. aliique temperati liquores: quodcunque vero humores magis reſolvat, minus utile, præſertim in Morbillis. Si æger admodum laboret, atque in Syncopen lapſurus videtur, in Aqua Frigida immerſio cum Frictione ad propellendos Morbillos: & cavendum ne Fluida nimium ſolvantur, vel homo ſudore diffluat. Poſt diem Quintum (numerando a tempore quo ægrotatio primum invaſerit) ſi Puſtulæ non procedant, ea Medicamenta danda, quæ eruptionem adjuvent. In hoc tamen circumſpecte agendum, & habita ratione Symptomatum, ac præcipue Febris, cujus optimum indicium ſit Spiritus Pulſuſque. At ſi Puſtulæ duræ ſint & Verrucas referant, ægrique vires langueant, maturationi ſtudere ſupervacaneum eſt: cum hæc conditio morbi

plane

VARIOLÆ. plane deplorata ſit. Opiata, ſupra omnes res, in vigiliis, aut alvi fluxu, idonea ſunt. Venter plerumque juxta mali finem ſolutus eſt, præſertim in peſſimo genere. Nulla ante Criſin inſtituatur Purgatio: at ſi res id poſtulet, & corpus aridum ſit, in initio, & ante declinationem purgandum; in principio, ut minuatur calor & pulſatio in capite: ante declinationem, quo levetur onere Natura, & materia morbifica expellatur. Quod quidem conjiciendum eſt vel antè vel poſt Venæ ſectionem, ex eo quod corpus infirmum ſit, inflatum tamen atque humoribus redundans: ex latente febricula, Pulſuque undoſo. Atque in hoc caſu optime reſpondet Purgatio. At ſi os amareſcat, ſi vomitus & inflammatio oriatur, ſi fauces ita repletæ ſint ut ſtrangulatio metuatur, ſanguinem mitti expedit. Præcepta ſatis ampla ſunt, quæ ad Gargariſmata, Collyria, &c. ſpectant: & ad arcenda Ulcera Foveaſque e Variolis oriri ſuetas.

Hæc eſt deſcriptio Variolarum a Rhaze tradita; neque ea ſane a veritate diſcrepat, quanquam is haud ſingula minute exponat: ac per annos ſupra quingentos id ita abſolute præſtitum homines judicarunt, ut inſequentes Scriptores vix quicquam his adjecerint; donec tandem ſingula morbi Stadia diſtinxerint, & ſingulorum dies ipſos accuratiſſime obſervare edocti ſint. Verum ab eo tempore uſque ad hoc tempus, quanquam Recentiores notas ejuſdem ac Symptomata magis explicate enumeraverint, tamen quod ad Praxin attinet, fundamenta hic omnium eorum, quæ ii præcipiant, poſita videmus. Cujus rei pauca proferam Exempla.

Inter duo Variolarum genera diſcrimen recte fecerunt Arabes, atque inter harum utraſque ac Morbillos: neque Regularia tantum ſed Anomala quoque deſcripſerunt genera. Eſt etiam ubi aliam alii meſſem ſuccreviſſe notarunt.

In initio, & interdum poſt Eruptionem, Venæ ſectio & Purgatio ab iis inſtituitur. Ac profecto, vel felicem vel funeſtum morbi exitum ita pendere cenſuerunt ex iis quæ vel in prima ejus invaſione, vel in primis ſaltem diebus adminiſtrarentur, ut Victum accuratiſſime ordinent, eumque admodum refrigerantem velint, prout certe in ferventiſſima eorum regione conveniebat. Igitur id ab iis haud ſine ratione factum: quod alii vel abſurde imitati ſunt, vel etiam prætergreſſi ſunt, in regionibus, ubi neque Natura morbi neque Aeris conſtitutio idem requiſierit. Ac Sydenhamus noſter in prima Operum ſuorum Editione huic regimini nimis indulſit: qui poſtea tamen, ſapienter, multa a ſe dicta retractavit, ac moderatam rationem amplexus eſt, quæ ſine dubio & rei ipſi & hujus Inſulæ temperiei magis conveniat.

In hoc primo Morbi Stadio, tam quoad Victum quam Medicamenta, Diluentibus eos ex toto inſtitiſſe percipimus: qua via & Puſtularum Eruptionem benignam optime præſtari cenſuerunt, & eodem modo caveri ne eæ rurſus retrocedant. Quantumvis autem Victus ſummatim ab iis inſtitutus ex refrigerantibus conſtaret, tamen Calida etiam & generoſa Cardiaca, quandocunque ope Natura indigere,

indigere, aut discrimen subesse videretur ne Pustulæ sese intro reci- VARIOLÆ.
perent, fidenter adhibuerunt. Eodem consilio, ubi tumultus ac fermentum in humoribus apparet, quod sedandum judicarent: aut Symptoma aliquod, ex quo tardaretur Pustularum maturatio, ad supremum illud ac plane divinum ex Opio Remedium confugere solebant; quod quidem ab iis frequentissime in hoc casu usurpatum est, licet Sydenhamus primam omnino inter nos ejusdem dandi mentionem habuisse videatur.

Ibidem reperies, in Declinatione morbi, ubi Natura, quantum ejus viribus fieri potuerit expulso, sub onere Materiæ morbificæ laboret, Artem illos in subsidium haud imperite vocasse, atque in his anguguſtiis præcepisse, quibus cautionibus adhiberi debeat vel missio Sanguinis, vel Purgatio.

Hæc de Variolis, ex Arabibus, adnotavi, memet intra Historici munus continens; neque argumentum ipsum longius persequar, hujusmodi disquisitionibus Tibi, Vir Amicissime, relictis, qui cum hanc rem omnium accuratissime teneas, nobiles eas Observationes cito, ut spero, in publicum proferes, quas Tibi suppeditavit vel Scriptorum Veterum fida lectio, vel felix admodum & occupata Artis nostræ exercitatio.

Ita ea, quæ mihi de Arabibus videbantur dicenda, absolvi; in qua re vereor ne me nimis longum fuisse existimes, aliique id fortasse vel nullius momenti vel minus necessarium arbitrentur. Sed ut rem cum æquitate dijudicemus, hæc eorum laudis summa est: etsi pleraque a Græcis sumserint, tamen aliqua iis Medicinæ deberi incrementa, haud inficiari absque injuria possumus. Primi Medicamenta Chymica in usum duxerunt; licet ea numero pauca fuerint, neque hi in Arte Chymiæ insignem ullum progressum feciſſe videantur. Nam si istiusmodi præparationes Medicamentorum excipias, quas e Rhaze produxi, Mesue solus, qui Pharmacopœam composuit, & Bulcasem qui sero in Hispania scripsit, alia commemorant; neque ea sunt numero plus quam sex. Nihil quicquam ab iis in Anatomia factum est; neque Chirurgiam vel ii vel posteriores Græci adauxerunt, usque ad Albucasis tempora, qui Scientiam hanc, uti vidimus, longissime provexit. Porro ex Historia discimus, in hac Æra Chirurgiam a cæteris Medicinæ partibus, magis quam superioribus sæculis fuerit, distrahi cæpisse; separatimque hanc Professionem institutam: ex quo certe Professoribus ejus facultas data est majorem in Arte sua peritiam consequendi. Multa Arabes Rei Botanicæ Materiæque Medicæ adjecerunt, novis Medicamentis, præcipue ex Aromatum genere, ab Oriente, in usum ductis; quorum Catalogus apud Garciam ab Horto & Christophorum Acostum videri potest; atque uti hæc Medicamenta numero haud pauca, ita quoque magni in Medicina sunt momenti, præsertim universa leniorum Purgantium classis. Atque, ut in hac re cum iis non inique agamus, haud modo nova Plantarum genera descripserunt, sed quasdam quoque in Veteribus detexerunt virtutes Græcis incognitas. Quod ad Rem

VARIOLÆ. Pharmaceuticam attinet, Arabes primum Auri atque Argenti Foliis uſi ſunt: quanquam obſervatione perquam dignum eſt, parciores eos multo Magiſtris ſuis Græcis fuiſſe in externo Metallorum uſu. Primi item Sacchari per coctionem conficiendi viam invenerunt: cujus ope Syrupos etiam fecerunt: quæ duæ res perquam utiles ſunt in Medicamentorum Compoſitorum miſtione, ac frequenter Melli præferri debent, quo Græci tantopere ſunt uſi. Plurimarum igitur Compoſitionum Formulas tradiderunt: quarum haud paucæ, præſertim Pilulæ & Electuaria, ad hunc diem in Pharmacopœis noſtris ſubſiſtunt. His non obſtantibus, Guido Patinus, de ultimis unus qui ex profeſſo Arabas impugnaverint, acri aſperoque illi uſitato more in eos furioſiſſime invehitur; & quodcunque in his utile reperiatur, a Græcis ſumtum affirmat. Quod utique ab illo minime demonſtrari poteſt. Nihilne, a me memoratum, utile dici debet? Eæne obſervationes, quæ de Spina Ventoſa ac Variolis reliquerint, prorſus contemnendæ ſunt? Neque attentionem ullam meretur Albucaſis Chirurgia? Pergit autem Patinus eos incuſare, quod Pharmaciæ Compoſitæ inventores extiterint; at ſi Græcos eandem rem intuens perluſtraſſet, æque multa credo Medicamenta, & ex æque multis rebus conſtantia, apud Galenum deprehendiſſet atque apud eos qui poſt Galenum de Medicina ſcripſerunt. Immo ita longe abeſt, ut Arabes vel primi Medicamentorum Compoſitorum Auctores fuerint, vel ea comprobarint, ut unus ex iis Simplicia & collaudet, & in omnibus morbis præferat, hæc inſuper adjiciens, "Nimiam in iis componendis ſolicitudinem nihil aliud niſi laborem ac "vanitatem eſſe[b]." Tamen uſque eo ira abreptus eſt Patinus, ut contra Saccharum ac Syrupos invehatur non aliam ob cauſam, quam quod ab Arabibus inventa ſint. Medicamentorum Calidorum & Aquarum Cardiacarum introductionis culpam in eoſdem rejicit: utrumque falſo, neque enim in ullo eorum ſcripto Aqua ulla Cardiaca reperienda eſt. Verum ira judicium hujus Scriptoris frequenter antevertit, idque præſertim cum de aliorum moribus atque ingeniis loquitur; ita, quia cum Academia Monſpelienſi diſſideret, Riverium in eo loco Profeſſorem haud alia quam meri Empirici appellatione dignatus eſt; & quoniam ei diſceptatiuncula quædam eſſet cum Goritio, Beſtiæ ſenſum huic non obtigiſſe ait, etſi Librum ſcripſerit ſub Titulo Definitionum Medicarum. Eodem furore contra Antimonium atque Corticem Peruvianum declamat; quæ quidem Medicamenta is parum perſpecta habuit, quæque prudenter adhibita inſigniter juvare Experientia demonſtravit. Quod ad Medicamentorum Compoſitionem ſpectat, quæ maxima ei querelæ cauſa eſt, licet hæc ultra modum ſæpe ac ſine ratione interdum multiplicari credo, tamen haud video cur in univerſum rejici debeant. Quanquam enim Compoſiti vis haud accurate ſupputari poſſit a proportionalibus Simplicium qualitatibus, quod Alkindus facere præ ſe tulit, tamen aliquid certe a plurium commiſtione oriri poteſt, quod

[b] Alſaharav. Theor. Fr. 15.

in

in ſingulis per ſe reperiri nequeat. Mithridatium & Theriaca Andromachi per annos propemodum duo mille in uſu manſerunt, & etiamnum a judicibus maxime idoneis utilia Medicamenta reputantur; at ſi ad Simplicium ſingulorum ex quibus ea conſtant examinationem deſcendere vellemus, vi forſitan rationis minus aſſequi liceret, quare hoc vel illud medicamentum ſit ſelectum, vel quomodo omnia in totius efficaciam conſpirent. Medicamenta componendi ſive ars ſive mos Hippocratis ſaltem tempora vetuſtate exæquat, qui plura hujuſmodi adhibet quam facile quivis primo intuitu exiſtimaverit, quanquam in numero iſthæc conſtituentium parcior ſit iis qui poſt illum vixerint. Atque hæc Simplicia miſcendi conſuetudo haud ita multo poſt uſque eo invaluit, ut intra duo ſæcula Mantias Herophili diſcipulus & Heraclides Tarentinus [a] Libros integros de præceptis ac ratione eorum Compoſitionis conſcripſerint. Actuarius [b] Hippocratis Antidotum nominat quod ex variis rebus conſtaret, propter quam Corona ille ab Athenienſibus donatus ſit: quod remedium ab Actuario, ut ad multa vitia utile, prædicatur; Clericus [c] quidem id a Græca vanitate in hoc Scriptore profectum exiſtimat, quem Fabulam iſtam commentum fuiſſe, & magni illius Viri nomine uſum exiſtimat, quo melius ita Medicamentum illud commendaret. Quibus vero fundamentis opinio ejus nitatur, haudquaquam percipio: nam præter ea quæ ante dicta ſunt (ut aliud ejuſdem generis ſub eodem nomine a Myrepſo [d] deſcriptum omittam) ſi Celſum conſulamus, qui & Hippocratem probe intellexit & in pleriſque ſecutus eſt, inter Antidota, Acopa, & Catapotia a Romano iſto Auctore memorata, inveniemus Medicamenta haud minus iſto ab Actuario, aut etiam a quovis ex Arabibus tradito, compoſita. Quantumvis abſurde aliquando præſtetur Compoſitio, res ipſa ſine dubio rationi congruit, & non modo idonea verum etiam interdum neceſſaria eſt. Siquidem & Natura eodem modo, licet exquiſitius, utitur: quod in Aquis Mineralibus inſigniter apparet: atque in imitationem ejus Ars Chymico proceſſu res ſimplices eo modo unit, ut corpus inde a ſingulis effectu diſcrepans naſcatur: immo proportionem ſolummodo earundem rerum commutando, Medicamentum contrariæ qualitatis produci poteſt. Quod non ſolum ope Ignis, ſed inartificioſo eo ac parum ſubtili Compoſitionis modo, qui per Trituram fit, exequi licet. Ii qui Pharmaceutices periti ſunt, atque in Medicinæ uſu verſati, facile concipiant neceſſe eſt, quomodo eædem res, differenter, prout occaſio poſtulat, commiſtæ, & jucundiores & efficaciores evaſuræ ſint. Atque hoc tam Arabes quam Græci in animo habuiſſe videntur, cum in diverſis affectibus, aut in diverſo eorundem ſtatu, Medicamenta Compoſita imperaverint. VARIOLÆ.

Sed ut huic argumento finem imponam, quod ad Practicam Medicinæ partem attinet, vereor ut Arabes haud multis eam inventis auxerint: tamen in quibuſdam rebus a Græcorum ratione eos deflectere video. Quod ut exemplo illuſtrem, Purgatione Arabes

a Galen. Compos. Med. 2, 1. b Meth. Med. 5, 6. c 216. d 378.

minus

Variolæ. minus vehementi & aſpera plerumque uſi ſunt, quam Græci; & præterquam quod illi nova Medicamenta adhibuerint, quæ, uti antea dictum eſt, multo leniora eſſent: etiam cum Vetera adminiſtrarent, ea quantitate longe magis exigua dare conſueverant: quæ quidem ratio multis in occaſionibus recte credo tenetur. Idemque de Venæ ſectione dici poteſt, quæ nunquam adeo immoderate ab illis, ut a Græcis, celebrata eſt; horum profecto mos, qui ſanguinem ad deliquium animi mittere ſolebant, in Affectibus ſubitam ac vehementem Revulſionem deſiderantibus, uti ſunt Hæmorrhagiæ, Inflammationes, &c. rationi plane congrua eſt: verum in aliis caſibus, uti rerum extremitates ſequi naturale eſt, hanc conſuetudinem nimis licenter fortaſſe amplexi ſunt, atque in malis adeo effuſam exinanitionem neutiquam requirentibus tenuerunt. Quod ſi Arabes hoc ita in melius mutarint, ut plerumque moderatius Sanguinem detraxerint, laudem potius merentur quam ut iis vitio vertatur, quod a Veterum conſuetudine deflexerint.

Quantopere infamati fuerint hujuſce gentis Scriptores, ex abſurda ea controverſia manfeſtum eſt, qui in initio Sæculi decimi quinti omnes Europæ Medicos in diverſas partes traxit, de miſſione Sanguinis e Directo vel Oppoſito Latere, in Pleuritide. Arabes opinionem Archigenis & Aretæi ſecuti ſunt, Venam in Oppoſito Brachio incidi jubentium; atque ideo, tanquam ab Hippocratis & Galeni doctrina defectores, incuſati ſunt, licet neuter horum perpetuam ullam atque conſtantem in hac re normam proponat. Salamanticæ quidem Academia a partibus Arabum ſtetit, ac decretum ſtatuit, nequis in hoc caſu, niſi in Oppoſito Brachio, Venam aperiret; & uti decretum illud majori auctoritate confirmarent, Edictum eodem pertinens a Carolo Quinto obtinere adnixi ſunt, contrariam rationem haud minus pernicioſam eſſe, quam Lutheri Hæreſin, affirmantes. Arabum quidem ſententiam æque firmis rationibus, ac alteram, niti Experientia docuit; Marcuſque Curtius, qui contra eos unus omnium acerrime diſputavit, morbo hoc implicitus a ſententia ſua diſceſſit, maluitque a propriis opinionibus ſcriptiſque diffidere, quam Arabum ratione in ſalutem ſuam non uti. Verum quam nullius momenti ſit hæc in iſta miſſione Sanguinis differentia, quæ tantas lites moverit, per Circulationis Leges alio in loco demonſtravi.

Hanc autem, Arabibus valedicens, obſervationem adjicere lubet, horum ſcribendi rationem, tam in Medicina, quam in Naturali Philoſophia, quantumvis ea in Latinis Verſionibus contemnenda videatur, magis ſanam atque preſſam quam ſuper aliis argumentis fuiſſe; quod ii ſine dubio Græcorum Exemplaribus, quæ ſibi imitanda propoſuerant, acceptum referre debent. Atque eandem integritatem, non modo in iis quæ a Græcis ſumſerint, ſed etiam in illis quæ de proprio protulerint penu, ſervarunt: cujus exemplum luculentius proferri nequit Libro a me ſæpius memorato, quem de Peſtilentia conſcripſit Rhazes. In aliis doctrinæ partibus, ac præ-

ſertim

sertim in Historia & Poetica, tam quoad stylum quam materiam, incompositos, vagos, & Enthusiasticos sese exhibent; quemadmodum in Historia scripserint, pro Specimine attexam Gabrielis Bachtishuæ Vitam°, e Tuo Abi Osbaiæ Codice Manuscripto conversam: quam quidem ideo potissimum excerpsi, quod & naturalem eorum tam cogitandi quam scribendi modum ostendat, & quemadmodum in ista Gente Medici tractati præmiisque affecti sint, plene nobis in conspectu ponat. VARIOLÆ.

Quoniam vero, uti sæpissime contingit, ipsa Scriptorum Opera interierant, cum supererent eorundem Versiones (idque ob hanc ipsam causam quia conversa sunt) Arabum istorum fama nomen prope Græcorum extinxerat; ita ut horum scripta nonnisi a pauciſſimis consulta fuerint ante finem Sæculi decimi quinti. Medicina Arabica in Europam ingenti cum plausu advecta est: & hæc aliæque disciplinæ cito per Occidentem inclaruerunt; ex quo factum est ut Sæculo Undecimo Naturalis Philosophiæ Studia Artesque Liberales vulgo studia Sarracenorum vocitata sint. Neque illud, uti vult Clericus, Crucis Expeditioni ex toto tribui debet, quæ communicationem Orienti cum Occidente aperuerit, sed magna etiam ex parte Mauris qui in Hispania consederint, atque ei, quod hi cæterique Arabes in Italiæ oris habuerint, commercio. Nam longe ante hæc tempora, in medio fortasse Sæculi Septimi, Salerni Professores Linguæ Hebraicæ, Arabicæ, & Latinæ constituti sunt: quæ Civitas brevi adeo celebris evasit, ut Carolus Magnus Collegium ibi, A. D. DCCCII, fundaverit: cum nullum aliud esset in eodem genere tunc temporis per Europam, nisi Auctoribus iis fidem adhibeamus, qui Parisiis & Bononiæ antiquiora extitisse contendunt.

1060. Salerni floruit Constantinus Africanus, juxta finem Sæculi Undecimi, licet is A. D. DCCXL a Neandro vixisse dicatur. Carthagine oriundus erat: verum in Orientem peregre profectus, triginta annos Babylone & Bagdadi commoratus est; ubi Linguas Orientales & Eruditionem acquisivit. Postea Carthaginem reversus, cum vita ejus in discrimen esset adducta, in Apuliam profugit, qua in regione Roberto Guiscardo, A. D. MLX Duci ejus gentis creato commendatus, ab eo Secretarius ejus factus est; ac Rhegini nomen obtinuit, ex eo fortasse quod Rhegii potissimum degeret quamdiu isto munere fungeretur. Postremo enim Monachus fuit ex Ordine Sancti Benedicti in Monte Casino, & quædam scripta Desiderio, Monasterii hujus Abbati nuncupavit, qui Desiderius aliquam ipse Medicinæ scientiam habuit, & postea Pontifix Maximus sub Victoris tertii nomine creatus A. D. MLXXXVII obiit, duobus annis post Roberti Ducis mortem. Constantinus & Græcæ & Orientalium Linguarum peritus habebatur, ac primus fuisse videtur, qui his temporibus Græcæ & Arabicæ Medicinæ cognitionem in Italiam attulerit. Multos is Libros composuit; ac licet maximam partem eorum quæ scripserit ab aliis CONSTANTINUS AFRICANUS.

° Append. N° 1.

CONSTANTINUS AFRICANUS.

mutuatus sit, multa etiam a se inventa atque addita testatur. Librum Isaaci de Febribus convertit ex Arabico in Latinum sermonem; qædam Græce transtulit, uti Viaticum e Syriaco, & Antidotarium e Latino. Se primum ait Stomachi morbos distincte tradidisse; atque hic Liber sane quem Alfano Primo, Salerni Archiepiscopo ab A. D. MLVII usque ad MLXXXVII (Viro utique erudito & aliqua Medicinæ scientia instructo) & copiosus est, neque ordine caret, & omnia maxime memorabilia continet, quæ apud Antiquioores dispersa habebantur. Quo in Libro Johannem Damascenum sæpius memorat: quem ab eo, qui Mesue dicitur, diversum fuisse existimo; nam præterquam quod Medicamenta hic ab illo prolata, uti ab eodem describuntur, in Mesuæ Operibus haud reperienda sint, Auctor hic in fine propemodum Sæculi Undecimi vixerit necesse est, quippe cum Avenzoaris meminerit, qui haud maturius vixisse potuit quam in ejusdem initio. Separatum quoque de Melancholia Librum reliquit Constantinus: in quo deprehendimus id quod de eodem argumento scripsisset, tantopere a Galeno collaudatum, Rufus Ephesius, Constantini tempore extitisse, etsi nunc interierit; quo quidem opere ita utitur, ut id exscribere videatur. Aliud etiam Constantinus Volumen edidit, cui nomen est Loci Communes, Abbati suo inscriptum, quod Theoriam omnem atque Praxin Medicinæ continet; id omne ex Latinis atque Græcis, ac præcipue ex his collegisse se testatur: id autem operis a se susceptum, quia a nemine antea, uti debuerit, præstitum esset: cum alii nimis longi, nimis breves alii fuissent super hac vel illa re; ac licet nihil a se adjectum esset, quod tamen secus esse opinari se, Librum suum haberi posse pro Commentario haud futili in Hippocratem & Galenum. Post factam hanc declarationem mirari jure possumus, Opus illud integrum, pauciſſimis immutatis, ab Haly Abbate exscriptum; Librorum tam de Theoria quam de Praxi agentium divisio eadem est, quorum singuli sunt numero decem; atque iidem ab utroque Auctore in paria Capitula partita sunt. Nullam credo injuriam Constantino fecerit, quisquis venerit in eam suspicionem, hunc Opus illud pro suo apud Italos venditare voluisse; quod utique facto non difficile erat, cum Arabes fortasse hauddum in Italia innotuissent, Græcique plane interiissent. Quæ suspicio eo magis confirmatur, quod per universum opus ne nomen quidem Haly Abbatis, aut (quod idem est) Isaaci, aut ullius Arabis meminerit. Fuit, uti vidimus, primis temporibus, Compilator æque insignis, Marcellus Empiricus: & omnia e Scribonio Largo, nulla ejus mentione habita, transcripsit.

A.D.

Nihil, quod alicujus momenti sit, novum in Libris Constantini reperio; quanquam suo tempore valde celebris extiterit, &, ad ea tempora respectu habito, Vir eruditus & existimatus sit, & revera ita fuerit. Immo, si coætaneo ejus Garioponto conferatur (qui omnia sua prope e Theodoro Priscian hausit) stylo etiam videri potest usus eleganti: quanquam enim voces multas Arabicas & Latinas Sæculis

A. 1060. culis inferioribus proprias intermiſceat, tamen haud parum intellectu facilior eſt, quam vel Gariopontus, vel alius quivis iſtorum temporum Medicus. Medicinali Scientiæ eximie favit; atque in ejus gratiam proculdubio celebrem illam Scholam Salernitanam magnopere auxit Dux Robertus, poſtquam Civitatem hanc ditionis ſuæ feciſſet A. D. MLXXVI. CONSTANTINUS AFRICANUS.

A. 1100. Paulo poſt, circa A. D. MC, Liber, Scholæ Salernitanæ Titulo, compoſitus eſt. Is & iis temporibus & quæ ſecuta ſunt multus fuit in hominum ore: atque in eundem Commentaria ſcripſit Arnoldus de Villa Nova. A Johanne Mediolanenſi in ordinem redactus eſt: ac totius Societatis nomine Roberto Normandiæ Duci inſcriptus, Gulielmi ejus Filio qui Angliam ſubjugavit; Robertus enim a Sacro Bello reverſus, in Apulia aliquantum cum popularibus ſuis Guiſcardis, qui illic paulo antea conſederant, commoratus eſt, uti auxilium peteret a Medicis Salernitanis, eo quod vulnere in Brachio laboraret. SCHOLA SALERNITANA.

Opus hoc præcipua de tuenda Sanitate præcepta complectitur, ac de ſex Rebus Non-Naturalibus agit: Leoninis verſibus compoſitum eſt, in Patroni fortaſſe gratiam, cum hoc Poeſeos genus magno in honore eſſet apud Normanos. Ob eandem cauſam Capitulum de curatione Fiſtulæ addidiſſe dicuntur, qua male ſe habuiſſe Ducem illum fama eſt; cum Vulnus, quod Venenata inflictum Sagitta eſſet, ad Ulcus veniſſet. Ex Hiſtoria pariter diſcimus, Medicos in ea fuiſſe opinione, ut vulnus eo modo factum haud aliter quam ſuctione curari poſſe cenſerent. Quod in ſe tentari Dux ipſe recuſavit, ne is qui id faceret, veneno periret: Uxor autem ejus occaſione noctu arrepta, dormientis vulnus ſuxit, quoad illud ad ſanitatem pervenerit. Fæmina hæc Sybilla nomine erat, filia Galfridi Comitis Converſanæ, eo tempore forma ac virtute perilluſtris; digna certe feliciori fato, quam ut veneno haud ita multo poſt interiret ipſa, quæ maritum eo infectum tam memorabili exemplo eripuerat.

Ad imitationem Poetici hujus Opuſculi, Ægidius, quem Philippi Auguſti, circa finem Sæculi Duodecimi, Archiatrum fuiſſe aiunt, ortu Athenienſis, & Monachus ex Ordine Sancti Benedicti, ſcripſit de Virtutibus Medicamentorum, de Urinis ac Pulſu, Verſibus Hexametris, haud magna Syllabarum Quantitatis ratione habita. Is Conſtantinum in poſteriore argumento nimis longum, & Philaretum nimis brevem fuiſſe ait. Aliqua de iis dicit qui Monſpelii inſtituti eſſent, qua in Urbe celebris iſtis temporibus florebat Medicinæ Schola: quanquam ea, ſi populari noſtro Johanni Sarisberienſi credimus, multum a priſtino ſplendore decidiſſet. Hoc autem Poema, quale quale ſit, ita tum in honore erat, ut in Scholis Publicis legeretur, atque in id Commentarium ſcripſerit, unus e clariſſimis ſuæ ætatis Expoſitoribus, Gentilis. Lelandus alterum Ægidium, natione Anglum, commemorat: quem circa hoc tempus Libros quoſdam a ſe non viſos ſcripſiſſe inquit.

Anteceſ-

Schola Salernitana.

Anteceſſorum exempla ſecuti ſunt Rogerus Dux, primus utriuſque Siciliæ Rex, A. D. MCXXX, quique ei ſucceſſerunt Gulielmus Primus & Secundus: hi omnes Medicinæ in iſta Civitate ſtudiis eximie faverunt. Unde Ordericus Vitalis, Hiſtoricus, qui A. D. MCXLI obiit, Collegium illud per univerſum Orbem ob Medicinæ Scientiam fama pervulgatum fuiſſe prædicat. Ac Benjaminus e Tudela, Judæus, cum a peregrinationibus per maximam totius tum cogniti Orbis partem, circa A. D. MCLXXXV, rediiſſet, id optimum, inter filios Edomi (ita enim Chriſtiani Occidentales ab eo nominantur) Medicinæ Seminarium vocat. Cæterum idem Benjaminus in Itinerario ſuo diſtincte enumerat, quibus in Civitatibus Judæi ſedem habuerint, & quo numero in ſingulis eſſent; multoſque inter hunc populum Medicos fuiſſe ait. Qui quidem haud modo inter Tribules ſuos Artem exercuerunt, ſed inter Mauros etiam & Chriſtianos. Quanquam enim, juxta Legem Canonicam, nulli Judæo Medicinam agitare liceret, aut Medicamenta Chriſtiano cuivis exhibere, tamen ex Hiſtoria perſpicimus Medicos iſti Religioni deditos in Principis fere cujuſque Aula ſtipendiis fuiſſe auctos. Duos apud ſe habuit Carolus Magnus, Farraguthum & Buhahyliham Bengeſtam [a]; qui Imperatoris hujus juſſu Librum compoſuerunt, Tacuin, ſive Tabulas Sanitatis, dictum: quæ prope eædem ſunt ac eæ quas impreſſas habemus ſub nomine Elluchaſem Elimithar. Pro Archiatro etiam habuit Zedekiam Judæum Carolus Calvus, a quo etiam veneno ſublatus fuiſſe dicitur [b]. Ac ſpeciatim, circa Decimi Sæculi finem, Judæi, cum Arabicam omnem eruditionem tenerent, principes in Europa Medici fuerunt, in qua nullæ tunc Galeni aut Hippocratis Operum Verſiones exiſterent; atque eos etiam aliqui Papæ apud ſe præmiis detinuerunt. Iidem æque in Palatia Regum Maurorum in Hiſpania recepti ſunt; in prima etiam Maurorum invaſione, circa A. D. DCCXIV, cum ex Hiſpania Chriſtiani pellerentur, Judæi in unum quodammodo cum Mauris coierunt, & habitandi locos obtinuerunt Cordubam & Granadam. Academiæ quidem genus quoddam habuerant, circa A. D. CCIV, Soræ in Aſia, Judæi; atque in initio Religionis Mahometanæ varii eorum conſilio uſi ſunt Chaliphæ: ex quo tempore mos apud Hebræos invaluit, ut multi ex iis ad hanc Profeſſionem animum adjungerent. Hæc gentilis quædam apud eos inſtitutio eſt, perinde ac altera quoque occupatio, quæ circa munitiones & commeatus bellicos comparandos verſatur; nam in Hiſtoria Byzantina legimus, Judæos his rebus operam Imperatoribus navaſſe, quæ conſuetudo itidem in omnibus etiamnum Europæis exercitibus obtinet. A.D. 1

Statuta Collegii Salernitani perantiqua ſunt & peridonea; & quoniam prima in hoc genere ſunt, atque ex iis fortaſſe cætera ejuſdem naturæ fluxerint, ſpecimen eorum paucis exhibere non pigebit. Collegii Patronus eſt Sanctus Matthæus: Sigilli inſcriptio, "Civitas "Hippocratis." Sunt in eo decem Doctores, qui ſibi invicem, juxta

a C. Egaſſ. Bulæi Hiſt. Antiq. Univerſ. Paris. T. 573.

b Ibid.

creationis

creationis ordinem, ſuccedunt. Candidatorum examinatio ſeveriſſima eſt, quæ fit aut in Galeni Therapeuticis, aut in primo primi Canonis Avicennæ, aut in Aphoriſmis. Is qui Doctoratum ambit unum ac viginti annos habere debet (verum hic lapſum ſubeſſe autumo, cum ſcribendum ſit, viginti quinque vel ſeptem) ac teſtimonia proferre, quæ per ſeptem annos eum Medicinæ ſtuduiſſe doceant. Quod ſi inter Chirurgos recipi cupiat, Anatomiam per anni ſpatium didiciſſe hunc oportet: jurandum ei eſt, fidelem ſe ac morigerum Societati futurum, præmia a pauperibus oblata recuſaturum, neque Pharmacopolarum lucri participem fore. Tum Liber in ejus manum traditur, annulus digito induitur, Caput laurea redimitur, atque ipſe Oſculo dimittitur. Multa alia Statuta ſunt ad Praxeos ordinationem pertinentia; Pharmacopolæ præſertim, ut juxta Medici præcepta componant Medicamenta, & ut ea certo pretio divendant, obligantur. SCHOLA SALERNITANA.

Hoc modo mature Schola Salernitana floruit, quibus ampla dehinc conceſſa ſunt privilegia (idque præſertim ut, præterquam ei ac Neapolitanæ, nulli alii Gradus & Licentiam Practicandi conferre liceret) ab Imperatore Frederico Secundo, Literarum & Judice & Fautore inſigni, conceſſa ſunt circa A. D. MCCXXV; qui his etiam temporibus Arabum ſcripta in Latinum ſermonem transferri enixe curavit. Atque ea profecto ætate tam ipſa Arabum ſcripta, quam Verſiones Græcorum Auctorum ab iiſdem factæ paſſim Latine edebantur; ac licet ea ipſa de cauſa inter alias Græca per bis aut ter centum annos neglecta fuerint Exemplaria, tamen ſi Arabicæ hæ Traductiones nunquam apparuiſſent, ipſa fortaſſe vel nunquam eſſent quæſita, vel temporis proceſſu funditus deperdita.

Uti vero revolutiones in Artibus ac Scientiis, quam in Imperiis, haud infrequentius contingunt, ab hoc tempore Medicina in Aſia langueſcere cæpit, plurimumque in Italia, Africa, & Hiſpania efflореſcere. Quanquam autem hac ratione Medica in Europam apportata eſt Scientia, nihil fere, quod comperiam, ab Undecimo uſque ad finem Sæculi Decimi quinti, incrementi cepit vel Medicina, vel Anatomia, vel Chirurgia; nihil dico, ſi reſpectus habeatur ad immenſam eam, quæ de his rebus prodierint, Voluminum multitudinem. Scriptores enim per id intervallum numero quidem haud pauci extitere; ſed cum maximam partem vel Profeſſores vel Commentatores fuerint, vix quiſpiam niſi trita auſus eſt ingredi via, ac prope omnes ea, quam apud Arabas præcipue reperirent, Scientia contenti manſerunt; ſtudio omni & æmulatione eorum in hoc poſita, ut locos ex iis ad propoſitum ſuum ſpectantes haurirent aptarentque. Ideoque, licet magna moles ab iis ſcriptorum extet, hos tantum in medium proferam, qui novi aliquid producere conati ſint.

1214. Chymia hactenus fuerat, nonniſi inter Arabas Aſiam Africamque incolentes, cognita: hoc autem tempore in Europa cæpit aliquantum innoteſcere; neque injuria vulgationem ejus in his regionibus populari noſtro, Rogero Baconi, aſcripſerim. Saltem is ex primis ROGERUS BACO.

ROGERUS BACO. fuit (erat enim Alberto Magno coætaneus) qui Artem hanc in Occi- A.D.
dentalibus hiſce plagis excoluerit; idemque, ut quam parum eſſet nota, indicet, nonniſi tres ſuo tempore ullam ejus ſcientiam habuiſſe ait; quorum unus fuit celebris ille Petrus de Maharn-Court in Picardia oriundus, Dominus Experimentorum ab eo dictus. Libros de hac Arte plurimos reliquit Baco; quorum haud pauci extant in Bibliotheca Bodleyana, & Harleyana: de Metallis pleriſque & Mineralibus differuit, atque horum omnium Principia cenſet eſſe, Mercurium, ac Sulphur: de unaquaque fere, nunc in uſu, Operatione Chymica loquitur, & Tincturas & Elixiria conficiendi modum deſcribit. Filicis Incinerationem, ex qua Angli Vitrum efficere ſoliti eſſent, commemorat; atque in Præfatione Artis Chymicæ Scientiam hanc Naturalis Philoſophiæ perfectionem vocat, &, quæ maxima ejus laus eſt, ad tuendam Sanitatem, ad longævitatem præſtandam, morboſque depellendos adhiberi poſſe ſignificat. Ex eo diſcimus Lapidis Philoſophici inveſtigationem mature cæpiſſe; Lulliuſque, qui Baconis ſe diſcipulum profitetur (quod utique tum fortaſſe inter eos commercium interceſſit, cum Pariſiis uterque verſaretur) abſurdaſque haſce imaginationes ultra modum extulit. Atqui in Baconis Operibus [c] multum novæ ſolidæque eruditionis de hoc argumento continetur, modo ſermonis ineptiis eo tempore uſitatis nudetur. Hujuſmodi inventa in illo reperiri eo minus mirum eſt, quod ætatis ſuæ prodigium quoddam extiterit; atque in eo fortaſſe indoles fuit Mechanicæ Scientiæ magis capax, quam in alio quovis poſt Archimedem. Stirpe generoſa natus eſt A. D. MCCXIV (etenim obiit die Junii undecimo A. D. MCCXCII, haud utique MCCXLVIII, uti ait Lelandus) prope Ilceſtriam; juvenis admodum Oxonii ſtudia ſua inchoavit, poſtea Lutetiam profectus eſt, in qua Urbe Rei Mathematicæ ac Medicæ operam dedit, atque, uti quidam referunt, Theologiæ Profeſſor creatus eſt; Oxonium reverſus Linguarum & Philoſophiæ ſtudio incubuit, in quibus brevi ita profecit ut Grammaticam Latinam, Græcam, & Hebraicam compoſuerit, ac Philoſophiam longius quam credi poſſit provexerit. Vitrorum Sphæricorum Concavorum naturam, de quibus Librum [d] edidit, & penitus intellexit & clariſſime explicuit: atque vim eam quæ res longe diſſitas combureret. Quantopere Opticen in ſingulis ejus partibus promoverit, e Libro ejus de Perſpectiva abunde manifeſtum eſt: in quo de Luminis Reflexione & Refractione differit, Cameramque Obſcuram & omnia Vitrorum genera deſcribit, quæ Objectum vel augeant vel minuant, vel ad Oculum propius adducant, vel ab eo longius removeant; atque inter cætera, Tubi Optici, ſive Teleſcopii, uſus ei plane innotuit. Quædam ex his & alia Inſtrumenta Mathematica ducentis aut trecentis Libris Anglicis emerat; atque intra viginti annos has res Libroſque coemendo duarum millium Librarum ſumptum fecit; quod quidem ingens iis temporibus pecuniæ vis pro hu-

c Speculum Alchymiæ, de Arte Chymiæ, Lapis Aquilæ, Philoſophicus, Epiſtolæ tres ad Joh. Pariſienſem.
d De Speculis, Append. N° 2.

juſmodi

1214. juſmodi rebus fuit. Librum ejus de Perſpectiva evolvens animadverti, inter Latinas complures Ariſtotelis Verſiones unam ab eo conſultam eſſe, quam e Græco recenter factam dicat; & Averrhois Opera jam tum eſſe cognita, quorum, paulo poſtquam hic iſta ſcripſerat, Tradutio Latina vulgata ſit neceſſe eſt (ſuo tempore id eveniſſe ipſe teſtatur) cum Auctor ipſe priore tantum Sæculo vixerit. Notavi etiam, hunc in iis quæ de Oculi ſtructura dicit, Avicennam ſæpe, Galenum vero nunquam, teſtem producere; ex quo plus quam veriſimile eſſe credo hæc Opera Anatomica, Galeni ſaltem, nondum fuiſſe Latine converſa. Siquidem adeo particularem accuratamque Oculi deſcriptionem dedit Galenus, ut ea non uti, ſi Librum hunc cognoſſet, Baco non potuerit. ROGERUS BACO.

Solus prope ætatis ſuæ Aſtronomus extitit Baco; atque errorem adeo in Calendario [f] notavit, qui circa quantitatem admiſſus eſſet Anni Solaris, (hic enim ſemper a Julii Cæſaris ætate creverat;) quamobrem A. D. MCCLXVII, Papæ Clementi Quarto, homini & erudito & eruditionis fautori formam ejus emendandi propoſuit. Quam formam obſervavit Papa Gregorius Decimus tertius, trecentis poſt annis, in corrigendo Calendario Juliano: cum eo tantum diſcrimine, ut id voluerit Baco a Chriſti Nativitate inchoari, & Gregorii correctio Concilio Niceno haud altius aſcendat.

Neque intra hæc ſagax ejus ingenium ſubſtitit; nam Scientiæ Mechanicæ penetralia ingreſſus eſt, vimque Corporum Elaſticorum ita probe perſpexit, ut in imitationem Archytæ, qui Columbam ligneam, quæ per aerem volaret, effinxerit: ipſe, uti dicitur, Currum volantem compegerit, & artificio quodam Statuas ſemet moventes fecerit, & humanos ſonos e Capite æneo produxerit: atque ea, haud Magica quavis potentia, ſed alia quadam efficaciore, Philoſophiæ ſcilicet ac Naturæ ope, quæ res ejuſmodi præſtare poſſunt, uti ipſius verbis utar, ut "hæc inſciis miracula videantur." Eſt etiam mirabile in Chymia inventum, in quod is inciderit, Ars inquam Pulveris Pyrii [g] conficiendi; compoſitionis enim materia omnis ab illo deſcribitur, effectuſque ejus ſtupendi, Fragor atque Lumen. Mira hæc profecto reperta ſunt, quæ Vir unus ita rudi in ſæculo, nullo uſus Magiſtro, e mente propria in lucem proferat; ſed magis adeo mirandum eſt, hujuſmodi inventa uſque eo potuiſſe celari, ut ſequentibus ſæculis alii orirentur homines, qui pro ſuis vendicarent ea quæ haud alii quam Baconi aſcribi debeant.

Hiſce ſtudiis ſine defatigatione incubuit Baco, ſumptuſque his reſpondentes erogavit, per annos ſupra quadraginta; & in ætate illiteratiſſima doctiſſimus evaſit. Cujus ſæculi ignorantia haud clarius animo concipi poteſt, quam ex iis quæ apud illum paſſim habentur. Nam de hac re vehementer ipſe conqueritur, Regulares inquiens tam Dominicanos quam ſui Ordinis, Theologiæ potiſſimum Scholaſticæ [a] operam dare: Sæculares autem, Juris Romani ſtudio abreptos, nunquam animum ad Philoſophiam appellere. Immo Philoſophia

[f] Append. N° 4. & Dr Plot. [g] Append. N° 5. [a] Vid. Hiſt Antiq. Oxon. paſſim.

Ariſtotelica

Rogerus Baco. Ariſtotelica ita parum exculta eſt, ut circa A. D. MCCIV Pariſiis condemnata ſit; quæ in Anglia minus invaluerat, quoniam in Latinum ſermonem haud converſa eſſet, uti in Platonis Operibus factum erat: aliquæ modo ejus particulæ a triginta retro annis legi cæperant. Nemo unquam ante A. D. MCCLXVII, Prælectionem ullam de Perſpectiva Oxonii fecerat, neque id unquam plus duabus vicibus poſt Academiam fundatam; Lectiones fortaſſe a ſe habitas ſignificat. Pariſiis autem Scientia hæc fuit omnino incognita, neque in Anglia niſi tres erant qui de eadem quicquam intelligerent. Ita ut Diſcipuli, prout eo tempore vocabantur, Cunis eſſent, ipſo dicente, quam Cathedræ aptiores. Nec minus, quam Philoſophia, cognitio Linguarum neglecta eſt; ſiquidem, in Epiſtola ad Patronum ſuum Clementem Quintum ſcripta, doctrinæ ſtatum deplorat, atque inter Latinos ei narrat haud eſſe plures quatuor, qui Grammaticæ vel Hebraicæ, vel Græcæ, nedum Arabicæ, Linguæ rudimenta callerent; neque Latinam ipſam, ſi emendate hanc & eleganter ſcribi poſtulares, fere ulli cognitam. Ex quo conjicere licet, quales fuerint Verſiones e Linguis reconditis in hac temporum obſcuritate. Cujus rei ut pauca proferam exempla, Michael Scotus, qui ſe Imperatoris Frederici Secundi Grandem Aſtronomum vocavit, atque Avicennam vertere præ ſe tulit, cum Linguam Arabicam prorſus ignoraret, ea quæ ſub ejus nomine prodierunt ab Andrea quodam Judæo ſurripuit. Ita quoque eodem prope tempore Latinam Logicæ ex Arabico Verſionem dedit Hermanus Alemannus, utriuſque Linguæ peritum ſe in Titulo profeſſus; licet eum Baconi haud puduerit fateri, ſe & Linguas iſtas & Logicam adeo parum ſcire, ut Sarracenos quoſdam, in Hiſpania, qui id pro ſe facerent, pretio impulerit. Magiſter Paravicius, qui Phyſici cognomen ſibi indidit, Avenzoaris Verſionem ex Hebraico ſermone A. D. MCCLXXXI vulgavit, verecunde tamen hiſce verbis adjectis, "ipſo ſibi vulgarizante Magiſtro Jacobo "Hebræo." Quod ad diſciplinas Mathematicas ſummatim pertinet, Robertum (Groſteſt) Epiſcopum Lincolnienſem, & Ordinis ſui Fratrem Adamum de Mariſco [b], in hac re excelluiſſe concedit Baco; iique certe non in hoc tantum ſed in aliis quoque doctrinarum generibus eminuerunt; verum, cum ætate floreret Baco, mortui ſunt. Quare, ætate ejus vergente, de Rei Mathematicæ ſtudiis differens, nonniſi quatuor Viros in Europa fuiſſe ait (quorum unus eſſet Diſcipulus ejus Johannes Londinenſis) qui ullum in iſta Scientia progreſſum feciſſet: cæteri enim, inquit, primis in Elementis ad Euclidis Propoſitionem quintam hæſerunt, qui ideo poſtea dictus eſt Pons Aſininus. A.D.

Quod Sæculo tam inerudito Baconis inventa ita parum percepta ſint haud mirandum eſt; nam ob hanc ipſam cauſam quod plurima Mathematicæ Scientiæ ope præſtiterit, Artis Magicæ ſuſpicionem incurrit; cumque ignorantia ac invidia in male agendo plerumque violentæ ſint atque induſtriæ, a ſuo præcipue Sodalitio

b Specul. Mathem. p. 12.

vexatus

214. vexatus eſt, neque Opera ejus in Bibliothecam communem recipere voluerunt; Fratreſque eo uſque apud Ordinis ſui Generalem valuerunt, ut in Carcerem is Baconem conjecerit; quare ſe ſatis cum cauſa operæ in Artibus ac Scientiis inſumtæ pænituiſſe confitetur. ROGERUS BACO.

Magni hujus Viri eruditio fuit ita diffuſa, ut noſtræ quoque profeſſionis aliquam peritiam habuerit; nam præter ea quæ de Chymia dixi, inter cætera Opuſcula quæ de Medicina compoſuit, unum eſt in quo nonnullos Medicorum errores improbat. Alius quoque ejus Liber extat impreſſus, De retardandis Senectæ Accidentibus, & conſervandis Senſibus: quem in Papæ Nicolai Quarti uſum ſcripſit eique nuncupavit paulo ante obitum ſuum, eo fortaſſe conſilio ut Pontificem mitigaret, qui cum antea Franciſcanorum Generalis fuiſſet, ſine dubio etiam in Bacone exagitando partes ſuas habuerat. Liber utique haud male ſcriptus eſt; nam in unum illic, quicquid de hoc inveniſſet argumento, tam in Græcis quam in Arabicis Auctoribus, redegit, multaſque ipſe obſervationes attexuit. Præcepta de Victus & Medicamentorum aſſumptione ponens, res quaſdam ſe minus dilucide explicare quam alioqui facturus eſſet, (Chymicas potiſſimum intelligit) ne ſcripta ſua in manus Infidelium [a] venirent. Multa de Medicamentorum præparatione, quæ ſit ipſe expertus, tradit [b]; multa ſatis aperte ſuggerit de Tinctura Auri, quod ad vitæ prolongationem conduceret: unaque Hiſtoriam Senis cujuſdam Agricolæ in Sicilia narrat, qui cum e rivo flavedine quadam tincto bibiſſet (Aquam Auro imprægnatam ſuſpicatur Baco) juvenis rurſus evaſit, multoſque annos integer ac robuſtus vixit. Fuſe item ingentes ejus Oſſis virtutes prædicat, quod aliquando in Corde Cervorum reperitur; quod cum in Animali vivaci producatur, ad lonægvitatem, prout ipſe argumentatur, conferat neceſſe eſt. Unum ex hujuſmodi Cervis ſuo tempore viſum ait, cui in collo aureum monile eſſet cum ſequente Titulo, "Hoc Animal fuit poſitum in hoc nemore tempore Julii "Cæſaris." Cujus Hiſtoriæ quanquam veritas in dubium vocari poſſit, ſimilem tamen ab illuſtri illo Scriptore, Patre Daniele, in regno Caroli Sexti memoratam legimus, quem ex hoc caſu duorum Cervorum imaginem elegiſſe ait ad Inſignia Gentilitia ſuſtinenda: quoniam ſcilicet in Sylvanecti agris venando Cervum cepiſſet, qui in Collo gereret Monile e Cupro factum, cum hiſce literis inſcriptis, "Hoc Cæſar mihi donavit:" Danielque ſubjicit, hoc intelligi debere de aliquo e poſterioribus Cæſaribus. Multa in laudem Viperarum carnis, quæ Victu aſſumatur, habet Baco; ac ſententiam ſuam eventu firmat, qui ſuo tempore contigerit in Germania [f] Fæminæ cuidam nobili a ſorore ejus eum in modum affectæ, ut capilli ejus ungueſque deciderint; hæc autem Carnis Viperarum comeſtione & integre convaluit, & ætate junior viſa eſt, & forma ſpecioſior evaſit. Aliquot curationum, quæ æque mirabiles ſunt, Hiſtoriam tradit [g] Galenus, in Elephantiaſi ab eodem Medicamento præſtitarum. Ipſique Experientia novimus, quam inſperata multis in caſibus ab ejuſmodi

a c. 2. b 8. f C. 13. g Simpl. Med. 11.

ROGERUS BACO. Victu auxilia ſubminiſtrari poſſint, ac præſertim in Morbis Cutaneis, A.D.
& Atrophia. Supra omnes res Medicamenta leniter Purgantia & Abſtergentia commendat, ea præcipue quæ pituitoſos humores dejiciant: quæ ratio ſane perquam apta eſt; quique ejus veſtigiis in Natura perſcrutanda inſtitit, Cancellarius Baco, ſimili modo animadvertit[h], "Nihil magis ad diuturnitatem Vitæ facere, quam lenes "hujuſmodi Evacuationes."

Huic Auctori non eſſem ita diu immoratus, niſi hunc Exteris pene incognitum, eoſque qui ex profeſſo Hiſtoriam Anglicam conſcripſerint, vix quicquam de illo aut Scriptis ejus memoraſſe comperiſſem; etſi profecto aliqua ita mirabilis ingenii mentio haud minus in eorum monumentis locum mereri potuiſſet, quam vel Cometarum, vel pluviæ Sanguinis enarratio; cujuſmodi res ab iis fuſe ſemper produntur; neque id fortaſſe utilitatem vel delectationem minorem Lectori attuliſſet, quam longus de ortu caſuque primi alicujus Rerum Miniſtri, aut bellorum victoriarumque a Regibus noſtris partarum enumeratio. Duo alia Baconis Opera Biographi memorant Anglici, Rogerinam Majorem, & Minorem; utriuſque Exemplar inter Codices extat Bibliothecæ Harleyanæ pretioſiſſimos. Quoniam vero hi Libri univerſam fere in omnibus Morbis medendi rationem complectuntur, valde hæreo, an Baco, qui ſine dubitatione Artem hanc nunquam ex profeſſo tractavit, pro eorum Auctore haberi debeat. Multo credibilius eſt ſcriptos fuiſſe a Rogero Parmenſi, cujus Libri aliqui extant Chirurgici. Quod ad Baconis ſcripta ſummatim attinet, multa, quæ ſub ejus nomine feruntur, evidenter ſpuria ſunt; ac ſpeciatim, Opus illud de Oleo Antimonii tantopere a Chymicis prædicatum: ſiquidem Auctores quidam ibi memorantur, qui diu poſt ejus tempora nati ſint. Notatque Lelandus germana ejus opera (quæ numero fuerunt haud pauca, quibuſque pro merito collaudandis centum hic linguas exoptat) ſuo tempore fuiſſe vel adeo difficilia inventu, vel ſaltem ita manca & imperfecta, in pleriſque a ſe inſpectis Bibliothecis, ut haud minus ardua res eſſet Sibyllæ folia colligere, quam Catalogum Librorum a Bacone ſcriptorum contexere.

Dixi quantum Baconi debeamus propter lumina ab eo Chymiæ impertita; primus autem e Practicis Scriptoribus qui Medicamentum ope Chymiæ confectum imperaverit, Gulielmus credo de Saliceto eſt, qui medio Decimi tertii Sæculi floruit; is Aquas duas compoſitas Diſtillataſque ad Oculos commendat, quas Experientia utiles eſſe comprobaverat. Thaddæus, ei coætaneus, unus e celeberrimis ſuo tempore Bononiæ Profeſſoribus, qui Medicinam diu cum ingenti lucro exercuerat, Spiritum Vini, & Aquam quandam Chymicam in Dyſuria efficacem commemorat. Reperiuntur etiam Chymicæ aliquot Præparationes in Gilberto noſtrati, qui iiſdem prope temporibus vixit; quatuor hic res ad Sublimandum[a] idoneas eſſe ait, Aurum, Auripigmentum, Sulphur, & Salem Ammoniacum: de Oleo quo-

h Hiſt. Vit. & Mort. 163. a 171.

que

D. 1214. que Tartari loquitur, & Aquam Diſtillatam[b] e Serpentibus elicitam deſcribit. Deque Purgantibus, in Vertigine, agens id ſubjicit[c], ſiquis iſta magis ſubtilia ac delicata expetat, Medicamenta cum Aqua, uti in Aqua Roſarum mos eſt, diſtillari debere; ſimiliterque Hellebo-rum, Sennam, & Tithymallum ex Vino in eundem finem diſtillari vult. Quædam amplius de hoc Auctore, ſuo tempore, dicendi oc-caſionem arripiam. ROGERUS BACO.

D. 1300. Quantum Chymia ab Arnoldo de Villa Nova aucta ſit, notavit Clericus; cujus, utpote ætate proximi, in hoc loco, ob cauſas mox afferendas, memini. Chymiam certe inſigniter calluit, multoſque de hoc argumento Libros compoſuit[d]; atque in Breviario Medicinæ Practicæ multa deſcribit Medicamenta Chymica, uti Aquam Eu-phragiæ, Aquam Mirabilem[n], & alteram eodem nomine contra Cal-culum, & Oleum diſtillatum ad Paralyſin[o]; Aquam Vitæ comme-morat etiam, & Oleum Terebinthinæ[p]; & Aquam e Metallis diſtil-latam ſummopere contra Elephantiaſin[q] laudat. Popularis noſter Richardus, cognomento Anglicus, in Chymico ſuo Tractatu, qui Correctorium dicitur, narrat ab hoc Medico Papam Innocentium (Quintum credo intelligit) Peſte laborantem Auri Tinctura fuiſſe curatum. Arnoldus in iſto Opere, quod, ſi Praxin ſpectes, nihil memorabile aut novum continet, innumeras tradidit Formulas & Chymice & Galenice compoſitas; quarum haud paucas non e Libris excerpſit, ſed ſumſit a coætaneis ſuis quibuſcum familiariter verſatus eſt. Atque haud raro queritur pleroſque ex Latinis Medicis ab Avi-cenna eſſe infatuatos. Mediolani natus eſt, ſi ipſi credimus[s]; licet alii in Catalaunia ortum dicant; Symphorianus autem Campegius, qui Vitam ejus conſcripſit, in Galliæ Provincia Narbonenſi natum probare nititur. Pariſiis ſtudia obiit per viginti annos, juxta Cam-pegium, decem alios Monſpelii tranſegit, omneſque Italiæ Acade-mias perluſtravit; atque eo doctrinæ amore incenſus eſt, ut Hiſpa-niam adierit, atque ex Medicis Arabibus & Medicinæ peritiam & eorum ſermonem didicerit. Illic Medicinæ & Aſtrologiæ ſcientia ita inclaruit, ut Sectam quandam hominum condiderit, qui ſe Ar-noldiſtas vocarent: eaque gratia apud Jacobum ejus nominis Secun-dum, Arragoniæ Regem, viguit, ut ab eo miſſus ſit Avenionem ad Papam Clementem Quintum A. D. MCCCIX[t], quo res aliquas com-poneret quæ ad Hieroſolymarum Regis Titulum ab eo vendicatum pertinerent. Dum in Hiſpania eſſet, familiaritatem cum Raymundo Lullio contraxit, a quo Magiſter ſæpiſſime vocatur. Theologiæ per-inde ac Medicinæ ſtuduerat, & hanc famam obtinuit, ut unus habere-tur ex iis qui optime iſto tempore diſputarent; ac diſputationem de gravibus quibuſdam argumentis Burdigalæ habuit cum Martino de Athera, Dominicano, cui interfuit Papa Clemens Quintus. Opi-niones ſuas liberius declaraverat Pariſiis & in Hiſpania, aliquas præ- ARNOLDUS DE VILLA NOVA.

b 120. c 100. d Flos Florum, Novum Lumen, Roſarius Philoſoph. &c. n 1, 18.
o 1, 24. p 1, 30, q 2, 47. s 704. t Antiq. Acad. Par. T. 4. 121.

ſertim,

ARNOLDUS DE VILLA NOVA.

sertim, quæ Monachos Missamque perstringerent: ex qua re ita A.D. incensi sunt Ecclesiastici, ut Facultas Theologiæ Parisiensis, A. D. MCCCIX quindecim Propositiones ab eo prolatas condemnaverit; harum una est, "Opera Misericordiæ & Medicinæ Deo acceptiora esse "Sacrificio in Altari." Ob hanc causam, & quod eodem tempore Inquisitio judicium intentaverat Petro de Apono, coætaneo suo, ad Fredericum Arragoniæ Regem se contulit, qui Fœdere quodam Partitionis, Siciliæ ac Neapolis Regna obtinuerat; ubi, ut favorem cum eo Principe iniret, Librum de tuenda Sanitate, & Commentarium in Scholam Salernitanam conscripsit.

Nativitatem ejus, A. D. MCCC, ponit Champerius, quem in hac re sequitur Lindanus, adjecto in itinere mortuum, cum a Frederico ad visendum Papam, A. D. MCCCLXIII, navigaret, & Genuæ sepultum: in quo dissentit a Champerio, qui eum Tuneti decessisse scribit. Atqui hic propemodum, quot verba, totidem errores subsunt. Nam & Arnoldus & Fredericus diu ante hæc tempora mortui erant. Ita longe vero abest ut A. D. MCCC natus sit, ut inter accusationes contra Bonifacium Octavum a Concilio Gallicano productas[q] una hæc sit, quod hic Librum ab Arnoldo scriptum comprobaverat, qui antea esset Hæreseos Lutetiæ condemnatus: quare multo ante hunc annum Arnoldus extiterit necesse est. Quod ad mortem ejus attinet, manifestum est id, saltem ante A. D. MCCCXIII, accidere debuisse; nam hoc anno, in Concilio Viennensi, Papa Clemens[x] Literas Circulares scripsit, quibus singulos per Obedientiam Apostolicam obtestatur, ut Librum ab Arnoldo de Praxi Medica scriptum, sed alicubi latentem, proferant; hunc uti dono offerret Clementi, sese obligaverat Arnoldus, sed promisso se non absolverat morte præpeditus.

Multi in ejus Operibus loci sunt satis singulares, præsertim qui ad Morbos Mulierum spectent; & de argumento hoc observationes quædam ibi occurrunt, haud ab alio vel priore vel posteriore quoquam traditæ. Vividam quidem infamiæ ac libidinis eorum temporum imaginem nobis ante oculos ponit[z]; ac si singularem in modum mira sit Tuscarum mulierum enarrata ab eo impudicitia, consilium[a] ejus, quo eas corrigi vult, haud minus mirabile videtur.

In lectione hujus Auctoris observari potest, quanquam Medicæ tum florerent Scholæ, Salerni præsertim, Neapoli, & Bononiæ, ibique homines & doctrina & experientia instructi educarentur, tamen Medicinæ Praxin magna cum licentia invasisse tam Regulares quam Sæculares Ecclesiasticos. Hæc consuetudo jam diu in Ecclesia creverat; Auctorque Antiquitatum Academiæ Parisiensis[b] hanc unam e Diaboli machinationibus existimat, quibus Religionem subverteret, quippe cum ii e Monasteriis exeuntes id se facere speciose obtenderent, quo Fratribus langueſcentibus opitularentur. Cujus rei abusus brevi in eam infamiam venit, ut Concilium Romanum a

q Antiq. Acad. Paris. T. 4, 42. x Ib. 166. z 3, 6, & 9. a 9. b T. 2, 322.

Papa

300. Papa Innocentio Secundo, A. D. MCXXXIX coactum Clericis omnibus Medicinæ tractationem omnem penitus interdixerit. In Concilio Turonensi, A. D. MCLXIII habito, cui præfuit Alexander Tertius, factum est severius Decretum, "Uti nemo quisquam, qui Vota susceptisset ac sese Ordini cuipiam ascripsisset, e Monasterio exire "posset ad Prælectionem in Medicina audiendam; quod si exiret "quispiam, neque intra duos Menses in Monasterium rediret, pro "Excommunicato haberetur: post reditum vero, infra cæteros de- "truderetur, nec in integrum restitui posset, nisi permissu ipsius "Papæ." Atque in Canone adjectum est, "Episcopos omnes, Ab- "bates, ac Priores, qui hujuscemodi licentiæ assentirentur, neque "peccantes coercerent, dignitate privandos esse, & ab Ecclesiæ sinu "pellendos." Quod edictum ab eodem Papa A. D. MCLXXIX confirmatum est, & renovatum ab Honorio Tertio A. D. MCCXVI. Quibus Edictis non obstantibus, cum vel neglecta essent, vel eorum vim Monachi eluderent, magna Clericorum multitudo in obeundis Medicinæ muniis perstitit: cui potissimum causæ tribui debet, quod Salerni tandem & Monspelii Collegia honorem pristinum amiserint. Quædam in istis ætatibus causæ subesse poterant, quare hoc genus hominum, quod tantum in conscientias cæterorum imperium haberet, circa ægros ita sese ingereret, præsertim quando necessarium esset silentium; verum Fidei Reformatio huic licentiæ credo finem imposuit; neque damno fortasse publico accidit, ut Theologi nostris temporibus Medicinam haud amplius exerceant, cum exinde vel in sua professione parum idonei, vel in nostra valde imperiti sint, necesse est. ARNOLDUS DE VILLA NOVA.

253. Petrum de Apono quædam nobis haud modo in Chymia, verum & in aliis rebus ad Medicinam spectantibus, suppeditare posse, Clericus videtur sentire. Quam quidem laudem nullatenus ab eo meritam comperio, licet a Bernardo Scardeonio immodice prædicetur, & post hunc a Naudæo; sed ea potius illi, quæ a Champerio dicta sunt, convenire judico, Virum fuisse multæ lectionis nulliusque judicii; quanquam fastuosum Conciliatoris nomen, quo postea semper potitus est, sibi ipsi indiderit. PETRUS DE APONO.

Natus est, uti ab aliis dicitur, A. D. MCCL, uti ipse ait, A. D. MCCLIII[z], in regione Patavina, Aponi, quo in loco Balnea illa Sulphurea sunt, ab omni retro antiquitate celebrata, atque in Epistola Theodorici Gothorum Regis descripta. Studia Parisiis agitavit, ibique diu commoratus est, ubi etiam Gradus in Medicina capessivit, ac Librum Conciliatorem dictum conscripsit, de variis inter diversos Medicos opinionibus, tam Veteres quam Recentes. In Physiognomia, Chymia, Mathematica, & Astrologia scientissimus habebatur; multusque dicebatur in Talismanis fuisse; unde etiam Magiæ suspicionem incurrit, ideoque ab Inquisitione vexatus est; sed cum ante condemnationem obierit, effigies tantum ejus cre-

z Different.

PETRUS DE APONO. mata eſt: alii tamen ipſum combuſtum, alii abſolutum tradunt. A.D. Plerique Auctores, uti dixi, mortem ejus, A. D. MCCCXVI, ponunt; Anno autem MCCCV, Conringius & Naudæus: ſed attente rem conſideranti utraque mihi videtur narratio haud vera, Opus enim ſupra memoratum Arnoldus Papæ Johanni inſcripſit, qui Viceſimus ſecundus vulgo dicitur & ſummus ei amicus, Virque ipſi eruditione non inferior fuit; hic autem ad Pontificatum, haud ante A. D. MCCCXVI, aſcendit: ideoque Arnoldum fama maxime viguiſſe A.D. MCCCXIX, tradit Aquilinus [a].

Poſt reditum in Patriam, Bononiæ Artem ſuam exercuit Arnoldus, ubi & honorem & divitias ingentes conſecutus eſt. Quæ de Chymia habet, exigui momenti ſunt; præter Fumos Mercuriales (qui licet Nervos offendant, tamen cætera ab iis Venena pelli & extingui ait) & Arſenicum Sublimatum, Spiritus [c] quidem commemorat Chymica Sublimatione a Metallis elicitos, e quibus Elixir factum eſſe dicit; atque in Supplemento ejus ad Meſuen, Balſamum per Diſtillationem artificioſe confectum reperimus, quod, per longitudinem Spinæ Dorſi infricatum, contra Paralyſin valde utile ſit: cujus inventionem errore aliquo Meſuæ ipſi aſcribit Guido, & poſt hunc Geſnerus cum Tagaultio, idque Liquorem Balſamitin appellant.

GORDONIUS. Quantillam vero in Medicina partem hoc tempore habuerint Præ- A.D. parationes Chymicæ, e Gordonio conjicere licet, qui A. D. MCCCV Scriptor fuit. Is Oleum Tartari commemorans, quod ab eo deſcribitur, & externe adhiberi jubetur, notat id ſolis Alchymiſtis innotuiſſe, "Quia modus Chymicus in multis utilis eſt in Medicina, in "aliis vero eſt triſtabilis, quod in ejus via infinitiſſimi perierunt." Gordonius Monſpelii fuit celebris Profeſſor, in qua Civitate diu Medicinæ ſtudia viguerant, & paulo ante fundata fuerat Academia a Papa Nicolao Quarto A. D. MCCLXXXIX. Ingens is nobis Volumen reliquit, Lilium Medicinæ vocatum, (etenim in ætate hac affectatione plena nihil de Medicina ſcribebatur quod non vel Lilium vel Roſa diceretur) iſtis temporibus valde celebratum: nihil autem in eo memorabile eſt, præter Trochiſcos, qui etiamnum ejus nomen obtinent, & Pulverem ad Guttetam, qui per iſta tempora in iis Galliæ partibus contra Epilepſiam ſummo in honore erat, & uſque ad hunc diem ſatis frequenti in uſu eſt.

MUNDINUS. In Anatomia, coætaneus Gordonio Mundinus Mediolanenſis nova A.D quædam, ſed rudia, fecit tentamenta; nam circa A. D. MCCCXV, juſtum diſciplinæ hujus Volumen compoſuit; cumque ipſe diſſecandis Cadaveribus operam dediſſet, Obſervationes novas & reperta quædam Libro ſuo paſſim inſeruit, præcipue ad Uterum ſpectantia. Qui Liber Anatomiæ ſtudium quodammodo excitavit; & uſque ad Litterarum inſtaurationem ita inclaruit, ut non aliud Sy-

a Chiromant. c. 5.

c Different. 59.

ſtema

1315. ſtema in Scholis ſuis prælegi permiſerint Statuta Academiæ Pa- MUNDI-
tavinæ. NUS.

Iiſdem prope temporibus, Anno ſcilit MCCCX, Robertus Rex Nea- SYLVATI-
politanus, Medicæ Scientiæ fautor extitit inſignis; iſque apud ſe CUS.
habuit duos tum illuſtriſſimos Medicos, Franciſcum Pedemontanum, & Matthæum Sylvaticum. Ille cæptum a Petro de Apono Meſues Supplementum continuavit: quod Opus vix aliud eſt, quam ex omnibus iſtis Arabibus, qui Practica Medicinæ Syſtemata conſcripſiſſent, quædam Collectio. Hic, Civitate Mantuanus, circa A. D. MCCCXL obiit, ſed Volumen ingens A. D. MCCCXVII, publicavit, ſub Pandectarum Medicinæ nomine, unde & ipſe Pandectarius vocatus eſt. Id quidem Vocabularii cujuſdam Medici loco eſſe præcipue voluit, quo facilius intelligi poſſent Græcorum atque Arabum Scriptorum Verſiones; atqui & Græcas, & Arabicas, & Latinas etiam Voces ad Medicinam pertinentes eo modo interpretatus eſt, (niſi fortaſſe illud Librariorum culpa accidit) ut vix capi queant; cum in ſingulis fere Lineis barbarum aliquod aut non intelligendum ſeſe offerat vocabulum, ita ut ad explicandum ejus ſenſum altero opus ſit Lexico. Reineſius quidem, quo Textum hujus Auctoris, atque alterius adeo longe hoc deterioris, Paſſionarium dico Garioponti, emendaret, operæ multum impendit: ſed cum Lingua quadam Franca iſti Auctores uterentur, minime profecto hanc attentionem ab eo meriti ſunt, qui eruditionem ſuam longe fructuoſius exercere potuit. Illud tamen de Sylvatico æquiſſime dici poteſt, facta ab eo quædam in Re Botanica incrementa, naturamque & virtutem Herbarum accuratius deſcriptam, quam a quovis antea in obſcuris iſtis Sæculis eſſet præſtitum. Demoſthenem Herophileum, qui tres Libros de Oculis, tantopere a Galeno prædicatos, conſcripſerat, ab eo pluſquam ſexagies memoratum notat Reineſius. Ex quo manifeſtum eſt, Librum illum tunc temporis ſuperfuiſſe, quanquam nunc fragmenta tantum aliqua de eo habeamus apud Aetium extantia.

1400. Hoc temporis ſpatium, non antea percurſo breviter in Anglia GILBER-
noſtra Medicinæ ſtatu, prætergredi nequeo. Profectus quidem apud TUS AN-
nos in hac ſcientia erat perexiguus; quod minime mirandum eſt, GLICANUS.
cum neque in Aula neque in Academiis ulla ejus ſtudii eſſent præmia: & Monachi, qui Artium Liberalium Scientia haud multum eſſent inſtructi, Profeſſionem hanc prope ſoli exercerent. Nihilominus etiam in hac ætate, quantumcunque barbara, nonnulli & medicando & ſcribendo famam acquirere tentarunt. Primus noſtratium Scriptor Practicus circiter hæc tempora floruit; Gilbertum intelligo, cognomento Anglicum. Hunc ſub regno Johannis, A. D. MCCX ponit Baleus; Lelandus autem Recentiorem eſſe ait, quanquam ſententiæ ſuæ rationes non proferat. Gilbertus, inter alios Libros, Medicinæ Compendium ſcripſit, etiamnum ſuperſtes: ex

quo

GILBERTUS ANGLICANUS.

quo ipſo Opere longe poſt initium Sæculi Decimi tertii illum vixiſſe A.D.
conſtat. Nam Averrhois commeminit, qui uſque ad medium Sæculi Duodecimi pervenit, cujuſque Opera haud ita cito converti poterant, neque revera converſa ſunt ante medium Decimi tertii, uti affirmat idoneus teſtis, Baco; porro id quod ait Gilbertus de Libro quodam de Speculis, eo ſine dubitatione qui a Bacone ſcriptus eſt, & id quod a Theodorico, de Elephantiaſi, exſcribit, manifeſte declarant, eum juxta finem hujus Sæculi viguiſſe, ac veriſimiliter in initiis Edwardi Primi. Gilbertum Lelandus Virum multæ lectionis, & Philoſophiæ ac Medicinæ peritiſſimum fuiſſe prædicat, quarum ſcientiam ſtudio eſſet ac peregrinatione conſecutus; eundem ob curationes ab eo præſtitas extollit, ob regulas de tuenda Sanitate præſcriptas, ac præcipue quod omnia ad Herbarum virtutes pertinentia etiam mediocribus ingeniis dilucide explicaſſet. Quod ſi hoc paulo amplius merito ejus videatur præconium, uti id vereor ne ita ſit, illud opinor jure de populari noſtro dici poteſt, quod coætaneos ſuos in aliis Gentibus ſcribendo æquarit; idemque ac ii fecerit, maximam partem ex Arabibus deſumens. Quod quidem frequenter magna cum licentia facit; nam integra interdum Capita verbum verbo a Rhaze exſcribit, præſertim in iis quæ de Arthritide habet[a]. Hoc in eo ſingulare eſt, quod non modo ſæpius Alexandrum nominet, ſed excerpat etiam quaſdam ex optimis ejus Obſervationibus: quæ res utique judicium ei in exſcribendo non defuiſſe commonſtrat. Ter etiam aut amplius alium Auctorem, Cophonem nomine, a nullo, quod ſciam, niſi ab eo & Thoma de Garbo natione Florentino[b], hujus Diſcipulo, memoratum, profert. Cophon iſte Libellum nobis de Purgantibus, atque, uti ab eo vocantur, Opiatis, reliquit; Opiata Purgantibus efficaciora eſſe ait, ubi humor aliquis inter cutem carnemque exſtiterit[c]: quod quidem mihi Paradoxum videtur haud minus comprehenſu difficile, quam ea quæ ſubjicit, rationem hanc eſſe Garamantibus incognitam. Unam quidem Formulam ſatis inuſitatam miramque tradit Cophon; ea vero hæc eſt: Nutriatur Pullus per octo dies Helleboro albo, poſt quos occidatur, & ex eo Juſculum fiat: id, eo teſte, leniter Purgans evadet.

Sed ut ad Gilbertum redeam, licet ejus ætatis homines magnam in Incantamentis[d], aliiſque rebus Empirice applicatis, fidem poſuiſſe comperiamus, tamen vulgari Medicinæ Rationalis via, quæ a Græcis tradita eſſet, inſtitit. Quantum in eo fuerit doctrinæ facile conjectari poteſt ex Etymologia ab eo prolata Hieræ Logodii Menſici (qui fortaſſe error eſt pro Hiera Logadii vel Memphitæ) id enim a Græca Voce λόγος derivat[e], idque impedimenti in Sermone depulſionem ſignificare ait; idemque Philonium interpretatur, Novum Amicum. Temporum mori ſe accommodans, multis barbaris uſus eſt vocabulis; exemplo ſit, Plagella[f] pro Plumaceolo: [g]Argalia

a P. 314, & 322, &c. b MS. in Bibl. Harleyan. c 275. b, d 87. 222. 287. e 44. f 204. g 271.

(Ergaleum

300. (Ergaleum eſſe deberet) pro Inſtrumento quod ad exquirendum in Veſica Calculum adhibetur; & ingens aliarum vocum numerus, ex quibus Vocabularium ſatis locupletari poſſet, quo Sermo Latinus iis temporibus uſitatus exponeretur. Duas ſolum treſve in hoc Auctore res animadvertam. GILBERTUS ANGLICUS.

Morbum Juvenis [o] cujuſdam Temperamento Melancholico deſcribit, qui poſt longam indigeſtionem Ventre tumefacto, cum Leucophlegmatia, laboraret: Tertiana interdum Febris accedebat, cum Urina flava, & ſubinde recurrente Alvi fluxu. Refrigerantibus aſſueverat, & identidem Myrobalanis purgatus fuerat. Poſtea vero ad Balnea Sulphurea abiit, ubi ex toto curatus eſt. Nihil ulterius a Gilberto ſuper hac re explicatum eſt; veriſimillime tamen Aquas Bathoniæ intelligit. Ægrumque Aquarum potatione, haud lavatione in iis, ſanatum ego potius crediderim; ſiquidem affectus, uti hic deſcribitur, a corporis habitu intemperantia prorſus depravato ortus, nulla ratione melius, quam interno earum uſu, reſtitui poterat; & lavatio per ſe huic rei prorſus aliena atque inidonea videatur. Quod ſi veritatem aliquam hæc conjectura habeat, uti certe haud abſurda eſt, neque improbabilis mihi videtur, Aquas haſce, trecentis annis maturius quam ex aliis Hiſtoriis pateat, potari ſolitas conſtabit; Guidotius enim, cujus tempore conſuetudo hæc renovata eſt, quique optime omnium de iis narrationem Hiſtoricam contexuit, Joneſii tantum auctoritate fretus, eas ſub finem Sæculi Decimi ſexti interne ſumtas affirmat. Ac licet de hac re taceant Annales noſtri, Aquarum iſtarum potationem antiquitus uſurpatam eſſe perquam credibile eſt, cum eadem conſuetudo per multa Sæcula in aliis Regionibus, ubicunque eſſent ejuſmodi Scaturigines, invaluerit.

In Gilberto [k] Capitulum ſatis memorabile eſt de Affectibus Coitioni cum Muliere ſupervenientibus, quæ cum Viro Elephantiaſi tentato rem habuerat. Contagionis hujus Symptomata pro diverſo hominis Temperamento varia ſunt; quod cum calidum fit, exiguæ punctiones fervoreſque in cute percipiuntur, coloris immutatio, rubor, & quaſi repentis cujuſdam rei in vultu ſenſus, continuatæ vigiliæ. At in frigido & Melancholico habitu, color citius vehementiuſque immutatur, facies tumida eſt, accedit ingens corporis gravitas & pigritia, cum frigoris ſenſu vultum corpuſque totum permanantis. Hæc utique deſcriptio plane eadem eſt ac ea quæ in Rogerina legitur, maximamque partem a Theodorico deſumta eſt; quod eo tantum fine dico ut oſtendam, de Morbi hujuſce Symptomatis Medicos haud aliter ſenſiſſe in Anglia quam in Italia. Nam de hac re plura dicere loco magis idoneo animus eſt. Johannes de Gaddeſden, uti videri poteſt, omnibus his Auctoribus id negotium uberius tractat; & pro curatione Mulieris dat conſilium ſatis ſingulare [c], quod ſervatu quidem perquam facile ſit, quodque, ſi ei credimus, nunquam ſucceſſu cariturum eſt.

o 250. k 344. c P. 49. b. Saltet retro & deſcendat fortiter per gradus, &c.

GILBERTUS ANGLICUS.

Gilbertus, de Strumoſo Tumore in Glandulis[l] agens, Morbum hunc ait alio nomine vocari Malum Regium, ideo quod a Regibus curetur. Id teſtimonii, utcunque paucis verbis, a Medico latum, qui nullam in hac re gratiam aucupari videtur, luculenter probat, Tactionis conſuetudinem fuiſſe antiquitus a Regibus noſtris uſurpatam; moremque hunc jam tum ſatis Veterem Auctor ille exiſtimavit, uti ex ejus loquendi modo conſtat. Hunc Tactionis Regiæ uſum Hiſtorici Galli in ſua gente, Sæculo Undecimo, ſub regno Philippi Primi[m], extitiſſe, auctoritatibus nixi firmiſſimis oſtendunt: nihil vero credibile de majori ejuſdem antiquitate adducunt, quanquam nonnulli id uſque ad Cloviſii[x] tempora retro inveſtigaſſe ſe proponant. Tam ex his Gilberti verbis, quam e quibuſdam ſparſim in Hiſtoria Anglicana colligendis, haud minus veriſimile eſt eandem apud nos per aliquot Sæcula conſuetudinem invaluiſſe; iique qui hanc ad Edwardi Confeſſoris, qui Philippo Primo coætaneus fuit, tempora referunt, id non ſine fundamento mihi facere videntur; nulla ſaltem quæ in contrarium adduci poſſint argumenta invenio. Quod ſi Monachi omnes, utpote in Regum aſſentationem proclives, pro teſtibus inidoneis habendi ſunt, extant alii quorum fides nullo modo in dubium vocari queat. Johannes Forteſcue, Eques, homo & eruditus & ſapiens, in ea defenſione Juris Regii, quam pro Domo Lancaſtriæ[n] ſcripſit, paulo poſteaquam Henricus Quartus Regnum auſpicatus eſt, hoc curandi munus privilegium eſſe ait, quod ab omni antiquitate ad Reges Angliæ pertinuerit: quam virtutem Unctioni tribuit, quæ fit in eorum manibus inter inaugurandum; ideoque Reginas hujus muneris expertes eſſe, quoniam hæc in iis cæremoniæ pars omittitur. Conſtat tamen Reginam Elizabetham ita nihil Regiæ poteſtatis deperdere voluiſſe, ut inter cæteras Functiones ad Imperium ſpectantes hanc etiam haud infrequenter præſtiterit. Archiepiſcopus Bradwardinus, qui A. D. MCCCXLVIII obiit, quique, veritatem curationum Regio Tactu factarum affirmans, ad homines univerſos provocat, quædam, uti videri poteſt[o], ſatis expreſſe de hujus rei antiquitate pronuntiat: quod quidem ab eo minime fieri potuit, ſi ita recens fuiſſet mos, ut a quibuſdam creditur. A.D.

JOHANNES DE GADDESDEN.

Haud ita multo poſt Gilbertum alter popularis noſter floruit, nomine Johannes de Gaddeſden, celebratæ Roſæ Anglicæ Scriptor. Nihil fere de eo ex iſtorum temporum Hiſtoria diſcimus; neque de illo amplius quicquam tradit diligens ille Antiquarius, Antonius Wood, quanquam in eodem Collegio, Mertonenſi ſcilicet, inſtitutus fuerit, quam e Vetere Catalogo ibi extante ſe deprehendiſſe, Johannem fuiſſe Medicinæ Doctorem, Annoque MCCCXX viguiſſe: quare exiſtimo nihil ulterius illic de eo ab Antonio repertum, cum libenter occaſionem arripuiſſet plura de Viro in eodem Collegio educato memorandi. Verum ex hac ipſa Roſa aliqua licet de ipſius vita & A.D. 1

l 174. m Daniel, Tom. 1. p. 1032 & 1128. x Andr. Laurent. n Append. N° 6.
o Append. N° 7.

ingenio

1320. ingenio decerpere. Scriptam a ſe ait anno Lecturæ ſuæ Septimo, uti tum loquendi mos erat; haſque Prælectiones in ſuo Collegio feciſſe cum veriſimile eſt: cum hæc Societas Medicinæ promovendæ gratia quodammodo fundata ſit, & majora etiamnum huic ſtudio præmia proponat cæteris ſimul quibuſcunque in Academia Oxonienſi Collegiis. Porro curationes, quas a ſe in Scholari quodam & in nobili Baccalaureo præſtitas ait, videntur indicare Librum iſtum hoc in loco fuiſſe ſcriptum; quod utique factum ſit neceſſe eſt inter Annos MCCCV & MCCCXVII; nam Gordonium memorat, &, Lelando teſte, a M. Sylvatico in Pandectis memoratur. Opus hoc omnem Medicinæ Praxin complectitur; & id quidem is præcipue ex Arabibus, atque ex iis qui paulo ante ejus tempora Latine ſcripſerant, collegit, ſed varias paſſim magno numero additiones de propria Experientia hauſtas attexuit. Neque enim dubitari poteſt quin Artis uſu quemvis ſui temporis æquarit; quanquam vereor ut magna hanc ſcientia inſtructus exercuerit. Quem tamen, ut ſubtilem Philoſophum, peritumque Medicum, Virumque ſuæ ætatis ingenioſiſſimum deprædicat, & Librum hunc Opus exquiſite eruditum vocat [a] Lelandus. Neque alia eſt de eo Conringii [b] opinio; verum Guido de Cauliaco, magni nominis & Scientiæ Chirurgus, qui ſerius eodem Sæculo vixit, longe aliter ſentiens, notabilia hæc verba ſuper illo utitur, "Ultimo [c] inſurrexit una Fatua Roſa Anglicana, quæ mihi miſſa fuit "& viſa; credidi in ea invenire odorem ſuavitatis, & inveni fabulas "Hiſpani, Gilberti, & Theodorici." Poſteriorem hujus ſententiæ partem a veritate haud multum abhorrere credo; tamen haud obſtante acri hac ejus vituperatione a Guidone prolata, non ita Fatuum fuiſſe comperies Johannem; ac licet, uti vera fateamur, vix alius qnam Empiricus cenſeri debeat, tamen in hoc genere unus ex optimis videtur, ac negotia ſua ſingulari cum ſolertia tractat. Nam, ut e ſcriptis ejus conſtat, imbecillitatem Naturæ humanæ penitus perſpexerat, noveratque in decipiendis hominibus quouſque progredi caute poſſet, horum credulitatem in ſua ſemper commoda convertens. Delicatis [d], Dominabus, ac Divitibus ſatis artificioſe eſcas porrigit; iis quidem ita amanter conſulens, ut etiam Odores & Lotiones [e] deſcribere dignetur, aliquas præſertim quibus Capilli tingantur: hos autem adeo ſtudioſe obſervat, ut ſelectiſſima ſemper & maxime pretioſa Medicamenta in eorum uſum comminiſcatur. Ac ſi de re quapiam admodum excellenti loquatur, duplum [f] ejus, quod Pauperibus detur, pro Divitibus imperat. In Epilepſia, Verris Veſicam coctam adhibet; ac Viſco Quercino Cuculum adjicit; Pelleſque Vulpium quomodo præparari debeant ordinat, quæ hyemali tempore ad Paralyſin [g] geſtentur.

JOHANNES DE GADDESDEN.

Porro Medicinæ peritia parum contentus, eruditionis etiam argumenta proferre conatur; ideoque res ita perplexas exponere, uti

a Ut lumen ſui ſeculi facile crederetur —— opus luculentum & eruditum. b Perdoctum. c Præfat. d P. 3. Iſtam voco Medicinam Regalem, pro delicatis, pro Dominabus, pro divitibus. e De modo faciendi Lac Virginis, 134. De Decoratione 131. f 17. Experimentum meum, ſi ſit pro divite, duplum oſſis cordis cervi. g 67.

ſunt

JOHANNES DE GADDESDEN. ſunt verborum Etymologiæ, aggreditur. Peritonæum[h], inquit, ſic vocatur, quod ſit juxta tonantem — Hernia quaſi[i] rumpens enia, viz. inteſtina — Phthiſis a Tuſſi[k] — Chiragra a Chiros & gradior[l]. Reconditiore vero doctrina in derivatione vocis, Epilepſiæ[ll], utitur; quam dici vult ab Epi & lædo — quare animadvertit etiam Hiera Noſon itidem eſſe dictam, quo Sacram & noceo ſignificari docet — a partium nobilium læſione. Hoc modo, ad imitationem Magiſtri ſui Gilberti, ingenium in Philologia venditat, nec diverſo ſane cum ſucceſſu. A.D. 1

Eſt & alia eruditionis pars, Poeticam intelligo, cui multum is videtur fuiſſe deditus. Rhythmi quidem adeo ſtudioſus eſt, ut in omni fere pagina hujuſmodi verſus adducat, atque identidem ſuos etiam interponat. Quo fit, ut dubitari poſſit, utrum in Medicina magis, an in Poetica excelluerit. Atque in hoc ſingularis ejus virtus eſt, ut ſive aſtricta, ſive ſoluta oratione ſcribat, ſtylo ſuo voluptatem atque riſum in Lectore excitet.

His non obſtantibus minime dubito quin ob eruditionem etiam ſuo tempore haud parum inclaruerit Johannes, atque in Medicinæ uſu pro Viro ſagaci ac ſolerti ſit habitus. Etenim hunc in Aulam receptum video, Regiſque Filium curaſſe (Edwardi credo Primi, vel Secundi) Variolis laborantem[a]. Atque hic quidem præſtigias omnes adhibens, quo melius Morbos ex Inflammatione ortos ſe intelligere oſtendat, poſt idoneas rei gerendæ formulas, vultu in gravitatem compoſito, ægrum Panno coccineo involvi jubet[m]; omnia quoque circa Lectum Rubra eſſe debent, ac tapetia ſine dubio per cubiculum omne ejuſdem erant coloris. His modis Johannes Principem convaluiſſe ait, ac ne unam quidem in facie ejus relictam foveam; unde hanc curandi rationem vehementer extollit. Quam rem is inter Vetularum præſcripta apud Gilbertum[n] inventam videtur ulterius provexiſſe; atque hoc probe intellexiſſe, quanti ſit momenti ſpeciem rerum externam ſervare, nugiſque maximis maximum aliquando pondus addere.

Quamprimum in Aula apparuit Johannes, Aulici ingenium induit, Potentibus obſequioſiſſime aſſentatus; nam cum Strumæ valentibus Remediis, qualia ſunt Sanguis Muſtelæ & Columbæ Stercus, parum cedant, ægrum hortatur ut ad Regium extemplo Tactum confugiat[o].

Erat etiam, uti conjicere licet, gnaræ ac negotioſæ indolis. Siquidem, haud contentus lucri ex Medicina facienda aucupio, Operationes Chirurgicas ipſe exequi aggreſſus eſt; multa de Experientia ſua in his rebus prædicat, & audacter etiam Recentiores quoſdam Chirurgos vituperat[q]. Peritiam ſuam in reponendis Oſſibus Luxatis extollit, magnumque ſe Medicum Ocularium profeſſus ad Infectio-

h 75. i 129. k 52. l 35. ll 60. a 41. m Capiatur ſcarletum, & involvatur varioloſus totaliter, ſicut ego feci de filio nobiliſſimi Regis Angliæ —— & feci omnia circa lectum eſſe Rubea —— & eſt bona cura. n 349. Vetulæ Provinciales dant Purpuram combuſtam in potu —— ſimiliter Pannus Tinctus de Grano —— o 28. Si iſta non ſufficiant, vadat ad Regem, ut ab eo tangatur & benedicatur —— Valet tactus nobiliſſimi & ſereniſſimi regis Anglicorum. q Et ſecundum Lanfrancum & Rolandum & Brunum, & eſt error.

nes,

320. nes, uti ab eo vocantur, Oculorum [r] Arcanum a ſe poſſideri dicit quod Divitibus ſolis conveniat. JOHANNES DE GADDESDEN.

Magnam itidem in Phyſiognomia ſolertiam præ ſe fert; atque in animo habuit, ſi Deus vitam ei & otium conceſſiſſet, Librum de Chiromantia [a] conſcribere; quem fatidicum nobis Commentarium haud extare magnopere dolendum eſt. Verum ex ejus verbis ſuſpicari fas eſt, Officinam eum pro exercitio hujuſce Artis aperuiſſe.

Idem multus in Secretis eſt, quorum aliqua Secreta Secretorum [b] appellat, & miracula [c] ab iis fieri ait. Hæc uti magni facit, ita ſedulo vetat inter Laicos [d] divulgari; qua in prohibitione Fæminas etiam aliquando comprehendit, idque potiſſimum ubi de Aquis Fortibus ac Spiritu Vini [e] loquitur. Multa, de lucro [f] a Medicamentorum ſuorum venditione producto, magna cum voluptate differit; quæ nonnunquam ita care vænirent, ut ipſe neſciat quantum & argenti & munerum [g] inde ad ſe provenerit. Bonamque ſe habuiſſe pecuniam inquit a Barbitonſoribus pro Formula e Ranis Arboreis [h] confecta: & tanquam iis verba dederit, vehementi gaudio exultat. Tamen, contra ac fieri ſolet, Secreta hæc ingenue revelat. Quorum aliquod ſemper in promtu eſt contra quemcunque affectum; ſemperque monita de eorum uſu inculcat [i]. Præcipua quidem Johannis virtus in Formularum præſcriptione poſita eſt, quarum ſi ingentem numerum coacervarit, nulla opera, nullo judicio adhibito, omnes Morbos ſe expugnaturum confidit. Nonnullarum ope, mira, ſi ei credimus, frequenter præſtitit; viginti enim Hydropicos Spica [k] Nardi a ſe curatos memorat; quod tamen Medicamentum dari non debeat, niſi accepto prius Salario [l].

Nihil, quod ad Medicinam ullo modo ſpectaret, intentatum reliquit Johannes; & quo difficilior ac periculoſior res eſſet, eo majori hanc alacritate ſuſcepiſſe videtur. Calculi dolore cruciabatur quiſpiam? is erat ad eum diſſolvendum paratus [m]. Podagra quis vehementi laborabat? humorem is Cataplaſmate aut Unguento educere [n] poterat. Monili acceſſiones depellebat Epilepticas, & Linguæ Paralyſin Aqua Vitæ [o] curabat. Hi quidem omnes caſus ejuſmodi ſunt, qui acutiſſimum ingenium exercere valeant, omnemque certe illius prudentiam exegerint: verum in eos haud ita cogitationes ſuas intendit, quin ad rerum minutiorum curam lubens deſcenderit. Multas enim rationes proponit quibus homines ſe a ſordibus & odore fædo liberos tueantur; ac ſiquis dente putri afficeretur, is eam [p] educebat: ſi pediculis ſcateret, Ars [q] interimendi illos ei non defuit; neque pro benignitate ſua Clavos etiam e Pedibus evellere recuſabat. Dolori Colico medebatur, hominem cingens zona e pelle Vituli marini confecta, cujus Buccula ex Oſſe Ceti conſtaret [r]: Emplaſtrum,

r Experimentum meum, quod divitibus convenit. a Vitam & pacem. 35. b 82. c 39. De quo poſſum dicere multa miracula. d 32. e 66. f 79. Magnam pecuniam in multis locis. g 49. Hoc eſt meum, pro quo habui pecunias & tot alia quæ neſcio quot & quanta. h 120. Pro quo habui bonam pecuniam a Barbitonſoribus. i 100. k 33. l Nec debet dari niſi accepto ſalario. m 97. n 39. o 66. p 120. q 13. r 95.

JOHANNES DE GADDESDEN. Cauſticumque ad Herniam [z] poſſidebat, quæ ſucceſſu nunquam caA.D.
rerent: Cancrumque ab externa cauſa Lapatho [t] Rubro ſanabat. Ac ſi noſtris temporibus vixiſſet, minime dubito quin fuiſſet Inoculatorum Princeps; quodque ille contra optimorum Medicorum Experientiam aſſerit, Variolis ſcilicet hominem bis [a] tentari poſſe, in multis ejuſmodi occaſionibus magno ei fuiſſet adjumento.

Supra omnia probe intellexit, quanta ſit voluptas Fæminis Prægnantibus medicari. His Rhabarbarum [b] toſtum commendat; ac peculiare ſermonis genus his in caſibus convenire noſcens, admodum jocularis in hac re, neque familiaris tantum, ſed laſcivus, ne dicam impurus eſt. Multa quoque de Re Obſtetricia [o] habet; ac licet haud clare explicet, utrum Operationem ipſe præſtiterit, ego potius rem adeo pecunioſam ab eo, qui omnia aggredi affectaverit, haud omiſſam eſſe crediderim. Omnes ſaltem videtur Conceptionis promovendæ vias, quæ apud illum magna varietate docentur, ſtudioſe perſcrutatus: magnamque ad eum fæminarum multitudinem propter hujuſmodi Arcana confluxiſſe veriſimile eſt. Ii qui peritiam ejus cognoſcere cupiunt, ipſum Auctorem [c] conſulant, doctoſque ejus Commentarios atque Formulas ad ſceleſtum illum Venerem exti mulantibus [w] utendi morem pertinentes.

Jam, ut Auctoris hujus imaginem abſolvam, quanquam aliis debeat quæcunque de Morborum Cauſis ac Symptomatis diſſeruerit, (neque enim quicquam novi vel de Phthiſi affert, qui morbus Inſulæ noſtræ quodammodo Endemius eſt) tamen multa de Remediis habet haud alibi reperienda. Nam Collectionem omnium, quotquot aut viſu aut auditione cognoſtet, Formularum videtur inſtruxiſſe; nec aliunde melius quam ex iſto Libro ſciri poſſe arbitror, quænam Remedia tunc temporis in uſu fuerint, haud modo inter Medicos, verum etiam apud vulgus in quibuſcunque Angliæ partibus, tam Empirica quam ſuperſtitioſa.

Multa quoque ibidem curioſa videri poſſunt de Proavorum noſtrorum Victu, & Apparatu Ciborum ab iis uſitato; nam Rei Culinariæ apprime ſtuduit, & obſervationes tradidit judicii haud expertes de modo [q] fercula parandi. Multum hujuſmodi Scientiæ in eo deprehendi poteſt ab Antiquitatis Gulæque ſtudioſis; multaſque hi [n] patinas etiamnum in honore permanentes cum voluptate invenient, a Vetere illo Auctore deſcriptas, quarum nonnullæ etiam lingua Anglica nominantur; quippe cum is haud parum ſermonis patrii ſcriptis ſuis paſſim intermiſcere gaudeat.

Fuit quidam ejuſdem nominis Eccleſiæ Sancti Pauli Præbendarius in Ealdlandæ Cathedra [x]; ponitur autem ordine Richardo Phyſico proximus, anno tamen minime notato; verum aliunde diſcimus hunc cum Auctore noſtro eundem fuiſſe hominem. Illud utique

z 129. Conſolidat omnia vulnera, & debet haberi in honore. t 24. a 40. Homo variolatur bis. b 134. o 83. c De modo generandi, p. 77. w Coagulum leporis —— qui iſto utuntur, poſſunt coire —— ſi volunt —— ibid. q Cibus Laicorum eſt bonus, viz. Tortellus factus de flore frumenti, decoctus in Furno cum vitellis ovorum, &c. —— Lucius & Truta cum Agreſta, & Acedula, &c. 58. n Pulli Gallinacei elixentur cum Petroſelino —— cum Petroſelino Spinachiis aut Bletis, 95. Ibid. Pulli Lardati, 68. x Newcourt, Vol. 1. 145.

conſtat,

1320. conſtat, Monachum haud fuiſſe, uti quidam crediderunt: id quod ex multis Libri ſui locis probari poteſt, ac ſpeciatim ex eo quod ita libere loquatur de [a] Pediculis Fratrum. JOHANNES DE GADDESDEN.

Rem in Auctoris hujus vita ſilentio haud prætermittendam invenio; primum ſcilicet hunc fuiſſe ex noſtratibus, qui Medici munus in Aula exercuerit. Nam ante hoc tempus Medici Regii erant ſemper ab externis regionibus accerſiti. Idemque mos pro Pharmacopolis diu poſtea perſeveravit. Inter Rationes Veſtiarias Principis, A. D. MCCCLX, & Edwardi Tertii trigeſimo ſecundo, Petrum Monſpelienſem pro Pharmacopola ei fuiſſe deprehendimus; primuſque hujuſmodi Artifex qui Medicamenta venum dederit, ſi [q] Reynero credimus, fuit J. Falcandus de Luca, A. D. MCCCLVII. Liber Auctoris noſtri J. de Gaddeſden ita magno in honore per hæc tempora erat, ut hic a Chaucero Poeta ſit inter celebratiſſimos Medicinæ Scriptores prædicatus; neque minorem certe Popularis noſtri Roſa laudem meruit, quam Gordonii Lilium, quod tanquam divinum opus ejus ætatis homines admirati ſunt.

Gerardum ſæpe Johannes pro teſte adducit, ſemel autem de eo quod in Dyſenteriæ caſu ait in quarto Viatici [b] ſui Libro. Qui Liber haud alius eſſe poteſt ab eo cui nomen eſt, Gloſſa Viatici Iſaac: cujus Codex MS extat in Bibliotheca Harleyana. Scriptus eſt a Gerardo de Carmona [c], quæ eſt Andaluziæ Civitas. Gerardus autem medio Sæculi decimi tertii vixit: & cum ex longo eo quod cum Mauris habuit commercio linguæ Arabicæ ſcientiam acquiſiviſſet, multa ex eo ſermone Opera Medica in Latinum tranſtulit.

1360. Alterum quendam in hoc Sæculo Medicum Anglum ponit Pittus noſtras, circa A. D. MCCCLX. Is eſt Bartholomæus Glanvillus, præclarus iſte Libri Auctor qui inſcribitur, De Proprietatibus Rerum; atque a Pitto habetur Auctor Libri cujuſdam Practici de Medicina. Ego vero haud abſque cauſa duos fuiſſe diverſos homines conjicio; nam Lelandus, & poſt hunc Baleus nullum ejuſmodi Opus a Glanvillo ſcriptum memorat: neque ii hunc Medicinæ unquam ſtuduiſſe ſignificant, quanquam in Septimo ſuo Libro de Morbis compluribus agat, id autem maximam partem e Conſtantino tranſcriptum eſt. Bartholomæus, qui Breviarium Practicæ (nam ita dicitur) contexuit, Glanvillum eo modo nominat, ut idem utriuſque hujus Operis Auctor exiſtimari nequeat [aa]. Breviarium illud perquam voluminoſum eſt, & in quindecim longos diviſum Libros; ejus MS Codex in Bibliotheca Harleyana extat. Eadem hic [t] narratio eſt, de contagio per modum quendam in Elephantiaſi ſuſcipiendo, malique Symptomatis, ac iſta quam ſupra in Gilberto expoſui, quarum utraque ad verbum fere convenit: neque locus iſte apud Glanvillum occurrit. Quod ad reliquum Libri attinet, quid in eo comprehendatur optime ſciri GLANVILLUS.

a Tango hic multa —— quia Religioſi, qui non curant de ornatu corporis, ſicut utentes ciliſio frequenter abundant nimis in iſtis —— & repetunt conſilium a ſecretis medicis. q Antiq. Benedict. in Anglia, 167. b 58. 6. c Bibliothec. Hiſpan. Vet. 2. 264. aa Lib. 6. c. 13. Dicit Bartholomæus in libro ſuo de proprietatibus rerum. t Lib. 2. 4.

poteſt

GLANVILLUS. poteſt ex ingenua Proteſtatione [f] ab Auctore in fine ejuſdem ſubjecta: nihil ſcilicet ſeſe de ſuo adjeciſſe ſuper argumentis illic propoſitis, quoniam nihil proprium quod adjiceret reperire poſſet, verum omnia collegiſſet quæ apud Philoſophos & Medicos eodem pertinentia inveniſſet, magnam præſertim Formularum multitudinem congeſſiſſet. Quantumque ex levi hujus Auctoris tractatione conjicere poſſum, nihil promiſſis uberius attulit. A.D. 1

Veruntamen hæc ſcribendi ratio haudquaquam populari noſtro ſoli competit; ſiquidem aliarum gentium Scriptores Practici in hoc & ſequente Sæculo idem prope omnes factitaverint. Sicui Auctorum de Febribus collectionem pervolvere libeat, facile diſpiciet, quam pauca huic argumento ætas iſta adjecerit.

VALESCUS DE TARANTA. Solus pene extitit, qui haud Libris tantum, ſed Experientia propria fretus, aliquid circa A. D. MCCCC, ſcripſerit, Valeſcus de Taranta. Is Græci ſermonis omnino rudis, Latinum haud optime calluit; verum per triginta & ſex annos Medicinam exercuerat Monſpelii, fueratque Caroli Sexti Archiater. Librum reliquit, ſub Philonii nomine, in quo multæ continentur, eæque haud contemnendæ obſervationes, quæ ad Medicinæ & Chirurgiæ uſum ſpectant. Id etiam in illo ſingulare eſt, quod ſubinde caſum aliquem inſignem a ſe viſum narret; atque inter cætera Hiſtoriam narrat de homine cui mors obtigerit ex Uvulæ reciſione: necnon & alteram de quodam cui per triginta annos continuos Febris Intermittens trigeſimo quoque die reverterit. Miratur admodum qua ratione impulſi Veteres Medicamenta Calida, uti ſunt Hyſſopum, Origanum, &c. in Pleuritide præceperint; rectèque ait Refrigerantium, uti fit a Recentioribus, adminiſtrationem eſſe potiorem. Ac ſæpiſſime quidem in ſatis arduis Medicinæ caſibus Auctor iſte judicium ſuum interponit: exemplo haudquaquam vulgari, cum vix quiſquam ex his pro ſe cogitare auderet. Rogerium ſæpe ac Rolandum, quoad Praxin in Morbis, una commemorat; ex quo fidentius credo haud Baconem, ſed Rogerium iſtum, Rogerinam ſcripſiſſe. In Editione Scriptorum de Febribus a Fernelio publicata, Philonium vides pro Auctore perperam poſitum; ubi ſub Arnoldi nomine quædam inſerta ſunt ab illo quidem ſcripta, ſed per errorem alia quoque ab aliis hominibus multo poſt Libris ejus attexta. A.D. 1

Hic erat iſtis temporibus, quoad Praxin, Medicinæ ſtatus; at in aliis ejuſdem Profeſſionis partibus quædam facta ſunt incrementa. Nam Aquarum Mineralium, Calidarum præſertim, qualitates Medici diligentius inveſtigarunt; ac de virtutibus & uſu earum multas nobis obſervationes tradiderunt. Hos inter Michael Savonarola excelluit, qui plurima iis adjiciens quæ J. de Dondis & Ugolinus de Monte ſuper eadem re docuerant, Librum de Thermis omnibus tunc in Italia notis conſcripſit. Id opus ille inter A. D. MCCCCXL & MCCCCL

[f] Proteſtor enim in fine hujus opuſculi, quod nihil quod eſt ad propoſitum de meo appoſui, quia quod apponerem ex meipſo, in meipſo non inveni, &c.

ſuſcepit,

ſuſcepit, uti e Dedicatione facile probari poteſt; quanquam, ut ex ipſo colligere licet, aliqua poſtea, Anno ſcilicet MCCCCLX, eidem attexuerit. Patavii natus eſt, familia nobili, Avuſque celebrati Fratris Hieronymi extitit; trium Ferraræ Marchionum fuit Medicus, Equeſque Hieroſolymitanus; magna itidem fama ſuo tempore floruit, multaque, utpote admodum ſenex, Experientia inſtructus, varios compoſuit Libros, unum præcipue ſatis amplum de Febribus. VALESCUS DE TARANTA.

Aliquid etiam in Re Botanica tentatum eſt circa finem Sæculi decimi quinti; quod ſtudium reſuſcitavit Hermolaus Barbarus: iſque primus errores, tum ſatis numeroſos, in Plinii ac Dioſcoridis Libris emendare aggreſſus eſt. Circa idem tempus, cum poſt Conſtantinopolis expugnationem, multi de Græcis, in Italiam fugientes, Manuſcriptos Græcorum Medicorum Codices ſecum advexiſſent, Artis noſtræ ſtudioſi in percipiendis explanandiſque hiſce Auctoribus totam videntur operam poſuiſſe: qui quidem conatus & per ſe laudabiles fuerunt, & ad ulteriora quoque incrementa ſine dubio viam patefecerunt. Dum hæc agerent, in promptu iis erat quærere, quantum Arabes Græcorum veſtigiis inſtitiſſent, vel ab iis deflexiſſent; atque in hujuſmodi diſquiſitionibus eruditi prope omnes Medici per annos ad minimum quinquaginta ſeſe exercuerunt. Verum uti hæc opera in verbis magis quam in rebus inſumta eſt, fruſtra apud iſtos Scriptores inſigne quodvis in ipſa Arte incrementum expectaveris. HERMOLAUS BARBARUS.

Adeo humilis erat Medicinæ conditio, præſertim quoad Morborum curationem per Medicamenta intro ſumta, per Annos circiter quadringentos; Medici enim, ut ſupra dixi, magna ex parte vel omnia ab aliis deſcribebant, vel in Arabum Opera, nimis ipſa quidem per ſe longa, Commentarios ingentes exarabant. Altera Medicinæ pars, Chirurgia ſcilicet, ut vera fateamur, aliquanto clarius enituit. De eximio hujus Artis Profeſſore, Albucaſi, fuſe jam antea ſum locutus; ac notavi id parum conſtare, ubi locorum vel natus ſit, vel ætatem egerit: ſed utcunque id eſt, Libri ejus cito in Italiam pervenerunt. Nam ſtatim poſtea Rogerius Parmenſis, ſive, ut alii volunt, Salernitanus, quædam litteris mandavit, multa ex Albucaſi mutuatus, licet neque hunc neque alium profecto quenquam nominet. Tum ſecutus eſt Jamerius, qui, uti Guido ait, Brutam quandam Chirurgiam edidit: & poſt eum Rolandus; verum hi duo, ac præcipue Rolandus, omnia prope ex Rogerio deſumere fategerunt. His ſucceſſit Brunus, natione Calaber, qui Patavii A. D. MCCLII, cæteris ampliorem Chirurgiæ Collectionem vulgavit, quæ tamen, ipſo fatente [a], de Albucaſi ac cæteris Arabibus potiſſimum excerpta eſt: quanquam omnia hac ratione collecta ut Experientiæ congruerent, magna opera ſe caviſſe affirmet. Tamen ROGERIUS PARMENSIS. JAMERIUS. ROLANDUS BRUNUS.

a 130. Nam apud compoſitionem ejus non fui promptus ad aliud, niſi ut colligerem —— non ſolum id excipere —— ſed cum experientia & ratione ——

Brunus. & recte ſentit & apte ſententiam ſuam exprimit Severinus, qui omnes per iſta tempora Chirurgiæ Scriptores Arabiſtarum nomine appellat.

Theodoricus. Fuit ſane iſtius ætatis mos, ut alii aliorum ſcripta compilarent; unde, quemadmodum Brunus Arabas tractavit, ita Theodoricus, primo Frater, deinde Epiſcopus Cervienſis, cum vix animam expiraverat Brunus, eo ſimiliter uſus eſt; & aſſutis quibuſdam fabulis, a Magiſtro ſuo Hugone de Luca itidem ſurreptis, Bruni Collectione ad verbum ſub nomine ſuo edita, famam acquirere tentavit. Quippe qui, cum Monachus eſſet, Bonis Laicorum uti ſibi licere exiſtimaverit; illud interim inaudita confidentia aſſerens, nihil ſe velle, niſi quod ipſe expertus eſſet, ſcribere: quippe abſurdum ac ſupervacaneum eſſe ipſi ea repetere quæ in aliis inveniri Libris poſſent. Rolandum viderat Bononiæ. Pauca in illo, ut antea dixi, obſervatione digna reperiuntur; niſi quod os male repoſitum iterum frangi debere moneat, atque ubi callus recens eſt, Fomenta & Emplaſtra ſufficere poſſe, qui ſi vetus ſit, adhibendum [b] eſſe ſcalpellum: quomodo vero ſcalpellus adhiberi debeat, haud exponit, id tantummodo notans, nullas de hac re præſcriptas eſſe a Veteribus regulas, hoſque potius uſum ejus dehortari. De Abſceſſibus [c] loquens, nunquam in iis Turundam relinqui vult poſt primam eorum curationem; quod experimentum pluſquam centies a ſe viſum teſtatur. Oleum Tartari [d] Benedictum commemorat. Locus quidam apud illum ſatis notabilis extat, in quo diſtinctam enumerationem tradit Symptomatum, coitioni cum muliere ſupervenientium, quæ cum viro Elephantiaſi infecto commercium habuerit. Illud certe Bruno minime debet; neque reperio unde hanc deſcriptionem (niſi fortaſſe e Rogerina) ſumſerit; apud Arabas ſtrictim duntaxat ſignificatur, morbum hoc modo contrahi poſſe; ſed ii de Symptomatis ſuborientibus nihil amplius tradunt. Quare hujus rei narratio forſitan ei aſcribi debet. Opportunius aliquid infra dicetur de obſervatione quadam ſatis ſingulari ab eodem facta circa Salivationem [e]. Nam in boni hujus Epiſcopi ſcriptis adeo pauca alicujus pretii occurrunt, quæ pro ſuis vendicare poſſit, ut conſcientia quodammodo me obligari exiſtimem, ne in ulla re merito eum honore defraudem.

Gulielmus De Saliceto. Coætaneus Theodorico erat Gulielmus de Saliceto, Placentinus etiam dictus. Profeſſor is Veronæ fuit, &, juxta Lindanum, A. D. MCCLXX, obiit, eodem Anno quo mortuus eſt Thaddæus Florentinus; in quo errorem ſubeſſe credo, quia Thaddæi mortem Anno MCCLXXX ponit Champerius. Gulielmus, licet eadem fere loquendi barbarie, ac Theodoricus, orationem inquinaverit, tamen in Arte ſua cæteris omnibus ſeſe verſatiorem exhibet: ac licet pleraque ſit ex Albucaſi aliiſque mutuatus, tamen e proprio penu plura, quam cæteri, videtur hauſiſſe. Neque injuria hunc "Valentem Hominem," tam in Medicina quam in Chirurgia, vocat Guido de Cauliaco. Diuturna

[b] 2, 23. [c] 3, 19. [d] 4, 7. [e] 3, 49.

certe

certe fuit Experientia inſtructus: idque pro Axiomate ponit, Artem hanc ex aliorum ſcriptis nullo modo perdiſci poſſe, ſed omnino opus eſſe, ut qui eam probe cognoſcere velit Operationes videat ipſe præſtetque. Atque idem ſpeciatim repetit de Calculo [q] agens: cujus extractionem ita particulariter deſcribit, modoque ab aliorum modis ita diverſo, ut fieri plane nequeat, quin Operator ipſe extiterit. Neque de hac re dubitandi locus relinquetur, ſi ea perpendamus quæ de difficultate inciſionis in Fæminis faciendæ notavit, propter Uteri poſitum inter Veſicam Rectumque Inteſtinum. Quæ fuerit hominis ſimplicitas, & quis Medicinæ ſtatus in ea ætate, conjicere licet ex illa cautione quam Artifici impertit: "Ne delectetur familiaritate "Laicorum. Nimia autem familiaritas contemptum parit, & etiam "per nimiam familiaritatem non ſic audacter & ſecure petitur remu- "neratio operationis condecenter. Et ſcias hoc unum, quod bona "muneratio de labore, & Salarium optimum reddit medicum au- "ctoriſabilem, & confortatur fides infirmi ſuper ipſum." Poſt Albucaſim, Hydrocephalum neque ſe vidiſſe unquam inciſione [a] curatum ait, neque curari poſſe exiſtimat. Quem tamen ſemel Cremonæ in Noſocomio ſponte ſanatum aſpexit, Puero, qui eo affectus eſſet, diu poſtea ſuperſtite. Et Experientia profecto conſtat, ſeroſos aliquando ſub hoc caſu in vaſa reſorberi poſſe humores, nulla interim Evacuatione Artis auxilio oborta. Puellam reſtituit Cauterio Fronti ſemel, & Occipiti bis admoto, ita ut hac ratione Aqua effluxerit. Unde hic Tumorem fuiſſe Externum apparet. Primus eſt, inter Recentes ſaltem, qui diſtincte Puerorum affectum iſtum deſcripſerit, qui ab eo Cruſta & Lacticium dicitur, a Græcis vero Achor, & ab inferioribus Latinis Lactumen vocatur; iſque curationem ejus quæ fieri poſſit abſque periculo exponit. Primus etiam videtur fuiſſe, qui Lotiones Mercuriales [b] pro Facie tradiderit. De Tumoribus cautionem perappoſitam habet, utrum iis Pus ſubſit necne rem dicens eſſe cognitu difficilem, ſi id in profundo jaceat, & in parte admodum craſſa. De quo haud alia ratione melius, quam ex tactu, judicari poſſe; & cautionem hanc ideo magis neceſſariam eſſe, quod ex ejus rei ignoratione Aneuryſma [c] quidam Abſceſſus loco inciderint.

GULIELMUS DE SALICETO.

Prioribus accuratius Herniæ Carnoſæ medelam tradit Gulielmus; quem affectum & curatu difficilem & aliquando periculoſum ait, quoniam abſque inciſione ſanari nequeat. Sedulo monet, ut excreſcentia carnoſa a Teſticulo ſeparetur penituſque evellatur; ac ſi Teſticulus noxam quoque ceperit, ut ipſe pariter eodem tempore excidatur. Neque aliam rationem ſua ætate bene unquam eveniſſe tradit. Excreſcentia hæc, quæ carnem omnino refert, plerumque ortum ducit ab extremitate Vaſorum Spermaticorum, ac circa Teſticulum obvolvitur, ea interdum magnitudine ut Caput Hominis exſuperet. Cujus cauſa nunquam alia eſt, quam vel humorum congeſtio, aut Vaſorum ſive ruptio, ſive contuſio: quas omnes cauſas

q 47. a 1, 1. b 1, 18. c 1, 23.

neceſ-

Guliel-mus De Saliceto.

neceſſario ſequitur obſtructio, ſi non in amplioribus, at in Capillaribus ſaltem ductibus. Et in quacunque parte fit obſtructio, ex ea oritur non ſolum major Vaſorum diſtentio, ſed copioſior etiam in hæc Fluidorum derivatio, uti evidenter perſpici poteſt in Tumoribus quibuſlibet Inflammatoriis. Ita cum Vaginalium Tunicarum Vaſa obſtruuntur, Solidæ partes dilatentur neceſſe eſt, ex qua diſtentione præternaturali alia partis forma apparet. Una quidem via formari poteſt (quanquam hæc, uti alias ſignificatum eſt, haud ſola ſit) in qua naturæ haud niti neceſſe eſt ut, quemadmodum in aliis modis fit, nova vaſa procreet ad materiam eam ſuſcipiendam, quæ jugiter Tumorem alit. Tubuli cavæque fibrillæ corpori animali omnique ejus parti inſunt numero prope infinitæ; neque id profecto aliter quam ex innumeris ejuſmodi fibris conſtat. Quarum plurimæ, ex minutioribus ſaltem, in ſtatu naturali vel penitus vacuæ ſunt, vel parum diſtentæ: tamen a fortuita quavis noxa capacitatem ſuam facile augent, & inſolitam humorum quantitatem intra cavitates ſuas recipiunt; atque ita, accretione paulatim facta, oriuntur Sarcomata Fungique: uti cum arboris cortici vulnus aut contuſio illata eſt, nodi ac tubera inſurgunt. Atque hanc communiſſimam eſſe viam qua natura tales excreſcentias producere conſuevit, evidentius patebit, ſi paria quædam exempla conſideremus, ubi quem ea ſequitur operandi modus clarius eluceſcit. Annon Ovum, quando in Uterum decidit, a geniali illic calore nutritum ſeſe expandit, ac tenuia propellit vaſa, eadem plane ratione qua Vegetabilium ſemina in humo germinant? annon hæc ipſa vaſa Embryi rudimenta ſunt, quod ſua ſe forma explicat, ubi hæc ad juſtam magnitudinem pervenerint. Ipſæ Vaſorum Umbilicalium extremitates in Placentæ genus quoddam contexuntur, quæ ideo nomen illud obtinuit: atque eædem in Uterum quoque eo modo inſinuantur, ut cum hujus Vaſis, unde in illam Sanguis derivatur, oſcula ſua conjungant. Neque Ovum tantummodo in Utero, ſed Ovarium quoque ipſum injuria aliqua ſæpiſſime in immenſam molem intumeſcit. Verum huic argumento nihil majorem lucem affundit, quam ipſius Uteri contemplatio. In Fæminis non prægnantibus Uterum eſſe admodum tenuem omnes novimus; ac vaſa, quæ ingenti numero per ejus tunicas diſcurrunt, ita contorta & contracta ſunt, ut perquam exigua appareant: at graviditatis tempore, præcipue in extremis menſibus, Tunicæ ejus multo craſſiores reperiuntur, Uteri ipſius fundus pollicis craſſitudinem ad minimum æquat, & vaſa incredibili modo diſtenduntur. Et quo melius conſtet hæc non alia eſſe vaſa ab iis quæ ante prægnationem fuerant, ſed dilatata tantum modo ſupra expoſito: quando mulier fætum jam enixa eſt, & Lac ad Mammas fluens Revulſionem efficit, Uterus ad priſtinam ſuam anguſtiam, Tunicæque ad uſitatam tenuitatem redeunt. Ita cum ad Vaginales Tunicas ſit humorum fluxus, vaſcula omnia ſeſe referant diſtenduntque, quoad excreſcentiam demum carnoſam producant: uti vulneribus ulceribuſque caro nonnunquam ſupercreſcit. Interdum moles hæc carnoſa

noſa non modo Tunicæ iſti, ſed Scroto etiam adhæret: eodem modo ac Utero Placenta adnectitur. Eſt ubi (quanquam id haud frequenter incidat) adeo laxa jaceat & ab ambienti membrana diffluens, ut ab hac facile divelli queat, quod ab hoc itidem Scriptore animadverſum eſt; neque id ullo modo explicationi ei repugnat quam de ejus productione attulimus. Caro enim ex diverſis fibrarum laminis conſtat; cumque una ex his tumefacta ſit, facile concipi poteſt quemadmodum a cæteris divelli ac ſeparari queat. Clavi ac Verrucæ fiunt e diverſis Cuticulæ lamellis a ſe invicem disjunctis; magnumque ſæpe Hydatidum diſtinctarum numerum videmus, quæ nonnunquam ex Vaſorum Lymphaticorum Tunicis efformantur. In hoc caſu, ubi excreſcentia a Vaginali Tunica ſeparari poteſt, eam excidere licet, relicto, ſicuti hic propoſitum eſt, ipſo Teſticulo, modo Pedunculus, ſive Radix ejus, haud nimis longa ſit. Sed plerumque ita arcte ei adhæret, ut vix auferri poſſit, niſi eximatur una Teſticulus: quæ quidem Operatio & facile & tuto adminiſtratur, ſi Sarcoma vel Scirrhus haud ultra per Vaſa Spermatica in Ventrem excurrat: ſub quo caſu prudens Chirurgus haud temere famam ſuam in diſcrimen adduxerit curationem moliens quæ ad exitum perduci non poteſt. Frequentia ſunt exempla Sarcoceles cum Hydrocele junctæ: immo interdum Hydrocele, vel etiam Epididymidis Tumor habitus eſt pro Sarcocele: quorum ab utroque hæc curioſe diſtingui debet. Sæpiſſime tota Teſticuli ſubſtantia fiſtuloſa eſt, & in Pus omnino converſa. Id ubi ita eſt, quanquam aliquando nullum appareat Symptoma per quod ſine dubitatione judicari poſſit, utrum integer necne ſit Teſticulus, tamen Auctoris noſtri conſilium, qui hunc eodem tempore excidi jubet, haud ineptum videtur. Interdum Hernia Carnoſa indureſcens in Scirrhum abit; unde ei Tophaccæ nomen indidit Scacchus. Eam Severinus in albam quandam concretionem abiiſſe notavit, quæ ovi vel oſtrei teſtam referret. Sæpiſſime etiam ea in Cancrum deſinit. Multæ ad Herniam hanc abſque exciſione depellendam tentætæ ſunt rationes; hominem unum commemorat Matthiolus, pluresque Scultetus, qui curati ſint Ononidis pulvere intus ſumto, Topicis quibuſdam adjectis: verum neque hoc Specificum, uti ab his & aliis nonnullis vocatur, nec alia quævis Medicina, huc uſque ita proſperos eventus habuit, ut non plerumque unicum ejus remedium deprehenſum ſit Inciſione niti, quod etiam a Gulielmo ita eſſe proponitur. Hildanus inquit, haud pluſquam ſemel ſe vidiſſe Sarcocelen quæ lævum occupaſſet Teſticulum: atque inde animadvertit dextrum eſſe Sarcocelæ magis, ſiniſtrum autem Hydrocelæ obnoxium; verum hæc diſtinctio, uti nullo naturæ fundamento inniti videtur, ita nec aliorum (niſi raro fortaſſe) Experientiæ reſpondet: quas autem ille rationes ejus rei affert ita parum firmæ ſunt, ut quanquam res ipſa ſic ſe haberet, tamen adhuc in dubio hæreremus quam ob cauſam ita eveniret.

Gulielmus De Saliceto.

Gulielmus De Saliceto.

Multa Gulielmus Methodi a ſe ſervatæ in Vulneribus [d] exempla profert; & curationes quædam ab eo minime vulgares videntur fuiſſe præſtitæ. De Vulneribus Thoracis loquens, nonnulla habet obſervatione perquam digna de Nervis ejus loci [e]; nam eos qui a Sexto & Septimo Pari proficiſcentes e Cerebro Nuchaque oriuntur, Thoracis Voluntario motui inſervire ait, cæteros autem Naturali ſive Vitali. Quod per Apoplexiæ Symptomata illuſtrat. Hanc rem ideo notavi, quoniam hæc opinio eadem plane eſt ac ea quam tenuit celebris noſter Williſius, primus Nervoſi Syſtematis inventor, qui differentiam uſuum Cerebri ac Cerebelli in eo conſiſtere voluit, ut hoc Vitalem ſive Involuntarium motum, illud Animalem ſive Voluntarium præſtaret. Verum hæc ſententia funditus everti poteſt ex ipſorum Nervorum contemplatione: ſiquidem partes haud paucæ, quæ Voluntarios duntaxat motus recipiunt, uti lingua, os, oculi, ac tota facies, Nervos habent a quinto, ſexto, ſeptimo, & octavo Pari, qui oriuntur omnes ex Medulla Oblongata, quam ad Cerebellum pertinere inquit Williſius. Motus quidem Cordis, Diaphragmatis, &c. qui ſunt ex Involuntariis, continuari poſſunt, ſi Cerebellum relinquatur, quanquam Cerebrum ſit exemtum: ut in ſimili caſu Circulatio quoque in Cane peragitur ad duos vel tres dies; in Apoplexia item, poſtquam Voluntarii omnes motus ceſſaverint, manent reſpiratio ac pulſus. Verum hoc haud ideo contingit quia Cor & Diaphragma Nervos ſuos a Cerebello habeant, ſed quoniam hi Muſculi Antagoniſtis careant: minor autem Spirituum copia ad exercendas Vitales functiones ſufficit, quanquam ad Voluntarios motus præſtandos eadem ſit parum efficax. Atque idcirco Vulnera in Cerebro ſæpiſſime curantur, quæ in Cerebello ſemper fere lethalia ſunt, idque a Symptomatis ea comitantibus ſatis aperte denunciatur, vomitu nempe, animæ defectione, ſingultu, pulſuque intermittente. Neque in hac re diſtinctio facta a Sennerto inidonea eſt: is enim Vulnera in Cerebro pernicioſa eſſe ait haud tantum quia id læſum ſit, quantum ex eo quod vitales functiones perturbantur, quod quidem vulnerato Cerebello fieri neceſſe eſt.

Lanfrancus.

Ex Gulielmo de Saliceto omnia fere hauſit Lanfrancus, Methodo tantum ejus immutata; ac licet Theodoricum nominet, Gulielmi tamen, cui multo plura debet, quantum video, haud commeminit. Mediolani natus eſt, & in Galliam profectus Lugduni litteris operam dedit; Annoque MCCXCV Lutetiam ſe contulit, in qua Urbe [f] Anno proximo Opus id quod in manibus habemus abſolvit. Is in quibuſdam rebus ſatis ſingularis videtur; nam Extractioni Calculi vehementer adverſatur, quia ſe quoſdam noſſe inquit, in quibus id [g] Generandi facultatem ſuſtulerit; Sectionem & Cauſtica in [h] Hernia damnat; Terebræ [i] quoque uſum omnino improbat, plures ſine ea curari affirmans, & ut ſiniſtrum hujus operationis eventum doceat, ad Praxin Anſelmi de Januis provocat. Hiſtoriam narrat hominis,

[d] 2, 5, 7, 15, &c. [e] 4, 3. [f] 3, 11. [g] 3, 3, 8. [h] 3, 3, 7. [i] 2.

qui,

qui, cum Vulneri Capitis Convulſiones [k] ſuperveniſſent, tamen ad ſanitatem pervenerit; at ſi Febris Convulſiones comitetur in Capitis aut Nervorum Vulneribus, nunquam aliquem ſervatum ſe vidiſſe tradit. LANFRANCUS.

Horum omnium Scriptorum, ac diuturnæ ſuæ Experientiæ ope, Artem Chirurgiæ redegit in Syſtema, A. D. MCCCLXIII, cum jam valde provectus eſſet ætate, Diſcipulus N. Bertrutii, Guido de Cauliaco. Ac licet, ipſo fatente, haud multa adjecerit (nam adjecit quædam) nova antiquis inventa, tamen Hippocrati comparatur a Fallopio Scientiæ Chirurgicæ judice non inidoneo. Monſpelii Profeſſor fuerat Guido, per multos annos Medicinam exercuerat Lugduni, & Avenione demum conſedit, ubi Papæ Clementis & Succeſſorum ejus fuit Medicus. Sextum duntaxat Pauli Librum a ſe viſum teſtatur: ex quo fructum certe cepit non mediocrem, quippe cum hunc ſæpiſſime exſcribat. E cæteris Scriptoribus primariis Albucaſim præcipue, idque optimo cum judicio, ſequitur. Illud non animadvertere nequeo, quod inter plurimos Auctores ab eo memoratos, Celſum ne nominet quidem: quem hujus ætatis Scriptoribus, æque ac Arabibus, ignotum comperio. Libros a ſe in Opere ſuo contexendo lectos conſultoſque enarrat Guido; Traductionemque Librorum aliquot Galeni e Græco paulo ante factam Roberti Siciliæ Regis juſſu, a Nicolao de Regio, patria Calabro, & Græcæ Latinæque linguæ peritiſſimo, collaudat: quam Latinæ Verſioni ex Arabico factæ, tunc temporis in uſu apud omnes, longe præcellere exiſtimat. Neque varios hos Scriptores ſolum enumerat, ſed de iis judicium quoque ſuum profert: ac licet ipſe ſtylo ſcribat plane barbaro, libere tamen de illis ac non inique loquitur. Ad hæc, brevem nobis de Chirurgiæ ſuis temporibus conditione Hiſtoriolam tradit: ex qua diſcimus inter Profeſſores hujus Artis quinque tum fuiſſe Sectas. Quarum Prima Rogerium & Rolandum & Quatuor Magiſtros ſecuta eſt, hique indiſcriminatim omnibus Vulneribus Aſceſſibuſque Cataplaſmata admovebant: Secunda Brunum & Theodoricum, qui in iiſdem occaſionibus Vino tantum utebantur: Tertia Gulielmum de Saliceto & Lanfrancum, qui media quadam via inſiſtentes Vulnera Unguentis mollibuſque Emplaſtris tractabant: Quarta, Germanorum erat Secta, qui caſtra ſectantes Oleum, Lanamque, Potiones, & Incantamenta promiſcue adhibebant: Quinta, Muliercularum Vulgique imperiti, qui in omnibus Morbis ad Sanctos duntaxat confugiebant. Atque in omnes pariter idoneam hanc animadverſionem ſubjicit, mirari ſe quod alius ex alio indeſinenter exſcribat, & in eodem univerſi tramite gradiantur, ſeſe invicem ritu Gruum ſequentes. GUIDO DE CAULIACO.

Hiſtoriam narrat hominis qui, poſtquam ei Cerebri partem exemerat, ad ſanitatem redierit: quod fortaſſe inter prima hujus generis exempla in Arte Chirurgica [l] extat; nam Galenus aliique Scriptores Cerebri tantum Vulnera commemorant, de parte ejus quæ ablata

[k] 3, 1, 15. [l] 3, 11.

ſit

Guido De Cauliaco. ſit tacentes. Caſum tamen incurabilem cenſet Guido, ſi tota, uti id exprimit, Cella [d] exeat; quanquam hujuſmodi noxam a Magiſtro ſuo, Hugone de Luca, ſanatam narret Theodoricus [f]. Verum hæc fortaſſe inter Fabulas ejus ponenda eſt a Guidone perſtrictas [g]. Herniæ Inguinalis & Inteſtinalis curationem hic particulariter exponit, ac diverſas ejus medendi rationes docet, tam per Sectionem, quam Cauterii, atque Cauſticorum ope: Cauſtica vero cæteris modis præfert, Operationem ipſam fuſe deſcribens, quam a Magiſtro ſuo Petro de Bonanto tricies feliciter præſtitam ipſe viderat. In hoc & aliis compluribus locis multa inveniri poſſunt, quæ Recentiores, ut a ſe reperta, venditarunt. Tagaultius quidem Auctoris hujus ſenſu expreſſo ſtylum perfecta Latini ſermonis elegantia expolivit: ſed præterquam quod multa a Guidone tradita omiſerit, interdum quoque, Jouberto judice, mentem ejus haud aſſequitur, & interdum, cum ab eo diſſentit, in errore verſatur.

Guidoni valedicere nequeo, priuſquam mentionem habuero memorabilis deſcriptionis ab eo traditæ de [h] Peſte, quæ A. D. MCCCXLVIII, inauditam mortalibus ſtragem intulit. Hæc, in India orta, totum peragravit Terrarum Orbem, & quartam Humani generis partem abſumſit. Per tres Annos in Oriente duravit, atque illic maxime pernicioſa extitit; Avenione per ſeptem Menſes deſæviit. Fuerunt ejus ſpecies duæ. Altera, quæ per duos primos Menſes graſſata eſt, cum Febre vehementi apparuit, & Sputo Sanguinis, haud abſimili modo ei quam ſuo tempore notavit Fracaſtorius; ne unus quidem ita correptorum ſuperſtes evaſit, ſed omnes intra triduum fato ceſſerunt. Altera ſpecies, quæ priorem excepit, cum Febre continua invaſit, Carbunculis, & Abſceſſibus, præcipue in Inguine & ſub Alis; hæc priorem lethalitate æquavit, præterquam in ejus declinatione: atque in eo diſcrepabat, quod hi intra dies quinque moriebantur. Guido, Peſte hac durante, commoratus eſt Avenione: circa finem cujus ipſe contagio tentatus per ſex ſeptimanas ita graviter laboravit, ut de eo actum videretur, ſed Bubonis ope tandem feliciter evaſit.

Notavi antea pleroſque memoratos Scriptores, una cum Guidone ipſo, ex Albucaſi præcipue plurima hauſiſſe; verum in hac re ab ejuſdem propoſito in Chirurgicis ejus operibus deflectunt, quod intra Chirurgiam, atque Operationes quæ manum exigunt, minime ſe contineant, ſed alios quoque affectus externam quamvis applicationem poſtulantes tractent, in quo Avicennam cæteroſque Arabas imitantur. Id conſilii in animo habuiſſe videntur, ut abſolutum nobis Medicinæ Corpus relinquerent; ſed eorum ſcripta pretii majoris fuiſſent, ſi religioſe intra Profeſſionis ſuæ limites ſubſtitiſſent, cum in Chirurgia ſæpe obſervationes novas nec inutiles tradant, at extra hanc nihil quicquam de ſuo adjiciant.

d 7, 2, 7. f 2, 2. g Cap. Singul. h 2, 2, 5.

Inter

Inter Scriptores hujus ætatis atque claſſis, Anglus quidam extitit, mentione ſaltem dignus. Nomen ei Johannes Ardernus, Chirurgus ſuo tempore haud ignobilis. Habitaſſe ſe Newarkiæ ait ab A. D. MCCCXLIX quo erupit Peſtis, uſque ad Annum MCCCLXX: ac tum Londinum migravit, quo fama ejus diu ante pervenerat. Artem quoque hanc exercuiſſe ſe teſtatur, priuſquam Henricus Comes Derbiæ adeptus eſſet Ducatum Lancaſtriæ A. D. MCCCL: unde haud veriſimile eſt eum ita diu vixiſſe ut Regis Henrici Quarti Chirurgus eſſe potuerit. Is Volumen nobis de Medicina & Chirurgia ingens reliquit, ſed in quo hæc præcipue tractatur. Multi ejus Manuſcripti Codices apud nos extant; ac miretur aliquis id nunquam adhuc fuiſſe impreſſum, cum fortaſſe haud minus utile opus eſſe poſſit alio quovis his temporibus ſcripto, ſi excipiatur Guidonis Liber. Primus videtur in hac gente Chirurgiæ ſtudia excitaſſe; nam Populares noſtros ſupra memoratis in Operationibus parum verſatos fuiſſe credibile eſt, hique ex Recentioribus omnia ſumſerunt. Vir proculdubio Ardernus fuit Experientia inſtructus: quod ex Hiſtoriarum numero in hoc Opere deſcriptarum abunde conſtat. Simplicitatis quidam color ubique in eo eluceſcit: & quanquam Empirices ac Superſtitionis etiam aliquando magna illic miſtura eſt, tamen, pro conditione Medicinæ ac Chirurgiæ iſtis temporibus, merito haberi poteſt Chirurgus & ſatis peritus, & quod proxime optandum eſt, probus atque integer. Sunt quædam in ejus Scriptis præcepta haud futilia, eo inſuper modo tradita, ut Lector ex iis proficere valeat; magnum quoque habet Medicamentorum delectum, quorum haud pauca ipſe invenit: & eorum aliqua etiamnum in Pharmacopœa noſtra locum obtinent[a]. Novum pro Clyſteribus Inſtrumentum repperit; de quibus fuſe agens Salem pro optimo in hunc uſum Medicamento commendat. Multus autem eſt in enarranda Clyſterum utilitate, ſive ad curandos ſive ad præcavendos morbos adhibeatur; atque ex ejus verbis conjicere licet hanc rem iſtis temporibus neque multum uſitatam fuiſſe neque intellectam: nam is ita ait, "In hoc "invigilet Medicus, & in operatione non ſit negligens neque teme- "rarius, quoniam opus eſt perfecti Magiſtri, pro quo centies pecu- "niam & famam in locis maxime diſtantibus acquiſivi." Et, juxta hunc, ea in operatione iſta præſtanda eſt dexteritas, cum aliquis Colico affectu & Inteſtinorum occluſione laboret, ut Londini, cum pluribus vicibus Lumbardi (qui fortaſſe hanc rem æque ac Fænus exercebant) Clyſteres ſuo more incaſſum adhibere tentaſſent, ſuo modo ipſe feliciter opem attulerit. Porro Clyſteris uſum bis vel ter in ſingulos annos ſuadet; cujus auxilii, ut is inquit, "beneficium ne- "mo poteſt dinumerare, habeatur ergo in reverentia." JOHANNES ARDERNUS

In eodem Opere comprehenditur Tractatus ſatis longus de Fiſtula in Ano, a Johanne Reado traductus A. D. MDLXXXVIII: quodque magnopere mirandum eſt, ait Ardernus nunquam ſe noſſe quenquam vel de ullo audiviſſe ſuis temporibus, qui eam curare præ ſe

[a] Valentia Scabioſæ, Tapſivalentia, Tapſimel.

JOHANNES ARDERNUS

ferret, præter Fratrem quendam qui cum Walliæ Principe in Aquitania fuiſſet; ſed & ipſe erat hominum deceptor, cum Ardernus plurimos ſanaverit a Fratre, ut incurabiles, relictos. "Antiqui, ut "inquit ille, nihil de ea cognoſcebant, & ſe non inveniſſe confeſſi "ſunt: quia Deus, qui Sapientiæ diſtributor exiſtit, a prudentibus "& ſapientibus multa abſcondit, quæ poſtea dignatur Simplicibus "revelare." Illud equidem pro certo habeo, Operationem iſtam fuiſſe iſtis temporibus rariſſime tentatam; nam ex omnibus Recentioribus Chirurgis, paulo ante a me memoratis, nullus eſt qui de ea ex profeſſo agat, præter Gulielmum de Saliceto: qui quidem ejus adminiſtrandi modum deſcribit, quæ per Ligaturam fiat & ultro citroque filum trahendo Serræ more, quod utique vehementem dolorem moveat neceſſe eſt. Cauſa vero, cur ita pauca in Latinis hiſce Auctoribus de Operatione iſta Chirurgica reperiamus, haud alia fortaſſe eſt, quam quod ipſe, ex quo omnes reliqui ſua hauſerunt, eam multis in caſibus fieri vetet Albucaſis: cumque eandem admittit, Actuale Cauterium in ea cuivis alii rationi ab Antiquis adhibitæ præponit. Ii vero, quod Cauterium illud horribile & anceps remedii genus videretur, nunquam id admotum conſpexerant: ac licet poſtea ſit a Fabricio ab Aquapendente commendatum, tamen popularis noſter Alexander Readus[b] eum qui "illo uti ag-"greditur haud ſecus facere exiſtimat, ac ſi Gallum Gallinaceum "clauſis oculis fuſte proſternere tentaret."

Ambas Operationis præſtandæ rationes narrat Ardernus, & hanc quæ per Ligaturam, & illam quæ per Inciſionem fit, eodem modo quo fuſe a Celſo Pauloque proponuntur: atque ex Paulo quidem iſta præcipue videtur ſumſiſſe. Tamen & nova quædam Inſtrumenta deſcripſit, uti Tendiculum: & Veteribus Recentia nomina impoſuit, ſicut Specillum, "Sequere me" vocavit, Paulique Falcem "Acus "Roſtratæ" appellatione donavit, & Filum quod ad faciendam Ligaturam trajici debet "Frænum Cæſaris" dici vult. Nam hæc Artis vocabula in Auctoribus præcedentibus nuſquam invenio.

Ex ipſius verbis conſtat multos eoſque optimæ notæ Viros hoc malo laborantes ſeſe Arderno commiſiſſe, qui miro eos cum ſucceſſu tractavit. In pretio paciſcendo[c] perquam diligens eſt: ac Medicos monet ut pro ea quantum obtineri poteſt accipiant, & obligationes firmas conſtituant uti pecunia ſtatim poſt curationem numeretur. Neque ejuſdem cautionis in aliis caſibus oblivi ſcitur[f]: atque hanc ideo conſuetudinem iis temporibus invaluiſſe credo. Plurimas nobis Formulas contra Urinæ Ardorem tradit, qui vocabatur "Chaude Piſſe:" quem aliquando ex Calculo oriri docet. Paſſim vero de Abſceſſibus ac Tumoribus Scirrhoſis in Pene natis loquitur: nihil interim omnino ſignificans, quo eum hæc e Venere orta putaſſe credamus. Idque luculenter probat celebris ea de Rectore quodam Hiſtoria: cujus malum a longe diverſa cauſa originem duxit[a].

b Lect. 11. c Centum Marcas (a Nobili) vel XL libras cum Robis & Feodis —— & Centum ſolidos per annum ad terminum vitæ —— f Inflatio in Virga —— LX ſolidos. a In Virga virili cujuſdam Rectoris pruritus repente acceſſit, ita quod a fricatione abſtinere non potuit: fricato vero per aliquod tempus, &c.

Illud

Illud amplius de hoc Auctore animadvertam, quod utcunque Cauſtica ex Auripigmento & Arſenico ſublimato facta memoret, tamen ea probitate ſit, ut longam nobis Hiſtoriam narret pernicioſorum effectuum, quos illa in duobus ægris a ſe, cum Júvenis eſſet, tractatis produxiſſent. Et hi quidem caſus ſine præjudicio videntur relati, atque ejus momenti ſunt ut alios ab eadem temeritate abſterrere debeant. JOHANNES ARDERNUS

1488. Hoc ſpatium temporis, quantumvis ſterile, mirabilem quendam Morbum protulit, nulla in gente aut ætate prius cognitum; qui que, poſtquam per aliquot ſubinde annos revertiſſet, prorſus tandem evanuit. De Sudore Anglico loquor, ita dicto quod in Inſula noſtra primum apparuerit; atque ideo minus mirum eſt quod a populari noſtro, celebri illo & erudito Caio, fuerit accuratiſſime deſcriptus. Prima hujus morbi initia fuerunt in Exercitu Regis Henrici Septimi A. D. MCDLXXXIII, ſtatim atque e navibus in terram in Portu Milfordiæ copias expoſuiſſet; iſque Londini ſæviit a vigeſimo primo die Menſis Septembris uſque ad finem Octobris. Quinquies rurſus in Angliam revertit, Æſtate ſemper; prima vice, A. D. MCDLXXXV: ſecunda, A. D. MDVI: tertia, A. D. MDXVIII, idque tum ea violentia, ut trium horarum ſpatio mortem attulerit; multi nobilium ex eo perierunt, atque in plurimis urbibus dimidia pars vulgi abſumta eſt. Quarta vice, A. D. MDXXVIII, apparuit, ac tum intra ſex horas pernicioſus extitit; multi de Aulicis rapti ſunt, & Rex ipſe Henricus Octavus ex eo in diſcrimen venit. A. D. MDXXIX, neque poſt vel ante id tempus, Belgiam & Germaniam invaſit: atque in hac non modo magnam hominum vim peremit, ſed Colloquium Marpurgi inſtitutum abrupit inter Lutherum ac Zuinglium de Euchariſtia. Ultima vice apud nos rediit A. D. MDLI: & Weſtmonaſterii uno die centum ac viginti homines ſuſtulit: atque ex eo Filii duo Caroli Brandoni, Duces Suffolciæ ambo, diem ſuum obierunt. Salopiæ præſertim, ubi commorabatur Caius, vehementiſſime deſæviit. Nam deſcriptio ejus ab illo tradita ſimilem eum Peſti Athenieni facit. Neque inidonea eſt appellatio huic ab illo indita, qui Febrem Peſtilentem & Contagioſam Ephemeram vocat; nam Sudorem pro jus Febris Symptomate tantum aut Criſi habet. Hæc autem ſequenti modo homines adorta eſt; in initio pars aliqua tentabatur, accedebat calor & æſtuatio intus, ſitis nulla potione extinguenda, inquietudo, ventriculi & cordis ægritudo, (vomitus tamen ut plurimum aberat) capitis dolor, & delirium, poſtea languor, atque ingens in ſoporem propenſio; pulſus velox, & vehemens: reſpiratio frequens & laborioſa. Morbo Pueri, Pauperes, Seneſque minus obnoxii erant. De cæteris vix quiſquam ab eo tutus fuit, longeque plurimi interierunt: atque in iſta urbe, ubi per ſeptem menſes duravit, mille homines ſublati ſunt. Etiam ii, qui in Galliam Flandriamque peregre profecti erant, haud incolumes manſerunt: &, quod magis mirum eſt, in exteris nationibus Scoti illæſi, Anglique tantum tentati erant, neque Sudor Anglicus.

Sudor Anglicus.

neque in Anglia peregrini afficiebantur. Nemo, niſi poſt viginti & quatuor horas ab invaſione, convaleſcebat. In initio Medici hærebant quanam ratione morbus tractari deberet; & curatio omnis in eo vertebatur, ut Sudor eliceretur perpetim, quod diu continuari neceſſe erat, nam eo ſuppreſſo diſcrimen ingens aut mors ipſa imminebat. Igitur quieſcere æger, & in lecto continere ſe debebat, vitato frigore. Quod ſi Natura per ſe parum ſufficeret, Ars in ſubſidium vocata Sudorem cum fructu provocabat Medicamentis, Stragulis, Vino, &c. Furor ejus poſt quindecim horas levior: diſcrimen autem uſque ad horam vigeſimam quartam permanebat. In quibuſdam Sudorem denuo prolicere opus erat: idque in validis temperamentis ad duodecimam vicem. Periclitabatur autem valde, quiſquis e lecto conſurgebat; & quidam, eo quod minus inſudaſſent, in Febres periculoſas decidebant. Carnibus ex toto abſtinendum: potione item, per ſex horas priores; ſeptima enim morbus increſcebat, nona delirii acceſſio; ſomnus omni ratione prohibendus. Experientia conſtat, uti notavit Cancellarius Baco, morbum hunc fuiſſe quandam potius Naturæ commotiunculam, quam obſtinatum contra remedia, ſi mature atque congrue remedia iſta adhibita eſſent; nam cunctis rite adminiſtratis, æger plerumque ad ſanitatem redibat. A.D. 14

Lues Venerea.

At ſub exitum Decimi Quinti, & initium Decimi Sexti Sæculi, nova rerum facies ſurrexit: alia certe tum Medicinæ erat forma, atque ejus ætatis Hiſtoria quamplurimas res ſuppeditat multo magis notatu dignas longa ea narratione a Clerico facta de vano illo Paracelſi Syſtemate: quæque, ſi tempus ſpectemus, multo maturius eo contigerunt. Etenim hoc ſpatium haud minus celebre fuit illo inter Arabas ſupra memorato, ob recentis Morbi eruptionem, qui incredibili furore Europam omnem brevi peragravit, pluresque, quam Variolæ, mortales abſumſit. De Lue Venerea loquor, quæ a Columbi comitibus huc apportata eſt ex India Occidentali, ubi tum Epidemica & Scabiei inſtar contagioſa erat. Aliqua ejus veſtigia A. D. MCDXCII apparuerant: ſed cum haud ita multum ſe diffudiſſet, vix ab hominibus notata eſt; tamen duobus poſt annis in obſidione Neapolis Gallicum infecit exercitum, atque hoc modo intra breve tempus ſeſe per Italiam, Galliam, & Hiſpaniam propagavit contagium: nec ita multo poſt per Europam omnem, Aſiam, atque Africam. Haud a propoſito alienum erit hic notare eventum ſatis inſignem, Hiſpanos ſcilicet qui ex prima in Americam Expeditione Luem hanc contagioſam domum inde retulerunt, alterum paulo poſtea haud levioris contagii morbum, Variolas utique, illuc, conſentientibus optimis quibuſque Scriptoribus, invexiſſe: ex quo, juxta Hiſtoriam, multi Principes Indici, tam Peruviani quam Mexicani generis, perierint. Sunt etiam aliæ de origine iſtius Luis narrationes, quæ tamen in temporis ratione conveniunt; eam Sydenhamus A.D. 1

e Guinea

e Guinea advectam dicit: Manardus autem [m] refert, famosam quan- Lues Ve-
dam Meretricem Valentiæ in Hispania, quæ cum homine Elephan- nerea.
tiasi infecto rem habuisset, contagium Viris plusquam quadringentis communicasse, quorum nonnulli Carolum Octavum in Italiam secuti sint. Verum hæc Mulier haud improbabiliter ipsa ab iis, qui ex America venerant, infici potuit. Vix quicquam de hujus Morbi Symptomatis aut Curatione habet Clericus; atqui, ut hæc res fortasse omnium maxime mira est quæ in omni Medicinæ Historia occurrant, si vel causam productionis ejus, vel atrocitatem veneni, vel novitatem originis consideremus, haud abs re erit subnotare qua primum forma apparuerit, & quemadmodum hanc postea variaverit, quos progressus fecerit, & quænam recentes medendi rationes tentatæ sint ad sistendam novæ hujusce Pestis violentiam. Parvam itaque ejus delineationem expediam, prout sese per annos quinquaginta aut sexaginta ab ortu suo in his regionibus ostenderit: unde perspici potest & opinio & Praxis eorum qui hoc tempore vixerunt, & aliquid de ea litteris mandarunt.

Sed antequam id aggredior, haud inutile erit observatu, quod & sub primo Morbi hujus ingressu, & post illud tempus, multi extiterint, qui cum neque cogitare neque ratiocinari didicissent nisi quantum via illis esset ab Antiquis præmonstrata, multam in eo operam impenderunt ut probarent affectum hunc tam Græcis quam Arabibus fuisse cognitum, licet ab utrisque imperfecte descriptum, atque expressum sub variis nominibus diversarum Leprarum, Exulcerationum, & aliorum vitiorum quæ Cutim occupent. Et exempla hic abundant, quemadmodum Antiquorum verba ad præsentem usum torqueri & perverti possunt, ut ita præjudicatam aliquis defendat opinionem; nam in disputando ii disjecta ac divulsa Auctorum verba in medium proferebant, aliud ab alio Libro excerpebant Symptoma, quoad demum ejusmodi Morbum ipsi effinxissent, cujus simile nunquam visum esset a Veteribus. Et eundem differendi modum ii omnes tenuerunt, qui conati sunt ostendere, Variolarum descriptionem apud Hippocratem & Galenum extare. Huc referri debet inanis Huetii opinio de Eruptionibus, & Pustulis Vesicularibus, quarum narrationem affert e Vectio Valente, Aetio, & Gregorio Turonensi [a]. Scriptores & ratiocinatores hujus formæ lectionem quidem magnam præ se ferunt, simul autem absque judicio legisse se ostendunt. Nam ut hoc argumentum concludam, mediocri quivis intellectu præditus Historias evolvat a Gabriele Torella narratas, qui vixit & Medicinam exercuit quo tempore contagiosus hic erupit Morbus: ac tum judicet, utrum ullam ullius Morbi descriptionem ab Antiquis traditam huic Symptomatum formæ aptare valeat. Consideret attente quivis pulchram illam & accuratam Elephantiasis imaginem ab Aretæo delineatam, atque ex ea videat si germana aliqua inter hos affectus similitudo possit perspici. Pari certe ratione cum Johanne de Gaddesden crediderim, Chiragram atque Poda-

m Epistol. 7, 2.

a Comment. de rebus, &c.

Lues Venerea.

gram, quæ ſunt duo genera Morbi ab eo Guttæ dicti, ſpeciem eſſe Lepræ ejus, quæ Elephantiaſis [a] vocatur: ac Veterum Elephantiaſin eandem eſſe cum Lue Venerea Recentium. Hominibus ſpeculationi tantum deditis, neque uſum Medicinæ habentibus, ingenio ſuo in his rebus libere indulgere permitto: iique, ſi ita tempus terere lubet, ope voculæ alicujus a Vetere quolibet Auctore uſurpatæ, honorem Antiquitati tribuere laborent, tali honore nequaquam indigenti; cujus exemplum in Valeſio habemus, qui ex deſcriptione Tiberii Imperatoris faciei a [b] Tacito facta, caſum hunc, eo ſenſu quo a nobis nunc ita dicitur, Venereum fuiſſe pronuntiat. Sed cum in nullo quoquam Affectu ab Antiquis expreſſo eadem reperiatur Symptomatum conjunctio, Lues hæc de qua loquor ita peculiaris viſa eſt in plurimis rebus ad eam ſpectantibus, ut plerique ex doctiſſimis experientiſſimiſque Medicis cito convenerint, novam fuiſſe mali ſpeciem, novæque originis, neque vel Græcis vel Arabibus cognitam. Hic, inquam, ejus ætatis hominum fuit ſenſus; Fallopii pater obſidioni Neapolis interfuit, ac de origine morbi ea Filio impertire potuit, quæ in hujus ſcriptis hodie legimus. Torella, ex primis qui argumentum hoc tractaverit, Recentem fuiſſe autumat; aliter enim ad ejuſmodi cauſam minime confugeret, qualis eſt Planetarum conjunctio. Lepra tum vulgaris fuit, neque ad productionem ejus, ipſo fatente, mirum adeo in Cælis Phænomenon neceſſarium erat. Jacobus autem Cataneus, qui ſcripſit aliquanto poſt, licet aliqua ſubinde apparuiſſe Symptomata notet cum Lepra communia, uti nunc quoque frequentiſſime accidit, tamen audacter Recentem eſſe Morbum pronuntiat; quare Paturſa a multis vocabatur, quod idem ei inter Indos erat nomen.

Hæc tum temporis de hac re cenſebant Europæi; atque ex Johanne Leone diſcimus, qui brevi poſt Luis iſtius eruptionem Africæ Hiſtoriam conſcripſit, eandem quoque illic opinionem invaluiſſe. "Siquis apud Barbaros [c], inquit, eo morbo inficiatur, qui Gallicus "vulgo dici ſolet, raro aut nunquam priſtinæ redditur ſanitati, quin "mors tandem inde conſequatur. Paucis admodum toto Atlante, "tota Numidia, totaque Libya hoc notum eſt contagium. Quod "ſi quiſquam fuerit, qui ſe eo infectum ſentiat, mox in Numidiam "aut in Nigritarum regionem proficiſcitur, cujus tanta eſt aeris "temperies, ut optimæ ſanitati reſtitutus inde in patriam redeat: "quod quidem multis accidiſſe ipſe meis vidi oculis, qui nullo ad-"hibito neque pharmaco neque medico, præter ſaluberrimum jam "dictum aerem, revaluerant. Hujus mali ne nomen quidem ipſis "Africanis ante ea tempora notum fuit, quam Hiſpaniarum Rex "Ferdinandus Judæos omnes ex Hiſpania profligaſſet, qui ubi jam "in patriam rediiſſent, cæperunt miſeri quidam ac ſceleratiſſimi "Æthiopes cum illorum mulieribus habere commercium, ac ſic "tandem velut per manus peſtis hæc per totam ſe ſparſit regionem:

a Sunt ſpecies Lepræ meo judicio quæ vocatur Elephantiaſis. b Ulceroſa facies, ac plerumque meduminibus interſtincta. c Lib. 1.

"ita

"ita ut vix ſit familia, quæ ab hoc malo remanſit libera. Id au- Lues Ve-
"tem ſibi firmiſſime atque indubitate perſuaſerunt, ex Hiſpania ad nerea.
"illos tranſmigraſſe: quamobrem & illi Morbo ab Hiſpania" "Ma-
"lum Hiſpanicum" "(ne nomine deſtitueretur,) nomen indiderunt.
"Tuneti vero, quemadmodum & per totam Italiam," "Morbus
"Gallicus" "dicitur. Idem nomen illi in Ægypto atque Syria aſ-
"cribitur; unde male imprecantis Proverbium:" "Te Morbus male
"perdat Gallicus." Atque eodem nomine in Anglia quoque cito vocatum fuiſſe comperio ex Teſtamento Doctoris Colleti, Eccleſiæ Sancti Pauli Decani, A. D. MDXVIII.

Tamen fatendum eſt, paucos quoſdam inveniri locos apud Auctores, qui tempus illud præceſſerint quo Lues hæc initia ſumſiſſe dictum eſt, unde quis jure ſuſpicari poſſit aliquam illos, permediocrem licet, ejus notitiam habuiſſe. Quidam enim eorum, verbis clariſſimis, pro cauſa unius & alterius Symptomatis in Venereo morbo minime rari, afferunt, "Impuram Coitionem."

Gordonius, de Abſceſſibus Ulceribuſque & dolore Penis loquens, hanc eorum inter cæteras cauſam ponit, "Jacere cum muliere, cu-
"jus Matrix eſt immunda, plena ſanie, aut virulenta." Atque ante hunc explicatior eſt Lanfrancus, qui in deſcriptione ejuſdem mali, quam, uti omnia fere, haurit ex Gulielmo de Saliceto, his ipſis verbis utitur[a]: "Ulcera veniunt ex puſtulis calidis virgæ ſupervenientibus,
"quæ poſtea crepantur, vel ex acutis humoribus locum ulceranti-
"bus, vel ex commixtione cum fæda muliere, quæ cum ægro talem
"habente morbum de novo coiverat. Si quis vult membrum ab
"omni corruptione ſervare, cum recedit a muliere, quam habet
"ſuſpectam ab immunditia, lavet illud cum aqua cum Aceto miſta." Ex hoc loco Symptomatis hujus mentionem, atque hoc idem Medicamentum verbatim ſumit Johannes de Gaddeſden: & ea Capiti de Lepra inſerit: unde aliqui concludere volunt, veram hanc non fuiſſe Lepram, ſed Luem Veneream quæ eo nomine diceretur. Nam, ut illi affirmant, haud contagioſa Lepra eſt: neque coitu unquam communicatur. At quicunque Lepræ Hiſtoriam conſulit, Antiquos reperiet longe aliter de ea ſenſiſſe; Aetius[b] diſerte ait contagioſam eſſe, neque ideo tuto poſſe quenquam ad infectum accedere. Neque ob aliam veriſimiliter cauſam, rebus ſic ſtantibus, coitum pernicioſum eſſe affirmavit: vel Caſtrationis meminit, quam & ad curandum & ad præcavendum[c] hoc malum valuiſſe ipſe cognoſſet.

Avicenna[d] inquit, etiam aerem a Lepra infici, uti fit in Peſte, Variolis, & Morbillis; ac ſi contagium mediante Atmoſphæra propagari poteſt in Lepra, quanto actuoſius eſſe debet venenum in arctiſſimo contactu? Nuper quidem mos obtinuit, ut nullum morbo cuiquam contagium ſubeſſe diceretur, ne in Peſte quidem, quæ vel ob hanc maxime cauſam tantum terroris incutit; quod ad Lepram vero attinet, novos hos Medicinæ Præceptores hortor ut conſiderent,

a 3, 11. b 4, 1, 120. c 4, 1, 122. d 4, 3, 3.

Moſen,

Lues Venerea.

Moſen, Scriptorem omnium mortalium & antiquum maxime & nobilem, aliter prorſus ſenſiſſe; nam niſi ita eſſet, in Lege haud ita exacte ac particulariter ordinaſſet, quando & quo modo Puri ab Impuris ſeparari deberent: neque ita rigide illos vetaſſet aut in iiſdem Caſtris aut in eadem Civitate degere, ne ſpargeretur [d] contagium. Cumque id communicaretur accedendo ad ægrum, ac præcipue per tactum ejus, hoc fortaſſe optima ratio eſſe potuit, cur LXX Interpretes [e] in iis Capitibus ubi de Lepra agitur, vocem Hebræam, quæ ictum ſæpe ſignificat, Græce per verbum Ἁφὴν exprimant, atque ea in Anglica Tradactione Peſtis Lepræ vocetur. Sed ut ad Avicennam revertar, is ipſe hujus modi commeminit, quo Lepra communicetur: atque hoc ipſum Symptoma profert, Ulcus ſcilicet Penis cum Ardore Urinæ, a Venere productum; quanquam nihil ultra de Impuritate ejus dicat, quam quod homo Lepra eſſet infectus. Auctores a me memorati unum hoc Symptoma nominant, quod coitui aliquando ortum debeat; cujus deſcriptio exactiſſime reſpondet Gonorrhœæ Virulentæ; verum haud alio quoquam affectu hominem ita infectum laboraſſe ſignificant. Quod profecto Lui Venereæ haudquaquam convenit, quæ, ubi confirmata eſt, ſub centum aliis formis perque centum alios affectus ſe oſtendit. Neque majori cum ratione Fluxus ſe minus ita ſæpe in Decimo quinto Capite Levitici memoratus huic caſui aptari poteſt: nam ſi dierum numerum duntaxat conſideremus per quos ſeparatio imperatur, facile perſpiciemus nihil prorſus illic de hoc Morbo intelligi. Ad hæc, manifeſtum eſt, exiſtimaſte omnes Orientales populos, etiam Gonorrhœam Simplicem, & Purgationes Menſtruas, aliquid Impuritatis & Contagii admixtum habuiſſe: unde factum eſt ut ita laborantes iiſdem fere, ſub Lege Moſaica, ac Lepra infecti, cautionibus ſubjicerentur. Rhazes, qui, ut ſupra indicavimus, in Perſia Medicinam exercuit, Ulceris in Pene meminit [g], quod ortum eſſet a ſingulari quodam genere Coitus, "Aſcenſione Mulieris ſupra Virum:" id tamen credo nullus quiſquam ejuſmodi fuiſſe arguerit, quale nunc Venereum Ulcus vocamus, aut ex eo tantum ſitu virus contrahi potuiſſe. Is ratiocinandi modus abſurditatis manifeſte convincitur; quaſi vero Ulcus omne ſanioſum in hac parte Venereum ſit, aut nulla alia ex cauſa oriri queat; aut quaſi Coitus Impuri Gonorrhœa Virulenta effectus ſemper eſſet neceſſarius. Tales quidem opiniones ab Hiſtoria hujus Morbi optime refelluntur; ex qua luculenter conſtat hoc ipſum Gonorrhœæ Symptoma nonniſi quadraginta annis poſt Neapolitanam Infectionem emicuiſſe: neque vero id ſemper hodie Luem comitatur.

Sed, ut nihil taceamus, validius quoddam adhuc reſtat argumentum quod pro eorum opinione adduci poteſt, qui Morbum hunc antiquiorem exiſtimant; id ex Gulielmo de Saliceto petere licet, qui exſcriptore ſuo Lanfranco longius hanc rem perſequitur. Is de Bubone loquens, hunc nonnunquam evenire ait,

[d] Levitic. 13. [e] Levit. 13 & 14. Deut. 17, 8.

"Cum

" Cum accidit homini in virga corruptio, propter concubitum cum Lues Ve-
" fæda muliere, aut ob aliam cauſam: itaque corruptio multipli- nerea.
" catur & retinetur in virga: unde non poteſt natura mundificare
" virgam aut locum, primo propter multam plicaturam partium il-
" larum, & propter ſtrictam viam illius loci, unde redit, & regur-
" gitat materia ad locum inguinum, propter habilitatem loci illius
" ad recipiendam ſuperfluitatem quamlibet, & propter affinitatem,
" quam habent hæc loca ad Virgam." Verbis quidem hæc expreſſa ſunt clariſſimis: & uti prima hæc hujus rei ſignificatio eſt, ita nihil invenio quod ad præſens argumentum magis pertineat, neque id antea ab Auctore quoquam animadverſum deprehendi. Petrus quidem de Argileta, qui diu poſt illum ſcripſit, videtur omnia de hac re ex eo mutuari, idque ne prolato quidem ejus nomine: his duntaxat additis, " Unum recordor vobis, &c." nempe, ſi Purgatio non adhibeatur ante Aſtringentium uſum in Ulcere Virgæ, fore ut Bubo oriatur. Verum hoc, uti reor, minime probat Veneream Luem vel Gulielmo de Saliceto fuiſſe cognitam: nam ſi ejus cognitionem habuiſſet, alia quædam profecto memoraſſet Symptomata, æque in hoc caſu, ac Bubo eſt, inſignia. Atque hunc ipſum obiter tantum commemorat, ut aliquando a Coitu Impuro productum; quam cauſam cum aliis promiſcue affert Tumorem iſtum, uti arbitratur ille, procreantibus. Cum Bubonis ille ita orti mentionem primus fecerit, exemplum erat forſitan particulare ab eo viſum, ac res ipſa alii cauſæ tribui debebat perinde ac iſti; Bubones enim omnes nequaquam ſunt Venerei: ac de his dicendum eſt, quod Experientia quotidie conſtet, ſiquando humor Ulcuſve in quavis parte corporis perperam tractetur, fluxuſque nimis mature cohibeatur, verendum eſſe ne Tumor Abſceſſuſque in vicino loco ſuperveniat. Illud autem jure quis affirmet, corruptam materiam ex quacunque parte Penis fluere poſſe, qui tamen fluxus haud ſit Venereus, ſed ex acribus ac virulentis humoribus ortus iſthinc exeuntibus. Nonnunquam vero, Glandis ipſius glandulæ eæque quæ ad Urethræ extremitatem poſitæ ſunt ea copia humores profundunt ut decipiant incautos, qui iſtiuſmodi fluxum Venereum eſſe perperam exiſtimant; atque in illo caſu partes haud raro ita excoriantur, ut Phimoſis naſcatur. Similiter in fluxu quovis vulgari ab his partibus, niſi materia ſatis copioſe exeat, Bubo in Inguine naſci poteſt, cujus origo rei Venereæ minime tribui debet. Neque ab ejuſmodi corruptis humoribus Bubones tantum oriri poſſunt, ſed Abſceſſus etiam in quavis parte Membrorum Genitalium: ſimiliſque contagio contrahi poteſt per Coitum cum Muliere, quæ & Lepræ & Venerei morbi immunis, Ulceribus tamen in Pudendo Abſceſſibuſque infeſtetur. Hinc licet explicare Putrefactionem illam in Johanne Gandavenſi animadverſam, atque * Exuſtionem iſtam toties in Hiſtoria Anglica memoratam. Quicquid Veteres Medici noſtrates ac Johannes Ardernus de re modo dicta ſcripſerunt, id omne ex Arabibus ſumtum eſt: qui

* Brenning.

Lues Venerea.

in Excoriatione vel Ulcere quocunque Penis aut Vaginæ, Æſtum Urinæ commemorant, quem Traductores ſemper vel Ardorem, vel Arſuram, vel Incendium vocant: quare contra hoc magna Injectionum varietas ab illis præſcribitur. Verum argumenta his firmiora ex loco ſupra expoſito Gulielmi de Saliceto, & eo magis etiam ex Capite Theodorici antea indicato duci poſſunt: atqui Symptomata, ab utroque horum dicta Coitui ſuperveniſſe, nihil prorſus cum Venereis commune habent. Et quicunque Leproſorum Examen a Geſnero editum pervolverit, in tota Symptomatum Catalogo, ubi prope centum continentur, omnium ſpecie accurate perpenſa, ſex non inveniet, quæ cum Venereis in utrovis morbi tempore conveniant.

Verum hoc argumentum haud ultra perſequi lubet; nam, uti probe animadvertit Clericus, ſi vitium illud apud Antiquos innotuiſſet, ſine dubio Poetæ, quanquam a Medicis omiſſa ejus eſſet mentio, de eo non tacuiſſent. Quod etiam optime probat id æque incognitum fuiſſe primis poſteriorum horum Scriptorum temporibus; neque enim aliter fieri potuit, ut rem adeo ridiculi plenam faceta Dantis, Petrarchæ, & Boccacii ingenia ſilentio prætermitterent. Tibi autem, Vir Amiciſſime, de Antiquitate Morbi poteſtatem judicandi relinquens, ad enarrandam ejus Hiſtoriam, eo quo a Recentibus modo tradita eſt, progredior.

Nicolaus Leonicenus, magnus ille Græcæ Medicinæ Inſtaurator, qui Ferraræ Profeſſor extitit, primus de argumento hoc Librum conſcripſit. Sola ab eo memorata Symptomata ſunt, "Puſtulæ in ob- "ſcænis partibus orientes, quæ poſtea per totum corpus, ac præcipue "in facie, cum dolore ſe diſpergunt." Sed hoc quidem opus pro Diſputatione Scholaſtica potiſſimum haberi debet; & ut recens erat iſta quæſtio, in eo operam præcipue ponit, ut oſtendat, quantam hic Morbus cum Elephantiaſi, Igne Sacro ſive Perſico, aliiſque affectibus a Veteribus deſcriptis ſimilitudinem habeat, quantumque ab iiſdem diſcrepet; multa itaque de cauſis ejus, ac nihil de curatione diſſerit. Utque uno verbo loquar, nullam is unquam videtur in hoc caſu Medicationem vidiſſe adhibitam. Idemque de Sebaſtiano Aquilano dici poteſt, qui eodem fere tempore ſcripſit: idem de Natali Monteſauro, qui Leoniceno adverſatus eſt, uti etiam de Antonio Scanarolo, qui Leonicenum defendit A. D. MCDXCVIII. A.D.

Hoc ipſo tempore Medicinam exercuit Caſparus Torella, Cæſaris Borgiæ & Papæ Alexandri Sexti Medicus, qui ab hoc Pontifice poſtea Epiſcopus Sanctæ Juſtæ creatus eſt: verum hic chartas ſuas contexuit nonniſi poſt decem annos quam Artem hanc agitare deſiſſet. Hoc in ſermone is aliqua Leoniceno adjicit; nam Dolores Nocturnos, & varia Ulcerum Excoriantium genera deſcribit. Ratiocinatio omnis ab eo adhibita ex Avicenna depromta eſt, pro more iſtorum temporum, quibus temporibus univerſi doctrinam Arabicam ad Morbum referebant cui nullo modo competere poſſet. Hiſtorias tamen quinque ſubjicit, quibus ineſt inſigne aliquid ac novum. In Prima,

die

die ſecundo Ulcus Canceroſum apparuit, duriſſimum: ſexto, Dolores atrociſſimi ſupervenerunt: decimo, ingens Puſtularum multitudo. In Secunda, triceſimo die Puſtulæ: quinto & triceſimo, Dolores acuti cum Raucitate. In Tertia, poſt decem menſes, Cruſtæ & Dolores. In Quarta, Dolores ſtatim fere exorti ſunt: poſt duos menſes, Cruſtæ per univerſum corpus eruperunt, ac tum Dolor mitigatus eſt; atque ita per decem menſes res ſe habuit; exeunte anno, duo Ulcera in Crure apparuerunt, cum Dolore vehementi. In Quinta, Dolores memorat, Puſtulas, & Ulcera, unde Os pene nudatum ſit. Prima hæc videtur, quæ Morbi notitiam aliquam impertiat, deſcriptio, & ea ſane ſatis imperfecta; curationis autem modus etiam minus abſolutu. Quem modum ſui Principis (Borgiæ ſcilicet) tempore inventum ait; hic autem in Purgatione, Miſſione Sanguinis, Dilutione, & Balneis unice conſiſtit: neque diverſa ratio eſt ab ea qua Arabes uſi ſunt in Cutaneis quibuſcunque Morbis & Ulceribus. Quod ad Unctionem Mercurialem attinet, hanc pro pernicioſa improbat; notatque homines quam plurimos hoc modo ab ignaris fuiſſe Empiricis occiſos, atque inter cæteros Cardinalem de Segovia, Alonzum Borgiam, & ejus Fratrem. Suo tempore Unguentum Sarracenicum maxime in uſu fuiſſe inquit, quod contra Scabiem commendat Guido; idque, etſi dentes & Gingivas lædat, humores tamen per Os elicere. Duas quoque alias Unguentorum Mercurialium Formulas deſcribit: verum omnia iſta innumeris hominibus exitio fuiſſe, qui non mortui ſed peremti ſint: & temerarios hoſce Empiricos, ſi non in hac vita, at ſaltem poſt eam, hujus rei rationem reddituros. Ipſa ejus verba repeto, quo melius conſtet Medicationis ſtatus iſtis temporibus adhibitæ; neque dubitari poteſt quin primis ejus Morbi annis, antequam Medici naturam ejus & curationis modum probe perſpexiſſent, noxæ plurimum ægrotantes acceperint temeraria & indiligenti tractatione, haud utique minorem a Medicamentis quam ab ipſo Morbo. Fallopius quidem, de quo infra loquendum eſt, ſatis appoſite notat (idque ex eo verbatim ſumit Borgarutius) Medicos hoc tempore magnæ fuiſſe ignominiæ & deſpicatui obnoxios; ac ſi Hiſpani non indicaſſent, quemadmodum Lues in India (Guaiaco ſcilicet) curaretur, & audax quidam Chirurgus Mercurii uſum forte fortuna non reperiſſet, hanc etiamnum inſanabilem fuiſſe permanſuram. Quod ad Mercurium attinet, caſu certe obtigit, ut per Salivationem eo curari Morbum poſſe ſciverint: verum iis aſſentiri nequeo, qui facultatem ejus in Saliva movenda hoc tempore repertam eſſe exiſtimant. Nam præter ea quæ Guido notavit[n], conſtat hanc Mercurii poteſtatem, etiam cum inungeretur, Theodorico fuiſſe cognitam, quippe qui varia hujuſmodi Unguentorum genera deſcribat, ac regulas proponat, quam diu & quam ſæpe Unctio continuari debeat, uſque dum Fluxus incipiat; ægrum item cavere jubeat ne per medelæ tempus frigori ſe objiciat, neque lavetur intra quadrageſimum diem. Humor, ut ait ille, ex ore

Lues Venerea.

[n] 6, 1, 3.

inſtar

Lues Venerea.

inſtar fluminis decurret; & pro certo ſe noviſſe modum hunc ſucceſſu non cariturum in Malo Mortuo, atque Scabie[q]. Mercurialia hæc Unguenta ab Arabibus fuiſſe ſumta, evidenter conſtat; atque in hoc morbo feliciter tentata, cum ea in ſimilibus proficere vidiſſent, quales ſunt Scabies, Vitiligo, & Lepra. Hujuſmodi externa Medicamenta in Cutaneis Affectibus Rhazes, Avicenna, cæterique imperant, uti haud eo conſilio ut Salivam moveant, ita ne verentes quidem ejuſmodi ab illis effectum. Cujus tamen aliquam notitiam habuiſſe videtur, ætate poſterior, Alſaharavius; quippe qui curationem præcipiat, ubi os, lingua, gutturque præcipue intumuerit, cum corroſione & fædiſſimo odore: id quod a ſe frequenter viſum teſtatur[a].

Sed ut ad Hiſtoriam noſtram revertar, A. D. MDXVI, Johannes Almenar, Hiſpanus, de hoc argumento Libellum edidit; ſed in eo nihil quicquam deſcriptioni a Leoniceno factæ adjecit. Mercurii quidem videtur uſum probare, verum eo modo quo Arabes illo uſi ſunt; nam ita longe abeſt ut Salivationem excitare cupiat, ut cum ea apparuerit, nihil aliud moliatur, quam humorum derivationem in partes inferiores per Medicamenta ad hanc rem idonea. A.D. 1

A. D. MDXVIII, Opus, in quo omnia a Leoniceno dicta repetuntur, vulgavit Leonardus Schmaus; neque illic novum quicquam invenio, præter mentionem Guaiaci, in Europam paulo ante allati. Verum eodem Anno, quædam de hoc Affectu ſcripſit, Medicus Papæ Julii Secundi, Johannes de Vigo: iſque animadvertit, quemadmodum Puſtulæ ſæpe in Obſcænis partibus liveſcant, & poſt curationem rurſus efflorescere ſoleant, ac poſtea, Verrucarum inſtar, omne corpus occupent. Poſt ſex ſeptimanas, vehementes Dolores percipiuntur; ac frequenter poſt annum integrum, Ulcera virulenta, Nodi, Caries oſſium, & Abſceſſus, Dolores qui Articulos præcipue Frontemque excruciant. Morbus autem confirmatur intra decem, duodecim, aut octodecim menſes; & in alios tandem alioſque affectus deſinit. Quod ad Curationem attinet, antiqua omnia remedia vana fuiſſe indicat; & ubi is jam ſeſe confirmaverit, nihil ſupereſſe præter Unguenta Mercurialia, quæ per Salivationem malum omne intra ſeptem dies haud dubitanter expellant. Neque ab ullo antea hoc auxilii comprobatum video. Ceratum item Mercuriale in eundem finem deſcribit, a ſe millies tentatum: quod & ægroto ſit tolerabilius, & in operatione tutius, & in eventu æque efficax. Chirurgus ille & Anatomicus inſignis, Jacobus Carpus, ſive Berengarius Carpenſis, qui ineunte hoc Sæculo magnopere inclaruit, primus fuiſſe Arcani hujus repertor vulgo creditur: atque ex eo immenſas opes congeſſiſſe, ita ut quadraginta vel quinquaginta Scutatorum millia Duci Ferraræ legaverit, præter ingens Vaſorum Argenteorum pondus. Multos ab eo occiſos fuiſſe inquit Clericus; ſed quo teſte fultus id ille affirmaverit, neſcio. A Jacobo fortaſſe hunc Unctionis modum didicit Johannes de Vigo; undecunque autem hic notitiam A.D. 1

[q] 3, 49. [a] 30, 3.

ejus

ejus habuerit, feliciter ea Romæ uſum eſſe conſtat, & ad amplas opes, perinde ac Carpo contigit, perveniſſe. Lues Venerea.

Nihil amplius ante id tempus reperio, quod vel ad deſcriptionem vel ad curationem Morbi pertineat. Guaiacum profecto, magnum illud Specificum, paulo antea in Europam allatum erat: citoque ea fama viguit, ut cum Mercurio certaret, quinimo ei per aliquod ſpatium longe præponeretur. Guaiacum primus ad nos attulit Gonſalvus Ferrandus; qui, cum per obſidionem Neapolis Luem contraxiſſet, neque in Italia curationem reperiret, in Occidentalem Indiam navigavit eo conſilio ut perquireret, qua ratione ſe earum gentium populi tractarent in affectu, quem vulgarem illic ac non minus frequentem ſciret eſſe quam Variolas inter Europæos. Res erat profecto memorabilis, ut eadem Regio & Morbum & ejus Antidotum proferret, idque interjectis annis pauciſſimis. Quod etiam argumento eſt, Affectum prorſus novum fuiſſe, & ex novo Orbe advectum; nam ſi id ita non fuiſſet, quid iſte Vir in India curationem peteret? Hic autem poſtquam remedium inveniſſet (quod in illis regionibus plerumque feliciter vertebat, idque eo magis fortaſſe propter calorem cæli & temperatam vivendi rationem) in Hiſpaniam reverſus Medicinam ipſe in novo hoc Morbo exercuit; haud minores etiam ſuo Medicamento, quam ſuperiores Mercurii uſu fecerant, divitias conſecutus eſt. Ejus Monopolium feciſſe eum veriſimile eſt; nam id paulo poſt ſeptem Aureis Scutatis in ſingulas Libras væniſſe conſtat.

Jacobus Cataneus, qui ante hoc tempus videtur ſcripſiſſe (neque enim Guaiacum nominat) certe poſt Torellam ſcripſit, paulo explicatior eſt. Præter Symptoma ante dicta, magni Æſtus in Pene meminit, Ulcerumque tam in iſta parte, quam in Gutture. Uvulam quoque interdum abſumi notat; ac virus aliquando per complures annos intus deliteſcere, priuſquam emicet. Quod per triginta annos fieri cum dicit, nimium videtur affirmare Fernelius. Cataneus vulgarem medendi rationem tradit; Unctionem quoque ex Mercurio adhiberi vult, donec Gingivæ intumuerint; cautiones item de uſu ejus edocet, ac remedia contra caſus inde ſolitos contingere. Primuſque is Unctionem, ægro prius refecto, denuo repeti jubet, ſi veneni quippiam remanſerit: quam rem feliciter ſæpe eveniſſe cognoverit.

Circa idem tempus Auctor quidam alius extitit, Petrus Maynardus, Veronenſis. Nihil hic vel de Mercurio, vel de Guaiaco habet, at Symptomata enucleatius deſcribit quam omnes eo ætate ſuperiores fecerant. Haud modo Uvulæ, ſed Aſperæ quoque Arteriæ, Naſique corroſionem memorat: Ulcera item, Nodoſque in Articulis. Ac licet Abſceſſuum variis in partibus ortorum meminerit, nihil huc uſque de Bubone, vel ab illo, vel ab alio quoquam dictum eſt. Maynardus autem Aſtrologiæ fuit valde addictus: eamque Siderum cognitionem habuit, ut, quemadmodum hic Morbus originem debuerat malignis quibuſdam Planetarum conjunctionibus, ita quoque finem

Lues Venerea.

habiturum A. D. MDLXXXIV prædixerit. Id quidem ſatis cum temeritate: ſed Propheticum hunc Spiritum ea prudentia temperavit, ut prædicti impletionem in id tempus diſtulerit, quo nihil diſcriminis eſſet, ne durante vita, falſus Propheta argueretur.

Fracaſtorius, Vir & in Medicina & in aliis omnibus Scientiis illuſtris, eandem fere Luis deſcriptionem habet: atque in admirabili ſuo Siphylidis Poemate, (quod ſub exitum Leonis Papæ ſcripſit, & ex quo is æque in Medicis ac in Poeticis deſcriptionibus excelluiſſe ſe oſtendit) Bubonem diſerte nominat, ac vocis immutationem per Ulcera in Gutture factam. Præter Unctionem ex Mercurio, & Guaiacum, Fumigationes ex Cinnabari memorat, licet eorum uſum vereri videatur.

Haud multo poſt, cum Chinæ & Sarſaparillæ vires fuiſſent recenter detectæ, Aloyſius Lobera, Hiſpanus, Caroli Imperatoris Medicus, ac multarum peregrinationum uſu inſtructus, Librum de hoc Affectu edidit: brevem quidem eum, ſed in quo Obſervationes tradidit utiliores, quam in magnis aliorum quorundam Voluminibus reperiantur. Præter Ulcera Canceroſa (quod ab eo certiſſimum contagionis ſuſceptæ indicium putatur) atque alia Symptomata, Uvulæ relaxationem ponit, & Tonſillarum Tumorem, qui nunquam in Suppurationem abeat: Dolores, præſertim in Talis ac Femoribus: calloſas in manibus pedibuſque Puſtulas: Abſceſſus in variis locis, præcipue in Membranis Oſſibuſque: quod ubi incidit, Os ipſum raro tutum eſſe a corruptione & carie. Primus, qui Bubonis mentionem habuerit, aut qui notaverit ex hoc aliiſque Tumoribus ruptis ac probe curatis Morbum ipſum depelli, vel is eſt, vel Fracaſtorius. De Curatione haud minori cum judicio diſſerit: atque inungendi modum accuratiſſime explicat; quippe cubiculum clauſum tepidumque ſervari jubet, neque ægro induſii mutandi libertatem permittit: & Mercurium affricari vult uſque dum Salivatio recte procedat, ac minuantur Symptomata; tempus autem, per quod id continuandum eſt, non definit. Is etiam primus, niſi fortaſſe excipi debet Fracaſtorius, tradit laudatque Fumigationes ex Mercurio; cum ea tamen cautione, ut quanquam, eo judice, melius quam Unctio faciliuſque curationem abſolvant, ubi ab Experienti Artifice adhibeantur, his tamen haud temere uti nos velit, utpote periculoſis ac frequenter imperite admotis. Modum Fumigationis, & hominis præparationem ante uſum ejus, dilucide tradit: atque in affectu inveterato validoque corporis habitu remedium hoc admirabile cenſet, verum iis adhiberi omnino vetat qui infirmo Hectivove temperamento ſint, Tuſſique, aut Aſthmati, aut Hydropi obnoxii.

Cæteri, iique haud pauci, qui circa hoc tempus aut paulo poſt A.D. ſcripſerunt, nihil fere obſervatione dignum continent. Inter his ſuccedentes Scriptor optimus eſt, is, dico, qui & Experientia niti maxima, & argumentum ſuum optime intelligere videtur, Nicolaus Maſſa; ſuæ inſuper ætatis nulli Anatomicorum ſecundus. In quo ſane perfecta omnium Symptomatum enumeratio reperitur, quæ

Morbum

Morbum hunc atrocem vel comitentur vel ab aliis diſtinguant: verum illa omnia haud in uno aliquo ſimul contingere, ſed variis modis in diverſis hominibus conjungi putandum eſt. Quo melius eodem tempore morbi facies in conſpectu poni poſſit, ea, ſicut in ejus ſermone traduntur, breviter recenſebo; "Puſtulas, eaſque du-"ras, in Capite ac Fronte: Dolores in Capite & Artubus, præcipue "in Femoribus, qui Nocte ſemper increſcant; (quidam ab eo erat "diſſectus A. D. MDXXIV, in quo repperit Puris albi congeſtionem in "Membrana femoris;) Abſceſſus non modo in Femore, ſed in aliis "etiam partibus: Ulcera, quæ, ſi in Pene calloſa ſint, certum Luis "dent indicium: Nodos, Tubercula doloris plena, Tumores in "Articulis: Fiſſuræ, Squamæque, in Manibus Pedibuſque: Cruſtæ "per omne corpus, ut in Lepra: Uvulæ relaxationem: Ulcera in "Ore ac Faucibus, & Epiglottide, in Suppurationem non abeuntia: "Cartilaginum in Larynge eroſionem, Oſſium cariem: Bubones, qui "ſi ad Suppurationem perducantur, morbum tollunt: Capillorum, "atque barbæ fluxionem." Fluxionis hujus mentio oſtendit hunc A. D. MDXXXVI ſcripſiſſe, Annos circiter Quadraginta poſt primam Morbi eruptionem; etenim haud eo citius, teſte Fallopio, Symptoma illud apparuit. Vivida hæc, licet parum jucunda, tetræ hujus Luis pictura eſt. Unum quoddam adhuc reſtat Symptoma in hac Catalogo haud memoratum; Gonorrhœam intelligo, quæ, utut hodie vulgariſſima omnium in initio mali omnis Venerei, minime tamen ſeſe declaravit, niſi poſt Quadraginta Annos ab ejus ortu, juxta Fallopii computum, quem in hac re non deceptum eſſe credo. Primus tamen mentionem ejus habuit, quantum comperio, Fernelius. Miror quomodo factum ſit ut eam omiſerit Maſſa, ſiquidem ut hujus temporibus extiterit neceſſe eſt: atque adeo diu antequam vulgarit tertiam Libri ſui Editionem A. D. MDLXVII. Lues Venerea.

Æque accuratus in explicanda medelæ ratione Maſſa eſt: declarat etiam malum illud novis tractari oportere Remediis: atque ex primis, ſi non primum, ſe fuiſſe, qui hæc invenerit aliiſque communicarit. Quanquam Guaiaci laudibus multum immoretur, tutiſſimum tamen certiſſimumque a Salivatione auxilium peti tandem judicat, quod in Pueris etiam & Fæminis Prægnantibus magna cum ſecuritate fieri poſſit. Plurimaſque idem Unguentorum Formulas tradit, quorum omnium baſis eſt Mercurius cum Axungia. Regulas item ponit pro Corporis præparatione, & ad tuendum illud contra incommoda quæcunque poſſint aut inter curationem aut poſt eam contingere. Notatque, humorem interdum profluere, haud ſolum per Glandulas Salivares, ſed per Sedis, Urinæ, ac Sudoris vias: idque non infrequenter optimo cum ſucceſſu. Unctionem is aliquando per dies ſeptem ac triginta continuat, (continuatur autem ea vel intermittitur idoneis intervallis, prout occaſio poſtulat) licet æger jam langueſcere & collabi incipiat. Similiter de Fumigatione agit, in qua iiſdem cautionibus utitur ac Lobera; compluria ſimul exempla eventus proſperi in iſta Operatione profert a ſe viſa, ab Experientia propria affirmans

Lues Venerea. affirmans eam haud raro succeſſiſſe, poſtquam Unctio fruſtra fuiſſet tentata. Utque uno verbo Maſſæ laudes concludam, ex omnibus Auctoribus, quorum ingens copia eſt, hic præcipue videtur in Praxi verſatus.

In ſuccedentibus Scriptoribus nihil fere novi eſt, aut quod mag- A.D.15
nopere ad rem pertineat. Braſavolus qui Volumen ingens edidit, ducentum triginta & quatuor diverſas Morbi hujus complicationes, ſive ſpecies, enumerat: atque eadem argumentandi ratione totidem millia recenſere potuit. Sed utcunque longus ſit, nullum recens præceptum tradit, vel de cognoſcendis Symptomatis, vel de inſtituenda curatione. Scripſit is A. D. MDLI, primuſque Ferraræ Guaiaco uſus eſt Anno MDXXV.

Fallopius ipſe, Braſavoli Diſcipulus, &, ſiquis alius, nobilis Arti- A.D.15
fex, qui Prælectiones ſuas de hoc argumento circa Annum MDLV habuit, multo ſerius quam a Clerico ponitur, licet omnia ad Morbum ſpectantia accuratiſſime pertractet, parum aut nihil potius a Maſſa dictis adjicit. Rem quidem unam haud alibi a me repertam memorat, Sonitum nempe in Auribus qualis eſt Tintinnabulorum; hoc ab eo obſervatum erat annos circiter octo antea; utque id vix unquam in caſu inveterato aberat, ita ex omnibus Symptomatis tractatu moleſtiſſimum, quodque ægerrime removeri potuit, ab eo deprehenſum eſt. Primuſque is eſt qui res quaſdam ad Salivationem pertinentes definit, Quantitatem ſcilicet Humoris profluentis, & Remedii Durationem. Menſuram Salivæ inter Septem Decemque Libras, ſingulis diebus, comprehendi vult; & quanquam interdum Decem dies vel paulo plures paucioreſve ſufficiant, atque Empirici fluxionem die Decimo quinto ſiſtere ſolerent, tamen hanc in certis occaſionibus uſque ad Vigeſimum continuari opus eſſe ait. Cujus rei veritas hodierna etiam Experientia comprobatur; neque enim morbi conditio adeo ſibi ſemper convenit, ut fluxionis tempus certo dierum numero præfinire liceat.

Scriptores, qui huic ſucceſſerunt, vix lectione digni ſunt; atque id nequeo non notare, eos qui circa A. D. MDLX, aut poſt illud tempus, aliquid de hac re litteris mandaverint, omnia minus explicate, quam priores, tradidiſſe. Id uti confirmem, dico in Secundo ac Tertio Volumine Scriptorum de Morbo Gallico, quæ Libri fere dimidium conſtituunt, nihil quicquam momenti alicujus, quod novum ſit, reperiri. Neque ullo cum detrimento chartis infinitis pepercisſent Tomitanus ac Petronius: nam pleraque ab iis ſcripta ſunt futiliter vaneque, & quodcunque illic fructuoſum eſt alii melius explanarunt; hi enim, ubicunque difficultas ulla incidit, parum videntur uſu exculti. Tomitanus Caput integrum in ſola hac Quæſtione excutienda ponit, Utrum Lues ſit Morbus, necne: utque ordinis ab eo ſervati luculentum nobis det exemplum, Opus illic finit unde incipere debuit, ab enumeratione ſcilicet Symptomatum. Petronius autem ad faſtidium uſque ordinis tenax eſt; ſed is ordo eſt in

quo

quo multi excellunt, qui tenebras potius quam lucem pariat. Ob- Lues Ve-
ſervationes ubique tradit perquam futiles, quibus, cum nullo funda- nerea.
mento nitantur, etiamſi poſſent eæ Memoria teneri, tamen mentem onerare ſupervacuum eſſet. Sola res in eo, ab aliis intacta, curatio eſt Gonorrhœæ, idque Virulentæ: nam hæc aliquando inhæret, vulgaribus quibuſcunque Remediis, etiam Salivatione, tentatis.

Ex his Scriptoribus ſummatim obſervare fas eſt, Morbum variaſſe ſe quamplurimum, & ſub diverſis formis apparuiſſe. Primo, juxta Fernelium, Puſtulæ majori numero efflоruerunt, neque dolor ita atrox fuit; aliquanto poſt nullæ fere Puſtulæ viſæ ſunt, ſed acutiſſimi dolores cum Nodis exorti; quanquam Fracaſtorius, in Libro de Morbis Contagioſis, plures in initio Nodos paucioreſque Puſtulas fuiſſe, eo vero tempore quo hæc exararet, paulo ſcilicet ante mortem ſuam, contra accidiſſe dicat, ac Dolores vehementius incubuiſſe: ſex denique poſterioribus Annis, plures iterum Nodi & pauciores Puſtulæ, & Doloris prope immunitas. Utcunque diverſæ narrationes hæ videantur, ambæ tamen veritati convenire poſſunt; idque non modo Regionum diverſitati in quibus Auctores iſti vixerunt, tribui poteſt, ſed aliis etiam cauſis quamplurimis. Verum in hac re omnes conſentiunt, magnam in eo primis temporibus fuiſſe Malignitatem: magnas item mutationes, poſt deſcriptionem a Nicolao Leoniceno traditam; nam inſequentibus annis, haud ſemper aderat Dolor, haud ſemper Puſtulæ, neque, cum accederent, in obſcænis ſemper partibus, uti primo, apparere incipiebant. Circa A. D. MDXXX, magnæ variationes contigerunt; atque eodem tempore hæc Symptomata præſertim ſeſe oſtenderunt, "Capillorum "fluxio, Dentium & Unguium caſus, Cæcitas, Gonorrhœa."

Notandum etiam eſt, quam incerta Medici his temporibus curandi ratione uſi ſint. Regimen in aſſumtione Guaiaci primo mirifice exactum ordinabatur, atque ita rigidum, ut æger quaſi in cavo concluderetur ad propellendos Sudores; quo modo Oſſa & homo ipſe, uti inquit Fallopius, macerabatur: ita parum figmenti eſt in "Cæcis Penetralibus" a Fracaſtorio in Poemate ſuo deſcriptis. Et quæcunque a peritis Artificibus inſtituta fuerant Experimenta, quicunque ſucceſſus a Mercurialibus Unguentis & Fumigationibus obtigerant, fluctuantes adhuc & incertas plane poſteriorum Auctorum in hac re videmus manſiſſe opiniones. Contra Unctionem pugnat acriter Fernelius; & Fallopius ipſe, inſignis admodum & experientiſſimus Auctor, Curationem hoc modo inſtitutam minus certam credit: ac licet exquiſitiſſima de ejus uſu præcepta ponat, neminem tamen eam aggredi ſuadet, niſi qui Sarſam & Guaiacum fruſtra fuiſſe ſit expertus: quæ ſummas ille & pares huic Morbo Antidotos exiſtimat. Immo ita parum conſiderate loquitur, ut Oſſium Cariem nunquam incidere affirmet niſi ex Unctione. Formula[a] ab eo ad præcautionem Veneni iſtius perquam abſurda eſt: ejuſque tam parandæ quam adhibendæ ratio Circulatorem nimis redolet: tamen

a Linteolum mundum goſſypinum, c. 89.

Lues Venerea.

Empirico huic præcepto magnam tribuere fidem videtur[b]. Auctoris hujus lectio mille nobis occaſiones cogitandi ſubminiſtrabit, quam parum Topicis duntaxat Remediis confidere debeamus, & quantas ea frequenter noxas inducant: præſens quidem levamen haudquaquam certum eſt, atque id ſi contingat, nimio tamen conſtare Experientia ſæpe teſtatur. Antonius Fracantianus, qui poſt eum, atque ex eo ſæpe, ſcripſit, notat quidem curationem aliquando per Unguenta Mercurialia præſtari: verum ut Remedii genus violentum atque anceps erat, prudenter fuiſſe intermiſſum: etſi, Morbo per duos poſteriores annos invaleſcente, id in uſum denuo fuiſſe revocatum fateatur. De Fumigatione, quæ ut proſpere cedat, ita enim cedit interdum, majoris etiam peritiæ ac cautionis indiget, minime mirum eſt eorum opiniones etiam magis eſſe diſcrepantes ac inſtabiles.

Hæc omnia id eo ſigillatim commemoro, quod ea leviter tantum conſiderantibus facile perſpicere licet, quanta cum cautione hos Auctores vel legere vel ſequi debeamus. Nemini cuiquam, in Morbi hujus curatione non diligenter verſato, erit in promtu judicare, quis ſit is qui optima ponat præcepta, aut in qua quiſque re excellat. Quique hæc remedia experti ſunt, & ad eorum effectus ſedulo ipſi attenderunt, ii optime videbunt quis pro peritiſſimo Artis ſuæ Magiſtro ſit habendus.

Quamvis tot diverſos Curationum modos Medici nobiliſſimi per annos ſupra ducentos tentaverint, ac tantopere Arcana ſua & Specifica ab Hiſtrionibus venditata ſint, illud ſine dubitatione affirmaverim, Morbo admodum inveterato & maligno ſubſiſtente, nullam magis efficacem medelam eſſe, juxta intelligentiſſimi cujuſque ſententiam, ea quæ per Salivationem inſtituitur: immo Experientia docuit, Salivationem eam quæ per Unguenta excitatur, in atrociſſimis iſtis caſibus certius reſpondere ſolitam altera, quæ per Interna fit Remedia. Omnia hac Obſervatione concludam, magnam illam, quam in curando hoc Morbo vim obtinet Mercurius, maxime, ne dicam unice, in Fluxione promovenda conſiſtere. Quamvis enim magna quædam miracula de Unctione aliiſque Mercurialibus auxiliis, quæ vel nullam vel exiguam duntaxat Salivationem excitaverint, a Monſpelienſibus præcipue nuper jactata ſint, ſuſpicandi locus eſt fore ut ejuſmodi curatio Morbum celet potius quam tollat. Utcunque vero id illic eveniat, certa res eſt rationem illam inter nos frequenter eſſe tentatam, raroque aut nunquam, ut ex fidiſſima obſervatione conſtat, ſucceſſiſſe. Quicquid denique poſterioribus his temporibus venditatum ſit de minus dubiæ curationis inventione, is, me judice, & tutiſſimam & integerrimam viam ſequetur, qui Anteceſſorum noſtrorum veſtigiis inſtiterit; hi enim, inter plurimas optimæ notæ obſervationes a ſe relictas, hoc monitum poſuerunt, Quo liberior largiorque Salivatio eſt, eo magis efficacem & certam fore curationem.

b Ego feci experimentum in centum & mille hominibus — Deum teſtor — nullum eſſe infectum.

Inſigne

Insigne quoddam est, affectum hunc frequenter comitans, neque in alio quopiam visum: Ut ii scilicet qui Lue infecti fuerint, utut optime curati, suspicentur tamen sese ea non immunes esse, perpetuoque in discrimine versari. Contra ac in Phthisi fieri quotidie videmus, quodque huic vitio quoque soli peculiare est: nam ita laborantes, etiam cum ad extrema ventum est, vana spe pertinaciter se lactant, ut vix iis persuaderi possit, curationem nullam esse reliquam. At in altero casu, si vel Pustula quævis emicuerit, vel leviculus dolor uspiam percipiatur, atque eo magis siquid humoris ex Odoriferis in Pene Glandulis profluat, cujus fluxionis supra mentionem habui, vanis illico terroribus sese excruciant, metuentes ne contagium corpori inhærens brevi denuo prorumpat: quod iis vitam anxiam & infestam reddit, & ad Circulatorem quemque auxilium exposcentes decurrunt, qui lucro inhians metus hos augere semper curat. Ita vehementer autem hæc in iis cogitatio dominatur, ut probus quilibet Artifex majores plerumque in falso, quam in vero malo, tollendo molestias capiat. Lues Venerea.

Verum longius progredi haud necesse est. Tamen ab Historico, qui narrationem suam ultra deducere vellet, & argumento suo satisfacere, alias res complures, quæ in initio hujus Sæculi obtigerunt, enumerari deberent. Describendus ei esset alter quidam Morbus recens, neque Græcis neque Arabibus cognitus, qui hoc tempore magna cum violentia erupit. Scorbutum intelligo, qui a Marino Victu verisimiliter ortum traxit, seseque per ingentem Gingivarum Tumorem, & alia Symptomata declaravit, inter Nautas Lusitanos novas Regiones in India Orientali tunc temporis explorantes. Is postea nescio quibus modis alio se transplantavit, sedemque in Dania aliisque Septentrioni vicinis Nationibus posuisse aliquandiu videtur; nomenque ipsum Danicæ originis est. Georgius tamen Fabricius in Patriæ suæ, Misniæ, Antiquitatibus, Affectum hunc antiquiorem facit: aitque vitium hoc recens & inauditum illic A. D. MCCCCLXXXII, sese late diffudisse, neque solummodo valde periculosum sed contagiosum quoque, extitisse. Nautæ Saxones, eo dicente, nomen ei "Schar-"bock" imposuerunt: quod eorum sermone Inflammationem significat. Quo sane modo, inter alios modos, primum apparuit: & in Gangrænam sæpe desinebat. Tandem, Annum circa MDC, sese per omnem fere Europam disseminavit, malumque his diebus Epidemicum est. Scorbutus.

Ab Historico etiam notari deberent, profectus quidam Recentes in Medicina & Chirurgia. In Medicina, describi posset celebris illa Diascordii Compositio a Fracastorio inventa: & enumeratio fieri Medicamentorum, quæ ex America cæperint hæc circa tempora apportari ad nos, quæque Materiam Medicam tantopere locupletarint. Amplam in hoc genere sylvam suppeditabunt Monardes, Piso, & Margravius: verum accuratissima ipsorum Simplicium descriptio,

&

& omnia quæ ad eorum ſpectant virtutes in curandis affectibus, videri poſſunt in diligentiſſimo Opere nuper ab Equite Hans Sloan, magno cum honore Angliæ noſtræ, edito. In Chirurgia, tractatio Vulnerum per Sclopetorum ictus illatorum novum plane argumentum eſt: atque hæc profecto res novam huic Arti lucem attulit, cum Profeſſores ejus docuerit haud ſolum meliorem omnia in univerſum Vulnera curandi viam, ſed facultatem quoque iis dederit certius judicandi, qua parte abſque pernicie ea poſſent contingere. Argumentum hoc, A. D. MDLI, fuſe explicavit Bartholomæus Maggius, & Alphonſus Ferrus: quorum hic novum Inſtrumentum repperit, dictam a ſuo ipſius nomine, "Alphonſinam;" hæc autem teres quædam Virga Ferrea eſt, denticulis in extremitate inſtructa, quibus apprehenditur Sclopeti Glans. Idem, uti retur ipſe, primus deſcripſit Carunculam, ſive Carnoſitatem, in Veſicæ cervice, ejuſque curandæ rationem expoſuit; id vero commeminit Galenus[a], quanquam de curatione nihil dixerit. Pro certo tamen hic affectus, utut eo nomine appellatus, haud ſemper excreſcentia eſt Carnoſæ ſubſtantiæ; ſæpius vero, ne dicam frequentiſſime, ab Urethræ contractione oritur.

Chirurgiam vero longe magis locupletavit nova excidendi Calculi ratio, (quæ Inciſio ſuper Itinerario dicitur) copioſe explicata a Mariano Sancto, Barolitano, Diſcipulo Johannis de Vigo, in eo Opere quod Vincentio Caraffæ nuncupavit, Romæ tum Præfecto, cum Pontificalis Sedes vacaret poſt Mortem Leonis Papæ A. D. MDXXI. Modum hunc Marianus didicerat a Johanne de Romanis, Cremonenſi, Chirurgo, uti legimus, & intelligenti & Romæ celebri, quique ſcribendo Diſcipulum ſuum longe anteiverit. Hanc Operationem primus invenit hic Johannes; idque mero Naturæ inſtinctu, ſi Mariano credimus. Inſtrumenta ab eo adhibita, quæ ſunt numero octo, quanquam haud omnia ſint in hodierno uſu, deſcribit Marianus: & omnia quæ ad Proceſſum pertinent accurate exponit. Hebes, inquit, is ſit neceſſe eſt, qui magnitudinem Calculi per Catheterem conjectura aſſequi nequeat. Eandemque cum Paulo cautionem ponit, ne in ipſo Perinæi Medio, ſive Commiſſura, ut ab eo dicitur, fiat Inciſio: cujus præcepti hanc rationem affert, quod aliter diſcrimen ſuberit. Docet etiam quemadmodum agendum eſt, ne partes in Veſica Nervoſæ convulnerentur, aut Muſculi qui Urinæ fluxum cohibent. Difficile eſt hic non notare, cum Antiquis eum credidiſſe, Vulnus in ſubſtantia Veſicæ lethale ſemper eſſe. Illud inſuper animadverti poteſt, hoc tempore ac multo poſt hoc, quantumvis in Anatomia excelluerint, Operatores tamen minime perſpectum habuiſſe, per quas partes fieret Inciſio. Nam, quod ex ipſius deſcriptione colligi poteſt, videtur in ea opinione eſſe, ut Scalpellus vel totum Sphincterem, vel partem ejus dividat: neque aliter fieri exiſtimavit, in ſuo incidendi modo, Celſus; ex præcepto quoque ſupra memorato colligitur, quo vitari Inciſionem Nervoſarum Veſicæ partium jubet

[a] Loc. Affect. 1. 1, & 6, 4.

Marianus,

Marianus, hunc judicaſſe vulnus uſque ad Veſicam poſſe pertingere. Verum in Operatione Mariani certiſſima res eſt, Urethram ipſam incidi, & id plerumque Digiti longitudine cis Sphincterem; nam Toletus contrario in errore verſatur, qui tres aut quatuor Digitos vulnus ab eo diſtare affirmat. Quandoquidem Antiqui, teſte Celſo, Catheteris notitiam habuerint, mirum eſt hos non ulterius eſſe progreſſos, neque commoda Inciſionis ſuper Itinerario perſpexiſſe: ad quam ab eo facilis tranſitio videtur. Nam in hoc modo nullum diſcrimen eſt ne Operator Inteſtinum convulneret, ac multo minus Veſiculas Seminales: ut in alio modo fit interdum; qui poſtremus caſus ab Aetio memoratus, eo quod Generandi facultatem impediret, multos Chirurgos, ac præcipue Lanfrancum, impulit[a], Virum ſuo tempore illuſtrem, ut omnem prorſus Calculi exciſionem repudiarent. Quantumcunque vero Mariani modus Veterem, qui Apparatus Minor dicitur, excellat, multa in eo adhuc reperiuntur incommoda, nec diſcrimen leve, propter vim ingentem in dilatandis ampliandiſque partibus neceſſario adhibendam. Quare quidam ex Recentioribus, hac ratione parum contenti, alias operationis præſtandæ vias tentarunt. Altera harum, a Petro Franco memorata, laudatur a Rouſſeto: ac nuper inter nos ipſos revocata in uſum eſt a Chirurgo illo diligenti, Johanne Douglas; Inciſio hic in Veſicam ipſam penetrat, per Muſculos Abdominales, ſupra Os Pubis. Altera, "Lateralis Sectio," dicitur, copioſe accurateque deſcripta a Medico celeberrimo, Doctore Douglas: quæ ratio, a Fratre Jacobo reperta, auctum debet Profeſſori Rauo. Sed cum uterque hic operandi modus etiamnum quaſi in ortu ſit, licet neuter uſquam majori cum ſolertia adminiſtretur, Experientiæ relinquendum eſt quæ dijudicet, uter alteri præcellat, & an utervis viæ hic a Mariano deſcriptæ præponi debeat.

At ſupra omnia, quo juſtam imaginem Medicinæ ſtatus hiſce temporibus animo perceptam habeamus, inveſtigandus eſt ingens Anatomiæ progreſſus, ſimul intra paucos annos factus. Jacobus Carpus, de quo ſupra locutus ſum, primus haud modo inſtauravit, ſed auxit etiam ipſe hanc Scientiam; ſupra Centum Cadavera ſuis manibus diſſecuit: quæ res, utpote iſtis temporibus inuſitata, exiſtimabatur mira & crudelis; idemque in aliis Libris, præcipue in eo de Capitis Vulneribus, & in Commentariis ſupra Mundinum, multas nobis Obſervationes & Inventa perquam utilia reliquit: necnon Anatomiæ ſtudium ſua ætate præclarum & illuſtre reddidit. Ejus exemplum ſecuti complures, pro viribus quiſque, varia utiliſſimæ huic Arti incrementa adjecerunt: inter quos eminuerunt Nicolaus Maſſa & Jacobus Sylvius: donec ante elapſam mediam Sæculi partem, hanc fere numeris omnibus abſolverit, prodigioſæ Vir induſtriæ, Veſalius. Neque ita multo poſt, Columbus, Euſtachius, & Fallopius, omnes Artis hujus peritiſſimi, omnes in ſingulis ſuis Profeſſionibus, in

[a] 4, 4, 26.

tribus ſcilicet diverſis Medicinæ partibus, perilluſtres, eandem eo uſque provexerunt, ut nihil ei tum, præter Circulationis inventum, deeſſe videretur.

Quod ſiquis enumerationem eorum, quæ Viri hi præclariſſimi Anatomiæ adjecerint, facere vellet, exſcribendi quodammodo horum integri eſſent Libri. Illud in univerſum duntaxat animadvertam, Primarios hos Anatomicos, qui reviviſcentibus Scientiis inclaruerunt, nudam tantummodo partium deſcriptionem tradidiſſe; & eum ordinem ſecutos eſſe, qui Diſſectioni maxime conveniret. Optandum vero eſſet, ut iidem quoque rem hanc omnem Ratiocinando explanaſſent: cum plures ex iis & Viri intelligentes, & tam ingenio quam eruditione ad id operis idonei fuiſſe videantur. Multo enim minoris pretii Recentiores ſunt Anatomici; qui, quanquam in diſſecando multum diligentiæ poſuerint, tamen, abſque ullo vel Naturæ vel ſanæ Philoſophiæ reſpectu, ſuper inventum quodque nugatorium Hypotheſin aliquam inædificare moliuntur. Hinc vana illa ſomnia de Nerveo, & Pancreatico Succo, de Bile, & Saliva: immo, Secretionis varietatem per Ceræ ſuæ colores Nuckius explanare aggreditur; quaſi Injector quivis ad Rationalem Anatomiæ partem explicandam ſufficeret. Hujuſmodi Scriptorum pars maxima Mechanicos quoſdam Artifices referunt, qui figuram & ſitum rotulæ cujuſque & Elateris in Machina cognoſcentes, veram interim Motus in ea rationem penitus ignorant. Ii contra, qui integrum Anatomiæ Syſtema contexuerunt, raro ſatis in Anatomia verſati ſunt: ideoque, uti deſcriptionem partium ab aliis mutuantur, ita quoque aliorum auctoritate ſuper earum uſibus nituntur: itaque vel de falſis rebus ratiocinantur, vel de veris haud recte diſſerunt; quare in Collectorum potius, quam in Auctorum numero, habendi ſunt. Ac ſi optimos de Scriptoribus Syſtematicis ad examen revocemus, licet hos intueri aliam rem per Principia Ariſtotelica, aliam per Carteſiana, aliam per Chymica, aliam denique per Mechanica explanantes: quæ diverſa omnia argumentandi genera in ſingulis ſuis Auctoribus ſatis apta ſunt, Philoſophiæ quippe ab iis delectæ congruentia: at in Exſcriptore, cujus uniforme opus eſſe debeat, incohærentia plane & abſurda. Huic rei ut peritus aliquis manum admoveat valde cupimus, eamque illuſtret, quantum fieri poteſt, per Leges iſtas immutabiles, quas Materiæ Motuique impreſſit Natura. Nam cum Corpus Humanum nihil aliud ſit, quam exquiſita conſtans e Solidis Fluidiſque textura, quæ Mechanicis Legibus pareant, miraculi ſimile eſt homines unquam in animum ſibi induxiſſe, ut per alia, ac Mechanica, Principia compoſitionem ejus explicare tentarent. Quiſquamne ita demens eſſe poſſit, ut Horologii motus per inanem Acidorum & Alkalium doctrinam velit exponere? vel Hydroſtatices ſingula quæque Phænomena, per Ætheream Carteſii materiam? Fuerunt tamen Viri, qui hujuſmodi ratiocinationes in Anatomiam intulerint, haudquaquam magis ad eam pertinentes. Sunt & alii, qui omnes in his rebus rationes improbent: ſed cum ii ipſi, de iiſdem

diſ-

differentes, alia vel alia uti Philoſophia neceſſario cogantur, hæc ſola reſtat quæſtio, Utrum præſtet rationem afferre, a veris, an ab imaginariis, Principiis petitam.

Id argumenti magnam varietatem ſuppeditaret & jucundæ & utilis materiæ. Et Hiſtoricus, præter incrementa in hac Scientia paulatim facta, illud etiam notare poteſt, quemadmodum ejus ætatis Anatomici res quaſdam nimis æſtimando, honori Veteris Magiſtri ſui Galeni detraxerint: & quemadmodum ipſi viciſſim a Succeſſoribus compilati, & æque magnis affecti ſint injuriis.

Verum huic ſermoni finem dudum impoſuiſſe debui; igitur hoc duntaxat amplius adjiciam, quod argumento meo ſatisfacturum me non exiſtimabo, niſi de Medicinæ ſtatu, ineunte hoc Sæculo, agens, mentionem cujuſdam fecero, qui & vivens & mortuus, tam Scriptis ſuis quam muneribus, magnum & Profeſſioni ſuæ & Patriæ honorem addidit. De Linacro loquor, Viro & excellentis ingenii, & judicii ſolertiſſimi, & in diverſis eruditionis partibus, ſcientiæ ſingularis ab optimis eo tempore arbitris exiſtimato; cujus rei fidem amplam faciunt Opera ejus etiamnum extantia. Doroberniæ natus, Oxonii eductus, & A. D. MCCCCLXXXIV in Collegii Omnium Animarum Societatem cooptatus eſt: ac peregrinatione animum ulterius excolendi cupidus, eo conſilio in Italiam profectus eſt, ubi tum Græcæ & Romanæ Litteræ magna cum celebritate reviviſcere cæperant. Ibi eximio cum favore acceptus eſt a Laurentio de Medicis, Viro ſuæ ætatis excultiſſimo, & Litterarum fautore inſigni: qui Linacri ſtudia ita benigne adjuvit, ut Filiorum ſuorum Præceptoribus ei uti permiſerit. Quam occaſionem ille minime neglexit in ſua commoda convertere: nam, docente Demetrio Chalcondyla, ex Græcia oriundo, perfectiſſimam hujus Linguæ ſcientiam acquiſivit; & ſub Latino ſuo Magiſtro, Politiano, eos progreſſus fecit, ut hunc ipſum emendata orationis puritate anteiverit. Et ſi peritiam ejus in utraque lingua ſpectemus, Vir ſui temporis longe eruditiſſimus extitit. Latino ſermone eleganter & accurate ſcriptitavit: adeo ut ſtylum ejus nimis elaboratum crediderit Vir ei familiaris Eraſmus; tamen eundem Eques Johannes Chekus (id fortaſſe inquiens ut adverſario ſuo Gardinero Epiſcopo contradiceret) ut Ciceronis orationi nimis diſſimilem arguit, & Linacrum ipſum, ingenii quadam aſperitate, magno illi Oratori inimicum fuiſſe narrat. Conſtat tamen Linacrum, duos iſtis Auctores, genere ſcribendi puro Claſſicoque, excelluiſſe; nam Eraſmus, utcunque copioſus & perſpicuus, in oratione ſolutus eſt & negligens; Chekus autem, uti tum mos erat, periodos ac numeros Ciceronis, ab hoc in Orationibus cæteriſque Libris Rhetoricis adhibitos, ad faſtidium uſque imitatus eſt: Linacrus contra, quamvis in omnibus Tullii ſcriptis probe verſatus, ſtylum in Epiſtolis ac Philoſophicis ejus Operibus uſurpatum ſequi maluit: Terentii quoque elegantiam exprimere tentavit, &, quod Medicis ab eo tractatis argumentis magis conveniebat, nitorem Celſi. LINACRUS.

Hac

Hac ille inuſitata eruditionis abundantia inſtructus, animum ad Naturalis Philoſophiæ & Medicinæ ſtudia appulit; præſertim vero in eo elaboravit (quod nemo quiſquam antea inter Anglos fecerat) ut Græca Ariſtotelis & Galeni ſcripta probe calleret. Multos autem Galeni Libros traduxit; quam bene, quantaque cum doctorum omnium approbatione, optime conſtabit ex Epiſtola Viri eruditiſſimi Michaelis Maittairii huc annexa. Neque aliud amplius dicam, quam quicunque [a] Præfationem Quatuordecim Librorum Methodi Medendi perlegerit, hanc ex Galeno converſam eſſe neſciens, ex orationis puritate & elegantia conjectura facile adduci poſſe, ut id credat Claſſicorum Auctorum tempore fuiſſe ſcriptum.

Peregrinus quidam, qui Buchanani Opera nuper edidit, mirari videtur qua ratione factum ſit ut quiſquam ex hac Inſula oriundus Latine tam eleganter ſcribere potuerit; cum vix Britannum ullum reperiat, qui hac facultate inſigniter polleat, licet Itali ac Belgæ in hoc genere multum inclaruerint. Solum memorat, quem hac laude dignum exiſtimet, Camdenum; ſed & hunc etiam frigida quadam prædicatione extollit. Hanc patriæ noſtræ vituperationem facile eſſet refellere, multos nominando qui in hujuſmodi ſcriptione feliciſſime laboraverint: verum ita a propoſito aberrare minime neceſſarium eſt; illud duntaxat affirmo, ſi Criticus hic Linacri ſcripta diligenter excuſſiſſet, ac præſertim Librum ejus excellentem, in quo adeo pure adeo emendate docetur atque explanatur Latini ſermonis ſtructura, aliter judicaturum fuiſſe; immo ita forſan ſtylo ipſe elegantiori ſcribere didiciſſet. Auctor ab eo editus laudatuſque, magnam de Linacro opinionem habuit, Buchananus; ex quo factum eſt ut Doctrinarum ſtudiis haud melius hic ſe fuiſſe inſerviturum crediderit, quam illius Grammaticam vertendo edendoque. Idque de illo vere dici poteſt, fuiſſe ex primis, qui cum Colleto, Lillio, Grocino, & Latimero (hi autem omnes in exteris regionibus Græcæ Linguæ ſcientiam aſſecuti ſunt) Antiquam in hac Inſula Eruditionem inſtauraverint. Hactenus de Linacri doctrina, ſcriptiſque ad litteras humaniores ſpectantibus.

In ſua vero Profeſſione ita eminuit, ut, paulo poſt reditum ejus, a Rege perſpicaciſſimo, Henrico Septimo, delectus ſit, qui Arthuri Principis & ſaluti & inſtitutioni præficeretur. Poſtea Regis iſtius in

a Cum & tu ſæpe alias, chariſſime Hiero, & alii quidam amici me nunc hortentur, ut ſibi medendi methodum conſcribam: ego ſane, tametſi tum vobis in primis gratificari, tum vero poſteros nonnihil pro viribus juvare ſtudens, ſemper tamen, fateor, eunctabar ac diſtuli: multis de cauſis, quas nunc quoque percommode dicturus videor, pruiſquam id quod petitis aggrediar: ſunt enim ad ea, quæ poſt dicentur, ſane non inutiles. Earum igitur omnium illa præcipua fuit, quod fruſtra me ſcripturum timebam: cum nemo, prope dixerim, hac noſtra ætate veritatis inquiſitioni ſit deditus, ſed pecuniam, & civilem potentiam, & inexplebiles voluptatum delicias, omnes eo uſque ſuſpiciant, ut ſi quis ſapientiæ quodvis ſtudium ſectetur, pro inſano hunc habeant: quippe qui primam ipſam & vere ſapientiam, quæ divinarum humanarumque rerum eſt ſcientia, ne eſſe quidem omnino exiſtiment: Medicinam, Geometriam, Rhetoricen, Arithmeticen, Muſicen, ac reliquas id genus artes, eſſe quidem autument, cæterum ad finem earum ſtudio contendendum minime cenſeant. Me vero ex iis, qui me unice diligere ſunt viſi, nonnulli ſæpe increpant, quaſi plus juſto veritatis ſtudio impendam: quaſi qui nec mihi ipſi uſui, nec ipſis in tota vita ſim futurus, niſi & ab hoc tanto veritatis indagandæ ſtudio deſiſtam, & mane ſalutando circumeam, & veſperi apud potentes cænem. His enim artibus tum amari, tum accerſi, tum vero pro artificibus haberi: nequaquam ex iis, quæ in propria profeſſione ſint conſecuti. Neque enim eſſe, qui de ea judicent, ubi omnes totum diem diverſis ſtudiis tranſigant; mane quidem omnes ſalutationibus publice occupati, mox in alia munia diſtracti, utique ad forum & lites non exigua turba, ad ſalutationes & aurigas alia major: jam vel aleæ, vel amoribus, vel balneis, vel ebrietati, vel comeſſationi, vel demum alicui corporis voluptati deditus ſane non exiguus numerus. Veſperi vero rurſum omnes ad ſympoſia publice collecti: ubi poſtquam vino ſe implevere, non lyra, citharave, aut aliud

ac Filii ejus Henrici Octavi, ac Mariæ Principis, Medicus evasit. Quod si honores ab Aula collati haud semper optima veræ laudis argumenta reputentur, Viri eo tempore celeberrimi unanimi consensu testantur, Linacrum in Arte Medica fuisse & ingenii sagacissimi, & judicii exquisiti; cujus indicium habemus in Prognostico circa Lilii Amici ejus morbum ab eo factum; subitam enim ei mortem prænuntiavit, si in temerariis quibusdam Viris fidem poneret, qui eum hortati sunt perviceruntque, ut Strumosum ac Malignum sibi in Coxa Tumorem excidi pateretur. Doctorque Kaye (qui sub Caii nomine magis notus est) magnus Linacri admirator, ob quod ipsum ipse admiratione dignus est, in eo Monumento quod memoriæ præcellentis hujus Viri sacravit, diserte ait, mirificas frequenter ab eo curationes fuisse præstitas in casibus maxime deploratis. Id amplius honorificentissime de eo prædicat, fucum omnem & fallaciam penitus ei odio fuisse; Amicitiarum erat tenax, & ab universis hominum ordinibus cultus dilectusque. Utque Artem suam exquisitissime callebat, ita insignem erga omnes, qui in ejus studia animum intenderent, favorem exhibuit; & quotiescunque in Adolescentibus Medicinæ deditis, aut ingenium, aut doctrinam, aut verecundiam, aut probos mores & eminentiæ cupidinem perspiceret, eos consilio, gratia, & opibus adjuvit.

Et quo clarius demonstraret quam vehementer ei cordi esset & Professionis suæ & Reipublicæ utilitas, duas in Medicina Prælectiones Oxonii, & alteras duas Cantabrigiæ, fundavit. Oxonienses, quarum uni stipendium duodecim Librarum in singulos annos, sex alteri annexum erat, a Testamenti ejus solo superstite Curatore Cuthberto Tonstallo, Dunelmensi Episcopo, sed cui ademtus tum erat Episcopatus, in Collegio Mertonensi institutæ sunt; & ut munus hoc ibi potissimum conferretur ea ratio ex præcipuis videtur, quod plures in eo Collegio, quam in alio quocunque, ad Medicinæ studia animum appellere consuescerent. Prælectores Hippocratem & Galenum Adolescentibus ejus rei studiosis explanare tenentur; ac si nemo in illa Societate isti muneri aptus reperiri possit, ex alia quavis homines idoneos deligere fas est. Quo ille facto & Professionis a se cultæ, & Academiæ in qua eductus est, respectum abunde declaravit.

aliud musicum instrumentum circumfertur, (quod sicut olim in ejusmodi congressu tetigisse, honestum; sic contra non contrectasse, admodum erat turpe) sed nec sermones ulli habentur, quales in symposiis agitari solere veteres prodiderunt, nec aliud honestum quicquam: imo invicem sibi propinant, & de magnitudine poculorum certant; utpote inter quos optimus censetur, non qui plurimis instrumentis musicis, aut etiam sermone philosophico uti novit; sed qui multos, eosque maximos calices exsiccavit. Adeo mihi mane etiamnum ebrii videntur ex his plerique: nonnulli vero etiam tam plane vinum olere, quasi modo hausissent. Eoque fit ut quoties ægrotare cæperint, medicos advocent, non quidem optimos, utpote quos per sanitatem noscere nunquam studuerunt: sed eos quos maxime familiares habent, quique ipsis maxime adulantur: qui & frigidam dabunt si hanc poscent, & lavabunt cum jusserint, & nivem vinumque porrigent: postremo quicquid jubebitur, mancipiorum ritu efficient. Contra plane quam veteres illi medici Æsculapio oriundi, qui tanquam duces militibus, & reges subditis, imperare ægris voluerunt: nequaquam vero Getarum, & Tibiorum, & Phrygum, & Thracum emptitiorum ritu parere atque obsequi. Itaque is, non qui melius artem callet, sed qui adulari aptius novit, magis in precio est: huicque plana omnia perviaque sunt: huic ædium fores patent: hic brevi efficitur dives, plurimumque potest. Huic discipuli formosi a cubiculis, ubi jam fuerint exoleti, traduntur. Atque hoc Thessalus ille cum animadvertit, non solum in aliis Romæ divitibus assentabatur, sed etiam artem tradere sex mensibus se promittens, complures discipulos brevi comparavit.

Medicinæ vero emolumentis ultra proſpexit; humilis enim eo tempore fuit Artis noſtræ conditio, utpote ab illiteratis præcipue Monachis Empiriciſque tractatæ, qui homines magna cum infamia decipiebant; nam Epiſcopus Londinenſis, aut Eccleſiæ Sancti Pauli Decanus, in probandis tum admittendiſque Medicis ſummam poteſtatem Londini habebat, uti in aliis ſuis quibuſque cæteri Epiſcopi Diœceſibus. Cui ut incommodo mederetur nihil reliquum videbat, niſi ut Viros doctrina celebres gratia ſua augeret, atque hanc Licentias ad Praxin concedendi facultatem idoneis Judicibus permitteret. His itaque rationibus inductus Collegii fundationem animo concepit; & favore, quo tum in Aula, præcipue apud inſignem illum Patriæ ſuæ amatorem & munificum omnis doctrinæ Patronum, Cardinalem Wolſæum, pollebat, Litteras Patentes a Rege obtinuit, Senatus poſtea auctoritate confirmatas, quibus Medicorum Societas Legalis in hac Urbe conſtituta eſt; atque harum vi Collegium in Communitatem redactum, & ſingulos quoſque ad Medicinæ Praxin admittendi, & Præſcriptorum Formulas inſpiciendi, jus unicum poſſidet. Illic etiam apertiſſime declaratur, nulli cuiquam licitum eſſe Medicinæ uſum in quavis extra Londinum Diœceſi, qui non ante a Præſide tribuſque de Electorum numero examinatus, Litteras eorum Teſtimoniales obtinuerit: excepto, ſiquis Gradu in alterutra Academiarum inſignitus fuerit: tales enim, etiam abſque Epiſcopi ullius Licentia, per univerſam Angliam id agendi jus hâbent, præterquam intra ſeptem millia paſſum a Londino. Id Senatus decretum hodieque tam valet, quam quod maxime; idemque in omni Diœceſi, prout a Legibus conſtitutum eſt, ſervari cupimus.

Curavit etiam Linacrus, ut Succeſſores ejus ea Statuta Legeſque condendi potentiam haberent, quæ pro variis occaſionum temporibus utilitati publicæ plurimum expedire judicarent; qui, ut eos merito ſuo non defraudem, adeo exacte Fundatoris ſui propoſitum ſecuti ſunt, eamque ſemper & dignitatis ſuæ, & boni publici, & Academiarum honoris, curam habuerunt, ut perpetua in hac Communitate lex ſit, nulli pro Socio in eam cooptari licere, aut negotiorum ejuſdem eſſe participem, niſi qui in altera earum Doctoris Gradum capeſſiverit, præter Medicos Regis publico ex reditibus Angliæ ſtipendio donatos.

Aliis Legibus munus aliud graviſſimum Collegii curæ demandatum eſt, ut Officinas inviſant, & Medicamenta inſpiciant: quæ res profecto haud pluris Medici, quam ipſius ægri, intereſt. Privilegium hoc initio intra Civitatem circumſcriptum erat: quo tempore fortaſſe nulla in Suburbiis Medicamenta a Pharmacopolis vænibant; ſed cum haud ita pridem Regis ac Senatus prudentia & auctoritate ditio hæc ampliata ſit, Provinciam iſtam ea diligentia, æquitate, & candore Cenſores adminiſtrarunt, ut minime dubium ſit quin eandem Legum latores velint iiſdem præfectis prorogare.

Primus novi ſui Collegii Præſes extitit Linacrus, atque in eodem honore per ſeptem annos permanſit. Cœtus in ipſius Domo congregabantur,

gabantur, quam Communitati moriens legavit, quæque ab ea etiamnum poſſidetur. Hæc utique ſeipſam ſatis commendat inſtitutio. Id enim ſine dubio fuit Linacri conſilium, non modo ut amicitia & unanimitas inter Medicos conſtaret (quod per ſe ſane res erat haudquaquam levis) ſed ut hoc modo Reipublicæ utiliores redderentur. Exiſtimavit etiam, cum a vulgaribus Empiricis ſegregati eſſent & inſigne aliquod honoris incrementum cepiſſent, fore ut generoſus quidam æmulationis ardor inter homines liberaliter inſtitutos accenderetur, quo impulſi Naturam Morborum & Medendi Methodum feliciter in Humani generis uſum inveſtigarent. Neque Fundatori forſan ulli contigit, ut conſilia ſua optati ſucceſſus æque ſequerentur, ſiquidem hæc Societas novam perpetuo hominum ſeriem produxit, qui Praxi ſua Scriptiſque Patriæ famam atque commoda auxerunt: & is qui futura animo præcipit, neceſſe eſt ut Virorum pari doctrina florentium proſpectu lætetur.

VITA



VITA

VITA GABRIELIS

Filii Bachtishuæ, filii Georgii,

Ex Arabico Latine reddita

A Salomone Negri Damasceno.

Beneficentia & scientiæ præstantia celeberrimus, in medicando solertissimus, magno excelsoque fuit animo, opera felix, principibus simul & imperatoribus carissimus, summumque apud eos honoris fastigium consecutus est: quin & tantas ab illis obtinuit opes, quantas nullus medicorum. Refert Quinum interpres, anno centesimo septuagesimo quinto cum ægrotasset Giafar, Erraschidi primus consiliarius, Barmacensis, præcepisse Erraschidum medico suo Bachtischuæ, ut eum inviseret, ipsique operam daret medicaretque, & post aliquot dies Giafarum dixisse Bachtischuæ, Volo ut mihi medicum aliquem peritum eligas, quem beneficiis afficiam & honore ornem; Bachtischuam vero respondisse, filius meus est me ipso peritior, nec inter medicos, qui illi sit consimilis, reperitur. Mihi, inquit Giafar, ipsum sistas velim. Cumque Gabrielem ad eum adduxisset, tribus ei diebus est medicatus, & Giafar sanitatem recuperavit; unde eum, sicut semet ipsum, dilexit Giafar, nec poterat illius consuetudine vel una hora carere: adeo ut cibum & potum una simul caperent ambo. In illis autem diebus Erraschidi concubina, cum inter jactandum se funibus manum suam sustulisset, remansit illa extensa, ita ut retrahere ipsam nequiret, cui cum medici linimento & unguentis adhibendis nihil proficerent, Erraschid dixit Giafaro, jam actum est, remansit hæc puella cum morbo suo. Respondit Giafar, medicum habeo peritissimum, estque Bachtischuæ filius, eum advocemus & cum ipso de isto morbo sermonem conferamus, ille forsitan aliqua ad illum curandum arte pollet. Jussit ergo ipsum ad se adduci; cui adducto, quodnam, inquit Erraschid, est nomen tuum? Gabriel, inquit ille: tum Erraschid, quid scis ex arte medica? respondit, calidum reddo frigidum, & frigidum item calidum: siccum efficio humidum, & humidum pariter siccum. Ridens Chalifa dixit, hoc est omne, quo opus habetur in arte medica: deinde statum ei puellæ exposuit; si mihi, inquit Gabriel, non succensebit

cenſebit Fidelium Imperator, eſt mihi ad eam ſanandam commentum. Quodnam eſt illud, inquit Erraſhid? ille, prodeat, inquit, huc puella in omnium conſpectum, ut quod velim faciam, tum autem patiaris me, nec ſubito iraſcaris. Jubente ergo Erraſhido prodiit illa, quam conſpicatus Gabriel ad ipſam accurrit, & inclinato capite fimbriam ipſius prehendit, quaſi ipſam denudaturus; puella vero commota præ conturbationis & pudoris vehementia, membra ſua demittens, manu deorſum extenſa fimbriam ſuam prehendit. Gabriel autem, ſanata eſt, inquit, O Fidelium Imperator. Dicente ergo Erraſhido puellæ, extende dextrorſum & ſiniſtrorſum manum tuam, cum feciſſet illa, miratus ipſe cum adſtantibus omnibus: ſtatim Gabrieli dari juſſit quingenties mille drachmarum, ipſumque dilexit ut ſemet ipſum, & omnibus medicis præfectum conſtituit. Interrogatus Gabriel de morbi cauſa, reſpondit, profudit ſe in puellæ iſtius membra inter venerem humor tenuis præ motu & caloris diffuſione, & cum ſubito a motu coitus quieſceret, congelatus eſt in interiori parte nervorum, adeo ut niſi a motu conſimili ſolvi non poſſet: uſus ſum ergo commento, quo, dilatato calore, ſolutus eſt humor ſuperfluus.

Res Gabrielis, inquit Quinum, & dignitatis gradus augebantur indies, adeo ut Erraſhidus ſuis diceret familiaribus, quicunque opus habet aliquid a me petere, de eo cum Gabriele ſermonem conferat; quia, quidquid ille a me vel petierit vel exegerit, ego facturus ſum. Ipſum itaque Duces omnium negotiorum ſuorum cauſa adibant; & ille magis ac magis in honore habebatur. A quo certe operam dare cæpit Erraſhido per annos quindecim, hic morbo in corpore ſuo non laboravit, qua de cauſa ipſum in oculis ferebat. Verum ultimis diebus, cum in urbe Tus eſſet Erraſhid, in morbum, quo mortuus eſt, incidit, quo ingraveſcente, Gabrieli dixit, an non ſanas me? Hic reſpondit, ſemper tibi ciborum commiſtionem prohibebam, ſemper tibi inculcabam ut venere minus utereris, & jam jam rogavi Te, ut in patriam tuam redires, ibi enim aer temperamento tuo accommodatior eſt, & tamen conſilium meum non admittis; morbus vero iſte graviſſimus eſt, ſpero fore ut Deus tibi largiatur ſanitatem. Tum Erraſhidus in carcerem conjici Gabrielem juſſit. Cum autem narratum illi eſſet reperiri in Perſia Epiſcopum quendam artis medicinæ callentiſſimum, miſit qui eum accerſerent; acceſſit ille, &, viſo Erraſhido, illi dixit, qui tibi medicatus eſt nullam habet notitiam; quod quidem dictum odium in Gabrielem auxit, eumque magis alienum reddidit. At vero El Fadl Ebn Errabii cum proſequeretur amore Gabrielem, animadvertit mendacem eſſe Epiſcopum, velleque forum, ut dici ſolet, fervefacere, ſive phaleratis dictis homines ducere, ſui venditandi cauſa, & quantum inter utrumque intereſſet diſcriminis, optime cognovit. Interea morbus Erraſhidi ingraveſcebat augebaturque, medicante licet Epiſcopo, & tamen dicebat ei, tu es ſanitati proximus, deinde addidit, iſte morbus totus quantus eſt, oritur ab errore Gabrielis: qua propter juſſit Erraſhid tolli e medio Gabrielem; verum El-Fadhl juſſum noluit admittere, utpote de ipſius vita deſperavit; Gabrielem

brielem itaque in vita ſuperſtitem ſervavit. Paucis poſt diebus e vita exceſſit Erraſhid, & El-Fadhlus dolore colico graviſſimo fuit correptus, adeo ut de ipſius ſalute deſperarent medici, Gabriele vero benigne ei ac ſolerter medicante, ſanatus eſt: magis igitur magiſque ipſum amavit atque admiratus eſt.

Inquit idem Quinum, mortuo Erraſhido, eique ſuffecto El-Emino, ad quem cum acceſſiſſet Gabriel, perhumaniter ac honorifice ab eo exceptus fuit, conceſſis illi magnis opibus. Immo plus quam pater ipſius ei dabat, nec cibum potumve niſi illius permiſſu ſumebat El-Emin. Sed poſt ea quæ Eminum inter & Elmamunum accidere & geſta ſunt, ſummam rerum adeptus Elmamun, ad Haſanum Ben Sahl, cum vicem ipſius in Aula ſuppleret, ſcripſit, ut Gabrielem apprehenderet, eumque in carcerem conjiceret, eo quod, mortuo Erraſhido ipſius patre, ad ipſum tendere neglexerit, & fratrem ſuum El-Eminum adiverit; quod & fecit El-Haſſan. Anno autem ducenteſimo ſecundo gravi morbo laboravit ipſe El-Haſſan, medicantibus ei medicis & nihil proficientibus, Gabrielem e cuſtodia eduxit; hic paucis eum diebus ſanitati reſtituit. Datis itaque illi clam multis pecuniis, ad Mamunum ſcripſit de morbo ſuo, & quomodo valetudinem opera Gabrielis recuperaverit, eum certiorem faciens, & pro illius negotio deprecans. El-Mamun ſe illi condonaturum reſpondit. Anno, inquit Quinum, ducenteſimo quinto, cum in aulam ingreſſus eſſet El-Mamun, Gabrielem domi ſuæ detineri nec dari ei famulos aut exeundi facultatem juſſit, miſitque qui accerſerent Michaelem medicum Gabrielis generum, quem in ipſius loco conſtituit, & ſummo honore, ut Gabrieli ægre faceret, complexus eſt.

Anno, inquit Quinum, ducenteſimo decimo gravi morbo laboravit El-Mamun, ad eum medendi cauſa acceſſerunt medici, ipſe vero cum nihilo melius ſe haberet, Michaeli dixit, remedia quæ tu mihi das malum augent; congrega igitur medicos, & ab ipſis conſilium circa morbum meum petito: tum Iſa ipſius frater, O Imperator Fidelium, inquit, adeſto Gabriel, quia ille temperamenta ab noſtra ineunte adoleſcentia novit; at ipſe non curavit dicta illius audire, & Abu-Iſaac Joannem filium Meſſue accerſivit; quem Michael ipſius medicus repellens obtrectando petivit dictis conviciatuſque eſt. Porro viribus Mamuni deficientibus nec amplius remedia admittentibus, Gabrielem ipſi in memoriam revocarunt; ipſum igitur adeſſe juſſit, qui, cum acceſſit, omnem medicandi rationem immutavit; ac unum poſt diem imminutus fuit Mamuni morbus & tres dies poſtea recte ſe habuit, ita ut brevi in priſtinam reſtitutus fuerit ſanitatem, & ipſi cibum & potum permiſit Gabriel; quod & ille fecit. Ac tum, Iſa ipſius fratre dicente, ejuſmodi vir cui non eſt par, annon debet honore affici? Juſſit ergo El-Mamun Gabrieli dari millies aureorum millia, & menſurarum tritici mille, ipſique omnia quæ ab eo vi abſtulerat ſive pecunias ſive prædia reſtituit: atque ipſum majori, quam ipſius pater, in honore habuit.

Narrat Joſephus Abrahami filius, die quodam, inquit, menſis Julii ingreſſus ſum domum Gabrielis, quæ in hippodromo ſita eſt, & ecce coram eo menſa, ſuper quam appoſiti erant plumipedes avium pulli majores pipere conditi ; ipſe comedens rogavit me, ut una ſimul cum ipſo comederem : quomodo, inquam ego, de iſtis comedam hac anni tempeſtate, & hac mea juvenili ætate ? Tum ille, quid, inquit, exiſtimas eſſe ciborum abſtinentiam ? Reſpondi, eſt ſibi a gravibus cibis cavere. Erras, inquit, non eſt id, quod dicis, ciborum abſtinentia, dixitque, neminem novi ſive nobilem ſive plebeium ſive ſenem ſive juvenem eo perveniſſe, ut per totam ætatem ſuam, a qualicunque abſtineret alimento, niſi aut illud horrori habeat, aut ſuus non cupiat appetitus. Quia homo quidem per ætatem ſuam a veſcendo cibo aliquo diutiſſime abſtinet, deinde alterius obſonii defectu, neceſſitate preſſus ad eundem comedendum adigitur ; vel propter aliquem morbum curandum, vel ut ægrotum domi ſuæ jacentem adjuvet, eique præeat exemplo ad eundem comedendum ; vel amici gratia qui ipſum ad id adjurat, vel denique propter appetitum ipſi recens obortum. Quando autem comedit illud a quo diutiſſime abſtinuerat, id non recipit illius natura, repugnatque, quin & illud creat in toto illius corpore morbum magnum, immo non nunquam ipſum enecat. Melius ergo & magis convenit corporibus, ut cibis omnibus aſſuefiant gravibus, ut illis conſueſcant ; & comedatur de iis ſingulis diebus exiguum quid, nec non eodemque die graves cibi duo ſimul comedi debent. Cum vero homo aliquid de iis comederit, ſi poſtea ad multum de iis comedendum adactus fuerit, ab hoc non refugit natura. Etenim videmus reſolventia remedia, ſi quis frequentius iis uſus fuerit, atque corpus illis conſueverit, eorum imminui effectum & nullatenus reſolvere. Videmus etiam Andaluſios, qui cum velint ſolvere naturam ejus qui Scammonea frequentius fuerit uſus, illi, ad emolleſcendam naturam, pondus trium drachmarum præſcribunt, cum in patria noſtra dimidium drachmæ ſufficiens ſit quantitas. Quod ſi remediis ita conſueſcant corpora, ut illorum impediant effectum ; ſimiliter & magis adhuc alimentis conſueſcant quantumvis gravibus. Hunc, inquit Joſephus, ſermonem Bachtiſhuæ Gabrielis filio cum retuliſſem, rogavit me, ut illum ipſi dictarem, eumque manu ſua exaravit.

Ait idem Joſephus, retulit mihi Salomon Choraſenſis Raſhidi ſervus ; die quodam, inquit, cum ſtarem prope caput Raſhidi in urbe Hira, dum cibum ſumebat meridianum, & ecce ingreſſus eſt ad eum Aoun El-Ebadi Elgiavhari, diſcum manibus portans in quo erat piſcis butyro conditus, adjecto farto quod ipſe accommodaverat. Voluit itaque Erraſhid de illo piſce comedere ; at impedivit eum Gabriel, nictuque oculi Præfecto menſæ indicavit, ut illum auferret ; qua de re monitus fuit Erraſhid. Sublata menſa & lotis manibus, diſceſſit ab eo Gabriel ; tum præcepit mihi Erraſhid, ut ipſum inſequerer, memet ipſum occultans, & quid facturus eſſet explorarem, ipſique referrem ; quod & feci, exiſtimans me ipſum occultaſſe, ſed ita ſibi cavit Gabriel ut me deprehenderit. Abiit ergo domum Aouni & juſſit cibum ſibi afferri.

ferri. Siſtiterunt illi piſcem eundem, tum tria pocula argentea afferri curavit, & poſita in unoquoque piſcis particula vinum Trabedenſe purum in uno eorum ſuper piſcem infudit, dicens hic eſt Gabrielis cibus. In altero aquam nive permiſtam infudit, dicens hic eſt Imperatoris cibus, quando non miſcet piſcem cum aliquo alio cibo. In tertio fruſta carnis variorum generum ex columbis, carnibus toſtis, dulciariis, & oleribus, impoſuit, affuſa frigida nive permixta, dicens hic eſt cibus Imperatoris Fidelium, quando miſcet piſcem cum aliquo alio, & tollens pocula ad Eunuchum menſæ attulit; hæc, inquit, ſerva, donec expergefiat Imperator e ſomno meridiano. Deinde ad piſcem acceſſit, & de eo, donec diſtentus fuerit uſque ad coſtas, comedit, & quotieſcunque ſiti premebatur, ſibi poculum meri afferri jubebat, bibebatque, poſtea dormitum abiit. Expergefactus e ſomno Erraſhid me vocavit interrogans, quid, inquit, notitiæ habes de facto Gabrielis: an aliquid de piſce comederit vel non? Eum de tota re feci certiorem. Tribus igitur poculis ſibi allatis ac detectis, comperit, illam piſcis partem, ſuper quam vinum affuderat Gabriel, valde comminutam eſſe; illam vero ſuper quam frigidam nive mixtam addiderat, duplo quam fuerat prius majorem evaſiſſe: illam demum quæ cum carnibus in poculo mixta fuerat, odorem ſuum amiſiſſe, maximamque illi lenitatem obtigiſſe. Tum Erraſhid quinquies mille denariorum, ſive aureorum, ad Gabrielem deferri juſſit, dicens, quis me amoris, quo virum ejuſmodi proſequor, accuſare poteſt, qui tam bene me regit tantamque mei curam habet? aureos ut ille acciperet, diligenter ſtuduit.

Refert Iſaacus Rohaenſis ab Ja filio Maſſe, quod Joannes filius Meſue ipſum certiorem fecerit Erraſhidum e ſacra peregrinatione Meccana reducem, Gabrieli dixiſſe, an ſcis, inquit, O Gabriel, qualis ſit tuus apud me dignitatis gradus? Hunc reſpondiſſe, quo modo, Domine mi, id neſcio; ac addidiſſe Erraſhidum, multas, inquit, cauſa tui ad Deum fudi preces, in eo quidem loco, ubi ſacra feſti Meccani celebrari ſolent; tum ad Haſhimenſes viros converſum dixiſſe, forte, inquit, hæc mea ad ipſum oratio minus vobis probatur? illos reſpondiſſe, at ille, inquiunt, eſt in clientelam Prophetæ receptus. Ita ſane inquit, verum rectus corporis mei habitus ſtat per ipſum, & bonus Muſſulmanorum ſtatus pendet a me, bonus ergo illorum ſtatus eſt per ipſum & per durationem ipſius vitæ. Reſponderunt, recte dixiſti, O Fidelium Imperator.

Refert Joſephus Abrahami Aſtronomi filius, qui alias Ebn-Eddahl dicitur, habebat, inquit, mater Gafari Abil-Faehli filia confeſſum in palatio Iſæ filii Ali, quod ipſemet inhabitabat; in illo loco nonniſi aſtronomi & medici ſedebant; illa nunquam de ullo morbo apud aliquem medicum conquerebatur, donec adeſſent omnes artis profeſſores, & ibi ſtarent, donec ipſa ſederet: porro ea in alterutro ſedebat loco, aut prope feneſtram reticulatam, quæ eſt ſuper officinam magnam e regione feneſtræ & oſtii primi aulæ, aut prope januam minorem, quæ eſt e regione ædium ſacrarum aulæ. Aſtronomi vero & medici ſedebant extra locum, in quo illa ſedebat, tum ipſa de eo quod ſen-

tiebat, querebatur. Medici disputabant inter se, donec ad eandem sententiam venirent circa morbum & medendi rationem: his inter se dissentientibus, controversiam dirimebant astronomi, & ei, qui in ipsorum sententia, rem acu tetigerit, fidem habendam esse pronunciabant. Deinde mater Gafari astronomos de tempore ad medicandum idoneo rogabat. Hi etiam, ni in eandem conspirent sententiam, redarguuntur, & medici opiniones eorum perpendunt, & id quod exigit recta ratio, judicant. Conquerente illa de morbo qui sibi in ultimo itinere, sacræ peregrinationis religionis causa susceptо, contigerat; medicos inter convenit de sanguinis e crure illius detractione cucurbitarum ope. Astronomi quoque diem, quo illi cucurbitæ admoveri possent, elegerunt. At tunc temporis erant dies esuriales sive jejunium mensis Ramadhan; nec nisi sub finem diei poterant illi applicari cucurbitæ. Inter astronomos qui dissenserunt, fuere El-Hassan filius Mahomedis Ettusi, & Ettamimi dictus El-Abahi, & Omar Ebn El-Pharhan Tabriensis, & Shoaib Judæus.

Inquit Josephus Abrahami filius, cum impedimentum aliquod aut morbus Labaho accidebat, illius vicem supplebam; illi igitur consessui in ejus loco interfui, in quo agebatur de eligendo tempore matri Gafari cucurbitas applicandi; ibique filium Davidis filii Serapionis juvenem, qui nondum viginti annos ætatis attigisse videbatur, inveni. Jusserat enim Giafari mater, ipsum, ut in tali consessu erudiretur, accersiri; nam in mandatis dederat omnibus, qui ad ipsam accedebant medicis, ut doctrina eum instituerent, eique auxiliares manus afferrent, idque ob eam quam de eo gerebat curam, habita illius parentis, qui ipsi operam dederat, dignitatis ratione: inveni, inquam, ipsum, cum monaco quodam medico, de civibus El-Ahwaz (qui jussus fuerat adesse illo die in aula) disputantem circa potionem aquæ, cum quis e somno expergefit; ac dicente filio Davidis, neminem video stultiorem eo, qui cum de somno expergefactus fuerit, aquam bibit, accessit Gabriel, & in consessum ingressus, non desiit dicere, illum eo, per Deum, stultiorem, cujus in hepate accenditur ignis, nec illum extinguit, deinde petiit quis esset ille, qui sermonem, quem audierat, protulerit? Responderunt ei, esse Davidis filium. Eum itaque duriter corripuit graviterque exprobravit, ipsi dicens, vah! Pater tuus in arte medica primas tenuit, & tu tamen ita loqueris ut audivi! Respondit adolescens, quasi vero tu (honoret te Deus) permittis, ut bibatur aqua noctu, cum quis e somno expergefit? Respondit Gabriel, quantum ad eum qui calido siccoque præditus sit stomacho, & ad eum qui in cœna cibum aliquem salsum comederit, his duobus aquam bibere permitto: illam vero inhibeo ei, qui humidum habet stomachum, & iis qui salsa abundant pituita. Omnes itaque conticuerunt excepto me, O Abu-Ja, inquam ego, unum adhuc restat; quodnam, ait ille? Respondi, si ille qui siti laborat medicinam æque ac tu intelligeret, sitim suam an ab amaro aliquo, an a salsa pituita sit orta dignosceret. Tum ille ridens mihi dixit, quando siti urgeris noctu, pedem tuum ex toralio deducito & paululum aquæ bibito, si augeatur

sitis

ſitis illa a calore aut a cibo ſuper quo bibere neceſſe eſt, tunc bibe: ſi vero ſitis nonnihil imminuatur, a bibenda aqua abſtineto, nam ſitis tum a pituita ſalſa exoritur.

Interrogatus Gabriel ab Abu-Iſaac de morbo qui Werſe Kin appellatur, reſpondit, nomen hoc Perſæ compoſuerunt e duabus vocibus, fractionis videlicet & pectoris; nam in puriori ſermone Perſarum, nomen pectoris eſt Wer quod vulgo Ber dicitur, nomen autem fractionis Eſ-Kin; ſi ambæ voces una conjungantur, efficiunt Werſe Kin, i. e. morbus ille in quo pectus neceſſario frangitur, qui quidem ſi in aliquo firmetur ex illo non aſſurget, & is qui ex illo evadit, ne recrudeſcat morbus annuo ſpatio verendum eſt, niſi tempore morbi vel poſtea vomitus ſanguinis, quem expellit natura per nares aut inferne, copioſe accidat, tunc ſalus ſperanda eſt. Tum Abu-Iſaac admirantis in morem, quid, inquit, annuo ſpatio! Ita ſane, reſpondit Gabriel, pro te peream, & eſt alius morbus quem parvi pendunt homines, nempe El-Hasba, ſeu Morbillorum; ego quidem, pro eo qui illo tentatur, ne recrudeſcat per annum timeo, niſi poſt illos contingat ei alvi ſolutio, & tanta in copia dejiciat, ut parum abſit ab exitio; horum alterutrum ſi eveniat, deſino metuere.

Inquit Joſephus, intravit Gabriel ad Abu-Iſaac poſt morbum, quo afflictus fuerat, & jam ipſi ut craſſiores ederet carnes permiſſum fuit: cum ad menſam conſediſſet appoſuerunt coram eo cibum Keſh Kie; ac ille juſſit diſcum auferri; rogante me cauſam, reſpondit, nunquam, ait, ulli Chalifæ, qui vel uno die febri laboraverat, ut edulium Keſh Kie per annum integrum ederet, permiſi. Tum Abu-Iſaac, utrum duorum, inquit, Keſh Korum, ſignificare vis, an illud cum lacte pinſum, vel ſine lacte. Reſpondit Gabriel, non permiſi eſum illius, quod ſine lacte confectum fuit per anni ſpatium, immo etiam juxta regulas artis, nec debet permitti eſum Keſh Kie lacte ſubactum niſi poſt finitos tres annos.

Refert Maimun Ben Harun accepiſſe ſe a Soaido Iſaaci filio, qui & Chriſtianus fuit, mihi, inquit Gabriel Ben Bactiſhuæ narravit, Eram ait ille, cum Erraſhido in quodam loco Raqua dicto, & erant una ſimul duo ipſius filii El-Mamun & Mohammed El-Emin, erat autem ipſe homo pinguis, edax, & bibaciſſimus; die quodam cum res commiſtas ediſſet, latrinam ingreſſus deliquium paſſus eſt, eo inde deducto ita invaluit deliquium ut de illius obitu non dubitaretur; ipſius nutu me vocarunt, acceſſi, & cum arteriam tetigiſſem, pulſum latentem inveni. Aliquot vero antehac dies, de repletione & de concitato ſanguinis motu conqueſtus erat: dixi itaque illis eum eſſe moriturum, rectamque rationem ſuadere, ut protinus illi admoveantur cucurbitulæ: ipſo conſentiente, Chirurgum accerſiri curaverunt; tum præcepi ut ipſum ſedere facerent: appoſitis ei cucurbitulis illiſque ſuctis, locum jam rubrum evaſiſſe deprehendi: bono itaque fui animo cognovique eum in vivis futurum; tum Chirurgo, incide, inquam, fiſſura, atque eo incidente ſanguis miſſus fuit, unde ego proſtratus Deo gratias egi, & prout ſanguis emittebatur ipſe caput movebat ſuum, & illius

color

color illucebat, adeo ut loquutus ſit, dicens ubi ego ſum? animum illi addidimus, & in cibum pectus gallinæ & potui vinum dedimus, nec ceſſavimus odores ſuaves olfaciendo illi dare, & aromata in ejus nares indere, donec redierint illius vires, & intrarent ad ipſum homines, & largitus eſt illi Deus ſanitatem.

Aliquot poſt dies, excubiarum ſive cuſtodum ſtipatorum corporis Præfectum advocavit, interrogavitque de proventu, quem ſingulis annis percipiebat, ac ille ſignificavit ipſi, ſuum annum ſtipendium eſſe trecentorum millium ſeſtertiorum ſive drachmarum. Idem a Ductore ordinis ſive duce cohortis militum quæſivit, qui dixit illi eſſe illud quinquies centum millia; ab Eunucho ſuo idem percontatus eſt, qui reſpondit illud eſſe millies millie drachmarum; tum Gabrieli dixit, jus tuum tibi minime tribuimus, quandoquidem proventus horum, qui ab hominibus, ut ipſi dicunt, me cuſtodiunt, majores ſint tuis, qui me a morbis ac infirmitatibus cuſtodis. Juſſit itaque ut mihi aſſignetur proventus millies mille drachmarum. At ego dixi ipſi, O Domine, tuis ego non indigeo penſionibus, verum mihi largiaris unde poſſim villas pagoſve emere; quod & fecit: atque ego iis quas mihi dedit pecuniis villas in poſſeſſionem emi proventus millies millium drachmarum.

Inquit Joſephus Abrahami filius, narravit mihi Abu Iſaac Mohdi filius, cum populus Gabrielis domum diripuiſſet, ſub imperio Mahometis El-Emin, illum ad ſe confugiſſe & ſecum hoſpitio exceptum, ab iis, qui ipſum interficere volebant, defendiſſe: ut videbam, inquit Abu-Iſaac, turpem in Gabriele impatientiam nimiumque ob jacturam opum ſuarum moerorem atque & moeſtitiam præter modum, adeo ut non exiſtimem ullum mortalium tantum unquam doluiſſe ac ægre tuliſſe opum jacturam, quantum Gabrielem. Quando autem tumultuata eſt ſecta Elmebidatu & prodierunt hoſtili animo in Baſſra & in Ahwaz, venit ad me ſumma perfuſus lætitia, tanquam centies mille drachmarum accepiſſet: video, inquam, Aba-Iſa lætum? Reſpondit, ſic ſane: tum ego cauſam tantæ lætitiæ rogavi: pervaſerunt, inquit, El-Alawie meas villas in eaſque immiſerunt ignem. Quam mira, inquam ego, tua agendi ratio! quando populus opum tuarum partem diripuit, ita moerore afficebaris ut parum abeſſet quin animam efflares; & jam capiunt El-Alawie omnia penitus quæ poſſides, & tu tamen hanc præ te fers lætitiam? Reſpondit, impatientia mea inde erat, quod opibus in ſomnio donatus fuerim; at ſum ſpoliatus tempore gloriæ meæ ac dignitatis; & prodidit me qui præſidio mihi eſſe tenebatur; nec grave accidit mihi quod El-Alawie fecerunt; irrito enim conatu, bona viri ſimilis mei, qui ſub duobus imperiis opibus iiſdem ſemper affluere-ret, conſumunt. Et ni feciſſent, quod fecerunt (quamquam debebant, ut pote conſcii integritatis animi mei erga dominos meos, quos Deus ſuis cumulavit bonis) in mandatis dare ut ſalva remanerent prædia mea, & parceretur meis adminiſtratoribus; ni feciſſent, inquam, dicturi ſuiſſent, Gabriel noſtri ſemper eſt ſtudioſus, quam diu imperium dominorum ipſius durat, opibus ſuis de nobis bene meretur, & nuncia

domino-

dominorum ſuorum ad nos curat perferri; atque tum fama harum rerum ad Imperatorem allata fuerit, meque de medio ſublaturus fuiſſet; lætitia ergo afficior, quod villæ meæ ſint dirutæ, & ego ſim incolumis.

Inquit Joſephus, narravit mihi Farah, dictus Abba-Kharaſan, ſervus ac familiaris Salchi Ben Erraſhid, ſummam, inquit, rerum adminiſtrat herus meus Baſſræ, & præfectus ipſius in ea erat Abbu-Errazi; cum autem ædificum domus ſuæ, quæ in hippodromo ſita eſt, reſtaurare vellet Gabriel, herum meum rogavit, ut daret ipſi in munus quingentas trabes ex ligno arboris platani Indicæ (ſingula autem trabs aureis tunc væniit tredecim.) Meus vero herus multam pecuniarum eſſe ſummam exiſtimans reſpondit, quingentas non, at ſcribam ad Abbi-Errazi, ut ducentas tibi adferri trabes curet; non opus habeo, inquit Gabriel, ducentis. Tum hero dixi meo, opinor equidem aliquid in perniciem tuam Gabrielem eſſe moliturum. Ille vere reſpondit, Gabriel eſt mihi quacunque vili re deſpicabilior; quid? ego potionem medicam ab eo non accipiam, nec eum ut me curet rogabo. Aliquandiu poſt herus meus voluit Imperatorem inviſere; completo per adventum Mamuni conſeſſu, video, inquit Gabriel, vultum tuum, O Princeps Fidelium, eſſe immutatum, deinde aſſurgens acceſſit ad ipſum & arteriam contrectavit, dixitque, bibat Imperator Fidelium Oxymel, differatque prandium, donec ſcientia aſſequamur quid rei ſit. Fecit itaque El-Mamun prout indicavit ipſi Gabriel. Poſtea cæpit arteriam identidem palpare, nec quidquam mali ſentiebat. Illico Gabrielis ſervi ingreſſi ſunt manibus ferentes offulam panis & una ſimul fercula ciborum ex citrinis cucurbitis & viridibus phaſeolis minoribus & ſimilibus rebus confectorum. Non mihi probatur, inquit Gabriel, quod Fidelium Imperator quidquam ex animalium carnibus hodie comedat, ex his igitur cibis velit comedere. Ille itaque ſumpto cibo dormitum abiit, eoque expergefacto a meridiano ſomno Gabriel dixit, O Imperator Fidelium, odor vini calorem auget; auctor tibi ſum, ut in ſeceſſum tete recipias: diſceſſit ergo El-Mamun, & non multo poſt omnia heri mei ſtipendia fuere perdita.

Inquit Joſephus, mihi retulit Georgius filius Michaelis accepiſſe ſe ab avunculo ſuo Gabriele (quem ob multiplicem doctrinam in honore habebat noſter Gabriel, nam hoc excepto, nemo, mea quidem ſententia, illo doctior fuit, at amore & admiratione ſui magnaque dementia laborabat) quod anno centeſimo octogeſimo ſeptimo die primo menſis Moharram Gabriel improbaverit cauſam, cur Erraſhid victum ſuum imminueret, utpote nihil deprehendebatur in eo, neque in arteriarum pulſu quod neceſſariam redderet cibi diminutionem, quodque Erraſhido dixerit, O Princeps Fidelium, corpus tuum, laus ſit Deo, integrum ac ſanum eſt, neque ſcio ullam rationem, cur nolis alimentum tuum integre aſſumere? ille mihi, inquit Gabriel, cum multoties ipſi quæſtionem hanc inculcabam, dicebat; inſalubrem Bagdadi urbem ſum expertus, nolo tamen hiſce diebus ab ea procul abeſſe; an ſcis, inquit, aliquem locum illi vicinum, cujus aer ſit ſalubrior? Reſpondi, urbs El-Hira, O Fidelium Imperator: multoties

inquit, iter fecimus in illam urbem, & detrimento Aounum Ebadenſem in ipſius regione diverſando maximo affecimus. Dixi, O Princeps Fidelium, civitas Anbar optima habetur, & ipſius aer illo El-Hiræ eſt ſalubrior. Illuc itaque ſeſe contulit, nec tamen plus cibi ſumebat, immo indies minus cibi comedebat; quin & die Jovis, duos ante dies ac noctem, quam Giafarum interimi curaſſet, ſe a cibo abſtinuit, jejunium agens. Giafar ad ejus interfuit cœnam, atque ipſe quoque jejunus erat, in qua non multa Raſhidus tetigit. Dicente illi Giafaro, O Princeps Fidelium, quid ſi aliquid plus cibi ſumeres? Poſſem ſane, ait, ſi vellem, ſed malo levi ſtomacho noctem tranſigere, ut craſtino mane cibum magis appetens cum uxoribus prandeam. Diluculo diei veneris ſurrexit ad equitandum, & cum ipſo etiam Giafar Ebn Jahia equitavit. Vidi ipſum introducentem pedem ſuum in manicam Giafari, donec ad illius manum pervenerit; ac tum illum ſibi adjungens amplexatus & inter duo lumina deoſculatus eſt, atque manu ſua in manu Giafari contenta incedit plus quam mille cubitorum. Deinde reverſus ad tentorium ſuum dixit, per vitam meam ne vinum hauſeris hoc toto die, illumque diem lætitiæ feceris. Ego quidem, inquit, familia ſum diſtentus mea; tum ad me, O Gabriel, ait, ego pranſurus ſum cum uxoribus meis, mane tu cum fratre meo atque eidem ac ipſe gaudio indulge. Bibi itaque cum Giafaro, & accerſitis eduliis pranſi ſumus ambo; quin & cantorem Aba Re Kan cæcum accerſiri juſſit, nec quiſquam præter nos duos illi interfuit conſeſſui. Videbam autem famulos alterum poſt alterum ingredientes ad nos, quos ipſe interrogabat, & illis reſpondentibus, ſuſpiria edebat, mihi dicens, væ tibi, O pater Iſæ, nondum adhuc cibum cepit Imperator: ego, per Deum, inquit, timeo ne ſit in eo aliquis morbus, qui ipſum impediat quominus veſcatur. Quoties vero bibere volebat, ad unumquemque cyathum vini jubebat Aba Re Kan carmen aliquod canere. Nec deſiimus hoc modo indulgentes hilaritati uſque ad tempus precationis ſerotinæ, cum ecce ingreſſus eſt ad nos Haſhem Maſrur natu major, & cum ipſo Chalife Harthame filius Oion, & multa militium cohors, tum Chalifa extenſa manu ſua in manum Giafari dixit illi, ſurge, O improbe, mihi vero nihil vel dictum vel juſſum eſt; extemplo igitur domum meam petii mentis minime compos, vix ibi dimidium horæ ſteti cum ad me venit Raſhidi nuncius me ad ipſum ire jubens: ad illum ingreſſus caput Giafari coram eo in pelvi poſitum vidi. Interrogabaſne inquit, O Gabriel, de cauſa cur victum meum imminuerim? Ita ſane, reſpondi ego. Cogitatio, ait, de eo quod vides eo me adduxit: ego vero hodie ſum apud memet ipſum tanquam ovans camela; cœnam affer meam, ut videas quantum plus cibi quam antea ſumpturus ſim. Comedebam quidem aliud poſt aliud ne ingraveſceret cibus ſuper me, & in morbum conjiceret. Ac tum afferri ſibi juſſit cibum ſuum eo ipſo tempore, & illa eadem nocte comedit optime.

Inquit Joſephus, retulit mihi Abrahamus Mohdi filius, quod cum reliquiſſet conſeſſum Mahometis, tempore Chalifatus ſui, veſperi, ob remedium quod ille ſumpſerat, Gabriel filius Bachtiſhuæ ad ipſum

venerit

venerit mane diei ſequentis, & Emini ſalutem ipſi renunciaverit ac de ſtatu valetudinis & de remedio ſciſcitatus fuerit ; deinde propius ad eum accedens dixerit ; Imperator eſt miſſurus Ali filium Iſæ filii Mahan in Choraſanum, ut captivum in compede argentea Mamunum adduceret : verum alienus ſit a fide Chriſti Gabriel, ni Mamun vincat Mohametem, eoque occiſo regnum ipſius invadat. Tum ego, væ tibi, inquam, quare dicis hoc & quomodo dicere audes ? Reſpondit ille, quia iſte Chaliſa, delirus ac furore percitus, eſt hac nocte inebriatus & advocavit Aba Aſmet cuſtodum ſuorum præfectum, eumque veſtibus nigris exui meiſque indui veſtimentis juſſit, illi zona mea & mitra capiti impoſitis, & mihi ut illius tunicis veſtibuſque induerem & gladium accingerem atque in loco præfecti ſuorum cuſtodum uſque ad ortum ſolis ſederem, præcepit : alterum in alterius loco conſtituens & poſſeſſionem muneris more ſolito conferens. Ergo, inquit Abrahamus, Deus eas gratias & ea quibus fruitur beneficia eſt immutaturus, eo quod ipſe in ſe ipſo illa mutaverit. Etenim hominem Chriſtianum in cuſtodiam ſui conſtituit. Quandoquidem religio Chriſtiana omnium eſt viliſſima ; quia in nulla alia habetur, tanquam neceſſaria conditio, ſeſe ad quicquid exoſum ingratumve quod vult inimicus ſubmittendi, uti parere cum quis ad aliquod opus ſine mercede faciendum adigitur ; & ſi jubeatur incedere milliare, adjiciat & aliud milliare ; ſi colapho illi cædatur altera gena, vertat & alteram, ut illa quoque percutiatur : que omnia plane ſunt aliena a religione mea. Tum, inquit Gabriel, declaravi illi, honorem hominis in hac vita fluxum eſſe parvique faciendum. Verum cum Imperator in loco medici ſui, qui ipſi vitæ cuſtos, corporis miniſter & naturæ ſervus eſt, ſedere fecit hominem qualis eſt Aba-Aſme, qui ex his omnibus nec multum nec parum intelligit, minime victurus eſt, & anima illius exitio futura.

Inquit Joſephus, audivi Gabrielem filium Bachtiſhuæ alloquentem Aba-Iſaac Abrahamum filium Mohdi, ſe apud Abbaſſam filium Mahometis fuiſſe ; cum ad ipſum intravit aliquis poeta ejus laudes carminibus celebraturus, non deſiiſſe poetæ auſcultare donec venerit ad hoc diſtichon.

Si diceretur Abbaſſo, O fili Mahomedis, dic non [i. e. denega petenti] & tu immortalis futurus es, non diceret illud [ſcil. non. i. e. non denegabit.]

Audito, inquit Gabriel, hoc diſticho non potui memet ipſum continere, utpote ſciebam Abbaſſum hominum ætatis ſuæ eſſe avariſſimum. Poetæ itaque dixi, heus tu, puto loqui te de munificentia, voluiſti igitur dicere etiam [dabo] at tu dixiſti non. Tum Abbas ſubridens procul eſto, inquit, Deus faciem tuam deteſtetur.

Inquit Joſephus, alloquutus eſt Gabriel de ſe ipſo Aba-Iſaacum in eo conſeſſu ; intravi, ait, ad Abbaſſum uno poſt Paſcha Chriſtianorum die, & erat in capite meo aliquid reſidui vini heſternæ diei, (idque accidit antequam Erraſhido operam dediſſem ;) ſciſcitani mihi quomodo Princeps, quem honore Dignetur deus, evigilavit mane ? Reſpondit ille, prout tu cupis. Non, per Deum, inquam ego, evigilavit

lavit Princeps prout cupio, neque prout cupit Deus, neque prout cupit Diabolus. Ipſe ob dicta iſta mihi iratus, dixit, quid ſibi vult hic loquendi modus, improbet te Deus? Reſpondi ego, penes me eſt demonſtratio. Afferto illam, inquit, ſin minus, deſpectui objiciam te, nec ingredieris domum meam amplius. Quantum ad id, aiebam, quod ego cuperem, eſt, ut fias Imperator Fidelium: nequaquam, ait ille. Quod vero, inquam, expetit Deus a ſervis ſuis eſt, ut pareant ei in iis quæ præcepit ipſis, & recedant ab iis quæ prohibuit. Tu autem, O Rex, ita te habes? Minime, inquit, Deus mihi condonet. Denique quod ab hominibus Diabolus deſiderat, eſt, ut impii ſint erga Deum, ſummamque ipſius poteſtatem abnegent; ſimiliter & tu, O Princeps? Reſpondit Abbas, nullatenus: at ne redeas poſthac ad ejuſmodi ſermonem.

Anno, inquit Quinum interpres, ducenteſimo decimo tertio, cum in Græciam, inferendi belli cauſa, profiſciſci decreviſſet El-Mamum, videretque Gabrielem, qui tum graviſſimo laborabat morbo, valde debilem, ab eo petiit ut ſecum Bachtiſhuam ipſius filium mitteret, & illum ſibi iſti juſſit. Ille autem ſimilis erat patri ſuo intelligentia & judicio. Quando ipſum alloquutus eſt El-Mamun & audiit quam optime reſponderet, eo ſummopere delectatus eſt, ipſum maximo in honore habuit, dignitate auxit, ſecumque in Græciam duxit.

Profecto ad expeditionem bellicam El-Mamuno, longum duravit Gabrielis morbus, adeo ut ſupremum diem obierit. Teſtamenti ſui curatorem nominavit El-Mamun; illudque ad Gabrielem generum ſuum deferri curavit. Porro Gabrielis exequiæ, pro eo quo erat dignitatis gradu & pro ipſius bene meritis & bonis operibus, tanto decore tantaque pompa celebratæ ſunt, quanta nulli e ſuis paribus contigit.

Sepultus fuit in Monaſterio Sancti Sergii in Medain. Cum autem rediiſſet e Græcia Bachtiſhua ejus filius, monachos ad inhabitandum illud monaſterium congregavit, illiſque vitæ neceſſaria conſtituit atque redditibus ipſos ditavit.

Familia Georgii, inquit Quinum interpres, & ejus poſteri, fuerunt omnium gentis ſuæ præſtantiſſimi propter eximia illa, quæ Deus ipſis peculiariter tribuit, naturæ & virtutis dona; animos, videlicet, liberales, beneficentiam, æquitatem, bona opera, erga pauperes miſericordiam, in viſitandis ægrotis & egenis ſedulitatem, & in auxiliandis adverſa fortuna utentibus & afflictis alacritatem; quæ omnia enarrandi & explicandi modum ſuperant.

Spatium autem temporis, quo Gabriel opera ſua apud Erraſhidum meruit uſque ad ejuſdem mortem, eſt viginti trium annorum. Inventus vero codex apud Gabrielem ab Amanuenſi ſuo conſcriptus, in quo ea ad quæ pervenerat dum Raſhido operam dedit, ordine recenſentur. Scilicet quod habuerit pro honorario ſolito ſingulis menſibus decies mille drach. quæ ſunt in anno centum & decem millia. ſpatio 23 an. bis mille millium & ſeptingenta & ſexaginta millia. Pro victu unoquoque menſe, quinquies mille drach. quæ in anno ſunt ſexaginta millia, ſpatio 23 an. ſunt millies mille & ter centum & octoginta millia.

Habeat

Habebat pro honorario ab Imperatoris familia ſeu Gynæceo ſingulis annis quinquaginta millia drach. Quæ ſpatio 23 an. ſunt millies mille & centum quinquaginta millia.

Pro veſtimentis accipiebat ſingulis an. quinquaginta millia drach. Spatio 23 an. ſunt millies mille & centum quinquaginta millia.

Enumeratio ſingulorum.

Dabantur ei viginti volumina panni optimi Phrygii operis Tirazenſis.

Item, Decem volumina panni ex ſericoneto contexti Manſurenſis.

Item, Decem alia ex ſericoneto amplo.

Item, Tres partes (decem cubitorum ſingulæ ad conficiendas tres veſtes) ſerici panni colorati pictive Jemanici. ſ. in Arabia Felice confecti.

Item, Tres partes panni ſerici Niſibenſis colorati.

Item, Amicula tria ex pilis caprinis vel camelinis contexta.

Et ad aſſuendum veſtibus alterum pannum, loco panni dabatur ei ex pellibus muſtelæ Scythicæ, & muſtelæ Foenariæ vulgo Fovinæ: item ex pellibus muſtelæ albæ ſive muris Hermelini & muris pontici.

Dabatur ei, ineunte Chriſtianorum jejunio quadraginta dierum, quinquaginta millia drach. pecunia ſignata. Spatio 23 an. ſunt millies mille & centum quinquaginta millia.

Et die Hoſannæ ſ. Dominicæ Palmarum dabantur ei veſtes, panni ſerici & ſimilia pretio decem millium drach. Spatio 23 an. ſunt ducenta & triginta millia drach.

Et die ſolutionis jejunii Muſlimorum unoquoque anno, quinquaginta millia drach. pecunia ſignata. Spatio 23 an. ſunt millies mille & triginta millia.

Pro ſectione venæ Erraſhidi bis in anno, quinquaginta millia drach. ſingulis vicibus. Spatio 23 an. ſunt bis mille millium & trecenta millia drach.

Pro potione medica bis in anno, quinquaginta millia drach. ſingulis vicibus. Spatio 23 an. ſunt totidem.

Habebat a familiaribus Raſhidi ſingulis annis, in veſtimentis aromatibus & jumentis, centum & quadringenta millia. Spatio 23 an. ſunt novem millia millium & ducenta millia drach.

Deſignatio perſonarum, & ſummarum ſingulatim enumeratio.

Ab Ja filio Giafari, quinquaginta millia drach.

A Zobaida, matre Giafari, quinquaginta millia drach.

Ab El-Abbaſſo, quinquaginta millia drach.

Ab El-Fadhlo, filio Rabii, quinquaginta millia drach.

A Fatime matre Mahometis, ſeptuaginta millia drach.

In veſtimentis, aromatibus, & jumentis, centies mille.

Et de proventu villarum ſuarum, quæ ſunt in Giandiſabur & Waſwaſi & Baſſre, vectigalibus ſolutis, octingenta millia drach. pecunia ſignata. Spatio 23 an. ſunt octodecim millium & quadringenta millia drach.

Et quod remanebat de vectigalibus ipſi aſſignatis ſeptingenta millia drach. Spatio 23 an. ſunt millies mille & centies mille drach.

Accipiebat a familia Barmacenſi unoquoque anno pecunia ſignata, duo millia millium & quadringenta millia drach.

Deſignatio Perſonarum & ſummarum enumeratio.

Dabant ei, Jahia, filius Chalid, ſexcenta millia drach.

Giafar filius Jahiæ, millies mille & centum millia drach.

El Fadhl filius Jahiæ, ſexcenta millia drach. Sunt ſpatio 23. annor. triginta & unum mille millium & ducenta millia drach.

Præter munera & largitiones, de quibus in hoc codice non fit mentio.

Summa omnium, quæ acquiſivit 23 annis quibus operam dedit Raſhidio & 13 an. quibus apud Barmacenſem familiam opera meruit, abit ad 888800000 drachmarum.

Munera, quæ non memorantur inter impenſas & res alias, juxta codicem ab autographo deſcriptum, ſunt nonagenta aureorum millia & ſexcenta millia drachmarum.

Sumptus ejus ſingulis annis circum circa bis mille millium & ducentæ drachmæ. Spatio 36 an. viginti ſeptem millia millium.

Pretium gemmarum & quæ recondidit, quingenta millia aureorum & quinquaginta millia millium drach.

Quæ impendit in emendis prædiis, domibus, hortis, locis amoenis, ſervis, beſtiis, balneis, ſunt ſeptuaginta millia millium & duodecim millia drach.

Quæ impendit in inſtrumentis, ſtipendiis, artibus, & artificibus, & ſimilibus, octo millia millium.

Quæ prædictis annis impendit in bonis operibus, erogationibus, muneribus, beneficiis & largitionibus; & quæ perdidit in ſponſionibus, & rapinis, ter mille millium drach.

Quæ ipſi denegarunt depoſitarii, ſunt tria millia millium drach.

Nihilominus tamen his omnibus toleratis deductiſque teſtamento, ſcripſit filio ſuo Bachtiſhuæ, curatorem El-Mamunum conſtituens, nonagenta millia aureorum, roganſque ut illa, nullo obice interpoſito, filio tradantur.

Gabriel autem filius Bachtiſhuæ eſt idem ipſe, quem innuit Abu-Nwaſs in illo carmine quod Mamuno tribuitur, quando ſic canit,

Interrogavi Aba-Iſa, num Gabriel judicio præditus eſt.

Dixi, vinum perplacet mihi;
Reſpondit, multum de eo interitus eſt.
Dixi itaque ipſi, quantum, defini mihi;
Reſpondit, & ſententia ejus deciſio eſt,
Inveni, ait, naturas hominis,
Quæ ſunt ipſa prima principia;
Quatuor quidem ad quatuor pertinent,
Unicuique igitur naturæ litra [vini ſufficit.]

Inter præclare dicta Gabrielis, hæc habentur:
Quatuor ætatem deſtruunt,
Cibum ad cibum introducere ante concoctionem;
Et jejuno ſtomacho bibere;
Connubio cum vetula conjungi;
Veneri in balneo indulgere.

Gabrielis ſunt libri.

1. Epiſtola ad Mamunum de cibo & potu.
2. Liber introductionis ad artem Logicam.
3. Liber de coitu.
4. Epiſtola continens epitomen artis medicæ.
5. Syntagma ſuum.
6. Liber de deſcriptione & proprietatibus Thurium, quem ſcripſit gratia Abdallah Elmamuni.

N° 2.

BACON. 168.

DE SPECULIS.

EX Concavis Speculis ad ſolem poſitis ignis accenditur. Hæc ultima propoſitio libri de Speculis communibus ſic demonſtratur ibidem. Eſto Concavum Speculum, &c.

Ibid. 177. Ex quibus omnibus quod prædicta poſitio inſufficiens eſt, & nimis diminuta tam ratione multiplicationis, quam ratione combuſtionis. Ratione quidem multiplicationis deficit minus, quia, ut præoſtenſum eſt, infinities infiniti radii ad ſuperficiem ſpeculi multiplicantur, de quibus non fit mentio in dicta poſitione, & tamen omnes reflectuntur a ſuperficie ſpeculi ad locum combuſtionis, ſicut fide oculata experimur. Ratione etiam combuſtionis nimium deficit, quia, ut prius ſatis diffuſe dictum eſt, infinities infiniti fortiores quam ſint radii ſecundum modum illius poſitionis multiplicati perveniunt ad ſuperficiem ſpeculi; qui omnes ad locum combuſtionis reflexi in parvum locum congregantur, utpote infra latitudinem unius denarii, quod fide oculata probamus, ut prædictum eſt. Et patet ex hoc, quod tota lux in ſuperficie ſpeculi paulatim & gradatim coarctata pervenit ad locum combuſtionis, in quo eſt maxima coarctatio, quæ poteſt per talem figuram, ſcil. ſphæricam, taliter aliqualiter cauſſari, quoniam ab illo loco, & citra & ultra, eſt major lucis latitudo.

N° 3.

N° 3.

Bacon. Perspectivæ. 165.

NAM per Reflexionem contingit unum apparere multa & infinita. Sic enim visi sunt aliquando in Cœlo simul plures Soles, & Lunæ, secundum quod Plinius recitat in Naturalibus; & hoc non accidit, nisi quando vapor dispositus fuit ad modum Speculi, & hoc ut sit multiplex vapor, & in diverso situ, & quod natura potest illud operari; unde possunt Specula sic fieri, & taliter poni & ordinari, quod una res apparebit quotquot volumus. Et ideo unus homo videbitur plures, & unus exercitus plures: etiam prætactæ sunt radices ad hoc, una sc. de Speculo fracto, cujus partes recipiunt situm diversum, & diversæ erunt imagines secundum diversitatem fractionum. Et alia radix de aqua & speculo, a quibus diversa imago resplendet. Si ergo ordinarentur specula utroque istorum modorum, quot voluerimus, manifestum est, quod una res apparebit in tot imaginibus quot cupimus, & sic pro utilitatibus Reipub. & contra Infideles possent hujusmodi appericationes fieri utiliter & terribiliter. Et si quis noverit aerem densare, ut Reflexio fieret ab eo, posset multas hujusmodi appericationes insolitas procurare. Sic vero creditur, quod Dæmones ostendunt castra, & exercitus, & multa miraculosa hominibus, & possunt per visionem reflexivam omnia occulta in locis abditis, in civitatibus, exercitibus, & hujusmodi deduci in lucem. Similiter possent Specula erigi in alto contra civitates contrarias & exercitus, ut omnia quæ fierent ab inimicis viderentur, & hoc potest fieri in omni distantia, qua desideramus; quia secundum librum de Speculis, potest una & eadem res videri per quinque Specula si volumus, si debito modo situentur, & ideo possunt propinquius & remotius situari, ut videremus rem quantum a longe vellemus. Possunt autem Specula sic ordinari, ut appareant quot voluerimus, & quæcunque in domo vel platea, & omnis aspiciens res illas videbit secundum veritatem, & cum currat ad loca visionis, nihil inveniet. Nam sic situabunt Specula in occulto respectu rerum, ut loca imaginum sint in aperto, & appareant in aere in conjunctione radiorum visualium cum cathetis, & ideo aspicientes currerent ad loca visionis, & æstimarent res ibi esse cum nihil fuerit, sed appericatio tantum: & sic secundum hujusmodi nunc tacta de Reflexione, & consimilia possent fieri non solum utilia amicis, & terribilia inimicis, sed solatia maxima valent philosophice procurari, ut omnis joculatorum vanitas obsuscetur ex pulchritudine miraculorum sapientiæ, & gaudeant homines ex veritate, longius excluſa Magicorum fallacia.

De Visione Fracta majora sunt: nam de facili patet per canones supradictos, quod maxima possunt apparere minima, & e contra: & longe distantia videbuntur propinquissime, & e converso. Nam possumus sic figurare perspicua, & taliter ea ordinare respectu nostri visus

ſus & rerum, quod frangentur radii & reflectentur quorſumcunque voluerimus, & ut ſub quocumque angulo voluerimus. Videbimus rem prope vel longe, & ſic ex incredibili diſtantia legeremus literas minutiſſimas & pulveres ac arenas numeraremus propter magnitudinem anguli, ſub quo videremus; nam diſtantia non facit ad hujuſmodi viſiones niſi per accidens, ſed quantitas anguli. Et ſic poſſet puer apparere gigas, & unus homo videri mons, & in quacunque quantitate, ſecundumque poſſemus videre ſub angulo tanto ſicut montem, & prope ut volumus; & ſic parvus exercitus videretur maximus, & longe poſitus appareret prope, & e contra. Sic etiam faceremus Solem & Lunam & Stellas deſcendere ſecundum apparentiam hic inferius, & ſuper capita inimicorum apparere, & multa conſimilia, ut animus mortalis ignorans veritatem non poſſet aliqualiter ſuſtinere.

N° 4.

In MS. Muſæi Protobibliothec. Oxon.

QUod autem hic intendo eſt, de correctione Calendarii, quo utitur Eccleſia. Julius quidem Cæſar in Aſtronomia edoctus, complevit ordinem Calendarii ſecundum quod potuit in tempore ſuo; & ſicut Hiſtoriæ narrant, contra Achoreum Aſtronomum, & Eudoxum ejus Doctorem diſputavit in Egypto, de quantitate Anni Solaris, ſuper quam fundatum eſt Calendarium noſtrum, unde, ſicut Lucanus refert, ipſe dixit:

Non meus Eudoxi vincetur Faſtibus Annus.

Sed non pervenit Julius ad veram anni quantitatem, quam poſuit eſſe in Calendario noſtro 365 dies, & quartam diei integram, quæ quarta colligitur per quatuor annos, ut in anno Biſſextili computetur unus dies plus quam in aliis annis communibus. Manifeſtum autem eſt per omnes Computiſtas, antiquos & novos, ſed & certificatum eſt per vias Aſtronomiæ, quod quantitas anni Solaris non eſt tanta, imo minor; & iſtud minus æſtimatur a ſapientibus eſſe quaſi 130 pars unius diei, unde tanquam in 130 annis ſuperflue computatur unus dies, qui ſi auferretur, eſſet Calendarium correctum quoad hoc peccatum.

Secundum quod expono circa Eccleſiaſtica, & de corruptione Calendarii [a], quæ eſt intolerabilis omni ſapienti, & horribilis omni Aſtronomo, &c. Julius quidem Cæſar conſtituit Calendarium, quod habemus, nec unquam fuit poſtea correctum, & in tempore ſuo non habuit falſitatem, quæ nunc regnat, propter mutationes a tempore ejus, &c. Sed non fuit Aſtronomia in uſu Latinorum niſi parum, nec in uſu Eccleſiæ, apud Græcos & Hebræos. Sed modo ſunt Aſtronomi ſufficientes adhæc, &c.

a In Opere ſuo ad Clement. IV. MS.

N° 5.

Epiſtol. ad Joh. Pariſienſ. c. 6.

IN omnem diſtantiam, quam volumus, poſſumus artificialiter componere ignem comburentem ex Sale Petræ & aliis: (viz. Sulphure, & Carbonum pulvere, ut in MS Ger. Langbaine legitur) Præter hæc (i. e. combuſtionem) ſunt alia ſtupenda naturæ; nam ſoni velut Tonitrus, & coruſcationes poſſunt fieri in aere, imo majore horrore, quam illa quæ fiunt per naturam. Nam modica materia adaptata, ſc. ad quantitatem unius pollicis, ſonum facit horribilem, & coruſcationem oſtendit violentam, & hoc fit multis modis, quibus Civitas aut Exercitus deſtruatur ... Igne exſiliente cum fragore inæſtimabili ... Mira hæc ſunt, ſi quis ſciret uti ad plenum, in debita quantitate & materia.

N° 6.

Sir John Forteſcue's Defence of the Title of the Houſe of Lancaſter, in the Cotton Library.

ITem Regibus Angliæ Regali ipſo officio plura incumbunt, quæ naturæ muliebri adverſantur .... Reges Angliæ in ipſa unctione ſua talem cælitus gratiam infuſam recipiunt, quod per tactum manuum ſuarum unctarum infectos morbo quodam, qui vulgo Regius morbus appellatur, mundant & curant, qui alias dicuntur incurabiles. Item aurum & argentum ſacris unctis manibus Regum Angliæ in die Paſchæ Divinorum tempore (quemadmodum Reges Angliæ annuatim facere ſolent) tactum devote & oblatum, Spaſmaticos & Caducos curant; quemadmodum per annulos ex dicto auro ſeu argento factos, & digitis hujuſmodi morbidorum impoſitos, multis in mundi partibus crebro uſu expertum eſt. Quæ gratia Reginis non confertur, cum ipſæ in manibus non ungantur, &c.

N° 7.

J. Bradwardine, Archiepiſcopus Cantuarienſis, in libro de cauſa Dei, l. 1. c. 1. corol. pars 32. p. 39.

QUicunque negas miracula, Chriſtiane, veni & vide ad oculum adhuc iſtis temporibus in locis ſanctorum per vices miracula glorioſa. Veni in Angliam ad Regem Anglicum præſentem, duc tecum

cum Chriſtianum quemcunque habentem morbum Regium, quantumcunque inveteratum profundatum & turpem, & oratione fuſa, manu impoſita, ac benedictione ſub ſigno crucis data, ipſum curabit in nomine Jeſu Chriſti. Hoc enim facit continue, & fecit ſæpiſſimè viris & mulieribus immundiſſimis, & catervatim ad eum ruentibus, in Anglia, in Alemania, & in Francia circumquaque ; ſicut facta quotidiana, ſicut qui curati ſunt, ſicut qui interfuerunt & viderunt, ſicut populi Nationum, & fama quam celebris certiſſime conteſtantur. Quod & omnes Reges Chriſtiani Anglorum ſolent divinitus facere, & Francorum, ſicut libri antiquitatum & fama regnorum concors teſtantur : unde & morbus Regius nomen ſumpſit.

N° 8.

Viro Doctiſſimo JOHANNI FREIND, M. D.

MICHAEL MATTAIRE, S. D.

FIdem, vir Amiciſſime, libero ; quam haud ita pridem, cum ſermones inter nos ſuper noſtratium Medicorum ſcriptis haberemus, dedi, me tecum, quæ mihi literaria veterum monumenta evolventi paſſim de Linacro Caioque occurrerunt, communicaturum.

Thomas Linacrus, anno circiter [a] 1460 natus, ſtudiorum tyrocinia Florentiæ [b] ſub Demetrio Chalcondyla & Angelo Politiano, una cum Laurentii de Medicis filiis, poſuit. Inclaruit ea maxime tempeſtate, qua craſſa præcedentium ſæculorum barbaries, renaſcentibus in Europa literis, cœperat paulatim exoleſcere. Viri tunc literati ſolebant ſuam plerumque operam in Græcorum Auctorum Libris Latine reddendis collocare : opus ſane nemini, niſi linguæ utriuſque apprime peritiſſimo, ſuſcipiendum. Plurimi ex Italis in hoc ſe exercuerunt : Linacrus inter Anglos (niſi fallor) primus huic negotio manus haudquaquam impares admovit. Virium ſuarum periculum fecit in opuſculo Procli de Sphæra Latine vertendo ; [c] quod alius antea quidam fertur, at miſere, tentaſſe. Poſtquam Romam [d], ubi cum Hermolao Barbaro amicitiam conflavit, inviſiſſet, in Angliam reverſus, illam Procli verſionem a ſe politius limatam, & ab Aldo Manutio, anno 1499, excuſam, Arthuro Cornubiæ Walliæque Principi, Henrici VII filio & hæredi, addita præfatione, dedicavit. Accipe hic honorificam Linacri mentionem ex epiſtolis ſupradictæ editioni præfixis.

" Aldus Manutius Ro. Alberto Pio Carporum Principi, S. P. D.

" — Cum ſuperioribus diebus curaſſem imprimenda Arati Phæno-
" mena cum Theonis ennarratione, viſum eſt illis adjungere Procli
" Sphæram, & eo magis, quod eam Thomas Linacrus Britannus docte

a Conſule paulo poſt annum, quo obiit. b Baile Dict. c d ibid.

" &

" & eleganter Latinam nuper fecerit, ad meque noſtris excudendam
" formis miſerit. Eſt enim opuſculum iis, qui in Aſtronomiam induci
" atque imbui cupiunt, utiliſſimum. Quod cum ipſe Linacrus no-
" ſter acri vir judicio percenſeret, Arthuro Principi ſuo hoc a ſe trala-
" tum opuſculum nuncupavit; quod adoleſcens ille bonarum litera-
" rum ſtudioſus aſtrologiæ operam daret. Quamobrem & nos id ip-
" ſum opuſculum noſtra cura impreſſum ad te legendum mittimus,
" quod jam Peripateticus mathematicis diſciplinis navare operam cœ-
" peris. Quod eo etiam libentius leges, quod ſit a Thoma Linacro
" ſumma tibi familiaritate conjuncto interpretatum. Qui utinam &
" Simplicium in Ariſtotelis Phyſica & in ejuſdem Meteora Alexan-
" drum, quos nunc ſumma cura Latinos facit, ad me dediſſet, ut &
" illos una cum Proclo ad te mitterem. Quanquam (ut ſpero) eoſque
" & alios in philoſophia medicinaque perutiles libros aliquando dabit;
" ut ex eadem Britannia, unde olim barbaræ & indoctæ literæ ad nos
" profectæ Italian occuparunt, & adhuc arces tenent, Latine & docte
" loquentes bonas artes accipiamus, ac Britannis adjutoribus fugata
" barbarie arces noſtras recipiamus, &c. Horum ego Latinitatem &
" eloquentiam admiratus Gulielmi Grocini viri Græce etiam, nedum
" Latine, peritiſſimi, atque undecunque doctiſſimi, quam ad me
" doctam quidem & elegantem dedit, epiſtolam ſubjungere placuit,
" &c. Venet. pridie Idus Octob. M.ID.

" Gulielmus Grocinus Britannus Aldo Manutio Romano, S. P. D.

" Rediit in Britanniam nuper amicus meus ſummus, idemque tuus,
" Alde humaniſſime, Thomas Linacrus, ſalvus (eſt Deo gratia) &
" incolumis. Is, cum tua ſingularia in ſe merita abunde mihi expo-
" ſuiſſet, facile perfecit, ut te vel hoc ſolo nomine mirifice diligerem,
" &c. Noſter Linacrus nunciavit mihi te ſtatutum habere, ut libros
" ſacros Veteris Teſtamenti Latine Græce & Hebraice, Novi Græce
" & Latine imprimas, &c. Quod ad nos attinet, nihil prætermittemus,
" quod huic rei futurum adjumento videbitur, &c. Ex urbe Londino
" vj. Calend. Septembr."

Quod in Aldina epiſtola legitur de Ariſtotele, videtur [e] Eraſmus expectaviſſe; & [f] nonnulli aſſerunt, initum fuiſſe inter Linacrum, Latimerum, Grocinumque conſilium, ut Ariſtotelem integrum Latine conjunctis operis ederent. Verum id ſucceſſiſſe nondum comperi. De Galeno autem habebis, quæ ad meam notitiam pervenerunt.

Linacrus in patriam redux, & totus ad medicinæ ſtudium converſus, nihil antiquius habuit, quam ut Galeni ſua vix [g] adhuc lingua noti opera Latio donaret. Initium ſibi ducendum propoſuit a Sex de tuenda Sanitate [h] Libris: quorum Latinam editionem, viris doctiſſimis (ut ipſe ait) partim ex Italis, partim ex Germanis & Gallis, præcipue Eraſmo & Budæo, hortantibus vulgatam, Henrico VIII, Angliæ

e Epiſt. 29. lib. 10. Expectamus prima fœtura libros Ariſtotelis Meteorologicam. f Baillet, Tom. 3. Sect. 826. g Therapeutica Græce prodierunt Venetiis anno 1500. h Hi poſtea Pariſiis apud Simonem Colinæum prodierunt 1530.

Regi

Regi nuncupavit, epiſtola Londini xvj Calen. Quintiles, MDXVII data : in qua (ut ſummam modeſtiam cum ſumma eruditione conjunctam facile agnoſcas) hæc animadvertas velim ; " Qui libri (inquit) " ſi a me Latinitate donati minoris fortaſſe cuipiam videbuntur, quam " ſunt a me prædicati ; erit id fateor infantiæ meæ maxime imputan- " dum : niſi forſan eorum virtuti, utpote quam pro merito exæquare " nec modeſtus quiſpiam ſperaverit, nec temerarius poſſit."

His deinde adjunxit " Quatuordecim de Morbis curandis Libros ; " opus plane (ut fatetur) arduum, & quod ſive id ob ſubtilitatem ſu- " am, ſive prolixitatem, mille jam annis nemo ſatis Latine, ne dicam " ex tanti operis dignitate, vertere (quod ſciam) eſt aggreſſus." Horum verſioni ejuſdem Regis, cujus medicus erat, patrocinium conciliavit : quem ſic præfatur ; " — Interim, Rex Clariſſime, ſines has " quoque lucubrationes ſub tui nominis patrocinio commendatiores " exire : præſertim cum non tam a me tibi deſtinatæ ſint, quam plane " debitæ ; vel quod, in qua natæ ſunt, aulæ tuæ veluti fœtura ſint ; " vel quod tu quicquid uſquam laborum eſt meorum, jure tibi vendi- " ces ; qui me tam munifice non victu modo ſtipendioque alis, ſed " etiam ampliſſimis muneribus ornas. — Cui potius medicus tuus " hoc, quo ſanitati tuæ conſuli poſſit, conferam, quam tibi ? &c." Hanc editionem Janus Laſcaris ſequenti epigrammate commendavit :

" Omnigenos Pæan ſuetum te pellere morbos
" In Latio, & Diti ſubtrahere arte animas,
" Deſidem ubi & bardum vidit, facunde Galene,
" Poſthabitumque aliis quos memorare piget ;
" Dixit proſpiciens populis ; Age, myſta Linacre,
" Redde virum ingratis quamlibet Auſoniis,
" Tam ſibi, quam proavis, qui dogmata priſca relinquunt,
" Triciſque involvunt ingenia & tenebris.
" Hæc Deus. At Thaumas afflatus numine, talem
" Te vertit, qualem Græcia culta tulit.

Hanc verſionem poſtea Simon Colinæus Pariſiis anno 1530, impreſſit, recognitam a Gulielmo Budæo ; " qui animadvertit Lina- " crum in illo opere multo plus tribuiſſe priſcæ ſcribendi vertendique " ſeveritati, quam iſtius temporis indulſiſſe licentiæ laſcivienti.

" Linacrus, cui [i] nihil magis in votis fuit, quam Galeni opera om- " nibus, qui Romana lingua utuntur, communicari ; quæ in manus " inciderunt, & per valetudinem potuit, ipſe fecit Latina : & egregium " ejuſdem de Motu Muſculorum opuſculum, quod Nicolaus Leoni- " cenus vir doctiſſimus Latinum fecerat, & Florianus amicus ſuus ipſi " ab urbe miſerat, formulis in multa exemplaria quamprimum ex- " cudendum curavit.

" Libros præterea tres de Temperamentis, unum de inæquali In-

i Linacri ipſius hæc ſunt verba, quæ lego in iſtius opuſculi editione per Guinterium Joannem Andernacum ex Simonis Colinæi officina Pariſiis anno 1528, emiſſa.

" temperie, Latine verſos (Cantabrigiæ primum per Joannem Siberch " 1521, & deinceps Pariſiis in officina Simonis Colinæi 1523, im- " preſſos) epiſtola Londini anno MDXXI, Nonis Septembris data, Papæ " Leoni X obtulit; cupiens aliquo officii genere ſe declarare non im- " memorem collatæ recens in ſe non vulgaris munificentiæ; qua ip- " ſum quoque, ſicut reliquos, quicunque illum olim in ludum comi- " tabantur, Pontifex beare dignatus fuerat; promittens interim plura " majoraque (ut primum per valetudinem & miniſterii ſui officia lice- " ret) ſub illius Pontificis nomine edenda."

Alias aliquot Linacri lucubrationes recenſet ſequens ipſius ad Gulielmum Cantuarienſem Archiepiſcopum epiſtola.

" Statueram, ampliſſime Præſul, pro ocio, in quod me, honorifico " collato ſacerdotio, ex negocio primus vindicaſti, merito primos ejus " fructus tibi dedicare. — Id conſilium quemadmodum neceſſario, " non ſponte mutarim, alia [n] epiſtola ſignificavi. Decreveram & aliud " animi mei exiguum illud quidem, ſed tamen non omnino incon- " gruum monumentum tibi nuncupare; ut Galeni de Elementis " opere, quod cæteros ejus libros ordine præcedit, a me converſo, & " tibi dicato, in ipſa maxime fronte mearum in eum lucubrationum " primus auctor ocii noſtri legereris. Sed cum id certis negotiis di- " ſtrictus diſtuliſſem, ecce malum hoc, quo aſſidue crucior, ita deſæ- " vire cœpit, ut, quod deſtinaram, abſolvi a me poſſe deſperarem. " Unum igitur, quo me munificientiæ tuæ non immemorem teſtarer, " fuit reliquum, ut Galeni de Naturalibus Facultatibus libros, quos " inchoatos in manibus habebam, ubi per morbi ſævitiam liceret, " abſolverem; ac ultimos ſaltem ocii mei fructus, quando primos non " licuit, ſub tuo nomine publicarem, &c."

Hos tres libros, & unum de Pulſuum Uſu, cum quibuſdam Pauli Æginetæ de Diebus Criticis, ex Linacri interpretatione, prælo iterum ſubjecit Colinæus anno 1528, cum hac Guinterii Joannis Andernaci præfatione. " En habes, optime lector, Galeni libros tres de Naturæ " Facultatibus, elegantiſſime, a Thoma Linacro, Deum immortalem, " quo viro! in Latinum ſermonem tralatos. His & alter de Pulſuum " Uſu, tum ejuſdem Auctoris tum Interpretis, eſt additus. Qui jam " vel hoc nomine tibi gratiores eſſe debebunt, quod hactenus in Gal- " lia aut etiam Germania lucem non viderint. Nam Petrus Bellus " Ducis Vendovienſis Phyſicus, nuper ex Anglia primus, quo cum " Oratoribus Chriſtianiſſimi Regis Gallorum profectus erat, una ſe- " cum eos fauſtis avibus advexit: ſed ita quibuſdam in locis typogra- " phorum vitio depravatos, ut falſa interim pro veris, aſcita pro nati- " vis continere, denique non parum quaſi degenerare ab origine vi- " derentur. Quod cum ſenſiſſet acri vir ingenio, recognoſcendum " nobis de integro ad Græci exemplaris veritatem tradidit, &c."

Hunc de Pulſuum Uſu (cum aliis de Pulſibus Galeni libris) tractatum Latine iterum luce donavit Colinæus anno 1532, recognitum ab Hermanno Cruſerio Campenſi, cum ipſius Cruſerii præfatione; in qua

[n] Hæc nondum ad meam notitiam pervenit.

Henri-

Henricum VIII, Angliæ Regem ſic affatur, — " Alumni tui inſtitu-
" tum ſequor Thomæ Linacri, ut quem ille vir doctiſſimus patronum
" elegiſſet & defenſorem exactiſſimorum ſuorum operum, eidem mea,
" non illa quidem elimatiſſima, ſed tamen plurimi laboris & operæ
" certæ, offerrem; quo ejus auſpiciis in vulgus fœliciter exirent."

Conſtat [k] Linacrum obiiſſe anno ſalutis Chriſtianæ 1524, ætatis ſuæ 64; in D. Pauli Æde apud Londinenſes ſepultum.

Poſt ejus mortem quadriennio, viz. 1528, Pariſiis apud Simonem Colinæum impreſſi ſunt, Latine, illo interprete, quatuor Galeni de Symptomatibus libri, ſcil. unus de eorum Differentiis, tres de Cauſis: quibus Anonymus quidam ſic præfatus eſt.

" Vix poteſt explicari, ſtudioſe lector, quam elegans & eruditum
" de Symptomatis opuſculum in manibus habes. — Nec tacendum
" eſſet, quantis Latinæ linguæ deliciis hos commentarios Linacrus du-
" dum donavit, vir ut utriuſque linguæ doctiſſimus, ita reconditā-
" rum artium cum primis eruditus: qui ſtudioſos omnes (dum vix-
" erat) ad meliorem illam mentem non modo adhortabatur, verum
" etiam maximis muneribus & fovere & alere ſolebat, ut non imme-
" rito tanquam alter Mecænas doctis hominibus haberetur. Ille ſuis
" lucubrationibus & vigiliis fortaſſis in non parvum ſuæ valetudinis
" diſpendium noſtræ conditionis miſeratus, tantum de re medica me-
" ritus eſt, quantum noſtri ſæculi nemo alius, quippe qui meliorem
" partem medicinæ e Græco in Latinum rara fœlicitate verterit. Qua-
" tuordecim enim libros de methodo medendi, de ſanitate tuenda
" ſex, de naturali facultate tres, de temperamentis tres, de inæquali
" intemperie unum, de uſu pulſuum unum, cum his de ſymptoma-
" tibus, ſumma ſui ingenii fœtura, tam Latine vertit, ut non melius
" aut elegantius Græce eos olim Galenus ſcripſerit. Multa item alia
" a ſe verſa reliquit, quæ, quod ante obitum non erant edita, veren-
" dum eſt, ne in manus ſtudioſorum nunquam exeant."

Sine hic interjiciam luculenta quædam de interpretandi, qua Linacrus valuit, facultate teſtimonia. En [l] Eraſmi inter veteres de noſtro judicium. " Tandem apud nos proſtare cœpit Galenus a Lina-
" cro verſus, qui mihi ſupra modum placet. Poſthac & medicum
" fieri juvat. Et, mitto dono libros Galeni, opera Linacri melius
" Latine loquentes, quam antea Græce loquebantur. Et: Eſt apud
" Britannos vir undequaque doctiſſimus Tho. Linacrus — multis
" annis elimatas lucubrationes ſuas viciſſim edit in lucem. Prodiit
" Galenus ὡς ἀπ' ὑγιοῦς, tanta fide, tanta luce, tanto Romani ſermonis
" nitore redditus, ut nihil uſquam deſideret lector Latinus: imo ni-
" hil non melius reperiat, quam apud Græcos habeatur. Succeſſe-
" runt libri Therapeutices, quos ſcis, quales antehac habuerimus.
" Et: Apud Britannos ſtudio Thomæ Linacri ſic nuper diſertus cœpit
" eſſe Galenus, ut in ſua lingua parum diſertus videri poſſit. Ejuſ-
" dem opera ſic Latine legitur [m] Ariſtoteles, ut, licet Atticus, vix in

k Baile Dictionar. l Lege paſſim Eraſmi Epiſtolas. m Nihil adhuc Ariſtotelis a Linacro verſum legi. Vide prius not. (c)

" ſuo

" ſuo ſermone parem habeat gratiam. Et in Ciceroniano: Lina-
" crum novi virum undequaque doctiſſimum. — Urbanitatem nuſ-
" quam affectat, ab affectibus abſtinet religioſius quam ullus Atticus,
" breviloquentiam & elegantiam amat, ad docendum intentus. Ari-
" ſtotelem & Quintilianum ſtuduit exprimere. Et in aliqua ſuarum
" ad Linacrum epiſtolarum; — At tu ſi mihi permittis, ut libere te-
" cum agam, ſine fine premis tuas omnium eruditiſſimas lucubratio-
" nes, ut periculum ſit, ne pro cauto modeſtoque crudelis habearis,
" qui ſtudia hujus ſæculi tam lenta torqueas expectatione tuorum
" laborum, ac tam diu fraudes deſideratiſſimo fructu tuorum volu-
" minum. Ecce Petri Danielis [n] Huetii inter recentiores de Linacro
" teſtimonium & cenſuram. Sed ad Anglos pergamus. Et primum
" omnium, cum propter hominis ætatem, tum propter inſignia in
" rem literariam beneficia, adeamus Thomam Linacrum, quo nemo
" majorem orationis nitorem caſtitatem & condecentiam ad inter-
" pretationem contulit: quarum virtutum integritatem dum diligen-
" tius tueri ſtudet, fidelem verborum affectationem, raro quidem,
" at aliquando tandem, omiſit.

Nunc ad illam Anonymi Præfationem, quam hæc digreſſio, haud-quaquam intempeſtiva, abruperat, redeo.

" Linacrus Grammaticam abſolutiſſimam paulo ante mortem
" chalcographis excudendam commiſerat. In quibus (ſcil. Lucubra-
" tionibus) ut cæteris omnibus ſatisfaciebat, ita ſibi fere nuſquam;
" utpote qui per valetudinem, quæ multis annis parum erat proſpera,
" otium illud literis dicatum vel minutatim concidere cogebatur. Ex
" hujus hominis interitu res medica tantam jacturam paſſa eſt, ut
" ſuo jam patrono vidua prope elangueſcat & periclitetur. Bene
" precemini, ſtudioſi lectores, animæ hujus de re literaria tam bene
" meriti; qui ad hæc tum Oxonii cum Cantabrigiæ ſuis impenſis pub-
" licas lectiones medicinæ ſtudioſis perpetuo futuras eaſque honori-
" ficis ſalariis ſuſtinendas curavit; quo ars una generi humano ma-
" xime neceſſaria, jamdiu prope extincta, veterem illum ſuum ni-
" torem reſumat & aſſequatur. Vale.

De illa Grammatica paululum aliquid dicendum eſt, quam Linacrus in Mariæ Cornubiæ & Walliæ Principis Henrici VIII filiæ gratiam conſcripſit. Ille (ut ejus præfatio declarat) cum Mariæ
" a Rege patre, pro ſanitate tuenda, comes datus fuiſſet, nec id mi-
" niſterium obire per valetudinem liceret; ſecum cogitavit, quanam
" alia ratione ei eſſe uſui potiſſimum poſſet. Itaque cernens in ea
" generoſum feliciſſimi ingenii ad ſtudia literarum impetum, hunc
" juvandum fovendumque cenſuit, & latinæ linguæ rudimenta, quæ
" Anglis antea ediderat, nunc in ſummam quam potuit, redegit cla-
" ritatem. Eadem poſtea Buchananus cum Gilberto Kennedo Co-
" miti Caſſiliſſæ ſummæ ſpei adoleſcenti prælegeret, placuit illi ſupra
" modum in eo viro etiam in rebus minimis citra curioſitatem exacta
" diligentia, & ordinis lux, quanta in tam confuſa rerum congerie

n Lib. de Clar. Interpret.

eſſe

" eſſe poteſt, & quædam ſani judicii lectoribus in argumento vul-
" gato non ingrata futura novitas. Quare viſus eſt ſibi operæ pre-
" tium facturus, ſi eum libellum e vernaculo Anglorum ſermone,
" quo primum ab auctore eſt editus, in Latinum verteret." Hanc Buchanani verſionem nitidiſſime excudit Robertus Stephanus 1536.

Aliud autem Grammaticale opus compoſuit nempe, " Sex de
" emendata Latini ſermonis ſtructura Libros," ex Richardi Pynſoni officina Londini primum menſe Decembri 1524, & poſtea Pariſiis ex Roberti Stephani prælo 1527 & 1532, & ab aliis typographis ſæpius deinceps editos: in quibus conſummatam artis illius peritiam & multifariam optimorum quorumque auctorum lectionem eruditus harum rerum judex non poterit non admirari.

Habes jam noſtri Linacri imaginem; ex elaboratis & elegantiſſimis illius operibus, unitiſque complurium doctorum per univerſam Europam virorum ipſi plaudentium ſuffragiis delineatam. Obganniat nunc Batavus iſte Buchanani prætumidus editor: clamitetque peculiari petulantia fretus, nullum ex Anglis ſcriptorem cum eruditis aliarum gentium viris (aut, juxta Burmanianam Latinitatis elegantiam, cum aliis gentium eruditis) poſſe comparari.

Quod ad Caium attinet, de ejus ſcriptis copioſiſſime egi in tertio meorum Annalium Typographicorum tomo, paucos intra dies proditurο; ad quem, ſi hiſce tui amici nugis delectari poſſis, te remitto.

Vale. Ex Muſeolo, MDCCXXV. xiv. Cal. Novemb.

N° 9.

THomas Lynacrus, Regis Henrici VIII medicus; Vir & Græce & Latine, atque in re medica, longe eruditiſſimus. Multos ætate ſua languentes, & qui jam animam deſponderant, vitæ reſtituit. Multa Galeni opera in Latinam linguam, mira & ſingulari facundia vertit. Egregium opus, de Emendata ſtructura Latini ſermonis, amicorum rogatu, paulo ante mortem edidit. Medicinæ ſtudioſis Oxoniæ Publicas lectiones duas, Cantabrigiæ unam, in perpetuum ſtabilivit. In hac urbe Collegium Medicorum fieri ſua induſtria curavit, cujus & Præſidens proximus electus eſt. Fraudes doloſque mire peroſus; fidus amicis; omnibus juxta charus: aliquot annos antequam obierat, Presbyter factus, plenus annis ex hac vita migravit, multum deſideratus, Anno Domini 1524, die 21 Octobris.

Vivit poſt Funera virtus.

Thomæ Lynacro clariſſimo Medico,
Johannes Caius poſuit, anno 1557.

INDEX PROPRIORUM NOMINUM.

A.

Aaron Alexandriæ Presbyter 473 triginta Libros, Medicinæ Pandectas, vocatos ſcripſit 473 481
Abano (Petrus de) Conciliator celebris 461
Abbas Chalipha 473
Abdalanarackus 501
Abdil Aziz Ægypti Chalipha 473
Abenguefit, Auctor Arabicus 506
Abi Osbaia, Biographus Arabs 450 473 476 vitas pluſquam treecentorum Medicorum enarravit 480 quæ ad Medicinæ Hiſtoriam parum conferunt 481
Abulpharagius Auctor Arabicus 476 explicatiſſimam ſcripſit Hiſtoriam 376 377 472
Achilles Gaſſerus 428 430
Acoſta (Chriſtophorus) 529
Actuarius Zachariæ Filius 381 408 Auctor non ſpernendus 452 ejus Opera, & quidnam præcipue in Medicinæ incrementum contulerit 453 — 462 primus Græcorum mitiora deſcripſit Purgantium genere 455 ætas in qua vixit haud certo determinari poteſt 460 de ea Conjecturæ 460 - 462 ſeptem libros de Urinis ſcripſit 460
Adad' Odaula Chalipha 481
Adolphus Occo 428
Ægidius Philippi Auguſti Archiater 355 de Virtutibus Medicamentorum, de Urinis ac Pulſu ſcripſit, verſibus Hexametris 335 alter ejuſdem nominis natione Anglus quorundam Librorum etiam Auctor ib.
Ægyptii, in quamplurimis Morbis diuturnis, Arterias non minus quam Venas ſecare ſunt ſoliti 426
Aetius 375 380 quo tempore floruit 376 Chirurgiam ipſe exercuit, & Operationes deſcripſit 379 in illius ſcriptis diverſa Veterum fragmenta conſervantur ibid. in Chirurgia multa notatu digniſſima tradit, 384 varias Cauteriorum potentialium efficiendi vias deſcribit 386 Dracunculorum mentionem facit 389 multa de externis Remediis accurate differit 390 - 393 396 405 novos multos deſcripſit Morbos 463 Morborum Oculi Symptomata & Curatio fuſe ab eo deſcripta 463
Agathias Hiſtoricus 376 quo tempore ſcripſit ibid.
Albucaſis, Alſaharavius etiam dictus, Arabs 506 Auctor operis quod Al-Tarif vocatur ſive Methodus Medendi, & Libri de Operationibus Chirurgicis 506 507 Operis Chirurgici particularis deſcriptio, eorumque quæ in hac parte Medicinæ adjecerit 507 - 524 518 in Diagnoſtica Medicinæ parte, & diſtinguendis Symptomatis excellere dicitur 506 illius ætas incerta 507 de ea Conjecturæ ibid. & 508 in Operationibus Chirurgicis audaciſſimus 523
Alexander Stephani Medici filius 400 locus illius Natalis ibid. Ætas 376 ipſius ejuſque Operum Character 398 400 de Podagra integrum ſcripſit Librum 400 Praxis ejus 401, &c.
Alexandria, etiam poſt Ann. DC, ob. Medicinæ Scholam celebris 376 410 471 Bibliothecæ ibidem immenſus Librorum numerus poſt Ptolemaicæ ſub Julio Cæſare incendium 377 celebris hæc Bibliotheca ab Arabibus igne conſumpta 471 in hac Urbe quatuor Thermarum millia 377
Alexandrina Bibliotheca ab Amruo Chaliphi juſſu deſtructa 376 incredibilis in ea Librorum numerus, poſt Ptolemaicæ incendium, Principum munificentia congeſtus 376 377
Alexius I. Conſtantinopolitanus Imperator 458
Alfanus primus Salerni Archiepiſcopus 534
Alfraganus, Aſtronomus 475
Alkindus, Libri de Medicamentorum Doſibus Auctor 493
Almamon Hiſtoricus 472
Almamon Raſhidi Chaliphæ filius natu minor 474 475
Almanzor Chalipha, inſignis Litterarum fautor 472
Almenar (Johannes) Hiſpanus, Auctor libri de Lue Venerea 576
Almodhi Chalipha 474
Alphonſus Terrus Auctor Tractatus de Vulneribus Sclopeto illatis 584
Alpinus (Proſper) Venetus, Medicus doctus, variorum Medicinæ Tractatuum Auctor 380 Methodicorum Doctrinam plene & minute expoſuit 410 Arteriotomiam ſatis tutam experientia comperit 426
Alſaharavius 576 vid. Albucaſis
Alvalidus Ægypti Rex 472
Amruus ſub Othmane Chalipha Imperator Exercitus, qui Alexandriam expugnavit & diripuit 376 377
Andromachus Cretenſis Medicus, Auctor Theriacæ quæ ejus Nomen gerit 394
Andronicus Imperator Conſtantinopolitanus 460
Anſelmus de Januis Chirurgus 562
Antipater Medicus 454
Antyllus, Auctor inſignis 379 varios ſcripſit Libros, in quibus de Arte tractat Gymnaſtica ibid.
Apocauchus 46
Apono (Petrus de) in Regione Patavina natus, qui Librum Conciliatorem dictum conſcripſit 545 atque etiam Supplementum ad Meſuen 546
Apollonius, Auctor Medicus 379
Arabes licet Natio barbara, celebris tamen 471 haud minus Eruditionis gloria quam bellica laude excelluerunt 471 quibus modis Græcæ primum apud illos Literæ ingreſſum repererint 471 - 476 illorum in Scientiis progreſſus 476 - 479 in Aſtrologia 476 in Re Mathematica 477 478 in Philoſophia Naturali 478 479 in Medicina practica 479 omnia fere in Medicina Græcis debent; aliqua tamen in iis occurrunt, in Græcis non invenienda 479 480 eorum Opera cum fructu poſſe legi 480 529 primi Medicamenta Chymica in uſum duxerunt 529 multa Rei Botanicæ, Materiæque Medicæ adjecerunt 529 530
Archigenes, Vir Clariſſimus, Sectæ Pneumaticæ Medicus 379 382 386 401 532
Areulanus (Johannes) qui primum ſeculo decimo quinto Fonticulos in Doloribus Oculorum, Aurium aut Dentium adhibuit 388
Ardernus (Johannes) Anglus, Chirurgus haud ignobilis qui Volumen ingens de Medicina & Chirurgia reliquit 565 alia ejus Opera, & Praxis 565 566
Arebindus, ab Imperatore Conſtantinopolitano in Perſiam Legatus 412
Aretæus 398 varia ejus Placita atque Conſilia 401 425 434 438 552
Argillata (Petrus de) qui primus e Recentibus Spinæ Ventoſæ Curationem Chirurgiæ ope præſtitit 488
Ariſtoteles 476
Arnoldus de Villa Nova, Medicinæ atque Aſtrologiæ Scientia clarus, Chymiæ imprimis peritus 543 ejus Opera, Locus Natalis, & Ætas 543 544 Quindecim ejus Propoſitiones a Facultate Theologiæ Pariſienſi condemnatæ 544
Aſclepiades e Cypro Hiſtoricus & Medicus 384 424 434
Aſclepiodotus, in Medicina, non minus quam in Mathematicis & Muſica, verſatus 404 Hellebori Albi uſum aliquamdiu intermiſſum, in Melancholia præſertim, revocavit ibid. eaque de Cauſa inclaruit 411
Aurelianus (Cælius) Medicus 386 variæ illius Opiniones, Placita, Concilia 393 401 405 434 517
Aurelianus, Imperator Romanus 473
Avenzoar, Medicus Arabs, ex Patre & Avo Medicis prognatus 493 quid in Medicinæ Incrementum contulerit 493 503 Librum Thaiſſer dictum ſcripſit, qui omnia Victus & Medicinæ Præcepta in pleriſque Morbis contineret 493 in quo multa Medicamenta non alibi invenienda 500 Pharmaceutices & Chirurgiæ peritus ibid. & 502 ætas in qua floruit incerta 492

Annos vixit centum triginta ibid.
Averrhoes, Medicus Arabs & Scriptor celebris 503 504 Locus ejus natalis & Studia 504 Auctor Libri, Colliget, dicti, qui totam Medicinæ scientiam continet ibid. multa in Aristotelem Volumina scripsit 504
Avicenna 385 389 Magnum Opus confecit qui Canon dictus est 492 ejus Genus, Patria & Ætas 491

B.

Bachtishua (Gabriel) 533
——— (Georgius) Medicus Indus, Religione Christianus 473 multos Libros Medicos Arabice traduxit ibid. Chaliphæ Rashid Medicus constitutus est, centum Drachmarum millium stipendio illi concesso 474
Baco, Angliæ Cancellarius 542 illius Observatio ibid.
Baco (Rogerus) Anglus vulgo, Frater Baco, eximii Ingenii Vir, Chymicus & Mechanicus insignis 537 ejus Natales & Studia 538 - 543 inter primos qui in Occidente Artem Chymicam excoluit 537 538 Rei Mathematicæ & Medicæ Operam dedit, & Theologiæ Professor creatus est ibid. Optices, Astronomiæ, & Mechanicæ Scientiæ peritus 538 539 quod Mathematicæ Scientiæ ope præstitit, Magiæ suspicionem incurrit 540 ejus Opera 541
Bagdad amœnissima Civitas, ab Almanzor Chalipha condita, & propter situs amœnitatem Chalipharum facta sedes 473
Baleus 555
Barbarossa (Fredericus) Imperator 458
Barbettus Chirurgus 422 424 429 495
Barchuysen, Auctor recens, longum de Medicinæ Historia Opus conscripsit, in quo Medicorum Theoriam, Praxi neglecta, explicavit 384 451
Bartholinus Anatomicus 430 Librum de Aneurysmate scripsit ibid.
Basilius (Sanctus) Medicinæ peritus, eamque professus 438
Bauhinus (Caspar) Botanicus 501
Baylius 504 505
Bellonius 509
Benjaminus e Tudela, Judæus, Scholam Salernitanam laudat 536
Berengarius Carpensis, vid. Jacobus Carpus
Bernardus (Carolus) Anglus, nuper Chirurgus Regius 423 ejus sententia de Veterum sua in Arte excellentia 436 - 438
Bertrutius (Nicolaus) 563
Blockius, Spathomeles Inventor, Instrumenti quo peragitur Paracentesis 515
Blondus 414
Boccacius 574
Boethius, Nobilis Romanus a Theodorico Ostrogothorum Rege in Exilium Missus, & postea Capite multatus 414
Bokhari, Mahometanus Marisci Discipulus 497
Bonanto (Petrus de) Guidonis Magister 564
Borgarutius 575
Borgia (Cæsar) Alexandri VI Papæ Filius 574 575
Bradwardinus, Archiepiscopus 559 Testimonium ejus de Regii Tactus Antiquitate in Struma ibid.
Brasavolus, ingens Volumen de Lue Venera edidit 580
Brunus, Natione Calaber, & Auctor Chirurgicus 522 557 558
Bucas 416
Buhahyliha Bengesta, Judæus, Caroli Magni Medicus 536
Bulcasem, Auctor Arabicus qui de Medicina scripsit 506 529
Busbequius, Imperatoris in Aulam Turcicam Legatus 472 ingentem pretiosorum Codicum, præsertim in Re Medica, numerum collegit ibid.

C.

Cæsalpinus 444 Anastomoseos mentionem facit 445 Circularis Sanguinis Progressus illi incognitus ibid.
Cæsarea Bibliotheca 451 460 472
Caius, Anglus, Vir celebris & eruditus 567 589 Sudorem Anglicum accurate descripsit 589
Callicles (Nicolaus) insignis duodecimi seculi Medicus 458
Camanusali, Bagdadi Medicus 387 de Oculorum Morbis scribit ibid. Setacei bis mentionem facit ibid. & 506
Campegius (Symphorianus) 543
Cantacuzenus (Johannes) 460
Carpus (Jacobus) Chirurgus & Anatomicus insignis, qui Unctionem Mercurialem invenisse fertur 576 Anatomiam instauravit & auxit, multasque Observationes & Inventa utilia reliquit 585
Cataneus (Jacobus) Chirurgus, qui de Symptomatis & Curatione Luis Venereæ scripsit 577
Cavades Chosrois Persarum Regis Pater 414
Celsus 379 384 Cauterii Usus variis in Morbis ab eo collaudatus 386 Lex perpetua ab eo tradita in Cauteriis observanda ibid. vid. 395 404 408 421 423 438
Champerius, Vitarum Scriptor 443 444
Checus (Johannes) Eques Linacri Orationem criminatur 587
Chosroes, Persarum Rex 412 413 Philosophiæ studuit, & omnes summi Imperatoris Virtutes possidebat 414
Claudius, Tiberius, Imperator Romanus 388
Clemens IV Papa Romanus 539
Clericus 375 Historiam Medicinæ ad Galeni temporum finem deduxit ibid. non ita feliciter in Specimine Historiæ adjuncto succesit 375 376 vid. 379 543 547 574
Colletus (Doctor) Sancti Pauli Decanus 571 588
Columbus (Christophorus) 568
Columbus, peritus Anatomicus 444 Structuram & usum singularum partium ad Corpus pertinentium accurate descripsit ibid & 495
Columella 388
Comnena (Anna) Alexii Imperatoris Filiia, cujus Historiam scripsit, Princeps erudita, Scientiæ Medicæ haud ignara 450 451 458 459
Comnenus (Isaacus) Imperator, A. D. MLX 447
Conringius 551 Rosim Johannis de Gaddesden, librum ita dictum, laudat ibid.
Constantinus Africanus, vir doctus & Medicinæ peritus 521 533 ejus Ætas, Locus natalis, Opera, &c. 533 534
Constantinus Pogonatus Imper. 376
Constantinus Porphyrogenitus, septimus ejus nominis Imperator 450
Cophon, Libelli de Purgantibus atque Opiatis Auctor 548
Cornarius, Dolabellarum in Paulum Auctor 463
Cosmas, cui Alexander Volumina sua dicavit 400
Curtius (Marcus) 532
Cutilas, Sagitta vulneratus interiit 416
Cyprianus, peritus Lythotomus 523
Cyrillus (Sanctus) Alexandriæ Episcopus 376 ejus Obitus ibid.

D.

Damascenus (Johannes) Auctor undecimi Sæculi, alius a Mesve, a Constantino Africano sæpius memoratus 534
Damascenus (Johannes) Mesue dictus qui circa finem duodecimi Sæculi floruit, & primus Aquæ Rosarum chymice conficiendæ modum descripsit 458
Damascius Syrus, Philosophus 413
Danaus Auctor Collyrii ingenti Pretio Constantinopoli venditi 397
Daniel (Pater) illustris Historicus 541 res mira ab eo memorata 541
Dante, Scriptor satyricus 574
Demetrius Chalcondylas 587
Demetrius Pepagomenus, Libelli de Podagra Auctor 452
Demosthenes, Scriptor intelligens, Alexandri Herophilei Discipulus 464 tres Libros de Oculorum morbis conscripsit 547
Derbiæ Comes (Henricus) Dux Lancastriæ creatus 565
Desiderius, Abbas Monasterii Montis Casini, postea in Pontificatum electus 533
Diemerbrokius 429
Diocles Carystius, Medicus ætate famaque Hippocrati secundus 377 Epistola ejus ad Antigonum, a Paulo conservata 421
Diodorus Siculus 521
Diogenes Phœnix 413
Dioscorides 307
Dolæus 453
Donatus ab Altomari 381
Douglas (Doctor) accuratus ac diligens Anatomicus 424 curiosissimæ Peritonæi Præparationes ab eo factæ ibid. Lateralis in Calculo Sectio accurate ab eo descripta 585
Douglas (Johannes) Chyrurgus in Usum revocavit anteriorem in calculo Incisionem 585
Ducas (Constantinus) Constantini xii, Imperatoris Pater, Litterarum Amator Cultorque 450

E.

Edwardus, Angliæ Rex, Confessor appellatus, primus fuisse dicitur, qui Regiam Strumosorum Tactionem exercuit 550
Edwardus I, Angliæ Rex 548
Elizabetha, Angliæ Regina Strumosos tetigit 550
Elkenani, Alexandriæ Medicinæ Professor 473
Elmacenus Scriptor Arabicus 474
Elpidius, Theodorici Gothorum Regis Archiater 414
Erasistratus, Medicus celebris, in Seleuci Nicanoris Aula 491

Eraſmus (Deſiderius) in Oratione ſolutus ac Negligens 587
Eſdras, Auctor Antidoti ejus nomine inſigniti 451
Euclides, Alexandriæ oriundus, celebris Mathematicus 476
Euergetes (Ptolemæus III) Ægypti Rex 384
Eunapius, Hiſtoricus, idemque Medicus 376 383
Euſtachius, peritus Anatomicus 585 586
Evagrius, Hiſtoricus 418 Peſtem exitialem Conſtantinopoli, A. D. DXLIII graſſatam, qua ipſe laborabat, deſcribit 418 419

F.

Fabricius ab Aquapendente, Medicus, & inſignis Chirurgiæ Magiſter 378 vid. 410 423 435 438 445 510
Fabritius (Georgius) 476 483
Fabritius (Hildanus) Germanus Natione, Chirurgus, & Chirurgiæ Scriptor celebris 392-394 398 422
Falcandus de Luca (Johannes) primus in Anglia Pharmacopola, qui Medicamenta venum dedit 555
Fallopius (Gabriel) Medicus, Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor celebris 394 vid. 395 428 580 585 586
Farraguthus, Judæus, Caroli Magni Medicus 536
Ferdinandus, Caſtiliæ Rex, qui Judæos ex Hiſpania profligavit 570
Fernelius (Johannes) Henrici ſecundi, Galliarum Regis, Medicus primarius 428 577 primus Gonorrhææ mentionem facit 579
Ferrandus (Gonſalvus) primus qui Guaiacum in Europam detulit, ex America 577
Ferrara (Gabriel) inter primos qui Duræ Matris Inciſionem, ſi Materia ſubtus contineatur, commendavit 510
Ferrus (Alphonſus) Inſtrumenti Inventor quo Sclopeti Glans ex Vulneribus extrahitur, ab ejus Nomine Alphonſina dicti 584
Fienus 515 duæ ab eo aſſignatæ Cauſæ periculi omnem ſimul Aquam educendi in Hydropicorum Paracenteſi 515
Flamſtedius, Regius in Britannia Aſtronomus 477 ingens ſtellarum fixarum Numerus ab illo obſervatus ibid.
Foreſtus 481 Opinio ejus de Aneuriſmate 429
Forteſcue (Johannes) Eques, vir eruditus & ſapiens, Auctor Defenſionis Juris Regii 550 Morbum Regium curandi munus ad Reges Angliæ ab omni antiquitate pertinuiſſe, tradit 550
Fracantianus (Antonius) Unctionem Mercurialem in Lue Venerea improbat 582
Fracaſtorius, vir in Medicina aliiſque omnibus Scientiis illuſtris, Siphylidis Auctor 578
Franciſcus Pedemontanus, Roberti Siciliæ Regis Medicus, qui Meſues Supplementum continuavit 387 vid. 461 547
Franco (Petrus de) Lithotomiæ peritus, qui Inciſionis Anticæ in Calculo extrahendo memorat 523 585
Fredericus II, Imperator, Litterarum & Judex & fautor inſignis, qui ampla Privilegia Scholæ Salernitanæ atque Neapolitanæ conceſſit 537

G.

Gaddeſden (Johannes de) Anglus, Auctor celebrati Operis, Roſa Anglica dicti 550 Operis Character 551 non Medicinam ſolum, ſed etiam Chirurgiam exercuit 552 ejus Praxis varioſque Morbos curandi Methodus 552 - 555
Gagnierus, vir eruditiſſimus 472
Galenus, Pergamenus, in Doloribus violentibus Manus atque Capitis Arterias incidere jubet 425 omnes alios varia eruditione doctrinaque critica ſuperavit 438 non tamen verum eſt, nihil fere a Veteribus in Medicina præſtitum quod in ejus ſcriptis non reperiatur 462 463
Garbo (Thomas de) Florentinus, Cophonis Diſcipulus 548
Garcias ab Horto, Proregis Hiſpani Medicus, & peritus Botanicus 408 529
Garengeotus 528
Gariopontus, Libri Paſſionarium dicti Auctor 534 547
Gaſſendus, vir maximæ eruditionis, qui Sanguinis Circuitum, primo negavit, quem poſtea convictus amplexus eſt 445
Gentilis, Expoſitor clariſſimus 535
Gerardus de Carmona, Libri Auctor cui Titulus, Viaticum 555
Geſnerus, Auctor qui Examen Leproſorum edidit 574 vid. 426 457
Gilbertus, Anglus, primus in Anglia ſcriptor Practicus qui ſæculo decimo tertio floruit 547 compendium Medicinæ edidit ibid. & 548 Methodus, qua Juvenem Leucophlegmatia laborantem curavit 549 ex ejus Scriptis Regii Strumoſorum Tactus antiquitas colligi poteſt 550
Glandorpius 387 inciſionem Duræ Matris feliciter eſt executus 510
Glanvillus (Bartholomæus) Auctor Libri De Proprietatibus Rerum, diverſus ab eo qui Breviarum Practicæ ſcripſit 554
Gordonius, Monſpelii Medicinæ Profeſſor, qui ingens conſcripſit Volumen Lilium Medicinæ vocatum 546
Goritius, Auctor Libri, Definitiones Medicæ appellati 530
Gorræus, locum in Oribaſio corruptum reſtituit 380 381
Græci Medicinam in Artis ac Scientiæ formam redegerunt 440 Poeticam, Oratoriam, Sculpendi, Pingendique Artes, omnibus numeris abſolverunt 440 441
Gregorius Nazienzenus (Sanctus) 376
Gregorius XIII, Papa, qui Kalendarium Julianum correxit 539
Gregorius Turonenſis, eruditus ſexto Sæculo Præſul, Hiſtoriæ Regum Galliæ & aliorum Operum Auctor 560
Grocinus, unus ex Antiquæ Eruditionis in Anglia Inſtauratoribus 588
Groſteſt (Robertus) Lincolnienſis Epiſcopus, Vir doctus, & Matheſeos peritus 540
Guicciardinus, Aneuryſmate affectus 432
Guido de Cauliaco, Bertrutii Diſcipulus, magni nominis & experientiæ Chirurgus 551 Chirurgiæ Artem in Syſtema redegit 563 Monſpeliæ Profeſſor fuit, & poſtea Papæ Clementis Medicus ibid. Cerebri Partem ſe homini exemiſſe narrat, qui poſtea ad ſanitatem redierit 563
Guido Patinus, Auctor qui in Arabas Scriptores vehementer invehitur, ſed non ſatis cum ratione 480 530
Guidotius 549 Narrationem hiſtoricam de Aquis Bathoniæ contexuit ibid.
Guintherius, Commentarios in Hippocratem ſub Oribaſii nomine publicavit 483 484
Guiſcardus (Robertus) Apuliæ Dux qui Conſtantinum Africanum Carthagine profugum præſidio recepit 533
Gulielmus Britannus, Philippo Auguſto a Sacris, cujus Hiſtoriam ſcripſit 521
Gulielmus de Saliceto, primus e practicis Scriptoribus qui Medicamentum Chymicum præſcripſit 542 Profeſſor Veronæ fuit, & Placentinus dictus, tam in Medicina quam in Chirurgia peritus 558 Calculi extractionem particulariter deſcribit 559 Herniæ Carnoſæ Medelam tradit ibid. & 560 561 Methodum Vulnera tractandi, & Curationes quaſdam non vulgares a ſe præſtitas enarrat 562
Gulielmus primus & ſecundus, Siciliarum Reges, Medicinæ Fautores 536

H.

Haly Abbas, celeberrimus inter Arabas Medicinæ Profeſſor 473 antiquiſſimam & pleniſſimam Medicinæ Arabicæ & ejus Gentis Auctorum enarrationem tradidit 481 quare hoc opus ſuſceperit 471 - 481
Haly (Jeſu) Auctor in Medicina Arabicus 506
Harvæus Anglus, Sanguinis Circuitus primus Inventor 445 Inventi hujus Emolumenta oſtendere inſtituerat, at Morte præpeditus 446
Heliodorus 379
Helmontius, Chymicus Scriptor obſcurus & fantaſticus 453
Heraclas 379
Heraclides Tarentinus, de ratione Simplicia componendi ſcripſit 531
Herbelotius, Auctor qui de Mahometanorum morbis & conſuetudinibus ſcribit 497
Hermannus Alemannus, Latinam Logicæ ex Arabico Verſionem dedit 540
Hermolaus Barbarus, circa finem decimi quinti Sæculi Botanices Studium reſuſcitavit 557
Herodicus, primus Medicinam inſtituit Gymnaſticam 593
Herodotus, Sectæ Pneumaticæ Medicus 379 396
Herophilus 531
Heſychius, Scientiæ adipiſcendæ gratia plurimas Regiones peragravit, Pſychreſti Præceptor 411
Hieronymus Fabricius 519 vid. Fabricius
Hipparchus, peritus ſui temporis Aſtronomus, Eclipſes Solis ac Lunæ per 600 annos ſupputavit, & 1022 Stellas obſervavit 477

Hippocrates, in Suppuratione Ceratis, in Diſcuſſione fomentis tantum uſus eſt 394 Cautio ejus in Paracenteſi 518
Hiſpani primum ex America Luem Veneream in Europam detulerunt & exinde in Americam Variolas retulerunt 568
Hobaiſh, Honaini Nepos, Traductor Auctorum Græcorum in Arabicum 476
Hobſonus Conſul, e cujus Rene, Patavii Calculus inciſione fuit eductus 523
Hollerius, primus qui Setaceum Acum non candente aperuit 388 395
Homerus 399 412
Honainus, Auctor Arabicus Chriſtianus, Hiræ natus, Græce, Arabice, & Syriace doctus, qui multa Arabice tranſtulit, ideoque Interpres dictus 475 476
Horatius a Nurſia, Chirurgus Audax 519
Hornius 430
Howelus, Medicus 416 418 419
Huetius 569
Hugo de Luca, Theodorici Magiſter 564

I.

Jacobus (Frater) 522 Lateralis in calculo Sectionis Inventor 585
Jacobus Sylvius, peritus Anatomicus 585
Jamerius, Chirurgus, qui Tractatum Chirurgiæ edidit 557
Innocentius Quintus Papa, qui Peſte laborans Auri Tinctura fuit curatus 543
Johannes de Dondis, Auctor qui de Aquis Mineralibus tractat 556
Johannes de Romanis, novi Inciſionis in Calculo Modi Inventor 584
Johannes de Vigo, Julii Secundi Papæ Medicus, qui de Variolis nonnulla edidit 576
Johannes Forteſcue, vid. Forteſcue
Johannes Gandavenſis 573
Johannes Grammaticus, vir eruditus, qui Alexandriæ commorabatur cum a Saracenis caperetur 376 ab eo multi MSS ex incendio Bibliothecæ ibidem ſervati 472
Johannes Serapionis Filius, primus qui aliquid in Medicina Arabice ſcripſit 482 ejuſdem ætas 583
Joneſius, qui de Aquis Bathoniæ tractat 549
Ionicus, qui una cum Oribaſio & Magno in Schola Zenonis Cyprii fuit inſtitutus 383
Iſaacus Honaini Filius, qui multa Græcorum Scripta Arabice tranſtulit 476
Iſidorus Gazenſis, ab aliis Peluſiota dictus, Philoſophus qui Juſtiniani temporibus floruit 411 413
Judæorum multi, Medici, & a Principibus Chriſtianis ſtipendiis aucti 536
Juvenalis Poeta 521

K.

Kempferus, Vir diligens & curioſus, qui multas Regiones Scientiæ cauſa peragravit, & Librum cui Titulus, Amœnitates Exoticæ, vulgavit 390 478
Kuſterus 411

L.

Lambecius (Petrus) Hamburgi Hiſtoriæ Profeſſor, & Auctor variorum librorum 380 381
Lanciſius 431
Lanfrancus, Operis Chirurgici Auctor 562 Setacea quadringentis abhinc Annis planiſſime deſcripſit 457 Opiniones quædam illius peculiares 562 563
Langius 457
Laurentius (Andreas) 432
Laurentius de Medicis Litterarum & Litteratorum Fautor inſignis 587
Lelandus (Johannes) 335 355
Leo (Johannes) qui Hiſtoriam Africæ ſcripſit 570
Leo Iſaurus, Imperator 483
Leonardus de Capua 440 ejus Deſcriptio 440 441
Leonicenus (Nicolaus) magnus Græcæ Medicinæ Inſtaurator, & Ferrariæ Profeſſor, primus qui de Lue Venerea Librum conſcripſit 574
Leonides, Alexandrinus Sectæ Epiſyntheticæ Medicus & Chirurgiæ peritiſſimus 379 386 389
Lillius, unus ex antiquæ Eruditionis in Anglia Inſtauratoribus 588
Linacrus (Thomas) Arthuri Principis Præceptor & Medicus 588 & poſtea Medicus Henrici ſeptimi, & Henrici octavi ſucceſſive 589 Collegii Medicorum Londinenſium Fundator, atque primus Præſes 590 591 ejus Laudes & Character 587 - 591
Lindanus 376 381
Littrus 429 432
Lobera (Aloyſius) Hiſpanus, Caroli Imperatoris Medicus, Auctor Tractatus de Lue Venerea 578 579
Lucas Evangeliſta, Profeſſione Medicus, cujus Sermo ad Veterum normam, illo cæterorum Evangeliſtarum propius accedit 439 quod exemplis illuſtratur 439 440
Lucretius 420
Lullius, Auctor ænigmaticus, qui Rogeri Baconis ſe Diſcipulum profitetur 538
Lutherus (Martinus) 567

M.

Machelli, qui Rhaſis Verſionem Græcam Latine tranſtulit 525
Maggius (Bartholomæus) de Vulneribus Sclopetorum Ictu factis fuſe tractat 584
Magi a Choſroe in Perſia convocati 413
Magnus, qui in Schola Zenonis Cyprii fuit inſtitutus 583
Maharn-court (Petrus de) Dominus Experimentorum dictus, Chymiſta celebris 538
Mahomed Alamin, Raſhidi Filius natu maximus 474
Mahometani, ubi Templum condere, ibi & Noſocomium, & Collegium fundare ſolent 474
Mahometes, Turcarum Propheta, in Scientia Medica, Empirica præſertim, verſatus, Aphoriſmorum Librum compoſuiſſe fertur 472
Malelas, Hiſtoricus 411
Mantias, Herophili Diſcipulus, qui de præceptis atque ratione Medicamenta componendi ſcripſit 531
Marcellus Empiricus 462 Compilator inſignis 534
Marcellus Sidetes, qui Libros de Morbis duo & quadraginta verſu compoſuit 380
Marchettus (Dominicus) 433 Modum docet operandi in Spina Ventoſa 488 Inciſionem Duræ Matris feliciter executus eſt 510 quid in Re Botanica præſtiterit 547
Marcus Antoninus, Imperator 380
Margravius 583
Mariſſi, Philoſophiæ & Legis Mahometanæ peritus, primus eſum Aſininæ Carnis permiſit 497
Martinus de Athera, Dominicanus, qui Diſputationem habuit cum Arnoldo de Villa Nova coram Papa Clemente Quinto 543
Martius (Jeremias) Editor Græce & Latine Operis Enchiridion Medicum inſigniti 450
Maſerjawaichus, Syrus, Religione Judæus, qui Pandectas Medicinæ Aaronis Alexandrini Arabice tranſtulit 473
Maſſa (Nicolaus) Anatomicorum nulli ſuæ ætatis ſecundus, Auctor qui ſcripſit de Lue Venerea 478 479
Maſſarias, nobilis in Italia Medicinæ Profeſſor 406
Matthæus de Gradibus 506
Matthiolus, Medicus, & Botanicus 500 561
Maynardus (Petrus) Veronenſis Auctor qui Luis Venereæ Symptomata enucleatius quam omnes ætate ſuperiores deſcribit 577 Aſtrologiæ multum addictus ibid. & 578
Meckerenus, Chirurgus qui Arteriotomiam ſæpius & tuto præſtitit 426
Mercurialis 379
Merklinus, Medicus qui omnes Morbos, Recentes nunc vocatos, Veteribus cognitos aſſerit 487
Meſve, natione Syrus, inſignis Medicinæ Profeſſor in Civitate Bagdad 474 481 ſeptem ac triginta Volumina ab eo conſcripta 482 locus natalis, Genus, educatio ib.
Mezeraius (Franciſcus) Gallus, Hiſtoricus 523
Michael Scotus Imperatoris Frederici ſecundi Aſtronomus 540
Monardes, tractat de Materia Medica 409 583
Morellus 451
Moſes (Rabbi) Auctor in Medicina Arabicus 506
Mundinus, Mediolanenſis, Anatomiæ Volumen compoſuit, cui Obſervationes novas, & Reperta quædam inſeruit 546
Muſurus (M.) Demetrii Pepagomeni Libellum de Podagra e Græco tranſtulit 452
Myrepſus (Nicolaus) ultimus Græcorum Medicinæ Scriptorum 457 Libri Antidotarium dicti Auctor 461

N.

Naſireddinus, Scriptor Arabicus Mathematicus, qui Apollonii Verſionem a Thabe Ben Corah retractavit 477
Natalis Montoſaurus, qui de Lue Venerea ſcribens Leoniceno adverſatus eſt 574
Naudæus (Gabriel) Auctor Gallicus, qui de Bello, Magica, Fratribus Roſæ Cruciatæ, &c. ſcripſit 545 546

Nesnder, Vitarum Scriptor fabulosus 492 533
Nemesius, Emissæ Episcopus, Librum de Natura Hominis circa quarti Sæculi finem, composuit, cui Circulationem Sanguinis fuisse notam falso afferitur 441
Nicolaus de Regis, Calaber, Græcæ Latinæque Linguæ peritus, qui Libros aliquot Galeni Latine reddidit 562
Nicolaus Quartus, Papa, qui Monspelii Academiam fundavit 546
Nicostratus, cujus Antidotum Colicum duobus Talentis æstimabatur 397
Nonus, Auctor Græcus qui Enchiridion Medicum composuit, Constantino Porphyrogenito inscriptum 450 451
Nuckius, Batavus, Scriptor Anatomicus 424 586

O.

Oribasius, excelsæ Indolis Vir sui Temporis doctissimus, inter Medicos peritissimus, Auctoritate non minus quam Doctrina valens 378-384 ætas in qua vixit 376 locus Natalis & Scripta, quorum plurima deperdita 383 quæ licet magnam partem Collectiones, in iis tamen multa de suo, ad Medicinæ Incrementum conducentia, frustra apud Antiquiores quærenda, reperiuntur 381 multa apud eum Medicamenta, a superioribus non descripta 379 Curandi regulæ in variis Casibus ab eo commodissime descriptæ 381
Osthanes, Unus ex Antiquissimis apud Persas Magis 399
Othmanes, Chalipha 376

P.

Palladius, Sophista & Iatrosophista dictus 448 ætas in qua vixit, Scripta ejus, & eorum Nota 448 449
Pendectarius, Matthæus Sylvaticus. vid. Sylvaticus
Paracelsus Chymicus Homo illiteratus, & fanaticus 375 453
Paræus (Ambrosius) Carolo IX, & Henrico III, Gallorum Regibus Chirurgus, suæ Artis peritus, & Auctor operum in sua Facultate 422 Incisionem in Hernia Intestinali approbat, & Arteriæ Temporalis Sectionem sua & aliorum experientia commendat 425 v. 432 Arteriarum Deligatio in Amputationibus ab eo primum inventa & adhibita 446
Paravicius (Magister) qui Avenzoaris Versionem ex Hebraico sermone vulgavit 540
Pasquierus, Vir doctus, & variorum Operum Auctor 505
Paulus, ultimus ex veteribus Græcis in Medicina Scriptoribus 420 ætas ejus, & Locus natalis ibid. primus Artem obstetriciam tractavit ibid. operam ejus omnem in alienis laboribus colligendis non consumsit 421 Operationes Chirurgicas ipse administravit ibid. Chirurgia ejus, Librorum ab ejus temporibus huc usque editorum quasi fundamentum 435 eorum quæ in Medicinæ incrementa attulit magis ampla & particularis descriptio 420-438
Pecquetus, qui Chyli Receptaculum detexit, & in Corpore Humano Ductum Thoracicum primus investigavit 445
Pedemontanus (Franciscus) Roberti Siciliæ Regis Medicus 387 361
Perzoes, Medicus, qui Librum de Indorum Sapientia, Chosrois Persarum Regis rogatu, contexuit 414 452
Petitus 505
